

SYNTAGMATIS

ARCANORVM CHYMICORVM, EX

OPTIMIS AVTORIBVS SCRIPTIS, impressis, experientiaque artifice collectorum,

TOMVS SECVNDVS.

IN *QVEM* CONGESTA SVNT *partim noua, eaq; penitiora Spagyrorum secreta, partim prioris tomi nonnulla explicatius tradita, & inter ea etiam ænigmatica Quercetani, aliorumque Hermeticorum non pauca studiosè inuestigata, declarata & iudicata,*

Ab

ANDREA LIBAVIO M.D.P.C. Illustris Gymnasii Casimiriani in vrbe Coburga Directore, & Professore publico.

Cum Indice copioso duplici, Chymico & Medico.

Cum gratia & priuileg. Cæsar. speciali ad decennium.

FRANCOFVRTI
Excudebat Nicolaus Hoffmannus, Impensis Petri Kopffii.

Anno M. D. CXIII.

NOBILI, STRENVO, ET GENEROSO VIRO ET D.D. IOHANNI SEBASTIANO A ROTENHAN, IN RENTVVEINSDORFF, &c. EQVITI Franco, & Tractus Paunacensis Præfecto, D. & amico suo officiosè colendo,

ANDREAS LIBAVIVS M. D. ET ILLVSTRIS Casimiriani Gymnasii apud Coburgenses Director,
S. P.

SPLENDIDIS admodum, & magnificis Encomiis, Vir Nobilissime, generosissimeque, & Eques strenuissime, ornatam esse, affectamque naturam, tam veterum, quam recentium sapientum monumenta abunde testantur. Qui rerum diuinarum admiratione tenentur, iisq; cognoscẽdis & explicãdis totos se dediderunt, tanquam diuinæ maiestatis, potentiæ, scientiæ, præsentiæ, prouidentiæque speculum eam proponunt, quandoquidem, vt Apostolus loquitur, τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, hoc est, Inuisibilia Dei ex creatione mundi operibus intelligenda conspiciuntur, ipsaque æterna eius potentia & diuinitas ex iisdem elucescunt. Τὸ γὰρ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, Manifestum fit, quod de Deo nosci absque reuelatione per verba iam ab homine potest per naturalium contemplationem, adeo vt legem naturæ nobis subinde occinat etiam ipsa conscientia, & de Deo colendo, à que malis abstinendo, nos semper admoneat. Hinc & Iurecõsulti naturæ legem commendarunt, eamque diuinam origine, & immutabilem statuerunt. Philosophorum princeps Aristoteles tum alibi mirificè deprædicat naturam, tum in 1. de part. an. 5. vbi eam causam ordinis in vniuersis esse dicit, vocatque parentem & autorem omnium animalium, excitantem miras voluptates in hominibus, qui causis intellectis ingenuè philosophantur: quippe cum nulla res naturæ sit, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur, in omnibus naturæ numine, honestoque & pulchro ingenio existente, cuius operibus iunctum id præcipuè est, vt nihil ab ea temerè & fortuitò, sed omnia alicuius gratia, in quo est boni honestique ratio, agantur. Plinius in na-

tura agnoſcit immenſa potentiæ occultæ documenta, vltra quæ nec alia quæri debeant, nec poſſint paria ſimiliáve inueniri, ipſa ſeipſam vincente natura, & numeroſis modis declarante, cuius opera etiam impoſſibilia factu iudicentur, priùs quam ſint facta, quod naturæ rerum vis & maieſtas apud homines imperitos fide careat. Eam prouidam & beneficam eſſe dicit: Eidem omnia ferè poſſibilia eſſe pronunciat, adeò vt non dubitet aſſerere naturæ potentiam eſſe id, quod Deum appellamus, quod etiam Seneca lib.4. de beneficiis c.7. ſcriptum reliquit: Ariſtotele tamen nolente vocare diuinam, ſed dæmoniam tantum cap.2. de diuinatione per ſomnum, appellante. Benigniſſimam omnium parentem nuncupauit Columella: Lucretius rerum creatricem, omniferentem, & omniparentem poetæ: Mantuanus etiam omnipotentem: quibus laudibus ecquid poſſis adiicere? Veruntamen multa illi gentiles naturæ aſcripſerunt, quæ diuinæ prouidentiæ, & diſpenſationi, debentur: Vnde & ſecundarios quoſdam Deos, tertiarioſque ſtellas, virtuteſque & facultates rerum naſcentium, aut paſſim in mundo contingentum confinxerunt, vt apud Platonem, Hermetem Triſmegiſtum, Macrobium, poetaſque & alios eſt videre. Phyſici eius ſtudium ſibi peculiariter vendicant, quanquam horum ſententiæ tanta ſint varietate, vt ferè quid vel quem ſequi debeas, ignores. Accuratiſſimè in naturæ contemplatione verſantur illi, qui ad eam afferunt lumen ex diuinis ſacrarum literarum reuelationibus hauſtum, quique eſſentiali quadam anatomia, & ſeparatione inſtituta, quid penitus lateat in rebus naturaliter compoſitis, inueſtigant, idque in publico conſpiciendum proponunt, qua in re non ſunt alii ſolertiores, ingenioſioreſque, quàm dicti Chymici, Hermeticive, ab Hermete quidem autore & parente Alchymiæ myſticæ, non à materia, vt volunt nonnulli, appellati, ſed non iſta omninò, quæ in Pimandro, & Aſclepio leguntur, ſecuti, quando etiam adhuc dubium eſt, ſitne Hermes iſte Pimandri, & Aſclepii concinnator idem cum Hermete Chymico, qui in ſmaragdina tabula myſterium lapidis Philoſophici, & ad eius ideam cæterorum elaborandorum, deſcriptum ad poſteros tranſmiſit. Hi de natura ingenuè philoſophantes, dum compoſita reſoluunt, diuerſam ſimplicium naturam in eis inueniunt, nimirum nonnulla virtutibus eſſentialibus deſtituta: alia vero iiſdem per ſe prægnantia, licet diuerſis formis, & qualitatibus ſenſus mouentia, quæ per illa, & in illa, tanquam in agrum naturæ, aut, vt Plato ait, conceptaculum, & capſam ſunt digeſta diſtributaque, conſtituentia eſſentialium poteſtatum primum, proximumque ſubiectum, proportione conueniens cum elemento ſtellarum, prioribus tanto propius ad Elementa inania mundi accedentibus, quanto minus

cœle-

cœlestium virtutum in se habēt. Ideò & illa corpora, capitaq; mortua dicuntur; hæc spiritus, & essentiæ viuæ, non qua vita plantæ, vel animalia constant, sed efficacibus potentiis in medicina, data occasione, actum suum comprobante. Scripsit Aristoteles in cap. 2. libro 1. Meteorol. Necessitate continuum esse mundum inferiorem lationibus superioribus, vt omnis illius virtus hinc gubernetur, quia principium motus inferiorum sit à superioribus, vt Solis, Lunæ, aliorumque astrorum accessiones, & recessiones testantur, vnde consequens est, à cœlo primam esse causam. Idem in 2. Gen. an. cap. 3. Omnem animæ virtutem siue potentiam, aliud corpus participare sibi videri ait, idq; magis diuinum elementis, quæ non tantum simplicia extra mistionem agnoscit, & ponit, verùm etiam in mistis ipsis inter se contemperata, vnde iterum, facta per putredinem, aut violentam corruptionē solutione, egrediuntur. Ei corpori diuiniori naturam discrepantem, prout ipsa principia, & animæ, vel etiam seminia mistorum nobilitate, vel ignobilitate differunt, assignat, appellatq; id calorem prolificū seminibus comprehensum, de natura nō Ignis, aut Ignei cuiusdam, sed spiritus in semine, spumosoq; corpore, & humidi primigenij natura cœlo analoga contenti. Hæc natura non tantum mineraliū, vegetalium & animalium seminibus benedictione diuina fœcundatis inest; verum etiam dispersa per totum inuenitur. Ideò & non tantum vniuoca generantur, verum etiam æquiuoca, nempe in terra, & aquis animalia, & plantæ, sub terra varietas mineralium admiranda, quia humor in terra, spiritus in humore, & calor in vniuerso inest, qui cum comprehenditur à materia disposita, præsertim occasione putrescētium humorum, & in bullam spumosam intumescentium, ab Aristotele creditus est animalia, & plantas spontaneas gignere. Ex Patribus Ecclesiasticis quidam seminaria talium rerum arbitrati sunt elementis commissa esse, quæ tandem in actum erumperent, & mista trium generum, inuoluta Elementorum contagio producerent. Id autem non difficile est ex creationis historia demōstrare; quò spectat & Platonicorum per omnia diditus mundi, mundanorumq; Spiritus, de quo Virgilius cecinit, seminibus rerum insitum esse, tanquam igneū vigorem, & cœlestem originem, spiritu intus agente, & per membra diffusa mente quadam, quæ totam mundi molem magno se corpori miscēdo moueat. Hippocrates diuinæ originis calore dixit, qui cum plurimus ad superiora recesserit, tamen aliqua sui portione etiam in imis manserit. Hanc formam vocant apud Mesuen magni magisterij consulti, quam abstractam à materijs veras earum essentias, nutritiuas, medicasq; complere animaduerterunt. Plin. lib. 2. c. 47. de vento dubitat, sitne ille generabilis rerum naturæ spiritus, huc illucq; tanquam in vtero aliquo vagus, an disparili errantium syderum, radiorumque multiformi actu flagellatus aer, & seu planetarum, seu fixa-

rum stellarum opus, quod naturæ legem non ignotam habeat, licet nondum percognitam. Agnouit ergo & hic Platonicum illũ mundi spiritum, calorem Hippocratis, & Aristotelis, formamq; & essentiam quintam Chymicorum. Ignem naturę nuncuparunt diuersi, licet diuersũ quoq; respicientes. De istis omnibus, Vir Nobilissime, & Generosissime, Eques Strenuissime, alias disserui, & veram rerum naturam ex sacra Physica contra insulsitates Paracelsistarum, non minus ac Elementarium Medicorum opiniones pueriles demonstraui. In præsente secundo Syntagmatis arcanorum Chymicorum Tomo sigillatim de IGNE NATVRÆ contemplationem institui. Prædicant hunc immensis quoque præconiis hi, qui mira potius & abstrusa dicere, quam vera, demonstrataq; proferre malunt, ita vt argumento Ignis naturæ inscitiam suam, & arrogatam sibi falso in naturalib. mysteriorum profunditatem velle tegere, & ab oculis remouere studiose videantur. Si enim quæras, quis sit tandem ille tam liberaliter, & copiose nominatus Ignis naturæ, vel obmutescuunt, vel ea mussitãt, quæ atra an alba sint, nescias. Talis in campo Chymicorum Martio apparuit non ita pridem Petrus Palmarius, suo iudicio omnium Medicorum Coryphæus, Parisiis vitam & mortem expertus. Nihil est Chymiæ operum insigniorum, quod huic nõ acceptum retulerit. Vt ergo pateat quid sit, & cuius genij, & ne Tyro noster Chymicus cętera omnia abunde doctus in Igne naturæ hæreat, conscripsi de hoc librum, quo liquido expositum arbitror quicquid hac in parte naturæ scitu opus esse iudicavi. Quoniam vero Palmarius, suum Ignem naturæ efferendo, in me, & veram Alchymiam adeo inuectus est, vt à nullo crimine, conuitio, calumnia, damnationeq; ad crucem vsque abstinuerit: Martinus Rulandus quidem, cuius nomẽ in benedictione, nobilis, Imperatoriæ Maiestatis, Diui Rudolphi felicis memoriæ atchiater, in animo habebat famã Chymiæ & meam defendere: verum ipsum immatura mors sustulit. Ne ergo patrocinio suo destituta succũbat veritas, oportuit ipsũ me armis accingi, & hostiles impetus Palmarianorũ (reliquit. n. ꝓcul dubio defunctus iste suæ vesaniæ ꝓgeniem, genimina viperarum virulentissima) pro virili, neglectis maxima parte conuirijs, quibus ille si dignus fuit, vt effunderet, ego tamen indignus esse videor, in quem sint profusa, retundere. Nolui vero solũ hunc laborem publicum facere, ne momentaneus, & in horã scriptus esse videretur. Adieci ergo Chymiam Pharmaceuticam methodo scientifica digestam, & Theorematica, exẽplariq; doctrina sic excultã, vt medicinæ pharmaceuticæ satis cõmode inseruire possit. Edita quidẽ etiam antehac est Alchymia, sed vniuersum systema Chymicum cõplexa, ne quod specimen artis, seu metallurgicũ, seu pharmaceuticum seu Cosmeticum esset, quod nõ suũ in descriptione illa locum inueniret. Verũ Aristarchi nostrorum temporum adeo medicã

facere

facere volunt Chymiã, vt vel sola sit medicina, vt sentiunt Seuerinia-ni, & Michelij manipulares: vel pars Pharmaceuticæ ingeniosior, q Parisiana schola videtur statuere. Priorum sententia nulla difficultate euerritur, imo sua ipsius absurditate pridẽ in Michaelio cõcidit, frustra eã è luto erigente Paracelsi famulitio: In posteriore adhuc lis hæret, quandoquidẽ non Medicinæ tantum graria Spagirica Chymia est inuenta, excultaq; verũ etiam liberaliter philosophandi, & quid in rebus mistis sit, quod scientiam faciat, speculãdi, qui est primarius Physicorum liberalium scopus. Nolo hoc in dissidio sententiam dicere. Vtriq; fini faueo, & Chymiam ingenuam tam scientiam, quam artẽ profiteor. Eius ope scire licet rerum Dædalæam naturã: eiusdem etiam medicamenta ad salutem humanã conficienda. Dedi ergo specimen artis, pro gratia diuina, quæ mihi ea in re est collata. Melius qui põt, ei nec obsto, nec inuideo. Occupet extremum scabies. Sunt qui Tyrocinia Chymica scribant. Apostata ille Dornheuserus magnam Alchymiam cum magno fumo proflauit. Hic defecit quidem inter ampullas suas, & ingentia promissa: Tyrociniographum spero non tam varietate artificiorũ singularium, quam præceptis Catholicis in compẽdium redactis, suos Tyrones instructurũ. Mea senectus, & occupationum moles non patiuntur me amplius eo in campo sudare. Lampada currẽs trado, vt est in prouerbiis. Vidi præterea, quæ publicorum commodorũ causa in lucem emiserunt viri in Chymia summi, Penotus, Crollius, Quercetanus, Rulandus vterq;, Basil. Monachus, & alij plures. Non aũt vidi id tantũ, verum etiã querelas de obscuritate audiui, nec minus cognoui varietatẽ expositionũ, vnde illa ipsa incertitudo operum Chymicorum, quã genuit sua perplexitate Paracelsus, põt contingere. Est q dicit, sic voluisse Quercetanum, & se verum habere artificium: Est qui secus. Accedit tertius, quartus, & magno numero multi alij, quorũ qlibet iactitat scientiam veram, cũ tamen δὶς διὰ πασῶν distent à se fere oẽs. Hoc modo Paracelsistarum quilibet sibi clauem intelligentiæ arrogabat, & interim qcquid pro arbitratu, vel ẽt fortuito laborando exibat, id vendebatur & adhuc vẽditur pro Paracelsico vero, genuino, ipsissimo, quod si reuiuisceret Paracelsus, prompte damnaret, & adulterii accusaret. Volui hac quoq; in parte inseruire iuuentuti, & per collationes, disputationes, naturaliq; & Chymica principia artificum formulas declarare. Hypomnemata ergo exhibeo variorum magisteriorum, in quib. si non clauum erigi, arbitror tamen non longe aberrasse. Si aduersari pugnaciter velis: feci, quantum potui. Meliora si quis dederit, palmam cedo. Voco hanc opellam Apocalypseos Hermeticæ partem priorem. Est. n. illustratoria & quasi reuelatoria, non his facta, qui omnia norunt, & Quercetanum, cæterosque autores etiam infra se ponere solent: Sed Tyronibus Chymicis, qui nondum pedum viderunt, viam *Non scribimus ampullosis Sophisticis, qui suum amore cætera vocant culinarias coctiones.*

ingredi vero eam studiose satagunt. Verum hoc totum puerile est prae eo, quod sequitur, continens Apocalypseos Hermeticae partem posteriorem, in qua si plurimorum nerui defecerunt, certe longe plurium cupiditates euanuerunt. Quicquid legendo, meditando, conferendo, operādoq; per me vel alios (neq; enim periclitari piguit, vti multis videtur) consequi potui, id in eam insumsi. Non mihi, sed aliis inseruiendo pene etiam sum consumptus. Medicinae Catholicae causam spectaui. In hac perfecta mihi finis est. Si quis velit etiam ad transmutationem metallorum ascendere, is, si fauentem Deum habuerit, eadem via etiam huc iuerit. Septem ex prestantissimis meo iudicio duces elegi, eorumq; documenta cum vetustate cōparaui. Horum praeceptionibus & manuductione, qui nō assequitur quod quaerit, is desperet etiā de Paracelso, Lullio, Arnoldo, Rupescissa, Gebro, Hermete, &c. Est autem verissima auri faciendi per medicamina naturalia, si Deus conatum bene direxerit, professio, adeo vt negantem peruicaciter putem gnauiter insanire. Est & verissima auri potabilis conficiendi ratio, non tantū illa rudior, cuius exempla multa proposui in Alchymia, licet non cuiusuis Paracelsitae captui obuia, verū etiam abstrusior, artificiosior, elaboratior, quam Philosophicam appellant, de qua non ita dudum in meo Musaeo cum Viro doctissimo, peritissimoq; Dn. Mosano, Illustriss. Hassorum Principis, D. Mauritii, Archiatro, cōferebam, qui etiam specimen iuxta descriptionem Frācisci Antonii elaboratum communicabat. Principia huius eadem Apocalypsis Hermetica ob oculos ponit. Non itaq; temeraria erit seu editio, seu lectio huius. Tuo vero nomini per se celeberrimo, Vir Nobilissime, Eques Strenuissime, cur totum hunc Syntagmatis arcanorum Chymicorum Tomum, sane à viris doctissimis etiam ante publicationem expetitum, dico, addico, consecro? Priorem asscripseram Nobilissimo, literatissimoq; D. Vito Huldrico Mareschallo, Equiti item Franco Strenuo & insigni: Et nisi me opinio fallit, spero gratum fuisse, & adhuc fore, nisi qua inuidia animum eius iam pridē erga me propensum in diuersum traxit. Iungere Equitē Equiti, Francum Franco, Nobilissimum, generosissimumq; nobilissimo & generosissimo quis culpet? Ille Chymiae synceræ addictissimum, multis communicatis voluminibus eam artē continentibus, animum mihi aperuerat. De tua generositate quid dicā? Vidi Essentias, Magistera, olea, sales & spiritus, quib. Chymęū tuę Nobilitatis est instructissimū. Scio honorificum tuum de ea sciētia iudicium: noui te in magnis affectibus post Deum Opt. Max. ad Medicinas Chymicas confugere. Qui honori est arti, num huic ipsa ars, eiusque Professores non repēdant mutuum? Non addo de caussis dedicationis plura, ne vel dubitare de Strenuitatis tuae constante iudicio velle videar, vel adulatorio quodā schemate id seu tibi, seu aliis persuadere, quod tamen reipsa & experi-

experimento refelli, quod proculdubio nunquam fiet, queat. Cape ergo hunc Tomum Syntagmatis arcanorum Chymicorum secundum promptâ, expeditaque manu, & fronte menteque hilari, facili, & benignâ, Vir generosissime, eique aliquem angulum seu in tuo, seu amicorum Musæo destina, nec desine generoso tuo fauore & liberali munificentia tum Musas Chymicas complecti, tum Professores cultoresque earum prosequi. Vale ex sententia. Perscriptum Coburgi in Christianorum Orthodoxorum Osteriis, quæ incidebant in Aprilis Iuliani IV. Anno à Christo nato M.DC.XIII.

LECTORI.

ABSOLVI per Dei gratiam, quod institueram, opus Chymicum, Lector, & non tantum axiomatica doctrina, methodoq; artificiosa, quæ scientiis est accommodata, studui, quicquid Chymicum apud veteres & recentes inueneram, complecti, verum etiam commentatiunculis pro ingenii modulo illustrare. Deo largitori benignissimo debes, si quem fructum ex istis es adeptus. Si ordine legeris & primis posteriora adieceris non sine meditatione & inuestigatione solerti, spero te etiam deinceps non sine fructu fore. Multi vero infelice nostro seculo in operibus eiusmodi non scientiam ex principiis quærunt, sed pollicitationibus arcanorum tãtum inhiant, eaq; non æstimant iudicio veri, sed opinione sua fallace, cumq; non inueniunt quod ad saliuam faciat abiiciunt librum, autori obloquuntur, ipsumq; ex alto præ suis, quas vndelibet corraserunt, titulo secreti secretorum & singularium ex officina Paracelsi, in qua nunquam fuerunt arcanorum formulis, despiciunt. Familiare hoc esse Paracelsi sectatoribus (quos tamen ille nebulones appellare non dubitauit) & sapidulis arrogantulisq; illis Sophistis, qui nuper ex furnulo aliquo furuo Proserpinæ & Plutonis prorepserũt; vel in antris Sibyllinis ludibria ventorum schedulas volitantes collegerunt; tametsi nec intelligant scripta, nec laborando possint assequi, sat multis exemplis cognouimus. Relinquendi hi sunt suæ fatuitati. Quæ tibi à me in opere Chymico proponuntur, non sine iudicio & autorum optimorum censura experimentisq; constant. Ne abiice statim primo aspectu, aut tentamine, quæ non placent. Sed quo consilio, tituloq; sint, & quibus prolata considera. Cum aliquid in magisteriis inuenis, ne censu essentialium iudica. Magisteria æstima iudicio magisteriali, essentias essentiali. Satisfactum methodo arbitrare, si exempla regulis sint accommodata, quanquam tu forte in eis plura, eaque abstrusiora quæras. Hoc quoque scito, quod posteriora sint priorum declaratoria. Multa de opere magni magisterii scripsi. In primis hærebis. Sed si primis media, & his vltima coniunxeris, totum artificium se tibi aperiet, si Deus tibi mentem volet illuminare. Hæc causa quoque est, cur quædam sæpius reposita occurrent, & cur ex aliis transscripta. Vni homini impossibile est Chymiam condere & absoluere. Omnium ætatum experientiæ, artificumq; excellentium iudicia sunt cogenda. Iam quædam rudius sunt elaborata ab initio, & pinguiore quoq; Minerua descripta. At posterior ætas eadem excoluit, ingeniosiusq; elaborauit. Sed & fines differunt. Hinc vnius rei modi plures exhibentur, Inuentis facile est addere, nec fieri potest, vt singularium multitudo numero comprehendatur. In immensum itaq; auctæ sunt & adhuc augentur additionibus, subtractionibus, antiballomenis, elaborandiq; modis formulæ. Non est Crambe cocta, recoctaq;, & cum fastidio conuiuarum reposita, si descriptiones recurrunt, Id studui sane, ne sine auctario, & cõmentatiuncula referrem ex aliis translata. Nosti enim, sæpe diuinãdum esse de mente autorum. Diuinationes autem iam sunt exactiores iam à scopo alieniores. Corrigimus præcedentia sequentibus, & dum docere alios volumus, simul discimus. Nullus est mortalium, quin incrementum & accessionem aliquam ad præconcepta expectare queat. Sic & ego profeci, & Stochasmos meos aliquando mutaui, paratus veritatis gratia vel meas ipsius sententias abiicere, & melioribus mutare. Dum igitur sententiam meam dico, tanti eam volo esse, quantum inest veri. Quod falsum est, indictum esto. Non mirum in tam abstrusis naturæ, & artis mysticæ operibus homuncionem hallucinari. Corrige humaniter quæso, quæ minus proba inueneris, & tua comprobata substitue. In classes suas & quasi receptacula peculiaria digessi opera Chymica. In his si conspicies, quæ minus probantur, licebit tibi mutare posita. Esto Aristarchus, sed cum iustitia & veritate. In commentariis aliquoties cum aduersariis, etiam acerbissimis, fuit pugnandum. Id factum non tam pro meo honore, quam artis dignitate, veritateq; existima. Decertaui vero etiam sæpius extra commentationes peculiaribus scriptis cum variis hostibus. Est & prodromum quoddam opus, seu consultatorium, Epistolarum Chymicarum titulo publicatum. In vnum sympegma coniici omnia nequeunt. Maneat sola Alchymia cum commentariis, quorum pars vltima est syntagmatis Tomus secundus. Cætera si quis Typographus velit pari forma excusa coniunctim edere, quod quidem permissu D. Petri Capitonis, cui id primum debetur, fieri possit, non repugnauerim, præsertim si quis simul errata Typographica tollere, & limam adhibere velit, aut etiam notis nonnulla vberius declarare, suoq; iudicio illustrare, quod de me polliceri non ausim. Copia enim excedit ætatem, & vires meas. Requiret fortasse aliquis designationem omnium eorum, quæ per Dei gratiam elaboraui, & publici iuris feci. Adieci igitur Catalogum sequentem. Typis hactenus commissorum à me operum quædam sunt Logica; vt: Dialectica Norimbergæ excusa Anno 1593. Dialectica emendata additis quibusdam notis & disputationibus, Anno 1595. Francofurd. apud Kopffium. Dialogus exercitii Logici 1595. ibidem. Alius Dialogus continens collationem Dialecticæ Philippi & Rami, 1595, ibidem. Libellus de demonstratione, 1590, ibid. Dialectica Philippo Ramæa pro Gymnasio Casimiriano, 1608. De norma & normato: Item de analogia & genere analogo, 1605. ibid. Quædam sunt Theologica; vt: Analysis Colloquii Ratisbon. 1002. Francofurd. apud Kopffium. Gretserus Triumphatus, 1604. ibid. His adde varias disputationes Theologicas, seorsim excusas Coburgi. Quædam Physica; vt: Tractatus pro materia prima Aristotelis: Francofurd. apud VVechelum, 1591. Item de Vn-

Chymicorũ consuetudo, de vno sæpius, diuersisq; locis cõmentari vt ex vno in aliud ducatur lector ingenuus, stultus autem tanquam in labyrinthum inextricabilem coniectus, hæreat.

guento

guento Armario positiones cum scholiis. De cruentatione Cadauerum, item cum scholiis, 1594. Francof. apud Kopffium. Quatuor libri singularium, quibus multa Philologica & Medica sunt admista, 1599. & 1605, Francof. apud Kopffium. Quædam Chymica, Physica & Medicinæ communia; vt: Tres libri Epistolarum Chymicarum, 1595. & 1598. Francofurd. apud Kopffium. Alchimia cum prima parte Commentationum, 1597. ibid. Alchymia in folio cum Commentarii 1. & 2. parte, 1606. ibid. Defensio Alchymiæ contra Michelium, 1599. ibid. Et contra Moresinum de Chrysopæia. Item contra Erasti, aliorumq; argumenta de eadem: quæ singularibus sunt adiecta. Pro Alchymia transmutatoria contra Guipertum, 1604. ibid. Alchymia triumphans, in qua multa medica, 1607. ibid. Alchymia practica cum scholiis, Germanice edita, 1603. postea Latinitati donata à CL. Leonhardo Doldio felicis recordationis, Norimberga Medico. Commentatiuncula in clauiculam Lullii, & Rosarium Arnoldi, vbi de transmutatoria, anno 1599. Quædam ad Medicinam magis spectant, vt: scripta contra Ambaldum & Gramanum; vbi Neoparacelsica, Antigramania, & Ambaldina, Germanice & Latine, ann. 1594. de panacea. Totum quoq; arcanorum Syntagma cum practica alchymia fere est medicum pharmaceuticum: quibus addi possunt disputationes de peste & aliis morbis: Item Germanicus tractatus de acidulis Casimirianis Coburgi impressus. Sunt & Philologa quædam, mistaq; materiis diuersis: vt: Schediasmata Medica, Physica, Logica. Et volumen de Originibus rerum, Physicum, Theologicum & Philologum, ann. 1610. Francof. apud Kopffium. Quædam tandem sunt Poetica, Epica, Lyrica, Elegiaca cum Epigrammatibus, quibus addenda sunt varia Poemata post editionem diuersis temporibus Coburgi impressa. Sunt & Orationes & Programmata quædam excusa; quæ cum variis disputationibus & exercitiis Gymnasticis coniecta sunt in nouum volumen, nondum prælo subiectum. Restant tria Volumina Epistolarum familiarium ad amicos de variis scriptarum, quæ Typographiæ suo tempore, si Dominus voluerit, committentur.

Vides Lector, me variis modis consulere discentium studiis voluisse, & his quidem in primis. Doctis enim hæc sordent, suntq; multi, qui sannis, rhonchisq; ea excipiant, & corrugatis narib. explodãt quos frui suo iudicio libẽter sino, modo apud Studiosos aliquam gratiam iniuero, & non defossi talenti testimonium reportauero. Mirãtur aliqui, qui possim in tam variis elaborare. Hi responsum accipiant Paulinum; Non ego possum, sed quæ in me est gratia Dei. Non sum tamen omnia in omnibus. Qui impiger est & indefessa opera assidet rebus: cui Deus ingenium expeditum, iudicium syncerum, & memoriam vegetam est largitus: qui item diligenter orat, meditatur, laborat, & exercitiorum frequentia habitum sibi acquirit: ei non difficile est vel quasuis materias industrie tractare: Verum particulatim, diuersis temporibus, & more apum. Sunt quædam ingenia quasi Catholica, potentiam quandam & aptitudinem ad omnem formam, & disciplinam habentia, quanquam simul excolere & exercere omnia nequeant, nec in omnibus perfectionum vltimam consequi. Hæc in generalibus scientiis, potissimumq; Logicis oportet esse gnauiter exercitata, & in adeundis rebus, ordine, tempore, & occasionibus vti, inq; palæstris liberalibus alacria, industria, & frequentia esse. Oportet & impigre notare audita, visa, cognita: diligenter relegere, accurate iudicare, sententiasque diuersas committere, & veras amplecti, qua in re post Logicam experientiam maxime percetiam diuinarum Scripturarum cognitione adiuuamur. Nam lumen naturæ illuminatum lumine Spiritus sancti omnia monstrat exactius. Quædam tantum vni studio sunt nata. Bene facies, si vires tuas æstimabis ex Dei gratia, natura & disciplina, teq; tuo modulo metieris, nihil de assiduitate laborum, quantum fieri potest, remittendo. Tantum in præsens ad te volui Lector. Vale & viue.

Deo Soli gloria.

DIALO-

DIALOGVS VIATORIS ET LIBRI.

V. *VNde venis? Quid fers? Quo tendis amicte Papyro*
Liber? Quid ex te policere fructuum?
Multa volant passim detracta volumina prælis,
Ingentium spe commodorum diuite
Plena: Sed in vanas spes aurea diffugit auras,
Suumq; hiatorem relinquit indigum.
Sunt quæ dementis vesana sophismata rixæ
Cum bile multa deuehunt legentium.
Hoc quoq; compertum est, fraudesq;, dolosq; doceri,
Castisq; scribi moribus nefaria,
Quîs pereunt iuuenum dulci demulsa veneno,
Vim scire veri dum laborant, pectora.
Si te materies similis distendit, & implet,
Videre solem me suasore tempera.
L. Quæ te cura premit? Quæ te suspicio fallax
Diuersum ab æqua raptat in præceps via?
Non ego sum vetiti pondus capitale libelli.
Nil oculo impium, nihil impostorium.
Candor inest toti, simplexq; oratio veri.
Promitto si quid: perlege, atq; intellige,
Post operare sagax, vocum, rerumq; peritus:
Me disparem mendacibus fateberis.
Nemo me damnat, nisi quem male vexat Erinnys,
Aut imperitæ turpitudo inertiæ.
Namq; artes odisse ferunt nihil artis habentes,
Dignos cuculis, & rudentium gregi.
Fors etiam mentis rodant me lamine cassi.
Insanientum quippe sylua maxima est.
V. Fare age, quo titulo te primo in limine iactas?
Qui conuenire rebus aiunt nomina
Prima hæc iudicii ponunt fundamina, & inde
Quæ res sit intus æstimant solertia.
Corruptam populo qui vult obrudere mercem,
Vitium innocente summouet vocabulo;
Qualia multa solent auri, argentiq; dolosi
Ducum per aulas machinarier fabri.
Quis numeret libros artis fallacis ad HERMEN
Ter maximum quam quisq; Chemicus refert?
Ni mihi mens læua est, & tu numeraris in illis.
Tu Chemicas videre ferre nænias
Vah quam damnatas multis, risasque poetis?
Quid nauseatam si reponas crambulam?
Furtiui turgesne in sana mole laboris?
O te beatum si diem non videris.
L. Pandere me cupidis mysteria Chemica velle
Tyronibus, Viator, haudquaquam abnuo.
Sponte mea haud fallo. Sed me dum tu legis ausus
Hermeticam tibi vendicare peritiam,
Ne te decipias miserum caue, Pessime iudex
Opinione turpiter cades tua.
Qui se scire putant quæ non didicêre solentque
Ignota iudicare, sti ltis assident.

Aurifices populo sunt fabula multa Magistri.
Lactuca labris nam suis placet sua.
Quæ doceó, sapies, poteris si reddere facta,
Si non crumenæ, saltem in usum corporis.
Vt valeas studeo. Per me sape, & aurea condet
Aris focisq; profutura secula.
Qui dentes acuunt, ut me mordaciter urant,
Atrosq; versus, & nigrum spargunt salem;
Non moror. Hinc fugiant vel ad anticyras, coracasque.
Vin' victor esse? Da quid excellentius.

Musæ Gymnasticæ
D.

A Contenta

Contenta in hoc Tomo.

D.O.M.A.

D. O. M. A.

SYNTAGMATIS ARCANORVM CHYMICORVM,

TOMI SECVNDI,

TRACTATVS PRIMVS,

De Igni Naturæ

JN QVO ACCVRATE INVESTIGANTVR, ET AD TRVTINAM VERITATIS EXPENDVNTVR SOLERTISSImorum Chymicorum de eo sententiæ, & cum P. Palmarii D. Medici Parisiensis quondam placitis conferuntur, iudicanturq;

ADDITIS NON TANTVM QVORVNDAM SECRETORVM EXPLANATIONIBVS, TYRONVM CAPTVI APTIS, verum etiam defensione & declaratione studiosa omnium eorum, quæ Palmarius iste in Alchemia Libauiana vel desiderauit, vel reprehendit, vel damnauit,

CONSCRIPTVS

Ab ANDREA LIBAVIO M. D. P. C. Illustris Gymnasii apud Coburgenses Directore & Professore publico.

Anno à CHRISTO nato M. DC. XIII.

S. Paulus in 2. Cor. vltim.

οὐ δυνάμεθά τι κατὰ τῆς ἀληθείας
ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἀληθείας.

PRO VERITATE NON
CONTRA VERITATEM.

1. Theſſ. 5.

Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν
κατέχετε.

PROBVM PROBO; IMPRO-
BVM IMPROBO.

PROOE-

PROOEMIVM.

In librum de Igne naturæ.

IOSEPHVS Quercetanus Regis Christianissimi in Gallia Consil. & Medicus, felicis memoriæ, Anno 1603. librum edidit de priscorum Philosophorum veræ Medicinæ materia, præparationis modo, & in curandis morbis præstantia, in cuius præfatione præter tres medicorum sectas, ponit quartam antiquissimam, quam Spagiricam appellat, alii Hermeticam, vel Chymiatrian, nonnulli etiam Chymian, quæ ratione & experieotia cæteras omnes antecellat, & in pharmacopœa sua non cruda, sed studiosissime elaborata medicamenta, in primisque quandam essentiam singularem in natura inuentam, & sapienter præparatam proponat, quæ quinta essentia nuncupetur non ex crasi, & elementorum mistura prognata, sed tam ortu, quam viribus diuina, & cœlestis, cuius nomina sint Elixyr, lapis, aurum potabile, balsamus, &c. Omnino Chymiatrorum Hermeticorum disciplinam commendauit, discernitq; non de medicina illa balsamea tantum, verum etiam de principiis Chymicorum sale, Sulphure, & Mercurio, aliisque pluribus, vti videre est in ipsius scriptis, quæ non pauca in publicum viuus dedit, quædam etiam morte præuentus imperfecta reliquit. Ille vero liber de medicina veterum scholæ medicæ apud Parisienses visus est in Hippocraticæ & Galenicæ medicinæ detrimentum, & ignominiam confectus esse. Datum ergo negotium est censoribus selectis, qui eū examinarent, nec mora opera Iohannis Riolani procuditur apologia pro Hippocratis, & Galeni medicina aduersus Quercetani librum de priscorum Philosophorum veræ medicinæ materia, additurq; censura Scholæ non tantum Quercetani LIBROS Spagyricos damnans, sed etiam artem ipsam Spagyricam prohibens, &c. ne quis medicorū cum Quercetano, aliisue Spagyricis consilia ineat. Ipse Riolanus præfatus in suam Apologiā morte vult puniri si quis aliis quam consuetis & ordinariis, hoc est, Galenicis, quæ in pharmacopoliis popularib. prostant, atq; etiam ex tempore conuasantur, medicinis ægros curet & causam non Quercetani sed Alchymiæ agi, quam funditus euersum ire non dubitet, proclamat. Apologiæ isti vulgatæ absq; autoris nomine defensionem opposuit Quercetanus, quæ Francofut. ann. 1605. est recusa: Respondit eidem & Theodorus Mayernius Turquetus Rupellis ann. 1603. impressa apologia: Præterea etiam Israel Haruetus Medicus Aurelianensis, cum Guilelmo Baucynero Parisiis ann. 1604. excuso libello. Creuit labor & animus Riolano. Itaque in Quercetani Battologiam ann. 1604. excucurrit breuiter, commentusque quendam Medicinæ Studiosum Antaruetum, antapologiam, & responsionem ad famosam Turqueti apologiam cum censura scholæ ann. 1603. publicauit, quibus opusculis ab aduersariis strenue impigreq; obuiam est itum. Mittuntur ad nos ex Gallia historiæ, & de bello illo scholastico, & Hermetico commentariones, quibus perlectis patuit non tam de Quercetani causa agi, quam ipsius artis ALCHYMIÆ iugulum variis argumentis peti. Cum ergo anno 1606. nostra Alchymia cum commentariis esset in publicum danda, ne videremur studiose inueneati, aliisq; damnatam vere artem, adeoq; prohibitam, & odio omnium bonorum dignam obtrudere: argumenta Scholæ, & censorum collegimus, & ad examen reuocata commentario Chymico præmisimus; in quo tamen ipso calamum temperauimus vt non tam Scholæ, quam cuiusdam vnius censoris Iohannis Riolani vituperatæ Alchymiæ culpam esse persuasum nos habere diceremus, adeoque responsiones non in scholam, sed Riolani paralogismos dirigeremus, quod duellum etiam recepit Riolanus, & cum prius sine nomine in certamen peruolasset, Libauimaniam Iohannis Riolani nominatim an. 1606. Parisiis euomuit verius quam scripsit, cui censuram nouam & approbationem suam appēdit schola, non dubitans ADVERSVS ALCHYMIAM denuo pronunciare. Re ad nos delata eodem anno mense Augusto, facere non potuimus quin auide, studioseq; responsionem Riolanæam seu Maniam relegeremus, & argumentorum pondera cum damnatione Scholastica ad iusti & æqui iudicii trutinam expēderemus. Inuenta sunt omnia eiusmodi vt post tot conflictus decernendus esset Alchymiæ triūphus. An. itaq; 1607. Alchymia triumphans expedita est, & prælis Francofurdens. cōmissa, in qua dum sudant operæ Typographicæ fama affertur diē suum obiisse Riolan. Maniæ cōtra Libauiū architectū. Pœnituit nos nō prius auditæ mortis. Ita n. volebamus cū aduersario egisse, ne cū laruis luctati esse videremur, quanq̃ in medio cōpareret autor libro suo Maniaco viuus. Scholam Parisiensem putabamus antehac peruerso iudicio vnius atque alterius Misochymici in diuersum raptam, & nō tam veritate rei, quam honore personæ in censurā minus æquam pertractam fuisse. Ideoque etiam excusandam arbitrabamur, quanquam temeritas, quæ paucis inspectis facile pronunciat, non erat omni culpa eximenda. Sed visa pertinace censura aduersus Alchymiam absq; vllo discrimine, præsertim cum non de Quercetani studio, sed arte à Libauio exculta, quam tamen ante simulauerat à se non tangi Riolanus, ageretur, deplorariori morbo asperius oppositum est remedium. Interitu censoris istius violenti debellatum credebamus. Nam vsque ad annum 1609. nemo comparuit, qui belli huius Imperator esse vellet, etiam cum Martinus Rulandus Cæsariæ Maiest. beatæ memoriæ Medicus ann. 1607. conscriptis progymnasmatis Alchymiæ, nō parum istud vlcus Riolaneum tangeret. Factum est illo silentio vt magis magisq; scholā excusaremus, nec quicquā aliud persuaderi, nobis pateremur, atq; etiā adhuc patiamur, quā collegæ paulo indulgentius amari honore permotam de Alchymia indignius, quam par erat, statuisse: sed quod humanitati condonare vltro citroque deberemus, & deinceps coniunctis viribus vtramq; Medi-

Qui argumētis aliquid conatur euertere, indigna vi iure nō potest. si argumentis oppositis argumētis suapte vi deat. Illam ingenuitatē semper seruarunt Philosophi, & ex dubitationibus etiam Philosophiam inuentam esse professi sunt. Videant quā liberaliter fecerint illi qui argumenta damnationibus violentia soluere voluerunt.

cinam, profligatis Paracelsitarum, & aliorum Sophistarum deliramentis, profiteri, & defendere, cum vna, eademq; semper maneat ars, & scientia, siue quis Hermeticis vti velit in sanando medicamentis, siue, vti vocantur, Galenicis & Hippocraticis, in amplexum eiusdem artis receptis etiam Arabũ vtilibus inuentis. Natos n. nos vtrinq; humanæ societati profitemur. Ideo siue hoc siue illo modo vtaris, in publicum consulendum est; cumque principia medica non euertantur medicamentorum chymicorum apparatu, & parabolicis sermonibus, non est vt moleste rixemur, & turbas sine causa excitemus. Prosiluit tandem animo impotente in medium anno 1609. Hercules quidam μαινόμεν☉, & proiecit lapidem Philosophorum dogmaticum, quo policetur restitutum Paracelsistam Libauium & declaraturum scholæ medicæ Parisiensis de chymicis iudicium, defensurumque censuram in adulteria & fraudes parachymicorum asserto veræ Alchemiæ honore. Quis autem est ille tantus tantæ rei promissor? P. Palmarius Doctor Parisiensis Galenochymicus. Partum monstri similem ipse præ se fert titulus. Qui sint medici dogmatici nouimus. De lapide vero ipsorum Philosophico nihil dum ad aures nostras ante Palmarium peruenerat. Parisiensem autem medicorum scholam scimus lapidi Philosophorum contradixisse. Quid ergo? Num qui quartam sectam medicorum; chymiatricam, seu Hermeticam ferre non poterant, iam in aliud iuerunt, inuenta hæresi Galenochymicorum, quorum medicina lapis Philosophicus? Quæ vero est illa Libauii Metamorphosis? An ille qui tot armis Paracelsistas expugnauit, iam irrepsit in eorum castra, professus militem Paracelsistam? Verum nihil horum est. Hercules iste delirabat. Non mirum ergo errasse. Vix diem aspexerat partus eius. Damnatur à schola medica Parisiorum: prohibetur à dicasterio summo. Palmarius ad palinodiam adigitur. Quid multis? Defendere se aduersus impetum scholæ annititur: sed turpiter, & ignominiose causa cadit, tandemq; anno 1610. XV. Ianuarii apoplexia suffocatus moritur. Liber impressus annum 1609. præfixum habet, sed anni præcedentis parte vltima editum esse ex historia liquet. Nam Sedanum missus est 22. Decembris Iuliani anno 1608. Coburgum allatus 29. Ian. 1609. damnatus 28. Ian. Gregoriani anno eodem. Non multum ergo supervixit suo libro autor, eumq; damnatũ post annum est secutus. Cum ad nos peruenisset, lecto, amentiam hominis partim risimus, partim miserati sumus: Conuitiorum autem & calumniarum, mendaciorumque enormitatem etiam execrauimus, non dignati ipsum vllo responso præterquam pauco de Igne naturæ, qui videbatur aliquid dignum explicatione habere. De rabie vero certi eramus eam diu superesse non posse, sed perituram suo veneno, vti factum est. Mittebamus paginas aliquas Francofurtum. Sed amici dissuadebant editionem: quod nulli bono possent tantæ criminationes placere, ipseq; autor esset homo obscurus, qui nec quid Paracelsicum esset intelligeret, nec quid dogmaticum, imo scholę suæ nec mentem, nec censuram assequeretur sed deprauaret, mentiretutque enormiter, & impudenter de toto statu controuersiæ. Erant qui deprecabantur responsionem, quod putaret vix fieri vllam absq; scholæ medicæ offensione posse. Itaque & Iosephus Quercetanus ad nos scribebat, si quid responsi esset, id sic moderaremur ne qua exacerbatio animorum vix dum reconciliatorum exoriretur, quod quidem ille ex animo beneuole monuit, licet prima lite silente nunquam quicquam postea cõtra scholám medicam Parisianam instituerimus, & ni Riolani impotentia nos prouocasset, ne mentionem quidem eius vllam præter decorum fecissemus. Præter hos autem alii ad respondendum stulto secũdum stultitiam vehementius incitabant, nimirum retundendam esse improbitatem censentes, nec ad tam atrocia conuitia silendum, multo minus honestissimam, & tanto studio tam sæpe elaboratam artem sub rabie hominis vesani relinquendam. Parisiis quidem acceperamus suppressum fuisse statim à partu infelicissimum istum libellum, & autorem iudicatum nec chymicum bonum, nec Galenicum felicem, nec Grammaticum castigatum; conuitiatorem autem virulentissimum, quem tota facultas Parisiensis reprobarit, & Cancellarius senatusque supremus iusserit librum abolere: Sed ille Francofurtum irrepsit, ibiq; publice est venditus, & in alias terras transportatus, ne vllus esserangulus sine libello famoso Palmarii. Martinus Rulandus Imperatoriæ maiestatis archiater, nunc inter beatos, anno 1609. mense Maio à nobis sibi respondendi partes tribui volebat. Quanquam enim esset occupatissimus, tamen confutationem suscipere paratus erat, ne tantam ferociam & temeritatem autor ferret impune. Non dubitamus concinnatum fuisse responsum. Ita enim in Octobri anno „ 1609. scribebat: Quæ pro veritate & patrocinio tui scripsi aduersus Palmarium leges futuris nundi-„ nis. Homini calumnianti atrociter, & mentienti turpiter satisfactum per me puto. Item in Iunio e-„ iusdem anni: Refutationem Palmarii Chymiatriæ meæ, in qua absoluenda sum totus, annectã, &c. Verum Causo Vngarico consumpto autore factum est, vt vterq; labor intra lares domesticos sit retentus, & est fortasse aliqua culpa Ioachimi Tanckii, qui & ipse obiit, cuius literis, quæ penes nos sunt, videmus absterritum fuisse Rulandum. Quieuit itaq; hactenus redargutio, hæretq; Rulandina in bibliotheca defuncti, nostram concessimus amico cuidam Philochymico. Neque tamen desunt plurimi, qui vel suo quodam desiderio expectant nonnihil, vel iure ad respondendum nos teneri, ne vim patiatur ars informata, censent. Ipse Palmarius quasi exprimere à nobis responsum voluit, dum „ in præfatione ad Lectorem scripsit: Turpe est tacere, cum alter obloquitur: turpissimum silentium „ cum veritas opprimitur: damnosum in eo ministerio, quod mortaliũ vitam & salutem spectat. Me-„ dicus est vir bonus. Boni est non solum à malo abstinere, sed omnem illius occasionem præcidere, malum præsens suffocare. Hæc ille vt doceat sibi iustam esse in nos debacchandi causam. Imo & sic „ ratiocinatur: Si Alchemia Libauii manet, manet doctrina publica de fallendis medicamentis, mo-„ netis, metallis, &c. potuitne atrocius in artem à nobis nõ excogitatam aut inuentã, sed duntaxat nostra opera ex dispersa collectam, methodique ope in certam formam redactam, debacchari? Quibus autoribus singula debeamus in Catalogo indicauimus. In eos omnes impingit rabies Palmeriana. Illine indefensi sint relinquendi? Num tantorum temporum rationes, & experientiæ vnius hominis

malitiæ

malitiæ proſtituendæ? Accingamur itaq; ad reſponſionẽ qualemcunq;. Sed non tali titulo, verum DE IGNE NATVRÆ, cuius ſibi inſignem peritiam vendicat Palmarius, corpore quidẽ mortuus, ſed libro paſſim ſparſo viuens, & inimicis noſtris iucundum cachinnum, titillationemque excitans. Attingemus poſtea etiam alia nonnulla medicamenta; & Chymicorum ſtudia, vt aliquam frugem iuuentuti multa ſcire volenti afferamus. Conuitia, & vituperia præteribimus, quantum poterimus. Neque enim Chriſtus, qui nobis exemplo eſt propoſitus, cum vituperaretur recriminabatur, neque diluebat conuitia conuitiis: Imò S. Paulus 1. Corinth. 4. verſ. 12. maledicta compenſabat benedictione, & perſecutionem tolerantia vincebat. Non minus animi habemus quam gentiles iſti, qui conuitiatores vix verbo dignos iudicabant. Laudo capillos tuos, aiebat quidam ad conuitiatorem, qui tam vitioſum caput (erat enim caluaſter) reliquerunt. Alius οὐδ' γρῦ reſpondebat. Socrates ferientem aſinum referiendum non cenſebat. Ariſtoteles artopolidarum eſſe dicebat mutuis criminibus oblectamentum aliis creare: vnde & conuitiatores à Scopeliano appellabantur aniculæ. Conuitia non poſſe tolerare timidorum, & militiæ deſertorum eſſe creditum eſt. Philippus Macedo etiam plurimam gratiam habebat criminatoribus, quia efficerent, vt è moribus & oratione melior factus conaretur eos dictis pariter ac factis mendacii conuincere.

IN LIBRVM M. PETRI PALMARII DE LAPIDE PHILOSOPHICO DOGMATICORVM, EXSCRIPTA EX COMMENTARIIS facultatis medicinæ.

Bene fecissetis si ista nominatim mõstrassetis, & refutassetis. In genere dicere de imposturis, indignum est, auctoritate liberaliter philosophantiũ. Talis censura quid non potest damnari? Hoc defectu inducti ad iudicium accessimus alacrius.

AVDITA renunciatione Censorum, quibus demandata est prouincia examinandi libellum à Magistro Petro Palmario editum cui titulus est: Lapis Philosophicus dogmaticorum: auditis etiam responsionibus eiusdem Palmarii in eum finem articulo speciali citati: Collegium medicorum in Academia Parisiensi legitimè congregatum vnanimi consensu libellum istum ERRORIBVS, FRAVDIBVS, IMPOSTVRIS, & MENDACIIS plenum DAMNAT, & INDIGNVM LVCE IVDICAT. Statuit vt Palmarius intra sex menses eiusmodi errores, fraudes, imposturas, & mendacia scripto publico agnoscat & ABIVRET: profiteatur se in Hippocratis, Galeniq; doctrina, & scholæ Parisiensis disciplina constanter permansurum.

Interea priuetur omnibus scholæ emolumentis, erogandis, Nesocomii pauperibus. Huic decreto, si intra semestre non rite satisfaciat, è Doctorum regentium catalogo expungatur, & omnibus scholæ emolumentis, & ornamentis, Academiæq; priuilegiis spolietur. Hortatur omnes Academias vt eodem sint animo aduersus talia opinionum portenta. Hoc decretum in commentarios facultatis referatur, & typis excudatur, vt omnes atque adeo posteri intelligant Medicorum Parisiensium scholam nihil antiquius *habere, quam vt antiqua, & vera medendi ratio retineatur, Hippocratis, Galenique doctrina, & vetus disciplina conseruetur illibata. Datum Lutetiæ in scholis superioribus sub minore sigillo facultatis die 28. Ianuarii anno reparatæ salutis humanæ 1609.

** Ne tamen noua inuenta Arabum, & posterioris ætatis Chymisorum abiiciantur.*

Subsignauit CORNVTY Decanus.

Eodem momento Decanus Decretum supra scriptum coram omnibus Doctoribus assidentibus, qui illud tulerunt, pronunciauit Magistro Petro Palmario, qui respondit, se facultatis decreto satisfacturum. Actum in scholis superioribus die & anno suprascriptis.

Nullum diuinum donũ contemnito, siue ante siue post sit reuelatum.

Subsignauit CORNVTY Decanus.

Hoc est iudicium facultatis medicæ in Academia Parisiensi de lapide dogmaticorum Palmarii, quod ex impresso Parisiis fideliter transcripsimus, atq; vt Germanis quoq; nostris innotesceret, Coburgi recudendum curauimus, indeque in Bohemiam, Austriam & alias regiones misimus acceptum ope amicorum XXVI. Aprilis Iuliani anno 1609. Pudore, ruboreq; suffundi debet, si nondum plane frontem perfricuit, Dionysius Guerinus Doctor Medicus Parisiensis cui libuit sua meditatione ornare infelicem illum Palmarii partum, & multa incondita, ineptaq; deblaterare de Hydrargyro, arsenico (quod pro amuleto aliqui in peste gestandum suadent) de stibio & floribus eius (quo tamen & ipse Palmarius ex Paracelsista Suetonio præparato insolenter se iactat) de vitriolo & aliis quorum tam ignarus est, quam qui omnium. Decepit Palmariana familiaritas etiam Franc. Ambuesium Equitem Hemeri, &c. Franciscum Placetum Medicum Parisiensem Palmarii amor stultus plane fecit amentem conuitiatorem. Eodem dementiæ sydere contra Libauium scribit vespertilio G.D. B.M.P.D.S. Anagramma velanũ ponit I.P.M.P, quem si simili moneta velis absoluere facile inuenias ex literis ipsis argumentũ. Guerino non satis fuit semel delirasse, bis voluit esse stultus, in Libauium etiam nominatim perorando. Quare læsit vos Libauius O versifices inepti, vt in gratiam Palmarii, quem lumen, columenque senatus vestri, quem clarissimum, & eruditissimum, de repub. vestra medica optime meritum appellatis? Est ne ea vestra resp. medica quam Palmarius defendere voluit, & viua imagine repræsentare? sane incõsulto senatu vestro stolida verba in mendaces vestras fauces reuersa effutiuistis. Num vero etiam vidistis partum Palmarii aut rem intellexistis, cum cuderetis pro eius commendatione versiculos? Si negotium daremus nostris scholaribus, putatisne eis defuturos aculeos? Rectius impendite deinceps Poesin si quam didicistis. Amicus quidam in Gallia noster longe alios non quidem fecit ipse, sed tamen industrie accommodauit pereunti statim à partu fœtui Palmariano nempe sequentes:

Parisiensium in medicinis dissensus.

O sapientis scholæ medicos.

Palmarius columen senatus scholæ medicæ Parisiensis, imo Lumen.

Νηλεὲς ὦ δαῖμον, τί δὲ μοι τόδε φέγγος ἔδειξας
Εἰς ὀλίγον ἀρέων μέτρα μινυνθαδίης;
Ἤ ἵνα λυπήσῃς δι' ἐμὴν βιότοιο τελευτὴν
Μητέρα δειλαίην δάκρυσι καὶ στοναχαῖς;
Ἡ μὲν ἐμ' ἤματι τῷδε σὺν ὠδῖναις τέκε παῖδα
Ὠκύμορον, κενεὸν χάρμα φίλης παλείδος.

Accusatur idem vester Palmarius etiam ἀνδραποδισμοῦ, tanquam qui suppositititium fœtum dederit, & non suum, quanquam nobis persuasum sit, non videri alienum à Palmarii ingenio librum meris

pene

pene conuitiis, mendaciis & fraudibus consutum. Audite vero etiam hoc: Ita scribit amicus: Mitto "
ad te, doctissime Libaui, censuram Doctorum huius Academiæ in Petrum Palmarium emissam, quo "
tibi, omnibusque notum fiat, facultatem medicam huius celeberrimæ Academiæ istius medicastri, & "
Sycophantæ contumeliis, imposturis, & conuitiis non modo non fauere, sed potius forti, & animo a- "
lacri viriliter resistere. Item: Illustris ac magnificus D. Cancellarius assentiente supremo curiæ sena- "
tu accersitum ad se Palmarium ob atrocia illa, quibus veluti flosculis libellum suum conspersit, con- "
uitia & maledicta grauiter admodum increpauit, libellumq; qui Vulcano consecraretur dignũ exi- "
stimauit. Vniuersa vero facultas medica Parisiensis conuocatis ob id rite omnibus medicinæ Docto- "
ribus, & Professoribus, non modo libellum actutum supprimẽdum, sed autorem etiam ex albo Do- "
ctorum facultatis delendum, ac semouendum magno cum applausu, refragante q; prorsus nemine, "
censuit: Inter quos potissimum pro re dimicauit is qui iam ante annum aut circiter ex decreto am- "
plissimi ordinis Medici huius Academiæ Chymiã hic publice magna cũ laude profitetur, &c. Hæc & "
alia multa diuersi ex Gallia amici. Nolumus autem in vos quicquam aliud dicere, quam: Errastis: Resipiscite, & mementote diffidere. Lacerare bonos cuiusuis est: Boni viri laudem consequi, & tueri difficile. Vester Palmarius suo fœtu non diu est gauisus, nec vestris versibus defensus. Causa amissa periit, priuilegiis scholæ, & honoribus nudatus; vtinam anima salua. Nobis cum academia, quã lætamur Alchemię syncerę studium, & professionem retinere, si retinet nihil est amplius dissidii. Certum enim est medicinæ principia essentialia apud Hippocratem, & Galenum immotæ esse veritatis. Materiam a. medendi Deus suis temporibus & auctiorem dedit & elaboratiorem, qua vtendum est gratis animis. Paracelsi & Paracelsistarum fœditates detestamur. Parabolicos vero autores, si cætera sint sani, tolerandos putamus. Non enim negari potest harmonia maioris, & minoris mundi.

Quod a. Palmarius nos apostasiæ à veteri medicina, & transfugii in Paracelsiam accusat, & projectione sui fatui lapidis restituere conatur, somnium est. Totus liber argumento est ipsum nec Paracelsi medicinam intellexisse, nec Galenicam Parisiensium, & volentem nos à Paracelsia abstrahere ignorare se à Paracelsistis parum admodum distare, si sit absque monstrositate illa qua ex geminis axiomatibus coniunctis portentosum quendam fœtum gignit, qui vno ore clamat: Est in humoribus "
quicquid quærunt Medici: altero: Est in Mercurio quicquid quærunt sapientes. Nihil, inquam, por- "
tentosius est ista coniunctione in vna eademque medicina essentiali, vti & nomen monstrosum est "
Galenochymia. Nemo neque Hippocraticorum, neque medicorum vnquam dixit in Humoribus esse quicquid quærant medici. Chymici in magno magisterio operati recte profitentur, quicquid ad suam materiam ex qua tincturam faciunt, continetur, esse in Mercurio partim minerali volatili, partim iam cocto, & fixo in perfectis metallis. Nihil enim amplius ad essentiam requiritur. At Chymici sapientes qui medicinam spectant, longe plura considerant, & rimantur, quod nulla indiget demõstratione, cum sit in manifesta luce omnium. Mirum vero Medicos à sapientibus seiungi. si de medicina quæstio est, an non illi Mercuriati sapientes erant Medici? verum hæc facessant. Obiicitur nobis sæpe scriptum contra Gramanum Paracelsiram, qui & ipse dudum fatis concessit. Riolanus sane non attendit nos sic Paracelsica deliramenta destruere; vt saluam interim velimus Chymiam veram: In disputationibus quando contra aduersariorum argumenta agitur fieri non potest, quin aliquando ad alterum extremorum propius accedamus, ita vt dum demolimur iactantiam insolentem Gramoni, videamur plane delere Chymicorum de separationibus, & exaltationibus decreta. At secus fit cum de arte synceta dogmatice scribimus. Condonandum est aliquid feruori disputantium, & extra calorem de eorum sententia constante iudicãdum Palmarius ex quadam Epistola nostra lapidis Philosophici ignorantiam nobis obiicit, quia scripsimus: Etiamsi eam "
(de lapide sententiam) nec ego, nec tu possimus assequi. Quis autem ignorat ita scripsisse de eo Magistros vt vix vllus sit, etiamsi artem sciat, qui allegorias, & parabolas alterius possit absque errore interpretari? Bernhardus quater lapidem fecit: at Gebrum se exponere liquido posse diffidit. Mirum est si fatemur nos non posse sententiã Philosophorũ asseq? Sed & hypothesis subest, aliquid dictum ea de re esse, licet aliqua circa literam magistrorum erraremus. Est in Hassia quidam amicus noster, de quo meliora speraueramus. Is ad Martinum Rulãdum archiatrum datis literis scripsit, Libauium ar- "
cani sapientum esse rudem. Quid non ausus est Libauius, inquit? Atqui tam rudis est in hoc magiste- "
rio sapientum vt suppudere iam ipsum incipiat huius libidinis prostitutæ vniuerso mundo. Existimo "
hunc autorem vel SALEM, vel RORAM intelligere. Hæc ille. At, O amice Libauius locutus est Philosophorum verbis aut si suis est vsus, sensum ex illis quantum potuit traduxit. Quicquid scripsit in cõmentariis impressis habetur. Te vero non intelligere neque Libauiana, neque sapientum verba, ista tua oratio indicat. Quam autem rudis & ignarus sit artis, septem monades docebunt, & te rudem, & temerarium hominem esse tuo sulphure vitriolato, aliisque stolidæ iactantiæ argumentis conuincet. Ais ipsum prostituisse arcanũ vniuerso mundo. Falleris. Non est ea res tantæ facilitatis vt à quouis ex plebe possit intelligi, & perfici etiamsi vernaculis disertissimisq; traderetur. Ecce vero qui potuit prostituere, si tu Magnus Doctor, & Alchymiæ Professor, laboratorque, vti haberi cupis, exercitatus, non assequeris Libauium, quem putas de sale vel rore locutum? Erras in vtroque si accipis terminos istos absque tropo. Si vero parabolicam, seu hieroglyphicam, aut metaphoricam habent significationem, ne quæso Libauium potius quam Philosophos argue, qui iubent sales ex metallis suaui ingenio sine violentia facere, si velimus rubeum, & album consequi? Et quam multi sunt de sale suo fusili, volatico, & aliis pene infinitis epithetis decorato? An nihil legisti de Rore Madian quem ex cap. 6. Iudicum, vbi Gideon in Madianitas exercitum ducturus diuinæ sententiæ certitudinẽ rore modo in solum vellus, modo in terram præter vellus lapio explorat, transsumierunt? Non errauit Libauius siue salem, siue rorem intellexit. Vtinam tu esses vtriusque peritus. Quo argumento

vero

Palmarius adieno nomine perditum Paracelsistã egit.

Monstrosũ dogma Palmarii.

Libauius & Gramani deliria improbat, & Chymicorum sanorum est amicus.

Lapidis Philosophici obscura traditio.

Libauius ridicule cuidam visus est pudore & pœnitentia lapidis duci.

Ros Madianiticus.

vero colligis ipsum cœpisse suppudere istius libidinis? In Epistolis quæstiones proposuit nō decisas, vt conuersatione cum doctis proficeret. In libellis ad illustrissimum Hassiæ principem de mercurio, Azoth & lapide philosophorum quæ scripsit, eorum ipsum nondum pudet. Est enim verissimum quod argentum viuum minerale fœcundum sit materia lapidis philosophici, initio omnibus metallis communis, sed magno artis studio separatis obstaculis præparanda, ad quintæ essentiæ, seminisque incorruptibilis nobilitatem perducenda, & ad speciem per metalli perfecti semen certum alliganda. Explicauit suam sententiam vberius & dilucidius in commentatio: & adhuc liquidius in Syntagmate. Adeo vero non putamus prostitutam esse vniuerso mundo artem, vt desperemus de tuo quoque ingenio, nisi nostra, vel alterius artificis vitula araueris. Pudeat te tuæ temeritatis, vel potius vanitatis, qui incircumspecto iudicio viros bonos contra Libauium excitare studuisti. Cur non ad Libauium ipsum potius scribebas ea de re quam ad Rulandum? Sorduerunt nonnihil Libauiana et Tanckio: Sed ille argentū potabile facturus decoxit; In auro vero potabili tam religiosus fuit, vt iusserit literulas discindi, quanq̄ nihil contineant, ꝙ periclitari apud quenquā possit; cū intelligentib. artē non opus sit occultatione: nō intelligētib. mera scribantur oracula, & ænigmata. Habita tecū. Ex antigramaniis porro Palmarius aliquid de Quercetano promsit, quo proculdubio voluit nostrā inter nos amicitiā diruere. Sanè non semper ad Quercetani verba & placitū dictum est, fuitq; ille tā generoso animo, vt pati potuerit ab eiusdē artis studiosis admoneti, paratus redarguere, & redargui. Neminem coëgit in sua decreta iurare. Veruntamen sententia à Palmario citata nihil habet Quercetano contrarium. Quas enim ex fecibus resolutorum eliciunt essentias, quis neget eas purgandas & exaltandas, seu vt loquuntur rectificandas esse, quo in opere fieri non potest, quin alteratio violenta contingat præsertim si calcinatio & incineratio adhibetur quale quid euenit & salibus vegetalium calcinatoriis ignibus ad puram albedinem perductis? Non veremur confiteri nos in aliquibus præparationibus à Quercetano discedere, quod & ab aliis factitatum est liberaliter: Et est in chymicis varia experientia. Verum de hoc suo loco. Amicitia non est opinionum conformitas, sed cum virtute coniuncta animorum consensio.

Materia lapidis.

Tanckius de auro & argento potabili.

Libauius amicus Quercetani alicubi ingenue ab eodem dissentit.

Amicitia.

TRACTATVS DE IGNE NATVRÆ.

Capvt I.

Ignis naturæ Ignorantia Chymicum esse nullum posse.

ARGVTVS homo magis quam doctus à Palmario ad suum Perronium declamantè censetur Libauius. Sed bene sperandum. Cupit enim discere vel ab ipso Palmario, licet eum Academia Parisiensis de gradu Doctoris deiecerit, mendaciorumque, & fraudum & calumniarum accosatum à suo ordine tanquam membrum putridum, & gangræna lethali corruptum absciderit. Cur vero vsque adeo indoctus Libauius? Ignorat ignē naturæ, atque adeo totam Alchymiam veram. Ita enim differit cap. 5. pag. 24. sui lapidis: Sine igne naturæ nihil perfectum habetur, etiam cæteris præsentibus, iuxta Pontanum. Iam autem Libauius in sua Alchymia ignorat ignem naturæ, nedum eum in sua possessione habeat, id quod Palmarius non vno in loco tam confidenter affirmat vt putet hoc victoriæ suæ palmarium esse. Id vero argumentum est vniuersale, omnem Paracelsi & Libauii alchymiam subruens, vt videre est cap. 4. & 26. Lapidis. Ignis Philosophici defectu, inquit, manca, imperfecta, imò peiora sunt omnia. Item: patet vanitas & impostura omnium quæ policetur ars Libauii ignorato igne naturæ; cap. 26. Et cap. 12: Mihi crede tot peccata tua sunt vnius ignis ignoratione: Et audes huius lumine destitutus artificia chymica condere? &c. inuestiga ignem nominatum. In eo enim sunt opes Chymiæ. Omnia debent elaborari cum formæ conseruatione. Solus ille ignis id potest, &c. Fatendum est validum esse argumentum. Nam si ignis iste Palmarianus est fundamentum Alchymiæ, quicunque eum ignorat; etiam si sit ipse Palmarius, eum necesse est alchymiam ignorare. Nam fundamentum artis principiorum eiusdem congeries, ratione, & experientia cōprobata est. Principia qui nescit, nescit artē ipsam. Hoc adeo donamus Palmario (imò Palmarianis seu amicis, seu inimicis nostris qui in sinu gaudent clanculum, & sibi gratulantur Libauium tam masculè à Palmario isto Gallorum gallo exceptum esse) vel lubentes. Sed quærimus tamen; quia φιλομαθεῖς ἐσ̓ εὐχόμεθα, vt nos doceas, Palmari, vel mortuus, qui nam sit ille ignis NATVRÆ, ARTIS CHYMICÆ VNICVM, ET SOLVM instrumentum, fundamentum, & omnia.

Libauius indoctus.

Alchymia sine igne philosophico manca.

Ignis naturæ quis sit.

Capvt II.

Descriptio Ignis Naturæ Palmarii ex causis.

SParsim quidem Palmarius & perfunctoriè de Igni naturæ, tanto miraculo, in suo lapide dogmatico verba fecit; sed nos scientiam petimus per causas. Si qui estis chymiæ cupidi, adesse vobis licebit, & auscultate MAGNVM GALENOCHYMIÆ principium & fundamentum à Magistro P. Palmario olim medico in lapide philosophico dogmaticorum ab ipso ingeniosè vti opinatus est, confectum, & Alchymiæ à Libauio elaboratæ oppositum.

Efficiens: Naturæ ignis appellatur. Sensit ergo M. Petrus causam eius secundum physicos Chymicos primam esse Naturam. Deinde in præfatione ad Lectorem cum genuinam suam Alchymiam (cuius professor Palmarius in vestibulo libri se appellat Galenochymicum, vt professioni debeatur vocabulum Galenochymia) postquam de mirificissimis effectibus istius ignis ampullas, & plusquam sesquipedales glorias proiecit, hæc ambitiosissimo Spiritu proflat: Hæc professio (genuina scilicet Alchemia) IGNEM inuenit cuius ope tanta nobis veniunt bona. Nihil eo vtilius: nihil admirabilius excogitauit humana sapientia. Hæc ibi. Nihil aliud habet cap. 17. pag. 96. Inuentio mirabilis ignis philosophici chymica est, qui absoluit, & perficit omnia etiam integra. pag. 25. Nihil diuinius nihil admirabilius eo excogitarunt alchymistæ. Videaris tibi de igne Promethei inuento fabulā audire. Sed ausculta plura. Mirum quidem est ignem naturæ, cuius prima caussa instituens, & conseruans Deus solus est, inuentum dici ab Alchymia: Sed mirabilius quod cap. 26. eandem faciat NATVRAM. Natura est, inquit, quæ coquendo figit, fixando quasi maturando tingit: Solus naturæ ignis id potest, &c. Si solus naturæ ignis id potest: potest idem etiam natura; Natura ergo eadem est igni. Veruntamen cap. 4 pag. 20. Ignem istum facit instrumentum naturæ cum scribit: Purgationes, destillationes, putrefactiones, dissolutiones, calcinationes, sublimationes, ab vna fiunt natura, vno solummodo, vno igne, vno vase. Sed fortasse hic ignem elementarem intelligendum est, vt ignis natura iuuetur igni externo, quem Aristoteles inter meteora, & imperfecta mista retulit.

Efficiens ignis philosophici natura.

Galenochymia.

Caussæ

Ignis naturæ materia. Portentosa prædicationes ignis naturæ. Est Elixyr Philos. Est cœlum seu quinta vini essentia. In instanti & momento immatura coquere. Est agens externum. Lux astrorum. Ignis, sal, sulphur, argent. viuum idem. Menstrua.

Causæ essentiales, & potissimum materia: (Nam de forma num quid compertum habuerit Magister Petrus, dubitamus, quia nihil posuit, excepto quod pag.128. formam puram nominare videatur.) In Galenochymia Magistri Petri ignis naturæ est mirabilis liquor, quem habent huius artis professores (Ita persuadere conatur Cardinali Perronio) tantorum bonorum autorem. Cap.15. pag.89. ita ampullatur: Hæc diuina & cœlestis substantia, hoc magnum Elixyr Philosophorum, hoc sapientum magisterium multa, & maxima potest, &c. Et paulo infra: Hic liquor diuinus tot facultatibus grauidus ab effectu cœlum nominatur (sic Lullius quintam vini essentiam vocabat, vt & Vlstadius, qui secreta naturæ interpretabatur.) Adeo conuenit cœlo hic liquor, vt non solum cœlestis, sed & cœlum ipsum dicatur. Cap.24. pag.128. Elixyr philosophorum, lapis metaphysicus, verum aurum potabile sapientum, IGNIS est ferè purus; ignis expurgatorius, quasi forma separata quæ inutilia tollit, imperfectum perficit in instanti. Cap.26. pag.132. Elixyr philosophorum ignis est qui in momento potest immaturos fructus coquere & acerbos dulces reddere. Ignis philosophorum externum agens id potest in operis materiam. Cap.18. pag.97. Ignis ardens Elementum vini appellatur: Et pag.116. noxas tollit ex floribus antimonii circulatione in spiritu vini, vel mellis. Ex quibus colligas istum ignem naturæ esse quintam vini essentiam, aut mellis. Verum hoc in vegetabilibus. In mineralibus Elixyr est & lapis philosophorum, quæ duo pro eodem habet pag.32. pag.24. cap.5. Ignis iste est lux naturæ quo lucent, & micant astra, quo inferiora vigent, fouentur, nunquam exuperat, nunquam vitio datur, moderatus omnem excessum tollit, omnia naturæ legibus, & imperio astringit, alius omnino est ab elementis, &c. vide ibi plurima ingenria. Vt compendia dicamus, aliquando est spiritus, & calor mundanus; aliquando æthereus splendor, calor insitus rebus, seu calidum innatum, calidum Hippocratis, calor Fernelii, quinta essentia (pag.79.) in re qualibet conclusa: Ignis cœlestis in abiectissimo animante inclusus; infusus calor diuinus: calor noster (pag.99.) pag.71. Sal non est nisi ignis, nec ignis nisi sulphur, nec sulphur nisi argentum viuum. Spiritus mundi; natura vniuersalis pag.64. Ad ignis philosophici imitationem (inquit pag.22.) tot menstrua excogitarunt, quæ tamen non possunt supplere eius vices. Ille vnus totum compositum perficit, &c. vide totum cap.5. pag.24. Cum plurima perlegeris, dices, Magister Petre per tuam Galenochymiam te rogo, ecquid est iste tuus ignis? Audiui multa, legi plurima; sed quid sit, ex omnibus illis patere nego.

(a) *Duplex est sulphur hoc & venter quoque venti. Primum est in spirituali argento viuo sublimato. Secundum in fermentatione, vbi internus ignis ab externo suscitatus spiritum ex resolutis corporibus & aqua procreat, in cuius ventre seu interiore complexu auri sulphur, tinctura & anima latet, quod proprie est illud Hermetis: Portauit illud ventus in ventre suo.*

(b) *Veluti: lapis debet esse compositus scilicet ex duobus, & alia ratione tribus, alia quatuor. 2. Nullum istorum sit combustile; nec sulphur, nec mercurius. Id vides in aqua nostra ex sublimato: vides & in auro eiusque semine. 3. Operatio seu confectio est facilis, nempe in fermentatione & sequentibus. 4. Si alta peteris ascendere, si quidem ad fermentationem possis per præparationes antecedentes & alterationem elementorum, vt ad quintæ essentiæ sublimitatem ascendatur. 5. In compositione sunt leo viridis, aqua scilicet nostra, quæ fœtida fit in putrefactione, donec exaltetur, &c. Verum hæc terminorum expositio potest esse multiplex. Si de fermentatione accipis in rubro opere capere debes rubeum Elixyris menstruum nostrum & aurum, &c.*

CAPVT III.

Descriptio ignis Palmariani ex effectis.

Alchymia Dominus. Est calor coctionum præses in animalibus. Vide cap.16. pag.90.91.

CAusis adiicere debebamus finalem. Sed eam in effectis contemplabimur iucundius. Cap.6 p. 29. Ignis naturæ intus, & extra negotiatur. cap.5. pag.24. sine igni naturæ nihil perfectum habetur. pag.25. Facultas eius plurimum mirabilis.. Quicquid est in alimentis, in medicamentis, in venenis noxium, illo corrigitur. Est totius magisterij (Alchymistarum) auctor & verus Dominus. Ignis & Azoc (inquiunt) tibi sufficiunt. Huius ope quæcunque sumuntur alimenta cuiusvis saporis insipida euadunt sanguinis nomine (in sanguinem insipidum mutantur) medicamenta assumta ingratum saporem in ventriculo perdunt. Ignis huius virtute medicamenta omnia ingratis saporibus spoliantur, maximè purgantia, illibata & inuiolata vi purgatrice. Iste naturæ ignis in manu philosophi veras chymiæ operationes potest. Medicamenta parat, nobilitat, cum formarum conseruatione, non corrumpit, sed conseruat. Non resoluit corpus in tria principia. Sed ipsa iam facta exaltat, nobilitatque essentiam actionum reginam. Destruit ea omnia quæ actionibus genuinis obsunt. Cœcus artifex qui sine illo operabitur. Laudatur ignis quod speciem in materia conseruet non separet, pag 27. Defectus omnes supplet; redundantias tollit; quo vno Chymia vulgarem pharmaciam superat, pag.96. cap.11. pag.67. Exuperans qualitas quando nocet, igne proprio mitescit integra manente essentia, quod N V L L V M habeat C O N T R A R I V M quo labefactetur. Non patitur ab Elementis. Ingratus sapor & impuritates medicamentorum tolluntur quidem separatione, & depuratione, sed magis igne naturæ adiecto, qui tum ad perfectionem addit labori. Menstrua nobilia animalium, vegetantium auxiliantur. Opus absoluitur si dictum ignem contineant, quanquam S O L V S illa potest potentius, & celerius. Alchemistæ

(pag.

(pag.21.) non potuerunt medicamenta præparate vere & pure sine igne saltem philosophico. Ille vuus totum compositum perficit. Nihil aut paucum separandum. Separat solus quod est plane ἑτερογενὲς etiam non adhibita manu. Eo sapores rerum ingrati tolluntur, qualitates exuperantes ad mediocritatem reducuntur: alioquin extracta peiora sunt omnia, quo elaboratiora. Philosophicus ignis nulla vi illata tollit, emendat, cicurat, dyspepta, dyschresta & ingrata omnia. Sine illius ope irrita sunt omnia spagyrorum opera, multoque sunt integris nocentiora. Quid fatigamur igni in Galenochymia? Solus omnia potest, Iudice magistro Petro; si non delirat præceptor: qui vndiquaque sine iudicio corrasit effata, & quæ artifices de igni insito fermentationes scripserant, adeo facit generalia, vt omnibus tribuat: Ita quod de medicina in proiectione, id confundit cum aliis, vt putetur magnumquid dicere. *Separatio reiecta.* *Extracta sine igne natura mala.*

C a p v t I V.

Notitia istius mirabilis ignis ex subiectis & comparatis.

CApite quinto pag.24. ait Magister: Est quoddam subiectum in quo viget copiosissimus. Ex illo erui decet. (Repudiat autem alibi hydrargyrum, & aurum quod ex natura sumit mundus.) Est enim artificialis inuentio, & extractio. Cum omni genere, specie, Indiuiduo: Cum omni qualitate (quod est vnum grande) inuenitur. Vnde calidum, frigidum, humidum, siccum, animalem, vegetalem, mineralem, sanguineũ, pituitosum, biliosum, melancholicum dixerũt. Facultas eius plurimum mirabilis, &c. vide & reliqua: Oppido mirabile portentum Petri Magistri. Cap.11. pag.67. Est materia Elementi ita attenuata, calor eius adeo auctus vt ad elementi summitatem accedat: nec propterea nocentior est. Natura DE INDVSTRIA calori dedit spiritum æthetium, vt esset obsequentior. In vtroque inest natura & facultas vera essentia. At corpus illud spirituosum præparationibus magis, ac magis attenuatur: vnde calor maior: tunc in tali subiecto collocata essentia multa potest efficacissimè. Hæc ille: Et quis est qui non pasci velit verbis grandibus, si similis sit Palmario? Nondum tamen istum ignem intelligimus, nedum sentimus. Possumusne vel ex parabolicis quid atti haurire? Ex ænigmatis philosophicis hæc transscribit pag.26. In medio mari mediterraneo natat pisciculus sine ossibus & aristis, sine cortice, & pelle, viuacissimus tamen & potentissimus qui mox remora sistit omnia, etiam aues Hermetis, mox auis alcyonia, & clauis omnia in cœlum attollit. Sic insunt vires superiorum, & inferiorum. Ita ille. Sedinuogii parabola quædam est, in qua fingit se in magni cuiusdam maris littore inquisiuisse de pisciculo Echeneide. Lambspring duos pisces in suo mari philosophos habere scribit. Disputet de hoc vel inter vmbras vterque. In volumine primo artis auriferæ illud ænigma sic proponitur: Est in mari nostro pisciculus rotundus, ossibus & corticibus carens, & habet in se pinguedinem, mirificamque virtutem, qui silente igne coctus donec eius humor pinguedoque prorsus rodatur, & absumatur, postea fortissimè teri debet, &c. Sententiam veram inuenies in monade Hermetica septima. NB. *Ignis natura est materia Elementi.* *Pisciculus in mari natans.*

C a p v t V.

Quibus exemplis effecta ista mirifica declarat Magister ille?

NOn grandia sunt, sed ingentia quæ isti igni ascribuntur. Ad Lectorem sic declamat: Genuina Alchemia ipsissima policetur quæ maiores: imo audet maiora, & feliciora omnia. Alimenta habet medicamentosa, quibus natura mortalium effœta, & labascens restituatur: Medicamenta illa magna sic præparat vt Cacoethia omnis transeat in salutarem facultatem: vim lethæam permutat salutifera: Sed facilitate, & iucunditate admirabili, dulcedine tanta quæ vincat non inuitos: quæ suadeat non cogat ad morborum præsentium pugnam, ad futurorum prophylaxim. Aloe, Colocynthis, Senna, Helleborus hoc artificio mansuescunt; ingratum saporem & Cacoethiam deponunt Inuiolata purgatrice. Hæc declarantur exemplis nutricis fœminæ, & capræ, quarum lac fit dulce & purgatorium sumtis medicamentis, idq; naturæ beneficio: præterea dicuntur anates, gallinæ, sturni ali serpentibus & cicuta; posteaque à nobis citra noxam comedi. Sublimatum, quod valdè vrit, scribitur horulæ spatio euadere ἄποιον manente eadem corporis mole, nulla detractione, nulla additione. Arsenicum, Sandaraca Græcorum, Realgar, quo nullum præsentius venenum, asseritur in Panacææ locum ascendere, vt sit deploratorum affectuum inuictum remedium. Hæc sunt θεῶν χεῖρες. His fit medicus ἐχθρὸς νόσων καὶ ἰσόθεος, &c. Eadem perorantur cap.20. pag.111. verè magistrali modo præparatur Mercurius sublimatus, quo substãtia eius tota fit benefica, tota medicamentosa: quo, mirum dictu, ex summo veneno fit summum venenorum & magnorum omnium morborum alexiterium. Scilicet hoc vnum est & verum magisterium. Eodem modo, & eadem mira arte Sandaraca *Alchymia genuina.* *Medicamentorũ Cacoethi an tollere.* *Sublimatũ dulcificare.* *Arsenicum facere salutare.* *Medicus Isotheus.* *Venenũ summum in summum alexiterium.*

Duæ substantiæ mercuriales. *Mercurium extrahere per mercurium.* *Totum compositum perficere.* *Qualit. Elem. tollere.* *Cœlum toto genere aliud ab Elementis.* *Tinctura vera.* *Sapores corrigere.* *Sanguis dulcis.* *Vita ex igne naturæ.* *NB Quercetanus nō male scribit per præparatum sublimationibus crebris mercurium aurum & argentum viuificari, seu fieri vitalia. Sed est tamen & alia horum ratio, de qua in Sedinuogio.*

Græcorum elaboratur. Cuius quot, & quanta beneficia? Eadem & duæ substantiæ mercuriales vnius radicis componuntur: Eadem mercurius per mercurium extrahitur, non ex auro, non ex argento, vt imperitè & oscitanter nugaris, sed ex corpore magnesiæ, quæ regina est minerarum. Si quæras quæ tandem est ista tam magnifica ars, respondet de igni naturæ Pontani cap.5. & cap.4. pag.22. Ignis inopia nihil potest consequi. Noluerunt chymici (vt Arnoldus) nec potuerunt medicamenta verè præparare sine illis legibus, saltem sine igni philosophico, qui vnus totum compositum perficit: nihil aut paucum separandum, &c. Cap.8. pag.47. de igni valde igneè disputat, additur us artis inuictum testimonium, quod possint tolli qualitates elementares manente inuiolata cœlesti facultate, quo ipso confectum putat cœlum toto genere differre ab igni elementari, cum eius qualitates sensus nostros non feriant, non excedant, non corrumpantur, totæ sint beneficæ, vitales, salutares. Cap.26. pag.131. Non est alia fixio, alia tinctura præter philosophicam. Natura est quæ coquendo figit, fixando quasi maturando tingit. Solus naturæ ignis id potest. Tinctura omnis peregrina est quæ non est ab ære nostro. Natura interna externo igne adiuta seipsum perficit. Elixir philosophorum ignis est qui momento id potest, &c. Cap.28. p.138. de magisterio saporis: Agitur de sapore medicamentorum ingrato aut tollendo, aut corrigendo inuiolata cœlesti facultate, purgationis autore, quod vere magisterii est. Fit enim sine molis imminutione, sine auctione beneficio ignis philosophici. Agit naturæ instinctu. Natura eius virtute eadem facit in nobis circa alimentum quæ hic ipse ignis extra nos circa medicamentum. Sanguis enim dulcis est, &c. Omnino Elisæi artem 4. Reg 4.41. superare posse sibi videtur Palmarius, non farina in ollam colocynthide impletam coniecta, sed igne suo philosophico, qui vtinam adesset in magna fame populis. Imo & vita asscribitur isti medicinæ. Ita enim est in fine cap.30. pag.145. Materia philosophorum est vitæ capax (secus ac metalla vulgaria quæ dicuntur mortua esse). Vita conciliatur per aquam vitæ, non vitis per ignem naturæ, sine quibus ridiculi sunt omnes tui conatus. Cap.16. pag.92. Omne viuens est calidum. Est naturæ ignis qui sapores infensos dulcedine permutat. Coctione dulcescunt amara, salsa acria. Coctio est à calore natiuo. Ignis naturæ mitificat omnia. Ipse ignis arte adhibitus ingratos medicamentorum sapores tollit: quanto magis a natura ipsa gubernatur? At arte id fieri sapientes literis mandarunt, & certo experimento comprobatum est. Lege cap.16. p.91.92. de quæstione an ex dulci alimentum, vbi aliquoties inculcat de saporum per ignem naturæ mutatione, opinionem.

CAPVT VI.

Num Galenochymia præterea nullum habet ignem?

Calor cœlestis. *Calidum innatum.* *Anima ignis.*

NOn quidem habere debebat. Nam vt narrat Magister, ignis & Azoch sufficiunt: Et inopia istius ignis nihil potest consequi, quod pag.21. & 24. ponebatur, item 96. perficit & absoluit omnia; Et quidem solus cum formæ conseruatione pag.73. Quorsum ergo opus est Galenochymo isti aliis ignibus, præsertim cum elaboratio per eum possit fieri vno momento quam facilime, rectissimeque? Veruntamen etiam alios ignes agnoscit, ex quibus vnus perfectiuus, quem calorem cœlestem vocat quo etiam olea fiunt in solario solius naturæ solaris ignis ministerio: qui calor est in vniuerso maturans omnia; qui & in nobis omnia bona facit, vt philosophatur pag.78. Et pag. 46. Calor cœlestis Fernclii in crystallina cœli substantia est plenus natura & facultate diuina: pag.66. qui proprius est essentiæ diuinæ, cuique spiritus æthereus datus, pag.67. Hic est ergo ignis secundus: qualitas nimirum, vt ait pag 79. Calor est qualitas in lucidissimo spiritu, seu humido oleoso, in quo constanter ardent & lucent calor & spiritus, mitis scilicet, moderatus, blandus, non incendiarius, &c. Quod si spiritum, calorem, & humidum oleosum coniungas, non peccaueris si substantiam dixeris, quam calidum innatum appellant. pag.77. & 78. calidi innati substantia semper cum spiritu habetur: Sæpius vtrumque cum oleo, quo fugax spiritus sustinetur. Ita habetur tota rei facultas, si conseruator naturæ ignis adhibeatur. Hic est ignis tertius. Cap.13. pag.76. Anima est ignis: Et anima mundi ignea pag.42. Ab vno igne sunt omnia, visus igneus, oculus igneæ naturæ, &c. Sit hic quartus. Quintum ponit Deum ipsum, vt in rubo ardente; Et Spiritus sanctus ignis, &c. quæ voces ex sacris literis depromtæ sunt, vbi Deus & verbum Dei dicitur ignis consumens. Sextum ignem constituunt angeli, & cœlum empyræum. Septimum astra ignea: Octauum Elementum ignis, pro quo contra Quercetanum toto cap.8. dimicat, quanquam cœteris quoque Paracelsicis, & inter hos Libauio idem affingas crimen. Pag.34. Cum magnum ardorem spiritui vitali attribuit, hunc quoque ignem videtur nuncupare, qui nonus ignis esto. Pag.4. dedicationis, & 87. libri calcinantem agnoscit, quem vide an ad Elementum referre velis. Fors erit excessus ille feruoris & fumus ardens Aristotelis, qui est corpus igneum imperfectè mistum, vt & aliæ flammæ elementares. Habet tamen aliquid de igni externo miri, blandoque pag.34. quem pag.59. calorem vocabat. Nominat & Salamandram philosophorum, quæ in igne nutritur, augescit, nec extinguitur frigore: De Sucten scribit quod igne suo solem lunæ iungat. Quorsum hi ignes sint referendi, ipse Magister ignorauit fortasse. Negat enim sensum literalem in igne esse acceptandum, sed fugiendum serio monet pag 35. Hæc potuimus de igne ex Galenochymia ista ampullosa, quam procul dubio didicit in moronia Mercurii Britannici, expiscari.

Ignis flammeus. *Salamandra.* *Ignis Sucten. Lib.3. cap 6. Sect.2. Alchymia (Galenochymia) est ars sine arte, &c.*

Capvt VII.

M. Petrum Palmarium ignorasse quid sit ille ignis naturæ.

VTinam in viuis adhuc esset iste insolentissimus ignis naturæ iactator, suamque inscitiam cognosceret; furorem autem & rabiem in Libauium ex mera opinione scientiæ, & odio plus quam Sathanico profectam deploraret. Sed quiescat ille in suo, quod fortasse statuit cum suo Cardinale, purgatorio. Non dubitamus alias superesse in quos Palmarianus genius, tanquam per metempsychosin quandam Herodianam irrepserit, quibus Libauii ingenium, & opera similiter sunt inuisa. Horum gratia ostendamus Palmarium incertum imperitumq; rei nesciuisse quid de igne naturæ tam mirabili deblateraret. Primum argumentum ex præfatione ad lectorem, vbi propria hominis confessio est, sumimus. Nonnulla, inquit, de veritate Alchemiæ nouimus: Pauca degustauimus, &c. Particularem notitiam proprio testimonio roboratam auditis. Atqui ignis naturæ ita descriptus est, vt in eo esse omnia debere sit credendum, vt in superioribus paruit. Eius ipsius fiducia Libauianam Alchemiam ex toto damnauit. Qui scit ignem naturæ, nihil non potest consequi in Alchemia. In eo est perfectio artis. Iam qui fatetur se nonnulla saltem nosse de veritate Alchemiæ, pauca vero degustasse, hoc ipso se neq; scire, neq; possidere ignem naturæ comprobat. Si enim sciret, omnia sciret; quia cognita caussa vniuersali, solaq; totum perficiente, omnia quæ eius vi existunt, patere necesse est; Et qui eandem in sua habet possessione, illi necesse est potestatem ad omnia perficienda, ad quæ se illius caussæ virtus extendit, non deesse, idq; pro modo actiuitatis istius. Atqui Palmarius nec scit totum Alchemiæ, nec degustauit, multo minus fecit. Patet ergo ipsum ignorasse caussam istã, nempe ignem naturæ operum chymicorum solitarium, & admirabilium effectorum vnicum procreatorem, & ex consequente tam multis verbis temerè consumtis nihil nisi præstigias inani oris strepitu fecisse, atq; ita cadere in ipsum iudicium quoddam vanum vani Del Rio, de præstigiatore iustius quam in Libauium, qui nullarum sibi conscius est præstigiarum. Argumentum secundum præsto est ex cap. 5. pag. 26. de igni philosophico, qui omnium chymicarum operationum sit verus autor, Et SOLVS DOMINVS, sine quo irrita sint omnia, vt capitis titulus sonat. Eum autem proponit parabolicè, seu ænigmaticè per pisciculum in mari mediterraneo natantem, & addit veteres ignem, & eius operationem cælasse; Et licet sæpius de eo sint locuti, tamen pag. 35. contendit sensum literalem de igni esse fugiendum. Non ignoramus Platonem in politico scribere Prometheum quendam ignem raptum ex solis curru, & in ferula delatum, cum ob hominum vitia à Ioue esset subtractus, absconditusq; dedisse hominibus; Vulcanum artes largitũ esse; vel, vt est in Protagora, Deos in principio genera mortalium ex igni, & terra fecisse, interuenientib. illis quæ vtriq; miscentur; Prometheum vero vires & ornamenta distribuere debuisse, quod officium tamen roganti Epimetheo concesserit: In hoc autem cum stultus iste erraret, compulsum Prometheum ad furta, ex officina Vulcani & Mineruæ cum igni artificiosam sapientiam sustulisse. Si cælatus ille ignis sedulo est à veteribus, etiam cum minis, fore, vt, si quis reuelaret, apoplexia (qua periit Palmarius fortè in pœnam manifestati ignis) moreretur; neque literalis sensus est alicuius certitudinis, nunc Palmarius est ille Prometheus, qui surreptum monstrauit? Minimè vero omnium. Si enim monstrasset, sciuisset, & habuisset, atque adeo iuxta capitis titulum omnes chymicas operationes verè potuisset perficere solo isto Domino, neque quicquam irritum ei contigisset. Epimetheus itaque potius fuit, cuius cum defuerint vires homines iuuandi, ornandique, voluntatem, si qua bona fuisset, laudare poteramus. Probatur idem etiam amplius. Nam si Prometheus iste fuisset, vel ex rota solis petiuisset ignem, vel ex Vulcani, Mineruæque ergasteriis. At ille quærit eum in mari mediterraneo nomine cuiusdam pisciculi monstrosi. Rectius Platonis specum (si vnquam ex eo emersit) irrepsisset, aut puteum istum Vallensem de quo est 2. Machab. cap. 1. vers. 9. in quem sacerdotes in Persiam ducendi dicuntur de altari raptum sacrum ignem intulisse, qui postea per artem Galenochymicam Vulcani subterranei coactus, seu coagulatus est. (Ita enim loquuntur) in aquam flammarum raptricem, quam Naphtham vocant, quintam nimirum essentiam in subterranea officina per calorem naturæ excoctã & momento, vt vult Palmarius fieri debere in Galenochymia, elaboratam, perfectamque. Hoc est argumentum secundum. Addamus tertium. Ignis naturæ est Elyxir philosophorum, inquit aliquoties; Et est ille Pontani transmutatorius, quem tincturam, & philosophorum lapidem, omnium morborum breuissimo tempore alexiterium, vti narrat circa finem curæ Elephanticæ pag. penultima, indigetant. At hoc Elixyr se non habuisse ipse confitetur cum inquit: Monent sapientes Elixyris virture morbos vnius mensis vna die curari, vnius anni, vno mense. Quid si desideretur illud Elixyr frugiferum? Si assint sola vulgaria præsidia sed chymicè, id est, ex veterum præceptis diligenter elaborata? Sane si decantatum lapidem haberemus morbus omnis vnico mense vinceretur. Hæc ibi. Non ergo habuit Elixyr, & ex consequente nec naturæ ignem. Notabit autem lector egregium magistri artificium in eodem loco. Per totum librum veterum chymicam veram præparationem per solum ignẽ naturæ, seu Elixyr conficit: Sine quo nihil omnino valeant omnia opera; imo fiant nocentiora, quò elaboratiora. Iam igne isto caremus teste Palmario. Cuiusmodi ergo sunt ista chymicè præparata? Nimirum Galenochymica, quæ nullus fabricare potest præter Palmarium principem & primum autorem Galenochymiæ omniumque instrumentorum eius proculdubio etiam fabrum; sed qui vix annum suæ arti fuit superstes, adeoque periit cum ipsa, sicut ille qui Tiberio malleabile vitrum dicitur obtulisse. Ita se habet argumentum tertium. Quartum est huiusmodi: Si Palmarius

Del Rio calumniator.

Ignis Promethea.

Cælatum esse, sumtum est ex Pontani Epistola cuius argumentum est sequente capite.

Succen ex Paracelso vnde hausit Palmarius: Qui Alchymiam secundum literam intelligunt, saccum stramen triturant.

Ignis sacerdotum absconditus.

Naphtha.

Palmarius nullam alchymiam habuit nisi opinione tãtum quia Elixyre philosophorum caruit.

istius mitifici ignis fuisset possessor, potuisset, vti narrat, absque omni separatione, nisi fortè pauca, sine decessu & accessu mutare ingratos eiborum & medicamentorum sapores, omniaque omnibus iucunda, & dulcia efficere. Atqui hoc non potuit, nec vllum facti specimen reliquit. Imò hoc non

Medicorum optimi lingua caussa non destruūt sapores rerum, qui sunt aliqua essentiæ valentiæ nota.

est philosophi, nec medici qui naturas rerum, & perfectiones saporis gratiâ non destruunt, & Sucteniani per suam quandam igneam artem, putrefactionem, & digestionem non tantum ex amaro dulce, & ex veneno medicamentum tutum promittunt, verum etiam contrarium, vt Basilii Valentini liber habet; neque per Elixyr philosophorum ista vilia ministeria obeunt, quibus & nec opus habent, quandoquidem Elixyr vniuersale medicamentum esse dicitur. Quintum: Si ignis istius fuisset peritus & compos, neque aurum potabile exuberatum, neque antimonium Suctenii, nec sublimatum per separationem pulueris venenati in capitello, & capitis mortui in fundo à media substantia crystallina: neque extracta, &c. Conflate, & parare opus habuisset: multo minus in sua Galenochymia axioma, & principium hoc tolerasset: *Est in humoribus quicquid quærunt medici*: Cum nullus vnquam philosophus aut medicus Elixyr ignemque illum architectum & Dominum Alchymiæ in illis quæsiuerit: Imò negat Palmarius sanguine posse curari lepram. Sanguis autem quatuor

Cap. 5 pag. 27. Arnoldus habet sanguinem destillatū: Quicunquā leprosos curauit sanguine?

humorum contemperatura est. Quin nec alterum principium (*Est in mercurio quicquid quærunt sapientes.*) Videtur idoneum ad eum rem esse, quando ex corpore *Magnesiæ*, seu Stibii iuxta Paracelsistam Suctenium extrahi doceat. Ne dicas Alchymiam habere etiam alia medicamenta, ipse cauit
„ solicite cum pag. 121. scripsit: Ars chymica *hoc VNVM* policetur: medicamentorum naturas non
„ solum auget (cuius tamen contrariū sæpe asserit) sed sæpe permutat contrarias salutaribus, dum ali-
» menta medicamenta, & ipsa venena mutuò permutat, id quod multis in locis isti igni asscribit.
Vide pag. 111. & quæ supra recensuimus ex cap 22, pag. 72. 73. 74. 71. 29. Sit sextum argumentum quod non tantum variè de isto igni declamitet, sed & ineptè, fatuè, stultè: qua de re infra:

Pag. 1I1. cap. 20. & p. 126. & 116. Vnum tantum in Chymia.

CAPVT IIX.

Num Libauius ignorauerit aut adhuc ignoret istum ignem Galenochymicum.

ID quidem Palmarius aliquoties affirmat, præsertimque ad Peronium Cardinalem scribit, medicinæ, sorori philosophiæ, adiungi Alchemiam illam veterum, quæ accuratiore & secretiore medicamentorum præparatione pharmaciam illustret, & nec Paracelsum autorem, nec Libauium, imperitissimum ingentis illius mysterii agnoscat: sit exculta à veterum sapientibus; descripta tropis;

Alchemia descriptio.

» fabulis inuoluta: policens generale morborum omnium medicamentum quo Aeson senex iuuen-
» turi sit restitutus: virbius ex mortuo & lacerato vitæ restitutus (Hippolytum, quia ab equis dis-
„ cerptus, vocant) Draco extinctus à Phœbo, Midas omnia in aurum verterit: Iupiter Ganymede in
„ cœlum vectus, id est volaticus factus, & quæ alia adeo paracelsicè declamat, vt iures in Paracelsi

Miracula fabulàrum Chymica.

schola enutritum; quanquam paulò pòst Paracelsum tenebriorem appellet, qui malè intellectis veterum præceptis physicam & medicinam subruere sit conatus, &c. Cum ignem habeant artis istius professores, LIQVOREM mirabilem, tantorum bonorum autorem, vti antè dictum, ait Paracelsum & Libauium, quem dicit sequutum Paracelsi deprauationes ex imposturis alchymiam cō-
» didisse, IGNE calcinante OMNIA in aquam, oleum & salem, tanquam quæ natura habuerit, da-
» te. Hæc ille de Paracelsi & Libauii igne, quibus putat se conuincere posse, Alchymiam eorum non esse legitimam illam priseotum, sed impostoriam. Nesciuit miser quid diceret, & nec Paracelsi artem, nec Libanii explicationem intellexit; aut si intellexit calumniose & mendaciter quarum criminum rectè à sua schola factus est reus traduxit. Sanè medicinam illam hermeticam posse liquoris specie elaborari, non negat Libauius; Et fuit ab initio etiam Liquor, aqua, humor vnctuosus, instar Gummi soluti, vel roris, &c. quibus rebus comparatur: sed in sua perfectione olei, pulueris, aut lapidis consisteotiam est adepta. Deinde vltro fatetur Libauius sibi & fuisse & esse ignotissimam Galenochymiam quam ante Palmarium etiam totus orbis ignorauit, & adhuc nescit; excepto apud paucos, qui Palmarii sordes viderunt, nominis delitamento. Quid mirum si etiam figmentum istius ignis, qui solus Dominus, radix & fundamentum istius artis sine arte, & scientiæ sine scientia prædicatur, tam adhuc nesciat, quam olim nesciuerit? Vbi quæso est, aut fuit vnquam iste ignis, cuius proiectione in absynthium, colocynthin, salem ingratum napellum, Elleborum & similia, momento omnis non tantum maligna & deleteria qualitas, sola remanente purgatrice virtute, transeat in benignā, verum etiam sapores sic mutentur vt dulces, gratiq; fiant, & sic ex medicamento. & veneno euadat alimentum salutare? An etiam hoc optare quis ausit, nisi fortè in magna fame? Num istum sibi finem proposuit vniuersa Alchymia, quæ essentias à natura datas, perfectionumque suarum ornamentis & viribus instructas ab alieno, & per elementa vacua admisto corpore liberat, elaborat, & ad vsum commodiorem habiliores reddit? Quid est sal, si salsedinem mutes in dulcedinem? Quid fel terræ, absynthium & cætera destructis perfectionum essentialium notis? Salem fatuum Christus ipse inutilem pronunciauit. Palmarii Galenochymia sales fatuos nobis per ignem, mirabilem liquorem, nobis procudit. Istud est chymicè sapere: scilicet. Qui vero de Libauii igne cognoscere cupit, legat Pyrotechniam eius, præsertimque caput sextum, vbi duplicem ignem ponit, vnum manifestum, seu externum; alterum occultum; seu internum. De manifesto scribit eum quidem

Alchymia Libauii & Paracelsi.

Medicina hermetica.

Ignis liquor.

Galenochymia monstrum.

Ignis fictitius Palmarii.

Alchymiæ propositum verum.

Ignis Libauii.

quidem foris inueniri in radiis cœlestibus, & elementario, vbi vel elementum est, vel corpus flam- *Externus.*
meum imperfectæ mistutæ: sed adhibita arte fieri artificialem. Nam cum sic accommodatur vt
molli, suauique calore gignat ex semine in natura inuento; prouehat id quod gignitur, maturet,
perficiatque: tunc nomen accipit philosophici ignis, qui declaratur ortu & fotu infantis in vtero
materno; nec est destructiuus, & calcinatorius, sed perfectiuus. Declaratur & calore solis miti,
quo fetum nascentium potentiæ in actum vocantur, & legitima maturatione ex imperfectis perficiuntur;
qui ignis, quia actus est, insitum seminibus, aliisque frugiferis, in potentia existentem
exuscitat, vt postea sit ipse internus generationum procurator, & genitorum vsque ad suum terminum
conseruator. Occultum seu internum ignem vnum ponit instrumentalem qui est in menstruis
soluentibus, & eorum materiis, ex quibus caustica potentialia medicorum, quæ artis exaltatione
accedente mirabilium operum fiunt causæ; adeo vt liquores eorum, similesque essentiæ inter
se commissæ, dum in se agunt mutuò & patiuntur vicissim, mirabiles euadant medicinæ: alterum
habet principalem, seu essentialem, qui verè est NATVRÆ ignis, quem Chymici arte eliciunt
ex mineralibus, vegetalibus, animalibus specie olei salis, spiritus aut simili forma pro cuiusque
natura, & artificis voluntate vel necessitate operis. Inter hos ignes dicit excellere mineralem
illum ex mercurio, & sole solutionibus, coagulationibus & coctionibus, exaltationibusque philosophicis
per ignem philosophorum externum industria magna, studioque artis summo adhibitum.
Iste ignis in principio erat seminalis, & in potentia duarum vnius radicis naturarum: sed elaboratione
euasit medicinalis, perfectusque ad metalla imperfecta & morbos humanos curandos. Hæc
pluribus non vno in loco docuit Libauius, & hoc maximè quidem ex philosophorum antiquissimorum,
quos auctores in sua Alchymia recensuit, monumentis; aliqua vero etiam suo & recentium
experimento. Nomen ignis NATVRÆ si requiris, inuenies id cap. 15. pyrotechnyæ, vbi & de
magnesia, seu mercurio philosophorum, ne fortè putet quis à Libauio veram eius materiam, &
subiectum minerale esse præteritum, quanquam Libauius demonstrare possit Magnesiam hermeticam
longe aliam esse à Palmariana ex Suctenio emendicatam. De Azoth & igni Chymico tum
alibi ex professo discernit tum cap. 9. lib. 3. primæ partis commentarii, vbi de tritione secreta philosophorum.
Legant studiosi quę de mercurio philosophorum, Azotho, & lapide edidit Libauius,
de quibus vt eo melius dissereret posset, non tantum plurium annorum studio est consecutus, verum
etiam crebris conflictibus cum aduersariis pluribus, cuius rei documenta sunt in publicum
emissa, & omnium oculis exposita scripta. Illud miræ impudentiæ est in Palmario, quod sui ignis
autores citet antiquos philosophos, quorum tamen nullum, quantum eorum conquiri potuit, inconsultum
reliquit Libauius, atque etiam in Catalogo suo recensuit: verum quos omnes cum Riolano
impudenter reiicit ac damnet. Tui autores omnes (inquit, cap. 29. pag. 142.) patris sunt tecum
autoritatis, &c. Sed scorpio iste suo vulnere & veneno interiit. Canis rabidus, inquiunt Germani, rarò
nonum diem viuendo superat.

Magnesia. *Azoth.* *Palmarius in Libauii autoribus damnatis priscam Alchymiam damnat, quam tamen videri vult profiteri, & dete...* *Ignis natura.* *Internus.*

CAPVT IX.

De igne Naturæ Iohannis Pontani, & quidem prius de lapide eius.

CItat Palmarius Pontanum; Suctenium illum intus & in cute purum putum Paracelsicum:
clangorem Buccinæ, Lullium, Arnoldum Villanouanum, &c. Sed maximè videtur confidere
Pontano & Suctenio. Ideo videamus quid primum Pontanus, postea Sucten de isto igne proposuerint. *Pontanus errans.*
Cap. 5. p. 24. scribit: Verè Pontanus in docta Epistola: Sine igne naturæ nihil perfectum habetur
etiam cæteris præsentibus, &c. Et pag. 26. Doctus Pontanus ducenties circa legitimam materiam "
errauit. Quid tu Libaui, &c. Sine causa insaniebat tunc Palmarius. Libauius Pontanum lege- "
rat antequam quicquam de Palmario audiuerat. Eius epistola nuper excusa est cum tractatibus
quibusdam philosophicis Vrsellis, & extat in tertio volumine Theatri Zetzneriani, quod anno
1602. impressum est, folio 826. Summa est: Pontanum in multos deceptores cum artem in toto "
mundo quæreret, incidisse; antequam materiam lapidis philosophici (Nam de hoc solo agitur in "
illa epistola, & non de aliis chymicis magisteriis aut arcanis) cognosceret: Cum materiam agnouis- "
set, ducenties errasse, antequam veram materiam, operationem, & practicam inuenerit. Quæ verba "
contradictionem habent. Agnouit materiam: Et tamen post agnitam in vera inuenienda tam sæpe
errauit. Qui errat ducenties circa inueniendam, quomodo potuit eam prius agnouisse? Ponamus
corruptum esse textum: vel potius sensum esse eum quem infra his verbis enunciat: Si ego ignem pri- "
mo inuenissem, non errassem ducenties in practica super materiam: nempe sciuit materiam; sed "
ignem, eiusque modum ignorauit: vnde factum est vt tam sæpe errauerit. Verum & hoc mirum est.
Ignis internus insitus est rei, externus moderandus est, suisque gradibus ad materiæ motum accommodatis
distinguendus. Habuit proculdubio in materia ignem sed non agnouit: Et ideo externum
non potuit recte applicare. Vel habuit materiam mercurialem ab vna parte. Quomodo vero excitaret
in ea ignem, nesciuit. Et hæc de materia. Deinde recenset errores suos circa literam Gebri,

Archelai,&c.in operationibus,& igne externo. Tandem studuit in Hermete, ex quo didicit ignes externos,quos nominant philosophi,non esse instrumentum quod materiam deducit in esse. Hoc benè notetur.Quid vult Pontanus?Primum materiam veram lapidis philosophici; Deinde instrumentum per quod in ESSE,hoc est,ad perfectionem deducatur:Vbi? In operibus tribus, 1.2.& 3.Et sunt sanè hæc Hermetica. Materiam ars non facit, sed ex natura sumit,in qua iacet quidem, sed imperfecta. Ars assumtam perficit per tria opera.Instrumento ad id vtitur IGNE quodam insito, seu interno,quanquam quod non debuit præstactè negare Pontanus,adiuto & exuscitato à calore philosophicè foris administrato. Audimus ergo primarium intentum Pontani esse lapidem philosophorum facere:(Intelligimus aurificum,cuius proiectione super metallica imperfecta, & argentum viuum crudum momento existat aurū natiuo melius,quanquam primis proiectionibus etiam medicina seu tinctura fiat prout lapis est elaboratus.)Facere autem mediante Igne quodam.Vt vtrumque agnoscamus describitur primum lapis:postea ignis. Hæc est summa epistolæ. Consideremus descriptionem vtriusq; sed prius animaduertendum est Palmarium sui Pontani distributionem non tenuisse.Nam hic ignem instrumentum,quo perficitur lapis,vocat: ille pag. 128.cap.24. Elixyr philosophorum,lapidem metaphysicum,verum aurū potabile sapientum,ignem purū fere,& exputgatorium,q.formam separatam,quæ inutilia tollit & imperfectum in instanti perficit,appellat, quæ interim notemus.

Lapidis Pontani descriptio.

" Qui ergo est Lapis Pontani? Est vnus, multipliciter nominatus, difficilis ante cogni-
" tionem:aqueus,aëreus,igneus,terreus:phlegmaticus,cholericus,melancholicus:Sulphureus,argen-
" tum viuum:habens multas superfluitates,quæ (iurare non erubuit) per Deum viuū conuertuntur in
" veram essentiam mediante igne nostro:qui aliquid à subiecto(lapidis) separat,putans id necessarium
" esse,is PROFECTO in philosophia nihil nouit,quia tota substantia(superfluum,immundum, tur-
" pe,feculentum) perficitur in corpus spirituale fixū,mediante igne nostro, quod sapientes nunquam
" reuelarunt.

Separatio à Pontano prohibita.

Hæc est Lapidis Pontani descriptio, de cuius materia negat ignem istum esse; qui nec vna transmutetur cum materia.Agnoscimus fundamenta Galenochymiæ Palmarianæ,sed non sapienter ad totam Alchymiam traducta.Pontanus tātum de lapide philosophico,qui est mineralis,&,metallicus, loquitur & ei ignem adiungit istū.Palmarius in mineralibus & metallicis nō manet:Lapidē istū ignem(nam pro eodē habet)ad vegetalia,& animalia, adeoq; totam Alchymiā transfert; quasi eius vi omnis omniū noxa,seruatis tantum salutaribus, tollatur,& ex veneno è pharmaco fiat cibus ictu oculi sine omni auctione(vt loquitur)& decessione.Stolida ista translatio est.Neq; enim si quid tale fit in mineralibus,mercurialibus,necesse est etiā euenire in non mercurialibus,vegetalibus, & animalibus:Et quantū monstrum est ille ignis,si sapores,& omnia cœtera ingrata mutat,& ex venenis pharmacisq; facit alimenta?Purgatricē,cœlestesq; alias facultates(inquies)excipit;quia ignis ille cœlestis est:Cœlū toto genere diuersum est ab Elementis. Elementaria tollit ignis; seruatis cœlestib. & exaltatis,vt simile simili iuuetur.Bellè inquam sin moronia somniare volumus.Primum id nō dixerat Pontanus. Deinde quomodo constabit Galenochymia;si elementa, & eorū crases per ignē istum fatuum extinguuntur;vel q potius dicendum est,si elementa ista ex toto mutantur in cœlestē naturā toto genere diuersam ab ipsis?Vbi vero experiētia Palmariana?Idem quidē Gramanus scribebat:idē Lullius in suo cœlo volebat;sed vterq; separat purū ab impuro. Verum pergamus.Lapidem esse vnū, nisi distinguas albo,& rubeo vniuersali,& particulari,minerali,vegetabili, animali,facilè donamus.

Elementa à chymicis prisțis adeo non abiiciuntur, vt artem nihil aliud quā conuersionē Elementorū esse doceant cum recentibus.

Nam Pontanus tantū de vno minerali mercuriali loquitur. Assentimur quod in principio coctionis sit aqueus,& Elementi aquæ proprietates habere dicatur:inde fiat aëreus; tandemq; igneus, & terreus,licet terra diuersis dispositionibus diuersimodè nominetur. Verum Palmarius videtur hæc sic intellexisse,quasi in vno eadē dispositione in vltima sui perfectione essent omnia.Si enim non:quomodo potest omnia in morbis,& alchymiæ operibus? Veruntamen & ignē purgatoriū vocat.Hac ratione quidem omnia disposita possit mutare:sed nō erit simul omnia,nec sine separatione opus suū exequetur.Purgare enim est mundare,sublatisq; impuritatib. genuinam,puramq; essentiā relinquere in Alchymiæ operibus.Purgatio qualitatum, vt fit alteratione, & in Theologia per fidē; Christiq; sanguinē,non est huius loci.Ita de cōplexionibus sentiendum est;ex phlegmatica dispositione materia abit in cholericam,& vstione vberiore in melancholicū:sed nō omnes dispositiones insunt simul, vt nec omnia Elementa.Si Palmarium possemus interrogare,fortè respōderet,esse per se sanguineū, & expurgatorium istorū humorum,vel potius alteratorium sine augmento,& decremento molis, q iterum Galenochymiæ male consulit.

Lapis vnus, & plures.

Purgare.

At Basilio Valentino consentaneum est,qui scribit ignē suum etiam stercora mutare in essentias, quod tempore famis quis non exoptet? Mirū inuentum esse hominem qui ista portenta ausit fingere,nedum credere,& aliis persuadere.Sed isti philosophi cum vrgentur in tenebras fugiunt,& sepiæ atramento se abscondunt, miras hieroglyphias cōmenti. Porro sulphureus quoq; est lapis,nempe naturæ igneæ,calidus,siccus.Debebat esse ἄποιος,quia cœlestis.Sed philosophi loquuntur cōparatè; & magis ad materiā respiciunt spiritualem,quum ad qualitates elementares.Doctus sulphureus est,quia alterū eius principiū internum est sulphur, non populare; sed suum,quod philosophicum dicunt;Et hinc ignis vim & nomen habet;quasi sulphur magneticū vocates spiritalē illā vim magnetis,qua ferrum attrahit,vel abigit:itē virtutē potenter immutantem. Est mercurialis,ab altero principio q est spiritualis mercurius; vtrumq; aūt principiū est seminale ex naturæ reb.collectum per artē.Ideo masculū vnū dicitur,alterum fœmineū, vnū tractū est ex minerali argento viuo fœcundo:alterū ex metallico sulphure:Et primum totū cōpositum homogeneū erat,& generale,æquè se habens ad omnia metalla,& metallica(quæ mercurio,seu argento viuo æstimātur) sed postea per speciale genituræ corpus,in quo mercurius & sulphur auri,vel argenti,solificū, Lunificū,continetur,ad certi metalli speciē perducebatur.Ita ergo lapis est sulphureus & mercurialis.

Stercora in essentias.

Lapis sulphureus.

Lapis mercurialis.

Principia materialia lapidis.

Quod vero addit Pōtanus in eo esse multas superfluitates, quæ in verā essentiā mediante igne nostro conuertantur,&c.id nō tulit Henricus Khunradius;& ideo Pontanū acriter obiurgatū.Dixit nescire lapidē,

Superfluitates in lapide.

quem

Pontanus à Khunradio reprehensus.

quem sibi falso arroget, quia omnes Philosophi dicant duas superfluitates materiæ adesse, terrestrem vnam, aqueam alteram quæ studio summo sint separandæ. Palmarius quoq; cum Philosophis loquitur dum ex Mercurio sublimato mediam substantiam seligit fecibus, & puluere venenato alembici abiectis. Verum notamus primũ posse Pontanum de perfecti lapidis ꝓiectione intelligi. Nã quando primo fit ꝓiectio, totũ argentum viuum mutatur in medicinam: q̃ si rursus ꝓiicitur super imperfecta, tota vertit in aurum, vel argentum, ꝙ aliqui tamen negant, quos hic videtur redarguere Pontanus, & inscitiæ damnare. Si n. aliquid separandum est, lapis non fuit perfectus, aut proiectio non recte administrata. Hic vnus sensus est. Alter quod materia iam præparata nihilominus habeat superfluitates multas, sed quæ trãseant in essentiæ complexum mediante igne. Exemplum potest capi à semine, vel ouo; cuius omnia abeunt in stirpem, vel pullum, licet ignis seu sulphur generatiuum sit in minima mole, qua de re disserit etiam Sedinuogius. Aristoteles quidem negat quicquam fieri ex toto siue in naturæ, siue artis operib. Sed ille altius incipit motum. Est autem superfluitas in qualitatibus & corpore geniture: vnde alteratio, & mutatio vtramque corrigit, quomodo etiam accidit cum ex pomis crudis fiunt matura coctione. Vide quæ de fermentatione & conceptione in monadib. tradũtur. Humanum est ita potius interpretari Pontanum, quã diris incessere. Quod a. Palmarius ista transtulit ad omnia Alchymiæ opera, voluitq; omne magisteriũ sine decessione, & adiectione per ignẽ Philosophicum elaborari debere, & in hoc solo essentialiter esse oẽm vim Alchymiæ, deceptum opinione sua fatua, & stolida applicatione dicimus. Si n. valere debet iuxta datam interpretationem Pontani sententia, & ea applicari ad reliqua omnia Alchymiæ opera: non alia rõe potest quam si iam præparata medicamina, addito aliquo cœlesti menstruo, quale Lullius ex vino elicuit, circulatione maturatiua ingeniose decoquantur, donec sapores, & alios excessus naturæ molestos ponant: vel si nolumus peregrinum quid addere, essentiam extractã cum proprio liquore digerimus, additoq; sale sic perficimus, vt ad vsum fiat salutaris, quo modo tota misti natura prius soluta, purgataq; denuo coniungitur, & ingeniosa digestione in Pelicano exaltatur. Plurea modi infra recitabuntur in sublimato, Arsenico & similib. Qui vero velit totum absynthium, totã colocynthin, & cætera vti ex natura sumũtur, per ignem illum fictitium emendare sine vllius abiectione, oleum & operam se ludere cum suo damno, & cõtumelia cognoscet. Imo & hoc notandum ꝙ isto Palmariano modo nihil caderet sub chymiam nisi quod aduersum naturæ. Nã si ea vis est ignis quã dicit, non põt adhiberi in vllis medicinis per se gratis, & tutis, nec in vllis cibis, nisi velimus ex illis per actiuum ignem stercora, & venena facere. Vbi vero est declamata Galenochymiæ vniuersalitas? Male meditatus est suam caussam Palmarius & cœco impetu in duellum ruit. Vnde nemo miretur tam breui defecisse. Nos scientes nihil falsi scripsimus. Est a. ad priores quoq; digestiones opus non calore alio quam duplici Philosophico; quorũ vnus est artificialis, & externus: alter naturalis, & internus, qui ab externo exuscitatur. In mineralib. & quæ ad mineralium genus reducuntur, aliquando secus fit: vti & in lapide metallico, & metallis. Scimus quædam exempla in natura inueniri, vbi tota mutantur, & venenatas qualitates ponunt, adiecto aduersario, vt scorpio torpescit aconito: Duriones corrumpuntur Bereles halitibus: toxicũ vim perdit Cydoniorum spiritu: quib. mirabiliora in sequentibus recitabimus, quæ ars inuenit. Sed non in omnib. habemus talem experientiam, & facultatem, quanquam esse semper vnum contra vnum non dubitandum putemus, præsertimq; spiritus rerum istam inter se habeant affectionem, vt ligẽt se mutuo, vel iuuent vel soluãt, aut etiam atterant, & commorianrur vt in illo Pliniano, in quo duo venena commoriebantur, ipso saluo: Immundum, turpe, fœculentum, tota deniq; substantia, inquit Pontanus, perficitur in corpus spirituale fixum: quæ verba sunt verissima si Philosophorum artẽ respicias. Immunditia apparet in nigredine, vt & turpitudo: fœculentia est in sidente terra. Omnia tolluntur operante igne interno, & spiritibus cum aqua super terra reflexis, citra omnem materialẽ, aut manualem segregationem. Ita est in his quæ circulantur. Similiter loquuntur de dispositionibus in coctione lapidis, sed ad literam nõ sunt intelligendi. Illud turpe, nigrum, fœculentum, quid aliud sit q̃ Nigredo in putrefactione? Non separatur hæc à lapide, sed vi ignis interni per externum adiuta Philosophice mutatur in albedinem, indeq; in rubedinem cœlestem, idq; fit non in tribus tantum operibus, sed & in multiplicatione lapidis. Aliquando feces appellant lapidem primi operis coagulatum, &c. sed hæ exaltantur secundo, & tertio vt nobilis euadant essentia. Quæ in cæteris putrefactionibus, digestionibusq; aliarum quoq; rerum fiunt, ex simili intelliguntur, quãquam non vbiuis possimus omnia habere paria. Sed videamus de ignis proprietatibus.

Pontani excusatio.

De proiectionibus habebis lucidiora in Monadib.

Inepta Palmarii ad omnia Chymica applicatio lapidis.

Maturatiuã saporum mutatio per circulationes, &c.

(a) *Nisi quid dissipetur, vt videre est in experimento Barnaudi, in quo aliquid de mole decessit. Alii videntur requirere pura metalla & prius repurgata: sed aliud docent experimenta conthonii, &c.*

Capvt X.

De proprietatibus Ignis instrumentalis apud Pontanum.

IGnem Pontani nõn esse lapidem, sed eius perficiendi instrumentum, in præcedentibus est dictũ. Deinde aliud quiddã esse à materia, ipse disertis verbis exponit, cum agentem quandam caussam in materia esse indicat, & circa finem Epistolæ ait: *Ignis non transmutatur cum materia, quia nõ est de materia*, vt supra dixi. 3. Ignis non cõburit materiam: 4. nihil de materia separat, nec partes impuras à puris, ꝙ oẽs philosophi dicunt: 5. Torũ subiectum conuertit in puritatem: 6. Non sublimat eo modo, quo Geber, & Arnoldus de suis sublimationib. & destillationib. loquuntur. 7. Est mineralis. 8. Est æqualis. 9. Cõtinuus. 10. nõ vaporat nisi nimiũ excitetur. 11. de sulphure participat. 12. aliũde sumitur q̃ à materia. 13. omnia diruit: soluit, & cõgelat: cõgelat similiter & calcinat, 14. Est artificialis ad inueniendum.

Ignis Pontani immaterialis.

15. Est compendium cum paruo saltem sumtum. 16. Est cum medioeri ignitione: quia cum remisso igne totum opus perficitur: Simulque omnes debitas sublimationes facit. 17. Ex Gebro non sed per solam profundam cogitationem reperitur, cumq; est inuentus, tum tandem in libris animaduertitur. 18. Hoc proprium agens non posuerunt Philosophi excepto vno Artephio, qui tamen quasi perfunctiore de ipso loquitur. 19. Declaratur vltimo ille ignis operatione in praxi, quam his verbis tradit:

Practica operatio ignis.

Sumatur (materia) & diligentissime contritione physica teratur: Ad ignem cuius proportio
» sciatur, dimittatur. Est autem proportio vt ignis (externus) tantum excitet materiam: Et breui tem-
» pore ignis ille, absque ALIA manuum appositione certe totum opus complebit: QVIA: putrefaci-
» et: corrumpet: generabit: & perficiet: Tres faciet apparere colores principales, Nigrum, Album, &
» Rubeum. 20. Mediante igne nostro multiplicabitur medicina, si cum CRVDA coniungetur MA-
» TERIA: non solum in quantitate; sed & in virtute. 2. Ignis totis viribus est inquirendus quia totum
» facit opus, & est clauis omnium philosophorum nunquam reuelata.

Vide de his Riplaeum in monade nostra sexta.

Hæc de Igne. Si viueret Palmarius, interrogaremus eum, num iste quem fingit Ignis, qui sapores mutat, & ex pharmacis facit alimenta, qui sublimatum, arsenicum, Realgar, Sandaracam Græcorum, &c. transformat in res saluberrimas, istiusmodi habeat proprietates, & num in omnib. medicinis præparandis ista sint obseruāda & appareant quæ in sua praxi ponit Pontanus? Sed proculdubio rubore perfusus agnosceret suam temeritatem, fatereturque singularia multa euenire in lapidis artificio, quæ ad res cæteras non possent transferri, quanquam in aliquibus analogia quædam esset. Ad rem quod spectat, qui non potest ex Pontani verbis artem colligere, is desperet de lucidiore admonitione, nisi fortasse obiter quid audiat. Nos scimus quanquam aperte dixerimus multa, tamen nos ab insipientibus irrisos esse, qui non crediderunt nec credunt nostra esse vera, quia non congruunt ad præconcepta opinionum portenta, & vt Sedinvogius monet longe subtilius quid quærunt in libris Philosophorum, quam illis vnquam vel in febri, aut somno in mentem venit, quomodo SVCTEN ille, Palmarii Deus, de suis speculationibus & homine mentali nugatur.

Vide Sedinuogium qui idem sibi accidisse scribit.

Pontanus indicat duplicem esse ignem Philosophicum; vnum externum excitantem, qui etiam materiæ sic debeat esse analogus, vt tantum eum exuscitet. At quid materiam? Imo internum in materia cubantem ignem, qui est totius operis artifex, qui cum sit in materia, non tamen est de materia, sed aliunde ingressus est. Materia vero alia est CRVDA, quæ locum habet in multiplicatione: alia cocta & præparata, in quam dum præparatur Sulphur nostrum, vitriolum nostrum, æs nostrum, aurum, & ignis artificiose est inductus duplici ratione, naturali, & artificiali, de qua si nos alibi diserte docentes non intellexisti, ne expectes manifestiorem nunc declarationem. Accusationes vero Palmarii vesani prorsus contemne. Sunt enim hominis rabiosi, qui dementer per mare & cœlum Philosophorum vagatur, & nescit quid astruat, aut destruat. In Sedinuogii de lapide Philosophorum tractatu de secunda ratione ignis nostri præclara multa inuenies: in libro lucis Rupescissæ, &c. de prima. Plus non ausimus dicere, ne à stultis irrideamur. Pontanus ignem quærit transmutationis materiæ causa. Si intelligimus transmutationem eam, qua ex imperfecto fit perfectum: Instrumentalis ignis est, qui mutationes in materia peragit, vt qui in humidum agens, nigredinem efficit, quod fit in putrefactione seu solutione: In siccum vero, primo albedinem, inde citrinitatem, & rubedinem, idque repetito pluribus operibus. Sin alteram transmutationem, qua per lapidem, Elixyr, tincturam, &c. fit medicina, aut metallum perfectum: Iterum ignis intelligitur, sed actione primi in perfecto lapide productus; vnde & transmutatorius dicitur, & ignis lapis; sicut ille ignis Mercurius, & Sol.

Lapis ignis.

Non comburit materiam combustione destructiua. Itaque cum Philosophi vtuntur illo verbo, sciendum est metaphorice eos loqui: quia niger puluis similis est combustæ materiæ, vt carboni. Sed ignis actio in Mercurio eum talem reddidit, dum volatile fecit, separauitque fixum.

Nigredo.

Nihil separat de materia, scilicet eo modo, quo in chymia pharmaceutica impuritates segregantur, aut quomodo in præparatione istius ignis & materię superfluitates sunt abiectæ: Alia vero est separatio subtilis à spisso, quæ est arcana: Est separatio Elementorum, verū non materialis, sed spiritualis, & mystica. Sic separatur anima à corpore, eidemque redditur.

Separatio mystica.

Sublimatio.

Tota materia per coctionem vertitur in lapidem purissimum, si quidem iam fuit studiose pręparata. Non sublimat quomodo fit argentum viuum sublimatum ex cucurbita in alembicum: sed solutum sulphur sua leuitate, vel potius natura siccitatis ex humido emergit ad superficiem: Deinde est alia sublimatio qua crebris operum repetitionibus, & fermentationibus subinde fit nobilior, sublimiorque virtus. Sublimantur & Spiritus animam ex corpore extractam secum eleuantes, & reddentes ipsi, &c. Est mineralis ignis: non vegetabilis, aut animalis, quanquam parabolici philosophi aliquando etiam sic nominent. Ideo vero mineralis est quia in mineris terræ nascitur, & elicitur arte ex his in quibus est, nempe salibus, & Mercurio. Æqualis est; continuus est, &c. Hæc de interno igni item possunt accipi: Veruntamen hoc modo, vt graduetur. Nam in principio cum opus frigidum & humidum est, non est actu validus: sed tandem tamen emergit. Externus vero omnino debet continuari sine tædio, licet longo tempore vsque ad albeginem fixam. Tunc intenditur, & in rubedine etiam quartum gradum assequitur. Nisi id facias, rubedo anteuertit tempus suum, & opus perit. Non vaporat nisi nimium excitetur: quod de igni interno in Mercurio suo volatili intelligendum est. Vaporat enim aqueum cum ab externo igni resoluitur. Hinc discis ignem illum esse in mercuriali substantia ex natura sumpta, quale quid fit cum aurum philosophorum in Elixyre per spiritum resoluto soluitur in mercurium, qui dicitur aqua permanens. Si in huius actione gradum debitum externi caloris haberes, non transire? Si lituosi, qui per acediam administratur, velles transire, non vnires, sed dissipares, alterumque ab altero separates, quod non est committendum. Participiat de sulphure: non certe vulgari; sed cocto metallico, quod natura in mineris terræ creauit. Collige hinc illum ignem materialiter consideratum ex substantia mercuriali, & solari esse, vnde qualitatibus suis sulphuri respondet. Hinc euenit postea,

Vaporans: de quo habes explicatiora in monadibus.

Interni ignis tanta vis est, vt nisi aqua refrigeraretur, incenderet omnia.

Cauendum quoq; ne gradus externi sit iusto maior.

vt cum aliqua perfectus est, & in Elixyr album, vel rubeum mutatus, etiam sulphur album aut rubeum appelletur. Sed vtrumque tamen nondum est perfectum. Participiat & alio modo sulphur, quod ei in prima præparatione iungitur ita vt sit inuisibile, latireque in ventre venti seu spiritualis mercurii in glaciem crystallinam addensati artificiose. Vtrumque est essentiale, & incombustibile, Hinc sumitur verum sulphur vitrioli Hermeticorum. Aliunde sumitur quam ex materia. Atqui vt Galenochymicus cantat: *Est in mercurio quicquid quærunt sapientes.* Nullo (*a*) indiget extraneo. Habet Mercurius sapientum in se omnem vim suorum bonorum, vt cernere est in reuiuificatione post fermentationem. Qui ergo dicit Pōtanus aliunde esse? Verum in hoc est mysterium. Autor vult eius inuentionem esse artificialem. Puta ergo ipsum velle materiam ex natura sumi, sed ignem artificiosa operatione produci, quanquam & ipse radicem in natura habeat. Vt ignis flammeus in materia lignea, vel simili viget & incrementum capit licet aliunde, vt à sole affrictu, motu, &c. exotiatur: Ita in auri semine & materia nostra ignis noster est, licet artificiali modo per chalybem nostrum exortus: vt & cum duæ aquæ causticæ confunduntur. Omnia diruit: nempe compagem materiæ soluit aurũque sic destruit, vt reduci nequeat. Soluit & Elixyr: soluit fixam intus partem, facitq; volatilem; & ex vno facit duo: ex duobus vnum. Palmarius forte istud OMNIA etiam ad res extra lapidem transtulit, vnde postea figmenta illa de vi ignis naturæ: Sed Pontani contemplatio non excedit subiectum artis in quo plures dispositiones plura faciunt concreta, quæ per putrefactionem sunt diruenda. Destruitur compactum: Soluitur coagulatum: aurum formatum amittit colorem, & formam suam: accidentia quoq; mutantur. Sed non soluit tantum, verum etiam coagulat: rñ industria opus est. Soluit in humore abundante: coagulat in analog, ita vt quod prius erat aqua, postea fiat calix, terra, Elixyr siccum, &c. Omnia peragit internus calor, adiutus proportionali gradu externi. Dicitur & calcinare. Nam terra illa quę ex coagulato mercurio fit calx alba dicitur in Elixyre albo, rubra in rubro. Hæc est præcipitatio sine menstruo: tantum per actionem caloris interni in mercurio, verum vt dictum est non sine externo. Nō est calcinatio illa Palmariana quam fingit: sed mystica: quanquã ab igni fiat calcinante, q̃ dum negat Palmarius, & eo nomine Libauium irridet, non animaduertit se Pontano obloqui. Quasi nullus ignis calcinans esset p̃ter calcariorum, reuerberiiq; cōis, aut cæmentatorium, vel causticum corrosiuum p aquas fortes & regias, &c. Est artificialis inuentione, idq; sine sumtu magno per quoddã compendium. Hoc cuiusmodi sit, non quis diuinauerit. Philosophi p̃cipiunt vt ignem istum ex mineris naturæ petas, abiecta dualitate, & seruata vnitate. Quærunt eum in mercurio iuxta axioma sapientum. Quærunt in auro, argento, antimonio nigro, albo, plumbo, &c. In auro quidem inuenitur, sed non in principio in eo quæritur. In argento viuo compendium est, & facilitas extractionis, siue per sublimationem, siue destillationem qua media tantum pars retinetur. Ante dictum est potentiale sulphur, & ignem auri principio inclusum inuentum esse arte per solutionem Philosophicam, & effectis cognitum. Paracelso attribuitur Lilii inuentio compendiosa, vti & sanguinis Leonis rubei, aquilæque albæ glutinis per mutationem corporum in quintam essentiam, vt fiant astra; quæ postea coniuncta debito modo ignem istum concipiunt, quale quid fieri vides cum metalla aquis acutis immerguntur, aut regia & tartari liquor confunduntur, aut in calce solis & martis antimonio adhibito: vnde tantus ignis concitatur vt etiam fulminet. Quando semen maris & fœminæ in materiæ coniunguntur, congressu mutuo item exoritur calor, sed blãdus, naturæq; consentaneus, quasi ad chalybem attrito silice flammam eliceres. Cogitandum de hoc amplius est. Neque n. omnia licet dicere. Ignis ille est cum mediocri cognitione. Quippe quia est naturalis. Ideo per se temperiem habet. Deinde eius exuscitatio per calorem externum in prima coagulatione itẽ debet esse mediocris. Excessus enim noxius est. Ideo dicit Pontanus, quia totum opus perficitur (intus & foris) cum igni remisso, scilic. vsque ad fixionem. Idem ignis peragit omnes debitas sublimationes, quæ sunt, sine distantia & diuortio partium, interioris in conspectum productiones, & deinde exaltationes; quomodo & insitus calor prouocatus ab externo temporis fruges paulatim perficit, & exaltat, multiplicatque, quod nunquam fieret si innatum calidum deesset. Se hunc calorem non inuenisti, non potes lapidem philosophorum perficere. Vt autem inuenias, cogitare de naturæ primordiis debes, bonusq; physicus esse, & postea sapientum libros consulere Artephius Magus quid scripserit, summatim recitat Cardanus lib. 16. varietatis. Lapidem philosophorum his explicat: Lapis non fit combustilis, nec ex combustilibus compositus, cuius operatio est facilis SI ALTA ASCENDERA poteris. Accipies enim Leonem viridem, fumum album, & aquam fœtidam. Deinde solue: fac calcem: Fige: Liqua: sublima: donec seruus rubicundus fuerit cum candida vxore. Nam cum calx facta est, albescit. Cum sublimatum euolat, opus perfectum est Hactenus Artephius. Putamus illarum rerum, quas opere ad eandem naturam mercurialem & aquam fœtidam redigere, materias sublimando sic esse elaborandas; vt incombustile sulphur & Mercurium inter se homogene ẽ vnita contineant, & in liquorem fœtentem mutentur (Leo viridis est primum, inde fit fumus albus albedine crystallina per sublimationem: Hoc secundum: Tertium est liquor ex fumo elicitus.) Fœtentem liquorem putrefac, solue, & coagula, repetitoque opere calcem albam; quæ est Elixyr, produc. Hæc fige per corpus album, vel rubeum. Solue, coagula. Sic habes lapidem. sed qui exaltandus est repetitione, vt sulphur rubeum emersit ex candido, vel album transmutatum in rubeam tincturam, sub qua latitare albedinem indicat repetita resolutio, & coagulatio. Nam lapis est rubeus actu, si est solificus: at potentia etiam albus, si reuocetur ad mercurium per resolutionem. Sed hæc poteris aliorum philosophorum commentariis dilucidius explicare. Non negamus etiam aliter exponi posse dicta. (*b*) Verum in præsens sequi ordinem artis voluimus. Sic etiam Pontanus in practica loquitur. Sume liquorem mercurialem, qui in se suum sulphur & ignem habet absconditum. Contere physice,

Sulphur album & rubeum Philos.

Sulphur vitrioli verum.

Præcipitatio mercurii sine vllo mẽstruo de qua inuenies infra multa, etiã ex Quercetano & Crollio: & in mõnadibus de calcinatione mystica per ignẽ natura. Ignis inuẽtio artificialis.

Ars Artephii vel potius morieni.

Leo viridis est prima mistura materiarum crudarum ex quib. extrahitur semen argẽti viui cũ sulphure vitriolato proportionato: Aliue vitriolum Romanum. Sed vide in sequẽtibus ex Ripleo, &c.

fice, id est, putrefaciendo solue lenissimo igne; in quo si permaneat, exiccatur rursum & coagulatur, sed non humido, verum sicco calore: qui tantum excitet materiam, & latitantem ignem ex potentia in actum euocet. Inde sequentur illa quæ ponit Pontanus: cumque fermentum & anima immissa est in corpus Elixyris mediante spiritu, solutio Eclipsin solis & lunæ exhibebit, seu nigredinem: coagulatio producet caudam pauonis: quam sequetur vera albedo, & tandem rubedo, quæ est mystica elementorum destillatio & successio. Augetur & multiplicatur medicina si eam argento viuo soluas, iterumque coagules: deinde denuo fermentes, & exaltes: quod potes sæpius repetere, vt subtilissimus fiat lapis. Hæc omnia copiose illustrauimus in analysi Sediuogii, & aliis monadibus Hermeticis, de quibus infra.

Hæc de Pontani Igne & praxi, quæ sola Alchymia digna iudicauit Palmatius, solaque in cæteris quoque imitatione exprimenda: quo intermisso omnia ridet, & spuria iudicat, quanquam facere non possit quin etiam olea, aquas, sales, extracta chymice parata laudet: sed vt Libanium eo crudelius lacerare possit aliquando Pharmaciæ tribuit, non passus Mesuen Alchymiam professum esse, qui tamen eam nominat, operaque sua elaborata sapientum magisterio perfecto asscribit, vt & Bulcasis, Auicenna, alique Arabes, quorum sententiam secuti sunt, & approbarunt per totam Europam excellentissimi medici.

Mesues negatur Alchymiam professus esse.

(a) *Duplex est sulphur hoc & venter quoque venti. Primum est in spirituali argento viuo sublimato: secundum in fermentatione, vbi internus ignis ab externo suscitatus spiritum ex resolutis corporibus & aqua procreat, in cuius ventre, seu interiore complexu auri sulphur, tinctura, & anima latet, quod proprie est illud Hermetis: Portauit illud ventus in ventre suo.*

(b) *Veluti lapis debet esse compositus si ex duobus, & alia ratione tribus, alia quatuor. 2. Nullum istorum sit combustile: nec sulphur, nec Mercurius. Id vides in aqua nostra ex sublimato: vides & in auro eiusque semine. 3. Operatio seu confectio est facilis, nempe in fermentatione & sequentibus. 4. Si alta poteris ascendere, siquidem ad fermentationem possu per præparationes antecedentes & alterationem elementorum vt ad quinta essentia sublimitatem ascendatur. 5. In compositione sunt leo viridis, aqua scilicet nostra, qua fœtida fit in putrefactione, donec exaltetur, &c. Verum terminorum expositio potest esse multiplex. Si de fermentatione accipis, in rubro opere capere debes rubeum elixyr, menstruum nostrum & aurum, &c.*

Capvt XI.

De igni Alexandri a Sucten.

Palmatius in cura mulieris, quæ turpissimo Neapolitano speciem Elephanticam cõtraxerat, præter aurum potabile exuberatum, adhiber etiam Alexandri Suctenii antimonium non vulgare, quanquam adeo non voluit esse Paracelsicus, vt pancę pagellæ Paracelsi insectarione, & Libanii, quẽ Paracelsicum facit, sint vacuæ. Quo modo vero illud sit præparatum, in fine cap. 23. pagin. 126. haud obscure innuit, cum ignis eiusdem facit mentionem. O Sucten (inquit, cum in Libauii correctiones

Sucten.

» magistrales Stibii, Realgaris, Arsenici, &c. debacchatur) quantum falleris, cum tvo Igne Solem
» Lvnæ iungis sine iactura, dum momento Lvnam Philosophicam facis ex Antimonio tuo, vt sit verum magisterium? Disce ex Libauio deuaporandum esse sulphur, &c. Hæc ille: Qui vult legat secundum librum Suctenii anno 1604. à Iohãne Tholden editum. Habet quidem iste Sucten etiam alios ignes, qualis est vegetabilis ex Tartaro extractus, & in liquorem resolutus, sed quem in Antimonio esse dicunt, quia aurum purgat, & corporis humani morbos tanquam ignis consumit (vide præfationem Tholdenii in Suctenii tractatus) vnde miracula medica peragere creditur.

Ignis vegetabilis Tartari.
Ignis vegetabilis & sulphur etiam spiritus vini ardens vocatur.

Processus summa hæc est. Clauorum scandulariorum (quibus ligneæ scandulæ tectis affigũtur) vel lamellarum ex ferreis thoracibus aut galeis, &c. triens conicitur in catinum satis amplum, suppositoque igni excandescere cogitur donec mollescat. Tunc submittitur Stibii contritibes, seu marca, & vtrumque feruore ignis funditur. Cum fluit, iniicitur manipulus halinitri, sinitutq; deflagrare, cauendo nec dum feruescit, exundet. Totum cum fusum, beneque mistum est, effunditur pro regulo, vt est artis. Scoriæ (Plachmalium aliis) decussæ seruantur, vtpote vim medicam continentes (oleum Martis ex eis faciunt solutione per deliquium, item aurum medicum, & alia) Regulus in crusibulum relatus denuo liquatur: Liquato additur sescuntia stibii crudi. Funduntur: Fluentibus iniicitur manipulus halinitri. Cum deferbuit, beneque fusum est, pro regulo effunditur in conum cũ pulsatione solẽni. Secũdus iste regulus liquatur tertio, & purgatur submisso cochleati halinitri. Magno igne vrgetur vt butyri instar in catino natet. Tandẽ pro regulo effunditur. Scoriæ posteriores tanquã inutiles abiiciuntur. Tertius regulus quarto eliquatur, & addito halinitro cum optime fluit, effunditur. Scoriæ innatant aureæ: sed subest stella caput artis. De his iudicat Suctenius, quod stibium Martis animam attraxerit & in Mercvrivm Qui mervs sit Ignis reduxerit. Ignis dicitur ab operatione ignea. Stella continet etiam Mercurium Martis, in quo aurum, & sol Philosophorum antimonii: Seu in stella est sulphur vrens, quo separato, prima materia seu primum Ens antimonii, hoc est, merus ignis relinquitur, qui nihil aliud est quam Mercurius creatus ex maximo totius naturæ arcano. Separatio fieri nequit sine argento viuo populari per formam amalgamatis: sed argentum viuum non recipit antimonii stellam sine argento in quod dum ingreditur hydrargyrus, seu potius quod cum ab hydrargyro recipitur, euenit vt simul stella intret. Hoc autẽ simul est mortuum Mercurium stibii per argentum actu viuum viuificare. Ita ergo agendum est. Stellam pulueratam

Suctenii processus ad ignẽ natura.
Regulus Sucten.
Stella antimonii Mercurius stibii per ferrum informatus seu impragnatus est ignis.

ratam proiice super purum argentum in catino candefactum, statimq; liquescent. Cum fusus liquor instat argenti viui resplendet, effunde in canalem vt digitus fiat, seu bacillus plumbei coloris. Argẽrum fere duplum est ad stellam, vt vnica vna misceatur semuncia stellæ puluerata. Digiti seu bacilli in puluerem sunt conterendi, & super argentum viuum in cucurbitula, vel phiola contentum vnciarum quatuor, aut quinq; (si argenti fuit vncia, stellæ semuncia) proiiciendi. Agitata, probeq; versata phiola in balneum infertur per horas XXIV. Interim commiscebuntur. Postea effunde super porphyriten, & impigre contere, contemperaq; vt exacta fiat pulticula colore rubro. Hæc euomet stibii regulum specie nigra. Sulphur comburens vocant, quanquã Suctenius tradat in regulum per colliquationem reduci. Transfer in patinam ligneam cum pura aqua. Ablue nigritiem crebro mutata aqua & pistillo sedulo versa, donec albescat amalgama. Id exicca, & iterum pone ad putrefactionem. Cum nigredo exiit, denuo ablue, & sic procede donec nulla appareat nigrities, semper interposita digestione balnei per noctem. Nigrum n. sulphur per quietem in patina sidit, & decapulata aqua colligitur. Citius decedit nigredo de amalgamate si id sale frices. Tandem separa argentum viuum destillatione per retortam. Si bene egisti, restabit argentum album: si reliquisti aliquid sulphuris, plumbeum erit: Et tunc denuo debes amalgamare, putrefacere, & abluere vt prius dictum est. Argentum viuum lõge viuidius est vulgari Dicitur mercurius Antimonii, Martis & vulgi. Sol est cum Marte. Ille est IGNIS Suctenianus. Mercurius martis facit mercurium antimonii ignem.

Mercurius Martis in mercurio stibii est aurũ.

Hydrargyrus ex metallis elicit mercurium, si prius stibis mercurio est impragnatus.

Aurum potabile.

Argentum in aurum.

Vocatur aurum volatile, quod separari dicitur & manere cum Luna. Nam si amalgama diuaporetur, luna aurea manere perhibetur. Hydrargus vulgi per se negatur ex metallis separare mercurium: Eam vero vim accipit, si prius stibii mercurio exacuitur modo prædicto. Si ergo velis ex auro, argento, ære, &c. argentum viuum elicere, vult Suctenius isto artificio vtendum esse. Separat enim argentum viuum vulgi elementa: & Sulphur, argentumque viuum ex istis elicit. Si intelligitis (inquit) quis vel quid sit ignis purgans antimonium vulgi, etiam intelligetis quid sit ignis purgans antimonium magicum, idque digerens: seu quid sit AVRVM PHILOSOPHORVM, aurum potabile appellatum, quod in fine à mercurio Philosophorum separatur (purgatur autem stibium vulgare per ferrum: Ergo essentia eius purificabitur per spiritum martis, seu mercurium qui cum sit coniunctus cum mercurio vulgi, & stibii, tamen non radicaliter commissus esse scribitur, quia in fine separetur.

Pergit Sucten, docetque Lunam seu argentum à mercurio Martis tingi in aurum, quanquam subtili ingenio, non autem constans, seu fixum: mox ait quod mercurius martis figatur in verum aurum: & Mercurius antimonii ab aliis metallis in ipsorum naturam transmutetur, neque possibile sit ex venere solem, aut ex plumbo & stanno argentum facere: Item mercurius vulgi nequeat arte coagulari: Mercurius vero metallorum, quia prius fuit coagulatus, possit, quanquam non omnis, sed tãtum Martis, in quo sit vltima fixionis natura. Ideo reprehendit eos qui de transmutatione metallorum scribunt, negatque Alchymiam secundum literam intelligendam esse. Fingit enim longe alia metalla sapientum quam naturalia, qua de re alibi. Vnica hora ex plumbo elicere mercurium posse autumat; ex stanno vix bimestri. De mercurio veneris disserit copiosius, monstraturus aurum in eo quod ex marte traductum sit. Supra enim dixerat tres mercurios vna esse, Hydrargyrum, mercurium stibii, & ferri in quo aurea tinctura: (mirum cur non & Lunæ, cum tamen per istum argentum sit dissolutum.) Tinctura ista seu mercurius martis iam docetur à cæteris duobus beneficio æris separari posse. Praxis hæc est: Vitrioli Vngarici selecti libræ duæ aqua communi solutæ iniecto dimidio manipulo squamarum, seu lamellarum ferri per horæ medium quadrantem (octauam horæ partem) coquantur. Tunc adde mercurium ex Lunæ malagmate per destillationem, de qua supra, extractum. Ferrum ex vitriolo elicuit cuprum. (Nam etiam ex aquis fortibus in quibus moneta ærea soluta est, per ferrum educitur cuprum.)

Mercurius martis solus coagulabilis.

Transmutatio negata à Sucten.

Metalla sapientum.

Quomodo sulphur & argentum viuũ ex cupro separetur.

Ferrum æs allicit.

Id autem assumitur ab hydrargyro: (Ferrum diuersum aquis acutis recipitur ab argento viuo, id quod prius sordes impediebant.) Factum amalgama abluitur, separanturque squamæ ferreæ omnes. Inde exiccatum, inclusumque phiolæ in balneo detinetur per octiduum, & efflorescit ex eo griseum quid ex nigro. Hoc separatur ablutione ex aqua pura, & seponitur. Amalgama reponitur ad putrefactionem priorem, cumque denuo emersit sulphur, abluitur iterum, idemque repetitur tertio, aut tam sæpe donec totum sulphur est extractum, & purus mercurius superest. Sed potest saltem ter redimendi temporis caussa fieri. Tunc per destillationem ex vitro in receptaculum aqua plenum abstrahatur mercurius à venere, sicut supra fiebat in amalgamate lunæ. Ita habes sulphur veneris, & mercurium eiusdem seorsim.

Transmutationes hydrargyri.

Sol martis.

Is mercurius prius erat vulgaris; postea fiebat Antimonii & martis, nunc per cuprum transmutatus est in mercurium veneris, cuius præcipitatum Suctenius putat venenum esse in medicina, sed alii in peste tanquam summum arcanum prædicant. Sol martis adhuc est in isto mercurio. Vt ergo separetur, Luna addenda est, cuius frigiditate coagulatur perpetua, & fixa auri coagulatione. Cape argenti omnis auri expertis partem vnam, & quatuor istius mercurii. Fiat amalgama, nempe Luna redacta in calcem per aquam fortem, ex qua per cuprum segregatur, & deinde calce ista cum argento viuo veneris in marmore cõmista subactaque. Amalgama album diligenter includitur Phiolæ, & in balneo bulliente horis 24. maceratur.

Anima martis qua per tot amalgamationes & putrefactiones dicitur in hydrargyro restitisse.

Aurum ex marte.

Mercurius stibii.

Expuit nigritiẽ, quæ dicitur anima martis (si credere volumus) & ablutione separanda est. Vocatur & aurum cum fecibus sulphuris ex mercurio veneris segregatis colore viridi. Nam per argentum coagulantur in mercurio veneris in quo spiritualiter inerant. Coagulati expuuntur vna cum nigritie ferri, seu anima, & sole martis: quippe creditur aurum ex ferro extractũ esse q̃uis maiore sumtu, quam ad æstimationem pretii auri. Tantum de his. Ad ignẽ antimonii quod attinet, dicitur in eo esse medicina: Et nõ in mercurio eius. (Aliud ergo stibii mercurius, aliud ignis) Mercurius est aqua,

Mercurius Philosopho-rum. Sex metalla ex stibii regulo. Plumbum ex stibio. Cuprum ex Regulo. Ferrum in stibium. Auri Sophi-stici redargu tio.

quæ ignem morbificum in homine extinguit. Per ignem antimonii coquuntur essentię metallorum, vt coctæ inseruiant medicinæ. Medicina quæ paratur per ignem Antimonii dicitur Mercurius philosophorum. (Intellige cum aurum amalgamatur cum mercurio isto stibiato, & putrefactio instituitur vt supra; tunc sulphur auri emergit colore nigro; In mercurio vero restat eius mercurius, &c.) Ex Regulo antimonii omnia metalla possunt fieri, sustinentia examen suum, ratione coloris, fusionis, malleationis, fulminationis, stibii. Plumbum ex eo paulo durius est natiuo. Sed quod ex stibio crudo nec loto fit, non ita durum est. Stannum candidissimum est, & facile fit ex stibio. Regulos fusus cum cupro cito fit cuprum: Ita & ferrum: Sicut rursus ex ferro facilis est in stibium transitus. De argento & auro narrat sophismata, quæ apud ipsum lege: Estq; notādum, quod aurum sophisticatum per tot examina valida actum tandem redargutum fuit mercurio stibii, qui iunctus auro sophistico isti, & in putrefactione detentus volatilis maxime euasit, & secum abstulit additamenta, relicto auro natiuo. Accusat ignorantiæ eos qui putant se posse mercurios metallorum facere sine argento viuo, &c. Hęc placuit ex illo Suctenio transscribere.

CAPVT XII.

Iudicium de illis Suctenianis, & collatio cum Palmeriana allegatione.

Aurum medicum & magicum Suctenii.

Ignis antimonii digestiuus mercurii metallorū. Ignem ex stibio elicere. Sulph. metallicum ferri Coctiuus mercurii stibii. Sulphur martis.

APparet Suctenium istum opinione suorum temporum deceptum omnia antimonio tribuisse, & secutum formulam magni magisterii sapientum mirificas amalgamationes instituisse, quibus tandem nonnihil inuenit, sed quod sublimitatem tincturæ veræ neutiquam attingeret: imo tota sua spe deiectum transformasse legitimum magisterium, quod est principaliter Physicum, & artis opera adiuuante ad perfectionem perductum, in medicum, & magicum, fingendo aliud aurum & cætera quam quæ natura dedit, & ars vera imitando naturam spectauit. Ideo & suo quodam more perplexe satis philosophatur, neque facile est apparentes contradictiones explicare. Compendio dicimus, exculpi ex tractatu eius aphorismum hunc: *Antimonium natiuum in se habet IGNEM quendam, quo extractæ metallorum essentiæ mercuriales ad medicinam cruda, digeruntur, itaq; apparantur, vt euadant astra seu planetæ microcosmi morbis sanandis apti.* Vt eliciatur ignis iste purgatorius, assumendum est ferrum. In hoc enim est sulphur metallicum, quo stibii mercurius penetratur, coquitur & purgatur, quodque in mercurium simul transmutatur, vt iam sint non vnus, sed duo mercurii, & duo sulphura, quæ latitant in corpore stellæ antimonii. Sulphur a stibii separatur facta pulticula ex argento viuo vulgi, & massa ex regulo & argento natiuo puro puto. Potest reduci in regulum si quis velit forma pulueris nigri ex amalgamate separare, diuaporare, & candefactum fundere. Sed mercurius ab argento per distillationem ex retorta in aquam frigidam segregatur. In hoc mercurio restat sulphur martis inuisibili specie. Vocatur anima ferri (martis) Aurum, sulphur martis: Spiritus martis, quando scilicet est in sua volatilitate: Mercurius martis (quia latitat sub forma mercurii, cum per se sit sulphur.) Ignis: &c. volatilis est essentia dum est in mercurio. Vt coagulata separari possit, assumendum putat spiritum salis ex cupro, & argentum natiuum. Ille separati huius frigiditas congelat, vt expuatur à mercuriali malagmate forma corporea, tuncq; dicitur verum aurum. Spiritus salis veneris nec sulphur dicitur nec mercurius, sed medium quod vtrumq; continet, quasi anima & vinculum partes essentiales integrando totum constituens. Mira vero arte id effectum reddit. Soluit Vngaricum chalcanthum in quo esse seminalem vim veneris & animam nouimus aqua elementari. In solutionem inicit ferri squamas, vel bracteas fractas. Bene agitat: Addit mercurium cum quo pridem amalgauerat argentum & regulū stibii mista. Hoc argentum viuū aliqua trāsmutatas in cuprū lamellas assumit. Quod nō est trāsmutatum, id separatur lotione, donec purus mercurius relinquatur. Hūc putrefaciēdo cogit expuere ramēta, q̄ partim ex vitriolo, partim ex ferro in ęs mutato assumsit. Vocat sulphur veneris, licet poterat & vitrioli dici. Segregato illo sulphure, relinquitur mercurius, q. iā ex marte, antimonio, Luna, venere compactum quid habet. Nam stibii essentia omnibus metallis est familiaris, & veluti ambigit. In hoc mercurio creditur latitare aurum martis. Vt segregetur, amalgama facit ex argento, & illo hydrargyro. Hoc putrefacit. Nigriticem emergentem colligit: collectam venditat pro AVRO. Si credere libet, sit sane aurum ex ferro collectum & non potius ex chalcantho ære, argento. Nihil interest apud Paracelsicos. Nominant sua vt volunt: operantur etiam vt volunt. Mercurio vero porro vtitur ad cætera quoq; metalla. Si enim libet auri animam elicere: fit malagma ex eo, & auro. (fit autem propius & facilius ex calce, quam ex integris.) Putrefit; Nigredo exiens colligitur; diuaporatur, vt puluis ruber maneat, quem possis in vitrum liquare. Similis ars est argenti, cumq; crudissimus, & volaticissimus dicatur mercurius antimonii, tamen digestiuam & coagulatiuam vim habere perhibetur, donatque alteri quod ipse non habet. Hinc fit vt neget Sucten aliorum metallorum mercurios per stibiarium illum factos coagulari posse: Martialem vero posse, quia eximia vis fixatiua sit in illo. Lunam in solem non alio modo mutat, quam volatica tinctura ex mercurio stibii, qui simul est martis. Iam videamus Palmariana. Visus est Paracelsicus iste Sucten dignus autor qui opponeretur Libauio, qui licet autoritate, & scientia grauissimos attulerit autores, tamen cum ipsis contemnitur, quasi Sucten Alchymiam veram sciuerit, Libauius cum suis autoribus falsam. *O Sucten quantum falleris*, inquit, sarcastice. Et fallitur inquam. Nam nullo ordine naturali, nec vlla ratione constat eius praxis

Verum aurū Suctenii. Spiritus salis qui.

Sulphur Veneris.

Paracelsici nominum domini. Auri animā elicere.

Sucten Paracelsista inepte de metallis nugatus authoribus Libauianis præfertur.

praxis: prætereaq; quæ fabricat in illa, pro arbitratu iudicat. *Cum tuo* (ita pergit) *IGNE solem lunæ iūgis:* Delitat miser. Ignis iste non est medium cōiunctionis vtriusq;: sed argenti calx volatica quadam auri tinctura inficitur, vt resplēdeat instar auri. At nec aurum est, nec sol verus, qui ex auro naturæ est extrahēdus. Ista tinctura & sol est, & ignis, sicut cū in mercurio erat, fuerat sulphur & mercurius, &c. inquit Suchten. Perge censor acute: *Sine iactura:* Quid? *sine iactura?* Quantum q̄so decessit antequā fieret stella? Quantū euanuit tot amalgamationib. p̄sertim cū scribat, illud aurū, & ignē in mercuriali fore ma esse lōge volaticissimum, idq; probauit in examine auri sophistici p illum mercurium. Iacturam a.in sumtib. tm̄ esse fatetur, vt aurum tandem segregatum minime compenset impensam. Rursus: *Dū momento lunā philosophicam facis ex antimonio tuo.* Mentiri scil. ipsum fecit imperitia, & q Suchten suum nō intellexit. Luna Philosophica Suctenii nihil est aliud quā medicina lunaris, ex argento cum mercurio stibii amalgamato, & putrefacto. Ita n. putat argenti mercuriū digeri p ignē, qui est in stibii mercurio, ppter martē. At ista mutatio nō fit momento. Eduardus Kellæus teste Penoto, & Nicol. Maio Pragæ, & Rhudolphopoli in Thuringia momēto separauit ex auro mercuriū & sulphur adhibita quadā medicina mercuriali forma pulueris albi. Sed istam artē nec Suchten sciuit, nec Palmarius. Deinde luna Philosophica non fit ex antimonio, sed per mercurium igneum antimonii. Quod si velis stellā intelligere, quæ sit Suctenii Antimonium, & non simpliciter Antimonium, quantum nobis constat ex tractatib. Suctenii visis, non tam subito ex stella fit Luna philosophica. Finge ipsum loqui de eo promisso Suctenii, quo putat ex regulo se posse omne metalli genus conficere: dicit quidem facile fieri stannum ex regulo: facile etiam cuprum per odorem veneris: Et facile ferrum, adeo vt antequā ouum comedas ex vncia reguli cuprum possit conflari: sed de argēto & auro sua experimenta nō habuit. Vidit quidem vtrumque ex stibio (vti dicebant architecti) sed Suchten eos falsi conuicit. Fat iam Palmarius & Suctenio tribuat verum magisterium quo momento ex stibio fiat Luna philosophica. Talibus imposturis farcitur Galenochymia Palmariana: & cupit autor vniuerso mundo persuadere hoc esse verum magisterium? Veniamus iam ad vsum istius ignis ampliorem. *Cape ignem Suctenii: Et proiice super sublimatum, Realgar, arsenicum, absynthium, colocynthin, &c.* Ecce tibi: repente mutabuntur sine decessu & accessu in salutaria, grataque remedia vires oblita nocendi: Imo transibunt in cibos salutares nisi redeant in id quod prius erant. Quorsum hæc tam putida tendunt?

Luna philosophica Suchten.

Mercurius & Sulphur momento ex auro.

Cuprum ex regulo.

Basilius Valentinus, qui de Antimonio multa scripsit, venenum antimonio detrahit non per imaginatum istum ignem Palmarii, sed per calcinationē, & diuaporationem à Libauio positam, iterumq; per extractionē tincturæ adhibito duplici menstruo aceto stillatitio, & vini spiritu. Calcinat antimonium de more, donec non amplius fumet. Cum nigritia dicit magnam partem veneni auolasse. Calcem violento igne absq; additamento liquat, donec in vitrum flauum perspicuum fundi possit. Si rubeum velis, duplum Boracis addit: si album, quadruplum. Vitrum primum in læuorem conteratur. Extrahatur more tincturarum per acetum destillatum. Extractiones filtratæ destillentur in balneo, vt maneat puluis siccus quem perfunde pluuia destillata, & edulcora, vt decet destillationibus repetitis, quib. acerositas secedit manēte dulci puluere. Ex hoc detrito in farinā per spiritū vini extrahe essentiam. Feces relictæ sunt venenatæ. Essentia est dulcis, & datur granis 3. vel 4. contra morbum Neapolitanum, Elephantiasin. &c. Potest & deliquio solui in oleum, antequam per spiritum vini extrahatur. Adhibetur ad vulnera, & vlcera, &c. Sed oleum, ex quo IGNIS LAPIS, fit ex extracto secundo, quod factum est per vini spiritum. Illud extrahitur de nouo per vini spiritum. Extractiones digeruntur in Pelicano per mensem. Deinde destillando subducitur spiritus, & vltimo elicitur oleum rubeum quod est essentia quinta Antimonii. Hoc oleum coagulatur & fixatur, vt fiat lapis perspicuus igneus, qui vt operetur in metallis, fermentandus est. Non est vniuersale, sed particulare. Oleum vero datur ex vino gr. 8. ad renouandum, contra melancholiam, &c. Omnino est ignis purgatorius & consumtiuus morborum absque purgatione, & vomitu. Est tantum Diaphoreticum, & diureticum; Item per saliuationem agit. Hæc Basil. Non certe vtitur igni hoc ad medicamenta præparanda, quod volebat Palmarius, sed ad morbos humanos consumendos: Anteponit a. ei Astrum solis, & mercurii. Est apud Paracelsum ignis Gehenoæ, (De stigia communi iam tacemus) qui fit ex *aquæ fortis cum sale capitis mortui denuo destillata libra: argenti viui sublimati sesuncia: salis ammoniaci sextante: omnib. ingeniose commistis additur aqua mercurialis pondus æquale,* quod item arte fieri necesse est. Extinguunt hoc igni cancri malitiam, & vlcera cacoethe domant. Si hunc proposuisset Libauius quā mox Croslo Paracelsista audiret? Alii sublimatum deliquio soluunt, Liquorem coagulant: coagulo addūt parem, salem ammoniacum septies, aut decies sublimatum, conteruntq; bene, puluerē soluunt deliquio. Dicitur ignis qui momento extinguat omnem ignem morborum corrosiuorum. Alii aliter p̄parant. Quæritur obiter (ne omnia tribuantur Palmario) qua vi ignis hic ignes corrosiuos vlcerum extinguat & non augeat potius? Facile est respondere, tolli putrilaginem ad viuum vsq; vnde nō sine dolore cura peragitur. Obstaculo remoto, & corruptis ablatis, naturam sarcire, & restituere depastum, quæ ideo iuuanda sit conuenientibus cibis, & potionibus, aliisq;, quæ Diætæ inseruiunt, chirurgo foris sarcotica sua & alia applicante, & si quid renatum est mali, auellente. Nam *naturæ morborū sunt medicatrices,* in quiebat Hippocrates. Sunt, qui dicant, spiritualibus remediis naturæ familiaribus spiritus congenitos confortari, & exuscitari, vt pugnent contra spiritus morbificos, quibus deletis leui opera sanescat malum. Hæc sententia videtur explicatius dicere, quid sibi Hippocrates voluerit, appellando naturam, quæ non est generale quoddam nomen, sed singularis virtutis, & essentiæ interioris partium. Singulare n. est curatiuum. In essentia vero, seu tota substantia est calor, humidum primigenium & spiritus, qui totam œconomiam partis dispensat, & functiones procurat. Spiritui ergo insito corroborato morbifer ille alter cedere cogitur: vnde naturæ suæ subiectum restituitur. Si sic loqui placet, ad Theologos proxime accedimus, qui spiritus malos per spiritus alienos lædere naturam

Ignis ex antimonii vitro.

Vitrum antimonii Basilii

Luis venereæ remediū.

Essētia quinta Antimonii.

Particulare Basilii.

Renouatoriū

Saliuatio ex oleo stibii.

Ignis Gehenna.

Cancer.

Nota exedentium vlcerū cura rationē

Spiritualis cura.

Natura curatrices morborum.

turam statuunt: & illis depulsis per remedia spiritualia, hos abigi spiritibus sanatiuis, quo facto solida membra & humores suam temperiem, sanitatemq; recuperant. Hanc rationem afferre possunt, qui spirituales morbos verbis tolli posse affirmant. Ideo & cura spiritualis præmittitur: sequitur corporalis. Hermetici medici hoc maxime asserunt de internis remediis, quæ vniuersalia appellantur, quorum vis per omnia penetrans, & morbificum spiritum dissipans est veluti ignis quidam cœlestis & purgatorius, vnde admirabiles sanationes sæpe procurantur.

Duo ignes cō missi se destruunt mutuo relinquētes salutarē medicinam.

Quando vero cancer, phagedenæ, & alia vlcera maligna per ignes externos occiduntur: (ita n. loquuntur parabolici) quia causa est spiritus, & humor quidam corrosiuus, quem comparant arsenico, realgari, & similibus causticis, dicunt aliter euenire sanationem. Nam in humoribus acribus, & causticis sunt spiritus quidam similes, salsi, arsenicales, vitriolati, &c. Hi dissipari nō possunt, nisi inimico, qui tamen & ipse est spiritus quidā efficax, & ad agendum expeditus. Duo spiritus acres, qui specie liquoris (sunt n. coagulati) committuntur in se agunt mutuo, & corruptis exuperantiis dissipatisq; partem liberant, & dulcem relinquunt. Hinc & alterum cōmodum est. Nam primo spiritus aduersi se iugulant mutuo. Deinde reliquiæ sunt balsamus sanatiuus vlceris. Verum attendere oportet, ne nimius dolor in subiecto ex actione ista excitetur. Chirurgi vulgares sic experti sunt suas aquas fortes, lapidem mineralem, oleum arsenici, oleum antimonii, argentum viuum sublimatum, &c. quæ ex chymia acceperunt.

Balsamus paregoricus. Aquas soluti argenti descēdere.

Huius enim rei exempla in chymicis sunt frequentia. Nam duo venena liquefacta, aut in liquorem redacta, cum confunduntur, se mutuo petimunt, vt si liquori sublimati instilles liquorem tartari, duo ignes in se hostiliter agunt, & spiritibus distractis relinquunt humorem dulcem. Idem fit, si oleum vitrioli & solutum salis tartari industrie commisceas. Sic arsenici liquor, & realgaris in balsamum paregoricum transmutatur; & nmnino solenne est hoc in secretissimis chymicorum. Aliquid etiam ad officinas aurificum ea de re peruenit. Nam cum aqua forti argentum soluerunt, spiritus validos iniecto sale, vel medicamine salso, vel aqua salsa dissipant, indeq; fit, vt aqua calcem argenti, quam spiritus occultauerant, in conspectum det, & deponat. Si aurum regia soluas, oleo tartari ingeniose instillato, fit eadem separatio, & si incautius agas, etiam adeo violente duo venena inter se dimicant, vt vitrum disrumpant ni via satis pateat. Liquor martis liquori arsenici, vitrioli salis, sulphuris, & similium commissus exhalāte spiritu coagulum reddit, idq; adeo igneū est in actione, vt si in cute nuda duæ guttæ cōiungantur, pustulam vstione ignea excitent. Ea ratione sal orioniustesolutus olea coagulat, & mōmento ex liquore plumbi potest fieri butyrum dulce.

Quidā ignis Palmarianus.

Huiusmodi exempla videtur Palmarius quoq; intellexisse, & eo confidentius in Libanium prosiluisse: quasi igni naturæ vel momēto id fieret, vt cum liquor antimonii seu oleum, vel spiritus salis, haliniti, aut ammoniaci, liquor sublimati stillatitius confunduntur, ex vtrisq; violentis actione mutua exit salutaris balsamus, qui lotionibus, digestionibusq; exaltatus forma pulueris quam tutissime exhiberi contra varia mala potest. Sic illi quidem donandum est ex duob. symbolum habentib. inter se actiuis passiuisq; fieri medicamentum breuissimo spacio: Sic Realgar, sublimatum, arsenicum, sandaracam Græcorum, &c. transire in medicinam vix vlla molis parte obseruabili perdita, si illis solutis committas oleum antimonii, quod & ipsum est ignis quidam, aut spiritus causticos salium: vel etiam si cōteras sublimatum cum stibii nigri vel albi regulo, & ad digerendum seponas, posteaq; sublimes, destilles, præcipites & porro elabores: verum hoc neutiquam adeo generale est, vt solum sibi vniuersam chymiam vendicet, aliasque operationes, & artificia ex officina eiiciat.

De his habes multa exempla apud Quercetanū in Tetrade, & Alexicaco, qua inspice.

In mineralib. & quæ ad horum genus aliunde deducuntur, exempla occurrunt frequētia: Sed in vegetalibus & animalibus non item. Lapidem vegetabilem ex vino eliciunt. Si quis sibi persuadeat, posse ipso tanquam igni naturæ absynthium, centaurium minus, Gentianam, Elleborum nigrum, &c. horridos sapores momento absque decessione, & augmento molis ponere, experimento refellitur.

Ignis maturatiuus similis natura calori interior & exterior.

Interim a. si essentiæ ex illis fuerint extractæ, separatis elementis diuturna circulatione siue in proprio liquore, siue vini quinta essentia posse tale quid fieri, tanquam naturæ familiari calore blāde coquente, digerente, & maturante essentiam, non imus inficias. Sed hoc non est integra sic mutare, vti nec intra nos natura saguinem ex integris sine decessu dulcem facit. Verum hæc obiter.

Vlcerum erodentium cura.

Ad vlcera erodentia quod attinet, quidam opinantur, posse eorum spiritus coagulari, & sic sedari, ne furiāt: Deinde tolli, & partem læsam sanari. Alii volunt quasi stuporem inferri morbo, vt se habeat tanquam scorpius aconiti tactu: Hoc esse Draconem vigilem sopire, & occisum eradicare. Sunt sane de his speculationes multæ, de quibus non est, vt copiosius dicamus.

CAPVT XIII.

De igni naturæ, qui Echeneis seu Remora dicitur.

Hermeticæ studiosi solent antiquo Aegyptiorum instituto hieroglyphice sua arcana describere, & variis naturæ operimentis sacra interiora occultare. Neque n. cōuenit mysteria p̄stitui plebi. Sua consuetudo est ēt officinæ, vt certis vocabulis, phrasibusque artificia sua magistri enuncient, quę initiatum, factumque filium doctrinę oportet vsu discere. Hoc symbolo inter se discernuntur p̄essiones. Sic constant Hermetica sacra. Parabolas, figuratosque sermones q nō intelligit, nō est filius doctrinæ.

Paracelsistarum noui termini, & phrases fere fraudū sunt tectoria.

Sed hoc tm̄ de solennib. accipiendū est. Nā qui quotidie noua fingunt, vt Paracelsici, hi artem vituperio afficiunt, & plærūque nihil amplius est in illis nouis, seu excogitatis heri, seu applicatis præter sententiam priscorum, quam tectorium inscitiæ, & imposturarum. Cum vetera nec intelligunt, nec operando consequi possunt, comminiscuntur eorū, quæ forte euenerunt, mōstrosa nomina, aut pessime

pessime illis antiqua, longe aliud significantia, imponũt, ne videantur rerum imperiti. Tales fugiēdi sunt. Si vero q̃d noui artifex probatus inuenerit, vti est ars chymica in singularibus fœcunda, huic vocabulum cōmodum, siue nouum siue vetus attribuere, non est ꝓhibitū. Illud notandū est, priscos, vt eo magis absconderentur ab insidiatorib. arcana, nō vno modo oēs de artificiis locutos esse. Inde cōtigit, vt difficile sit omnium sensa sine errore, aut dubitatione explicare: nec hoc nobis arrogamus. Quid vox signet, sæpe ex contextu, & ordine operis eliciendum est. Vnde manauit illud: *Si scis artem, tibi dixi aliquid: si nescis, nihil dixi. Nam quid dictum sit, non ex verbis patet, sed ex re intellecta.* Echeneidis terminum transtulerunt ex natura communi, vti & maris. Est n. limax marinus, aut alius piscis, qui adhæsu gubernaculi motum impedit, & sic nauim sistit, vel à cursu expedito retrahit. In arte accipitur materialiter, vel formaliter. Illud conuenit astringentib. & fluxum humorum sistentib. vt in hæmorrhagiis, & catarrhis: Hoc refertur ad spiritus, vt cum spiritus Toxici sistitur spiritu Cydoniorum cum argentum viuum halitu sulphuris, vel plumbi quasi figitur: cum narcoticis dolorifici halitus cōpescuntur cum torpescit serpens coryli tactu: cum liquor argenti viui sublimati aere admisso glaciat: cum olea stillatitia spiritu vrinæ densantur; cū solutum plumbi liquore sulphuris, vel tartari tanquam Gorgone visa coagulatur. Ita gelascunt spiritus animalium auris nitrosis & mercurialibus in catochicis, & frigus minerale halinitrosum ad eam potest dispositionem tenuitatemq; peruenire, vt repente suffocet & congelet, sicut halitus illi minerales, vel etiam vegetabiles puteorum, cellarum, &c. quanquam non vna sit in omnibus ratio, aliterq; affectus antri Smellenii spiritus: aliter musti feruētis vapor. *Quicquid in chymicis momentanea protectione fluorem humorum sistit, Echeneis est.* In magno magisterio est vis quædam congelatiua, & fixatiua, qua argentum viuum volaticum (ita dicitur, quod igni calefactum expirat) adeo constans redditur, vt in igni persistat. Figitur a. vel in proiectione, cū per tincturam iam absolutam aut medicina fit, aut metallum fixum: vel in præparatione lapidis per id, q̃ pridē à natura erat fixum. Non n. figit, nisi figatur: non tingit, nisi tingatur. De hac posteriore fixione loquitur Michael Sedinuogius *in parabolica lapidis descriptione. Mare est mercurius Philosophorum ex argento viuo magno labore & subtili industria*, quæ non videtur cadere in Palmarianum ingenium, *extractus & elaboratus, ex vna radice duplex, tamq; auro naturæ fixo informatus.* In hoc occultatus est ignis ille interior, q̃ aurum magicum dicitur, ad cuius imitationem Sucten Palmarii magister, suum ignem in suis amalgamationibus martium, & solem, & aurum, &c. appellauit. Iste ignis in putrefactione efflorescit, & inducit superficiem colore nigro. Sed nihilominus vis eius adhuc in aqua quoq;, quam alterando suæ naturæ fecit, hæret, & granum seminis humidum radicale, sulphur incōbustile, &c. dicitur. Est quasi pinguedo q̃dam absq; omni asperitate, & duritie. Ideo Echeneis vocatur ἐχ@ς, & sine spinis. Illa vero in coagulatione, in qua dominatur siccitas, & summa fixi superat summā volatilis, paulatim cōstringit mercurium, vt tandem volatica natura posita euadat lapis fixus albus, vel rubeus cui vis fixandi actiua tam excellēs conferri pōt, vt omnem mercurium volatilem figat. Ignea virtute id peragi oēs fatentur: sed non sine spiritu cœlesti. Vnde & cœlestis ignis dicitur ob penetrandi potentiā: & comparatur igni Gehennæ propter validam mutatioē. Habet & in morbis deleodis rōem quandam. Nā spiritus eorum seu figit, seu disiicit tam potenter, vt ad miraculum sanet, si qui sunt sanabiles. Neq; tñ ignis hic est instrumentum generale, quo omnia remedia ex nocentissimis mutentur in saluberrima, quod videtur voluisse Palmarius; qui istum suum ignem aliquoties Elixyr philosophorum appellat. Nō agit in Realgar, sublimatum vulgare, arsenicū, Elleborum, absynthiū, &c. & ex ponticis, salsis, amaris, horribilib. facit grata adeo, vt ēt pro cibo sint, vti nugatur. Affectus est ad mercurialia mineralia. Et licet dicere possis: Sicut in corpore humano spiritus expugnat morbificos, repurgatq; humores, ita & in Elleboro, colocynthide, &c. dispaē conditionem tamen esse respondebitur, nec vnq̃ nobile illud medicamentū ad sapores succorum, herbarumue mutandos à philosophis adhibitū fuisse. Lamspring suo mari duos pisciculos inesse tradit, corpus scil. & animam: licet & aliter possit exponi de mare fœmina, mero; sulphure, &c. Totum simul sumtum constat corpore, anima & spiritu. Spiritus vel aqua nostra pontica, ꝓ mari accipitur, & pro mercurio philosophico separatim, qui & Leo viridis aliquando vocatur (medium nimirum coniungendi tinctutas & animam corpori reddendi.) In hoc corpus impfecti Elixyris delicuit, qui est vnus piscis: Anima ꝓ metallo pfecto, in quo vis animandi & Elixyr ad certā speciem alligandi. Hic est piscis alter. Hæc sic in cōiunctione considerantur: sed in digestione & coagulatione potius sunt potētialia, vbi in vnico homogeneo mari, sunt illa duo potentia, emerguntq; virtute. Hermetis tabula *Solem & Lunā* (a) nuncupat, vt & *Georgius Riplaus*: q̃ voces designant Elixyr tanquā Lunam, & aurum nostrum tanquam solem, quæ duō soluuntur Leone viridi, seu aqua mercuriali philosophorū, quę est pars primi *Leonis viridis* seu liquoris vnctuosi ex mercurio elaborato extracti, q̃ & aqua maris vocatur. Lāspring ipse iubet corpus, animā, & spiritū coquere, vt sit mare maximum. Vbi totum cōpositum ex trib. mare vocat. Id a. nō est, nisi in solutione tertia, qua anima corpori redditur. Ideo vt maximum fiat mare, coquere in ꝓpria aqua duos pisces Philosophorum iubet, q̃ non sunt aliud, quā elixyr, & eius fermentum. Vnde patet, qui figuris *Lamspringi* ꝓmisit summulas, debuisse scribere: *Mare est mercurius seu Leo viridis* (secundus) *duo pisces sunt sol & luna: corpus & anima.* Reuera a. his duob. inest ille *Ignis*. Nā *Elixyr* ad rubedinē perductum vnus est ignis: sed *aurū* seu *sol* est alter: Et tamen hi duo sunt ignis vnus, qui in mercurium spiritualem est immissus, inq; eo natat. Quod a. iste piscis dicatur esse sine carne & ossib. verum est, si vocabula hæc accipiuntur. Nā spiritus est, qui carnem & ossa nō habet: ex quo intelligitur, tunc dici piscem & ignē nostrum, quādo corpulentia mutata est in spiritualem naturam. Quo autore vsus est Palmarius, is demit ei ossa & spinas, pellē, corticem: quib. verbis itidem ex corpore in spiritum redactus denotatur. Dicitur viuacissimus, & potentissimus: nondum quidē actu, dum in mari natat: sed post renouationem tandē, cum iam euasit tinctura actualis, exercet potentiā istam, nec pōt à quoquā superari, aut interfici. Omnib. n. metallis naturæ & mercurialib. est viuacior, & validior. (*b*) Cū fixus est, figit omnia metalla nō fixa:

Terminorū artis chymicæ non idem vsus apud omnes.

Echeneis pro fixatorio medicamine.

Echeneis in lapide philosoph.

Mare philosophorum.

Vide de his omnib. monades Hermeticas, maximeq; vltimam.

Leo viridis.

cum est volatilis, dissoluit corpora in spiritum, seu mercurium, &c. Neq; tamen ideo est instrumentũ illud & naturæ ignis, qui ex omnibus omnino mistis faceret vel cœlestia medicamenta, vel Elcas. Non n. intrat eulinã. In opere metallico tantum habet potentiam in mercurialia primum. *In ænigmate philosophico* sensus est idem. Est *piscis rotundus*, vtpote *perfecta natura sol*, qui circulo & vnitati cõparatur: cuius omnia sunt homogenea & eiusdem naturæ. Cum in mari solutus est, nihil habet solidi: sed est instar pinguedinis, quã ẽt in nigritie, quæ *caput corui* dicitur, cum emergit ex isto mari, deprehendas. Is piscis coquendus est: Palmarius iam coctum deuorauit. Non ergo idẽ est piscis ænigmatici autoris, & eius, quẽ Palmarius produxit. Ignis, quo coquitur, silet: non ſt. epit: Est blandus, vaporeus, vt Bernhardus loquitur. Primũ putrescit: Deinde digeritur, & coquitur, cum fit coagulatio Nã coctum crassescit. Tamdiu coquitur, donec pinguedine & humiditate consumtis abeat in puluerẽ, aut lapidẽ siccũ: q denuo debet solui, & coagulari, vt fiat fortissimus. Hæc est illa philosophia de pisciculo & piscib. duob, q̃ Palmarius nunquã intellexit, nec sciuit momẽta dispositi onũ, piscẽq; imperite accepit de perfecto iam lapide, quẽ Elixyr momento mutans & figens, vocat cõtra sensum philosophorum.

(a) *Termini hi sunt ambigui vsu vt infra videbis. Interdum sunt sulphur & mercurius. Sulphur sol dicitur: mercurius luna: nec semper corporaliter accipiuntur, sed & virtualiter. Ideo Sedinuogio sol est calor internus & ignis natura. In fermentatione habes solem, lunam, terram, mercurium nostrum, animam & tincturam cum vento, qui tincturam ex grano aureo acceptã eleuat, redditq; denuo corpori terra, mulieri, &c. in imo consistẽti: Inde ventus dicitur portare tincturam in ventre. Ea vero genita est à sole, qui est auro insitus, & mercurio tanquã matre luna & materia. Hinc respectus sunt maris & fœmina, &c.*

(b) *Alia interpretatio. Ignis internus ex auro in mercurium soluto residuus tã potens est, vt superari ab aqua nequeat. Corpus eius est insolubile. Si nimis exardescerit, omnia destrueret caloris excessu. Vis vero in tingendo conspicitur.*

Caput XIV.

Quod nullus philosophorum ignem suum, qui est elixyr & tinctura, adhibuerit ad vsus instrumentales in medicinis præparandis.

Tinctura vsus quatuor. IN clangore Buccinæ, quẽ & Palmarius citat: aurora cõsurgente, & aliis quibusdã tñ quatuor vsus Tincturæ philosophicæ adducũtur. Cõferre n. traditur ad morbos humani corporis pellẽdos, & sanitatẽ restituendã: Deinde ad argentũ viuum in metallũ, & imperfecta metalla in perfecta transmutandum: Tertio ad silices & crystallos, similesq; vertendos in gẽmas natiuis meliores. Quarto ad vitrũ ita molliendũ, vt malleũ ferat quasi metallum esset. *In morbis prolixi admodum sunt chymici, & liberalissimi pollicitatores.* *Morbi omnes per Elixyr sanabiles* Sed excipiuntur tñ impossibiles restauratu, vt crus sectum, dens euulsus, &c. præterea; ii, qui proxime fatalem terminum antecedunt. Cum ẽt operatio eius sit spiritualis, non datur alui fecib. purgãdis; *ridiculumq; est dictum eius, qui & stercora transmutari in conuenientem natura succum voluit.* *Elixyr philos. non vacuat aluum.* Saniores ergo purgationes fecum alui aliis medicinis procurant, Quæ vero per sudores, sputa, insensilẽ transpirationem, vrinam similesq; modos segregantur, nõ vi purgatrice decedere dicuntur; sed naturæ roboratæ, expeditæ & expultrice: quod tñ ẽt de purgatione alui dici poterat, si medici permitterent secessus, q fiunt robore naturæ, veras purgationes esse. Notãdum & hoc est, quod Autora cõsurgens monet, medicinã istam dandam esse cum aliquo appropriato, quod tẽdat ad locũ affectum sitq; morbo specificũ. *Elixyr ut vsurpandum.* Vult a. hæc veluti vehicula ex pharmacopolio petenda esse. Tametsi aliis secus videatur, qui ex vini spiritu, vino, (Aurũ verum potabile hac arte existit, nẽpe cum lapis in oleũ solutus maluatico mi scetur vel spiritu vini soluitur) alioue grato liquore porrigunt, sicut Ambaldus suã panacæã tñ nõ absurda est præmonitio. Indicat n. spiritum igneum in lapide quasi generalẽ actum esse, q omniũ reliquorum medicamẽtorum potentias exuscitet, & agiles, spiritualesq; reddat. Hoc si intellexit Palmarius, aliter sane loq debuit, & chymicas præparationes cæteras non tã temere contemnere, nec artẽ elaborãdorũ aliorum mysteriorum & essentiarum tã scurriliter exibilare Id certe nõ est sine additione, & detractione omnia tã amica, & grata efficere, vt pro cibis esse possint, seruata tñ cœlesti potestate. Discernẽdum a. est inter album lapidẽ, & rubeum. Nã ẽt in illo est ignis quidã, sed nõ tã absolutus & digestus, q̃ in rubro De altero vsu in imperfectis metallis, & argento viuo, imo & semimetallis, quib. est viuum argentum, trãsmutandis, nõ opus est verbis. Tot sunt probatorum autorum testimonia, vt qui artem negare velit, impudentẽ esse oporteat. Sunt ẽ & alii qui, vt Sedinuogius ait, subtili interpretatione deprauant mentẽ, & scopum artificum, ostendunt, se nunquã allecutos esse, nec scire, aut intelligere artẽ lapidis: Et ex hoc genere sunt plæriq; Paracelsistæ, qui quærunt quidẽ lapidem, sed cum desperatione inueniẽdi præcipites aguntur, vertunt se ad cõmenta quædã sua, & ne nihil scire videãtur, contendunt Alchymiã requirere hominem MENTALEM, nõ tõnalẽ, esseq; supnaturale philosophorum opus. Tertius vsus in gẽmis faciendis, adeo inuisus fuit Palmario, vt duob. capitib. 26. & 27. in eum furiose sit inuectus, de quo nos suo loco. Aurora sic loquitur: *Lapides Hyacinthi, coralli rubei, & albi, smaragdi, chrysolithi, sapphyri ex ipsa materia formari possunt*: citatq; chartam sacerdorum, quod ex crystallo (cõi scil. subiecto tincturæ gẽmarum) *carbunculus* aut *Topazius* fieri possint, qui colore & substantia excellant naturales. *Gemma per lapidem pretiosissima* Annotat, colores singulis gemmis familiares debere addi, qui & ipsi sumuntur recte ex metallis: Deinde adiectio lapidis virtutem & fixitatẽ affert nobiliorẽ. Rubeis gemmis apta est rubea, albis alba, mistis mista vtraq; Et temperanda varietas colorum est, colorib. metallicis. *Vitrum malleabile.* Quartum vsum in vitro malleabili, si liquato iniicitur tinctura, declarat argumento, quia ista medicina ẽt vitrorum colorem assumit, nimirum prout dilute, vel sature miscetur & metallicis tingitur. Quatuor hos vsus historia illustrat ex chronicis antiquis, vbi scriptum sit, Protonotarium quẽdam captũ à Saraceno philosopho *Historia lapidis vsurpãdi.* missum esse ad suũ regẽ, apud quem aurum ex metallis imperfectis, rubinum ex crystallo, malleabile vitrum ex fragili, & leprosum sanum reddiderit: q̃ autori suo cõmittim⁹. *In Rosario philosophorum cite*

finem commendatur potissimum vsus in morbis animalium: quod agnoscit in sua leprosa etiam Palmatius vniuersaliter, vt tanto minus sit cum eo pugnandum. Citatur autoritas Hermetis quoque & Arnaldi, qui *c.31.lib.2.sui Rosarii* eadem narrat, *& in fine floris florum* scribit, vtilitatem lapidis esse maiorem, quam possit percipi. *In nouo lumine & alibi* etiam metallicam transmutationem commēdat. *In Epistola ad Regem Neapolitanum* refert, IGNEM siue *solem* appellari tunc lapidem, quando ex *aereo elixyre*, quod colore est *album*, mota in igni fit *rubeum*. In igni enim mundano igneam naturam acquirit, & sic assuescit igni, ne quid ab ipso patiatur, vnde & *salamandra* dicitur. De vsu vero mirifico ad in momento transmutanda venena in cibum & gratissimum medicamentum ne verbulum quidem est vllibi. Ideo hoc purum putum figmentum, aut si mauis, portentosum mendacium est Palmarii, nisi forte lusit mundum, & oblato lapide, dicere voluit, omnia alia medicamenta oblata esse, cum gratia & delectatione mirabili, quæ sit illa mirifica conuersio ignis, mutatio scil. omnium cæterarum medicinatum, substituta hac vna. Si dicas, fors intellexisse de igni Suctenii ex antimonio & Marte, respondetur, ne huic quidem simile quid tribui. Basilius Valentinus & cæteri, quos hactenus vidimus, nihil tale habent: sed istum ignem omnes petiti ad morbos internos, & externos proponunt, de quibus si quispiam est copiosus, sane Quercetanus fuit, & iste Basilius *in curru Triumphali circa finem*.

Lepra remedium.

Lapis ignis & sol.

Putant aliqui Lapidem pollere etiam in segregationibus, quasi locum præcipitatorii seu delcensorii pulueris sustineat in muria & metallis segregandis. Sed ad tam vilem vsum nemo transtulit, foretq; sal tunc longe preciosior, quam publico conuenitet.

Lapis ad segregationes.

Capvt XV.

De vsu Elenctico ignis Palmariani in dedicatione ad Cardinalem.

PAlmarius suo Patrono persuadere cupit, Libauium esse imperitissimum ingentis mysterii Alchymiæ. Hinc consequens Alchymiam eius minime veram esse, sed Paracelsicam & impostoriā. Hoc argum. crebro repetitur. Sed respondetur: Nisi Palmatius illud mysteriū ignorasset, & si philosophorum scripta, rationesq; & experimenta Libauii intellexisset, non accusaturum fuisse eum inscitię. Veruntamen Libauius hoc parum curat, estq; ignis ille Palmarianus ad hunc nodum comburendū nimis frigidus. Deinde scribit, *Studii chymici labores ad sublunaria translatos, pharmaciam daturos suis numeris absolutissimam: argumento: quia deleteria omnem cacoethian exuunt: venenata, & venena ipsa vim Lethaam permutant salutifera: Ingratum saporem, amarum, acrem, acidum, deponunt, vt postea donentur grato, & voluntario.* Si quæras qui id fieri possit? Resp. *Ignem habent huius artis Professores tantorum bonorum autorem, vt iam sit tutus medicamentorum vsus: morbi maximi validissimis expugnentur præsidiis nulla natura illata noxa: cuius ignoratione non pauci hactenus insuperabiles habiti sunt.* Hoc est *argum.2.* ex somnio in horto hesperidū sub arbore pomorum aureorum extructum. Quis n. aliter possit existimare? Estne illa pharmacia ars, an scientia? Vtrum dixeris, oportet, vt constet principiis, quorum cognitio simplex est scientia: Accommodatio ad praxin ex scientia, vt fiat opus aliquod, ARS. Neutra consistit sine rōe, & experientia longis seculis, & plærisq; exemplis comprobata, vsuq; confirmata. Dicat quæso aliquis Palmarianus, vbi hactenus latuerit illa chymia? *Galenochymiam* scimus vix ante triennium per vmbræ somnium excogitatum esse à Palmario. Nihil ergo hæc ad Rhombum. Illa aūt quibus saltem autoribus certa est? Quinam sunt illi, qui pharmaciam (quę est *pharmacorum, id est, purgantium medicamentorum, & venenorū, præparatio artificiosa*) tam facilem dederunt? Mala memoria fuit Palmarius. Nam *infra in tractatu* chymiam à pharmacia separat adeo, vt *Mesuen non patiatur chymicum esse*, sed diligentem pharmacographum? *pag.26.c.5.&c.17.p.95.* vbi pharmacia à pharmacochymia distinguitur, eadēq; huic tribuūtur, q̄ igni fictitio *p.96.* vide & *p.159. & 160.* vbi differūt pharmacia & chymia secūdū magis, & minus, &c. Ait chymica studia translata ad sublunaria. Vnde? Quod transfertur, ab aliquo transfertur. Nempe in cerebro male sano Palmerius finxit sibi labores. Et hos postea transtulit: aut fors in metamorphosi Ouidii inuenit inter fabulas Poetarū de Moly, Nepenthe, aureo Virgilii Ramo (q̄ tria aliq obscœne interpretātur) de Midæ auro, &c. Ad sublunaria vero? Nū ergo elaborat Galenochymia, ēt in elemētis simplicib. & impfecte mistis, & rū non vult audire Paracelsia? Nup Anton. qdā apud nōs aerē captabarā sylua Thuringica immissum in ampullam magnā. Eius coagulato volebat vti ad salē nitri Sedinvogii fœcundandum; sed cum successu pessimo. Autor ideo leporinos sumsit. Tales sunt Paracelsici, non Galenochymici, nec veri chymici. Sed sit ars in mistis. Aut aliquando integra erunt dāda, aut mere chymica. Illud non. Carerēt n. artificiosa p̄paratione: Item haberent illa horrida, & aliena à medicina, cacoethian, venenositatem, ingratos sapores, amaritiam, acredinem, aciditatem, plane res inuoluntarias, nisi cerebrum Palmatii insaniuit. Nam alıqn̄ vis & Ens medicum est in amatore, acrimonia, & aciditate, q̄ adeo non est inuoluntaria, vt hoc ipso anno, & omnino in febrib. nullus sapor arrideat, conueniatque magis, p̄sertim æstiua & siticulosa constitutione. Quid si ægri plures fastidirēt dulcia: Nimirum tunc Salsamentarii, & acetarii præcellerēt, chymicumq; foris stare cogerent. Quod si tuo igne Ens medicū perdis, an non naturę hostis es? Num vero si vnus sapor displicet, desunt aliter sapida? Quis sit ille chymicus, qui vnum simplex ad omnium palata elaboret, cum ēt insipida respuantur? De Manna scripsit Philo habuisse sapores ad libitum. Sed quis credat Mose diuersum contestante? Deus tamen potuit saporem istum voluntarium procreate: sed chymicus homo qn̄ per solum suum ignem? Iam tutus est medicamentum vsus Galenochymia, & igni Palmarii inuentoriam maximis validissimum dari possunt. Scil. Nam Palmarius suæ apoplexiæ validissimum opposuit: Graman. suæ podagræ, &c. Arg.3. *Paracelsus & Libauius producunt alia principia, scil. sulphur, sal & mercurium, alia Elementa mundi metalla in 1. materiā resoluenda dicunt, qua est sulphur, & mercurius: idq; mentis non manus operatione*

Pharmacia absolutissima.

Deleteriorū correctio per ignem.

Morbi cur incurabiles habiti.

Galenochymia.

Pharmacia quid.

Aliud chymia, aliud pharmacia Palmario.

Aeris captator Antonius pro lapide.

Ens medicū in saporibus aliquando.

Sapientia 16. v.20 contra Exod.16.14. Num.11.7. vbi gustus similis cum melle.

ratione: Habent ignem calcinantem, non illum chymicum. Ergo veram Alchymiam non habent. Finge antecedẽs esse verum. At magister Palmarius errauit Elencho non sequentis.

Principia chymica non offendunt Aristotelica.

Elementa.

Quid rũ, si alia principia resolutionis mistorũ ponunt, quã Aristoteles? Relinquũt hæc Arist. Logicæ vel metaphysicæ. Sua dicunt esse chymica, licet Paracelsi genio distinctio hæc nõ placuisset: de quo q̃dem autore Libauius nõ curat. Mentitus est Palmarius, cum Libauium Paracelsicum pronunciauit. De Elementis quod dicit, Libauius non alia mundi Elementa nouit præter creata à Deo. vnũ dicitur Quintum: reliqua quatuor sunt nota vel vulgo. In arte chymica pharmaceutica (non a. in magisterio lapidis) vocis ὁμώνυμον non est ignorum. Opponuntur Elementa essentiæ: Et tunc dicuntur vacua ista recrementa potentiis medicis. Aliquando sunt partes solutionis mistorum non separatæ ab essentiis. Nonnunquã tantum qualitates, & dispositiones elementares. Galenici humores ita nominant. Alii alia habent pro singularum artium natura. Non si ratio mutatur, & res ipsa. Metalla esse resoluẽda in materiam primã (a) chymici secundum quid dicunt, & certo modo. Illa materia prima principaliter quidem dicitur mercurius noster, qui proportionale sulphur in se habet: Veruntamen & separatim accipiantur. Quid tum? Suchten Palmarii Doctor, nihil aliud definiuit. Sed nec aliud quiddam ii, qui artis Hermeticæ sunt antesignani. Quis vero genius Palmario dixit, Libauium non manu, sed mentis operatione ista consequi velle? Suchtenianus scil. Palmarii, qui hominem mentalem in chymeio suo poscebat, non rationalem & argutum illum magis, quam doctum Libauium. Argum. 4. *Schola medica Parisiensis Paracelsum & Libauium damnauit: Non ergo sunt ignes chymici.* Probetur antecedens. *Quia metallum lædere, & hominem perinde iudicat.* Proba hoc quoq;: *Quia ex læso metallo nascuntur adulteria monetarum: ex homine læso, homicidia.* Belle. Quis non prædicet Palmarianum ingenium tam acutum? Schola Parisiana scripsit, & definiuit, Palmarium MENTIRI. Res ipsa per se manifesta est. Qui sanitatis, aut alterius boni causa lædit metallũ, non est par homicidæ. Finge lædi metallũ & malo animo: Et tñ plus est hominẽ occidere. Nullus magistratus eũ capitis damnat, q̃ metallũ ex instituto artis in sua Prima resoluit. At hominẽ temere occidere, Dei præcepto est capitale. Si Palmarius timuisset homicidium, Libauii famam non sic flagellasset, q̃ est homicidii species. *Ex læso metallo*, inquit, *nascuntur adulteria monetarum.* Quid? Num quando in salem, sulphur, & mercurium resoluuntur? Non, inquam, per se. Si ex accidente, & pessimo proposito quid contingit, videat qui est Palmarianæ fecis. Sequuntur postea amatissima conuitia in Alchymiã Libauii. Ad hæc nos ne γρῦ quidem: Optamus saltem eis ignem Palmarii, qui amaritiem possit in gratias voluntarias vertere. Optauit ipse, vt suus Cardinalis fieret alter Hercules ἀλεξίκακος. Huius voti videtur particeps factus. Damnatus enim est sententia senatus regni, cuius aliqua pars est Cardinalis.

Paria hominem occidere & metallũ destruere.

Adulteria monetarum an ex læso metallo.

(a) *Alio tamen respicit Sedinuogius, cum chymicos de materia secunda quærere ait, & primã non posse consequi.*

CAPVT XVI.

De Elencho ignis Palmariani in præfatione ad Lectorem.

PRoœmium istud adeo crudum est, & amarum, aliisq; ingratissimis saporib. & virulentia plenum, vt potius ignẽ calcinatorium imi Tartari videatur sensisse, quã ἀλεξίκακον istum salutarem, qui odores, & sapores vitiosos, noxiosq; tollit. Hinc n. est amaricies ex adustione bilis insolita. Cruditas hæret in phlegmate stomachi. Optamus & nunc Palmario ignẽ suum purgatorium. Argum. 1. est: *Libauius desertor veritatis medicæ est, & transfuga ad factionem Paracelsicam. Ergo eius Alchymia est spuria.* (Apponamus n. hanc mollem conclusionem, quæ alias est longe durior) Respondet pro Libauio schola Parisiensis: *Palmarius est mendax.* Arg. 2. *Libauius est veræ Alchymiæ rudis, & ignarus prorsus. Ergo, &c.* Probetur antecedens: inq̃t Palmarius: VIDI. Nos respondemus inficiatione antecedentis, & dicimus ad probationẽ, q̃ inutile sit testimonium. Erat hic prolepsis: At nominat Libauius Alchymiã: Respon. *nominat quidem, sed interim VAPVLAT* (pro flagellat) *cæteras scientias.* Respondemus: Et vapulet q̃dẽ cæteras scientias, an ideo nõ nominet verã? Sed tu miser homo tuo vitio satis, superq; vapulasti, & fors adhuc vapulas. Arg. 3. *Libauius metalla, & medicamenta adulterat. Ergo verã artem non condidit.* Resp. Antecedens nõ sapit ignẽ Galenochymicũ, sed Palmario diabolicũ. Arg 4. *Si Libauii Alchymia manet, manet doctrina publica de fallendis medicamentis, monetis, metallis. Ergo eius Alchymia est improba.* Resp. Negamus antecedẽs, q̃a caret igne naturæ consequentis. Quæ Libauius scripsit, non ex se cõmentus est, sed ex priscis, & recẽtib. chymicis sumsit: nec ipse reposuit solus, sed multi alii iam publico facto iure & Imperatorum, regum, & Papatum priuilegiis. Non speramus vllum tam malum euasurum lecta Libauii Alchymia, vti nec vllum veneficum, vel magum, vel adulteria monetarũ operantẽ cognitis disciplinis, & cõmentariis de venenis, de magia Cornelii Agrippæ, de docimastica, in qua vitia licite discuntur, vt inq̃t Plinius (a) nisi fortasse igne naturæ careat. Arg. V. *Libauius vbiq; peccat grauiter. Ergo.* Probatur antecedẽs: *quia falsa proponit lapidis principia, & elementa: non capit lapidis labores, materiam, ignem.* Probetur & hoc: *Quia aurum vulgare, quod est mortuũ; & fatuum, celebrat: & mercurium vulgarem, qui est ouum sterile, ei iungit: Pro igne habet aquas fortes destruentes, non vitales. Deinde etiam medicamenta habet impura. Tertio artificia proponit sophistica, & inaudita sapientib.* Resp. Negamus antecedens, & dicimus ad triplicem probationem, eiusq; prosyllogismos, q̃ vbiq; ignorent Elenchũ, & vbiq; petant principiũ. Non satis est dicere: *Libauius ista falsa proponit:* Demonstratio scientifica est adhibenda. Ita nos pro Libauio: *Quod quis parum nouit, nemo docere potest. Palmarius parum nouit lapidem. Ergo*, Minorem probauimus *supra peculiari capite.* Deinde Libauius locutus est mystice cum sapientib. q̃ vel nõ intellexit Palmarius: vel calumniose accusauit. Non ergo potuit vbiq; peccare. Locutũ eum esse mystice, probamus, quia tot editis cõmentariis in vno loco populariter dictũ, in altero artificiose nominauit. Videtur imperitis *contraria* dicere. Respondet Sedinuogius: Id nihil ad rẽ. *Est n. hoc ex disciplina sapientum, qui hoc student, vt apparente contradictione fallant.* De auro vulgari fatuo & mortuo stulta blaterauit ineptus homo. Est certe aurũ naturale, &

Alchymia Libauii ex priscis & recentib. comportata.

Apparentes contradictiones Chymistarum.

Aurum naturale lapidis.

rale, & minetale, ex quo suum autum sumunt Chymici. *Quod seminas, id metû.* Ita est de argento viuo
vulgi. Est certè argentum viuum naturale ex mineris naturæ ductum id, ex quo argenti viui sui
essentiam eliciunt sapientes. Naturam subesse oportet, si vis aurum proiectu lapidis efficere. Natu-
ram quis præter Deum fabricare possit? *In auro semina sunt auri, & in hydrargyro, hydrargyri, in ære æris,*
& sic de cœteris metallis à natura datis, nec corruptis: Aquas fortes in magisterio non adhibet Li- *Aquæ fortes an venant in artem lapidis.*
bauius: nec eas pro igne in tinctura, aut vlla eius parte habet. Bene dixit schola: *Palmarius mendacia*
scribit. Aliud est, in præparatione vti adminiculis: aliud in ipso opere essentiali. Hoc non venit in
mentem Palmario, estque certum signum, nihil intellexisse de arte.

Argumentum VI. *Libauius illi hydræ patrocinatur, cui sordent Elementa, & solum cœleste nominatur:*
Ergo Alchymia eius est improba. Antecedens cumulatum est multis monstris, quæ mittimus in ignem
purgatorium Palmarii. R. Inuertimus argumentum: *Qui totum chymicum situm esse putat in igni cœlesti,* *Elementa quibus sordeant.*
& non in Elementis, ille iudice Palmario est verus, & genuinus Chymicus. Finge Libauium ita putasse. Iudice ergo
Palmario genuinus foret chymicus. Maior prob. Quia Palmarius *pag. 79. de chymica essentia* scribit: *Hæc est*
quinta essentia in re qualibet conclusa: ignis cœlestis in abiectissimo animali: infusus calor diuinus, &c. vide *pag. 22.*
contra ignem elementarem; & quæ supra posuimus. Idem Palmarius *in historia curatæ (tentatæ) Oph-*
thalmiæ à circumforaneo Paracelsico Persicariam integram adhibente, seipsum accusat mendacii.
Nam si Paracelsi præscripto integra astralia (ita dicuntur, *quia proprietatem habent occultam*) sunt ad- *Ophthalmia per Persicariam sanata.*
hibita, falsum est ab illo solum cœleste vendi. Et quis erat ille Palmarius, qui vitrum Antimonii,
qui mercurium sublimatum abiecta dualitate; qui aurum potabile exuberarum; qui Antimonium
Sucten: qui arcanum ex hydrargyro & sublimato; qui olea Mesues & aquas chymicas: qui extracta *Astralia.*
laudabat? Quis ille, qui dicebat: Est in mercurio, quod quærunt sapientes. Si in eo est, non est ipse *Palmarii medicina chymica.*
mercurius. Si inest & non ipse totus est, quid aliud est, quam spiritus comparatione sordium ele-
mentarium cœlestis appellatus? Possumus tamen dicere, Libauio adeo non sordere elementa, vt et-
iam à Palmario ipso accusetur eo nomine.

Argumentum VII. *Vera Alchymia non nouit monstra ista: aquam, oleum, salem: Tincturas, essentias, sa-* *Magisteria & extracta num sint vera alchymia.*
lis coralli, vnionum, Rhabarbari. Libauii ergo Alchymia non vera. Probatur antecedens: *Si illa tria essent prin-*
cipia vera, serum, butyrum, caseus essent principia lactis. At absurdum est butyrum pro sulphure deuorare, caseum
pro sale, &c. Probatur secundo: *Sacra Alchymia longè aliter constant.* Ratio est: *quia sunt diuina & miraculis*
proxima eorum beneficia: Sunt in possessione sapientum, qui olim dii habiti sunt; cum hodie Medici viuant inglorii, *Sacra alchymia Palmarii.*
&c. R. Negatur antecedens: Et dicitur ad probationem, quod ignoret Elenchum: imò falsum colli-
gat. Nam quę de lacte dicit, non quidem sunt principia elaborata artis, sed tamen analoga. Secunda
probatio tota est falsa, & refutat suum autorem, qui nunc *mera diuina tribuit Alchymiæ,* non passus Pa- *Lactis principia.*
racelsum cœlestes essentias requirentem.

Argumentum IIX. *Genuina Alchymia ipsissima quæ maiores policetur: Imo audet maiora omnia, &* *Genuina alchymia.*
feliciora. Libauii Alchymia non est eiusmodi. Ergo. Maior probatur mirificissimis transmutationibus per
ignem naturæ, de quibus *supra.* R. Inuertimus: *Si genuina Alchymia omnia maiora & feliciora habet, quam*
maiores: maiorum Alchymia non fuit genuina, & Medici hodierni neutiquam inglorii, veteres autem Dii. Ratio *Maiorum alchymiam non posse esse eandem plane cum noua.*
est, quia Medici hodierni propter tam nobilem artem debebant esse plus, quam dii; præsertim au-
tem Palmarius primarius eius professor. At: Hic subsistimus, & lectori liberum relinquimus, vtram
partem ex connexo velit assumere. Id saltem certum est, Palmarium in parua fuisse gloria, atque in-
super etiam honoribus publice exutum obiisse. De mercurio, Osiride, & Aesculapio fuerintne chy- *Vide pag. 120. & seq.*
mici, an non, melius iam nouerit Palmarius: Fortè enim cum illis disputat in purgatorio. Illud scri-
ptum reliquit, quod Hermes (mercurius) non sit nomen viri, sed medicinæ, quæ est mira metamor- *pag. 118. Hippocrates mendax, &c.*
phosis. Addimus corollarium. *Ignem, inquit, inuenit chymica professio, per quem fiunt θεῶν χεῖρες, & Medici*
caput exaltatur. At maiores præ hodierna Alchymia beneficiis deprimebantur. Non ergo ipsis fuit iste ignis. Si non *Hermes quid sit.*
maioribus, consequens est, quod iunioribus. Ergo Genuina Alchymia est inuentum Palmarii & si-
milium. Id videtur & hinc sequi. *Chymia est excogitatrix istius ignis, quem maiores ignorarunt. Fuit ergo aliqua* *Ignis inuentio.*
chymia prior. Hanc veterem si amplectitur, & declarat Libauius bene est. Recentē Galenochymiā Palmarii contēnit.

Argumentum IX. *Medicina & Alchymia simul sunt natæ, & ab ipsa natura hauserunt sua fundamenta,* *Genuina Palmarii Alchymia aliquid nouum.*
suntque ab eadem educatæ, conditoresque habuerunt & cultores veterum sapientissimos. Libauii Alchymia non est
ita. Ergo. Minor probatur: *quia Libauius nihil nouit præter metallorum adulteria, ignobilium fucos, fraudes, medi-*
camentorum deturpationes, &c. Respondeat schola: *Collegium Medicorum vnanimi consensu libellum Palma-*
rii erroribus, fraudibus, imposturis, & mendaciis plenum damnat. Ita Parisiense collegium, quod putes verba
ex hoc argumento sumsisse, & pro Libauio per inuersionem respondisse. Si Palmarii libet aduersa-
tur libris chymicis Libauii; & in illo sunt fraudes, imposturæ, errores, mendacia: Videntur libri Li-
bauii absolui ab istis criminibus. Tandem Libauium bene valere iubet, cui deinceps sæpius crucem,
carnificem, deletionem sui cum libris, & memoria nominis imprecatur; verum & tu Palmari cum
tuo rancore vale.

(a) *Lib. 33. c. 9. Miscuit denario Triumuir Antonius ferrum: miscuit æri falsæ moneta. Alii è pondere subtrahunt, cum sit iustum 84. è libris signari. Igitur ars facta denarios probare tam iucunda lege plebi: vti Maria, Gratidiano, vicatim totas statuas dicauerit: mirumque in hac artium sola vitia discuntur, & falsum denarii spectatur exemplum, pluribusq; veris denariis adulterinus emitur.*

CAPVT XVII.

De igne Elenctico capitis I.

Vide cap. 11. pag. 63. Quercetani Panacæa.

PRioribus paginis enarrat Palmarius Quercetani Epitomen; & quid censuerit de ea schola apponit: Inde in Libauium inuehitur. Risimus versatilitatem hominis, dum Quercetanum culpat, quod

Lapis pro nullo apud Palmarium. Alchymia Palmarii dedebet pro nulla haberi: iudice Palmario ipso.

propoſita vniuerſali Panaceâ,particularia medicamenta præſcribat.Non conſiderauit miſer,ſe telũ contra ſeipſum inueniſſe. Quantus .n.paſſim eſt in laudibus lapidis,& ignis naturæ? Solus hic eſt omnia.Et tamẽ bellè dicit de Elixyre illo,lapide,& igne (his.n. nominibus prædicatur idem) iam rarũ eſſe, vt PRO NVLLO HABERI DEBEAT. Hinc noſtra:*Si ignis natura debet haberi pro nullo propter varitatem,non a Alchymia Palmarii pro nulla habenda eſt. Eſt autẽ prius: teſte Palmario ipſo.Ergo & poſterius.* Probo conneхum.*Cuius enim fundamentũ,quod ſolum & vnicum eſt,pro nullo haberi debet,etiam ipſum pro nullo habendum:Ignis naturæ,quĩ eſt fundamentum Alchymiæ Palmaris,haberi debet,pro nullo,&c.* Solum eſſe fundamentum,probatum eſt *ſupra ex pag.21.pag.24.in titulo,& 26.&c.*

Quæ Alchymia damnata.

Argumentum ex hoc capite eſt huiuſmodi:*Omnis Alchemia,quæ proponit Hermetica Quercetani, & non ſequitur LEGES diuini operis* (quod fit per ignem philoſophicum Palmarii) *eſt damnata à ſchola medica Pariſiana.Libauii Alchemia eſt iſta.Ergo.*Minor ad nauſeam vſque ſæpe inculcatur,vti & concluſio. R. De Hemetica Quercetani ſecutus eſt Libauius. Quod attinet ad diuinum iſtud opus Galenochymiæ Palmarii,reſpondet ſchola,errare & mentiri Palmarium,& ni recantet, debere honore,& priuilegiis exutum eſſe;id quod ſic factum,omiſſa Palinodia,quam tamen Palmarius promiſerat, quãquam Punica fide.Notetur *pag.7.* pulchrum axioma antipalmarianum : *Quicquid ſanitatis cauſa, inquit,elaboratur circa materiam medicam, debitur pharmacia. Atqui Palmarius ſuam Alchymiam ſæpe a pharmacia ſeparat.Ergo nihil circa materiam ſanitatis debetur Alchymiæ Palmarianæ.* De differentia vide *cap.23. pag 123.* Huc tendit & hoc:*Quæ Alchemia non vult ſua præcepta eſſe pharmaceutica,damnata eſt à ſchola;* vt habetur *pag.6.*lapidis. Aſſumimus : *Palmariana Alchemia non vult ſua præcepta pharmaceutica.* Probatur: quia opponitur Pharmaceuticæ : dicitur *Hermeſia* : tantum *circa ignem naturæ ſolum Dominum & autorem chymiæ* verſatur, & hunc commendat.*Eſt in Mercurio,*inquit,*quicquid quærunt ſapientes,* quaſi & ignis naturæ & quæ per eum fabricantur,ſint in argento viuo. Concludimus ergo,Palmarianam Alchemiam eſſe damnatam à ſchola.Ità ille miſer , quod poſtea contigit, fato quodam, & mali præſaga mente, prædixit. Notandum, quod conuictus rei veritate cogatur fateri etiam, illam eſſe Alchemiam, *quæ pharmaca chymicè elaborat* ,quo ipſo *Meſues* & cœteri, quos Libauius citauit, reſtituuntur magiſterii dignitati.*Pag.7.* ait: *Lapis philoſophicus ægra metalla ſanans hominem interficeret, nec habet vſum medicum poſt vltimam fermentationem.* Notare & hoc iubemus.Nam ſuum magiſtrum iugulat. *Si lapis iſte aut eſt ignis natura,& lapis dogmaticorum:* aut *per ignem naturæ confectus , conſequens eſt vel venenum aut ſimili vi noxium eſſe poſſe,vel veneni effectorem. Occidit vero aliquando hominem lapis.Prius eſt ; Et poſterius ergo:* & ex conſequente non ſemper faciet ignis naturæ illa mirificiſſima medicamenta, non ſemper venena mutabit vel in cibos:non ſemper malignas qualitates tollet,&c.Inſuper notetur: *Lapis ante ortum ſolũ eſt venenum: poſt ortum ſolũ eſt Panacea, Hygeia,Dii, Deæ omnes Hippocratis*, & quæ alia ridicula narrat. Primò *pag.72. Non vult tolli venenum.Si venenum tollis,*inquit,*quomodo inde ſummum fiet medicamentum?*quanquam paucis verſibus interiectis velit tolli malum. Deinde longe aliter de veterum medendi via Galenica & Hippocratica diſſerit *pag. 118.* vbi nimirum noſtro æuo *mendax eſt Hipp.* & noſtra ars à veteri diſſimilis.Si hoc verum eſt,& Palmarius diuinum iſtum ignem lapidemque ſuum vnice commendat tanquam vniuerſale contra omnia mala noſtrorum temporum, conſequens eſt, Hippocratem ignoraſſe lapidem,Deos, Deaſque ſuas. Tertio : Si ante ſolem ortum eſt venenum, poſt ortum Panacea, qui dicebatur venenum poſt vltimam fermentationem? An tunc Sol iterum occidit,& ſalubertimus ille ignis recidit in lethiferum pharmacum? Quarto inquit: *Hippocrates inuenit Democritum animalia ſecantem non principia facientem:*At inquimus, nec lapides coquentem, nec ignes fabricantem naturæ,nec alia chymica,quorum tamen multa dicitur ab illo didiciſſe,ni mentitur Palmarius. Quid hinc conſequitur? Nempe Democritum ignoraſſe, aut non exercuiſſe Alchymiam.Ita *pag.8. Hippocrates totus eſt ex humoribus. Ergo non ex igne natura & lapide dogmatico Palmarii pag.7.*Idem dicitur à Treuiſano vocatus eſſe ſpiritus ſine corpore. Reſpondet ſchola; Palmarium mentiri.Neque enim Hippocrates caruit corpore,nec Treuiſanus eum ſic appellauit.*Reiecit,*inquit, *facultas Alchemiam illam Libauii,quia purè Paracelſica.* Reſpondet ſchola,errare Palmarium;quia *Riolanus nominatim excepit Alchymiam Libauii*,quæ licet alicubi Paracelſum citet, tamen non eſt purè Paracelſica. Veritas non pendet ab auctoribus. Si Paracelſus aliquid boni ſeu propagauit, ſeu inuenit, cur non nominetur? Cætera capitis primi ſunt pura mendacia, quantum attinet ad Libauium & eius alchymiam.Caput II. nihil habet,niſi maledicta & conuitia,quæ ſuo igne pereunt.

Palmarius contra ſuam alchymiam. Aliud antipalmarium. Hermeſia.

Contra laudatum ignẽ naturæ.

Contra lapidem dogmaticorum Palmarii.

Hipp. ignoraſſe lapidẽ.

Democritus num chymicus.

Hipp. corporeus non incorporeus.

In breui excurſu p.12. Medici Pariſienſes vno conſenſu Alchymiam nõ Libauii,ſed ſuam repudiarunt.

CAPVT XIIX.

De Elencticis Capitis III. Palmariani; Num Libauius ſit Paracelſiſta. Vbi ignis minime bonus vſus.

DEmonſtrare conatur Palmarius,Libauium eſſe Paracelſicum: Sed laborat miſer,& confirmat iudicium ſcholæ de ipſo.Audiamus quædam argumenta potiora.Primum eſt: *Paracelſus voluit materiam primam eſſe increatam;idem voluit Libauius.Ergo eſt Paracelſicus.* Minor probatur, quia ex *Ioh.1.* dicit quædam non eſſe facta:Et exponit ea de inuiſibilibus. *Ebr.11.* 3. & non Ente 2. *Mach.7.* 28. & Chao,*Sapient.11.verſ.*18.R.Negamus minorem,& dicimus ad probationes, quod ſint calumniose. Nam quæ Iohannes negat facta eſſe,non ſunt illa Platonica;ſed mors,*ſap.1.13.*Item peccata; Idola,&c. Quod autem ad cætera loca attinet,ea explicantur iuxta analogiam fidei. Quicquid à Deo factum eſt,ex Nihilo ab initio factum affirmat,ſiue mediate, ſiue immediate; qua de re vide Libauii com-

Materia I. ne increata.

uii commentarium de originibus rerum. Calumniã autem suam ornat Palmarius mendacio grandi, vbi dicit, quod Libauius *Christum aßimilet lapidi more agyrtarum*. Falsus est miser. Spiritus sanctus sæpe lapidi Christum comparat. Non mirum est si idem faciat Libauius: sed non loquitur de philosophorum lapide: Libauius reprehendit, & abhorret talia facientes, nedum ipse id inculcet & doceat: idque Palmarius ipse confitetur *pag.*14. vbi ex Asclepiade tediuiuo Libauii verba reponit.

Christum Lapidi comparatum Psal. 118.22. Act. 4.11 Rom 9.32.1 Pet.2.6. Es.28 16.1. Cor 10 4. Petra erat Christus. Psalmi sæpe Deum vocant Petram.

Argumentum II. *Paracelsus & Seuerinus habent Physiologiam ex Elementalibus & cœlestibus. Libauius eandem habet Ergo est Paracelsicus.* Minor probatur, quia in Alchemia ponit Elementa magisterii & principia, sicut Paracelsus. R. Negatur minor, & dicitur ad probationem, quod ignoret Elenchum. Aliud est Physica Libauii: Aliud Alchymia Hæc suos habet terminos; illa suos: vti & medicina, & metallurgia cæteræque artes sibi peculiaria. *Non est ex peregrinis principiis, sed propriis probandum.* Ignoscendum autem Palmario est, quia neque medicinam, neque chymiam, neque physicam, neque Paracelsicam, intellexit Si qui sunt Palmariani; huius stultitia resipiscant.

Argumentum III. *Libauius admittit vniuersalem medicinam per excellentiam: Idem facit Seuerino. Ergo Libauius est Paracelsicus* Minor probatur: Seuerinus vero dicit, materiam quandam esse, quæ rectè præparata omnes morbos possit aufferre. Maior quoque ostenditur, quia Libauius vniuersalem dici putat; non quod omnes morbos sanet; sed quod naturam ad omnes sanandam iuuet, &c. Respondeat Palmarius ipse ad maiorem: In ò Libauius *irridet eos, qui vniuersum Pharmacopolium cogunt in vnum simplex. Ergo non est Paracelsicus.* Itaque prior Palmarius in propositione, & probatione eius magnum commisit Sophisma, dum Libauii sententiam deprauat. Scite enim debuit, quid intersit inter æra, & lupinos: Inter Panaceariam assertionem, & quædam generalia naturæ adiumenta. Conuerti vero eadem arma possunt in eundem Palmarium. *Qui vniuersalem medicinam vnicam ponit, is est Paracelsicus. Id autem facit Palmarius Ergo.* Assumtum probatur toties commendato igne naturæ solo & vnico chymiæ instrumento, & Elyxire contra omnes morbos comprobato in cura Elephantica, & *cap.*15.*pag.*85. vbi nominatim vniuersale asserit. Considera marginales ibi notas. Lege *cap* 11.*pag* 63.

Panacea Libauii qualis

Palmarius Paracelsista

Argumentum IV. *Qui consentit Paracelso in præparandis simplicibus est Paracelsicus: Libauius consentit. Ergo.* Minor probatur, *quia inutilia chymia Elementa, quæ separantur in extractionibus, vult nihil prodesse in morbis; sed bonum ex essentia petit, &c* Respondet Palmarius ipse; Respondet & schola. Maior habet elenchum à dicto secundumquid. Nam *essentiam efficacem ab inutilibus fecibus*, quæ sunt Elementa chymica in extractionibus, *separatam commendare, non facit Paracelsicum*; ni & Auicenna, Bulcasis, totaque pharmacopœa coctionum, & infusionum, aliarumque purgationum, quæ fiunt per expressiones, & similia artificia, sint Paracelsica, atque adeo Parisienses ipsi cum Palmario, qui sic præparat stibium, hydrargyrum, olea, sales, extracta & cœtera. Est autem Palmarii litera valde obliuiosa. Nam *pag.*17.*linea* 5. scribit Libauii therapiam esse ex astris & elementis. Sed *linea* 6. parum præsidii est in Elementis, quæ Ens veneni dicuntur, quanquam non à Libauio. Quæ de Pathologia affingit Libanio, quod scilicet Parthologia Libauii, affectus promat ex magno magisterio, censura scholæ sunt digna, & mendaciis annumeranda. Quod orta ab Elementis, & primis qualitatibus vix morbi nomine sint digna, scripsit Hippocrates *de veteri medicina*; qui proculdubio non fuit Paracelsicus. Noterur *pag.*18. vbi Libauium cõtra Paracelsum pro Galeno pugnantem introducit. Paracelso tribuitur, quod negato principio medico de per contraria sanatione, similitudinem inuexerit. Sit hoc Paracelsicum, quod Libauius oppugnarit. At idem scribit Palmarius *pag.*64. vbi chymiam commendat pluribus nominibus, inter quæ etiam est, quod doceat *MEDICAMENTVM VNIVERSALE non solum morborum omnium præsidium, sed sublunarium omnium fomentum, ornamentum, quod vt in omnibus inest, ita omnibus conueniat*; vide ingentes ibi laudes. *Natura nostra effœta* (inquit) *ægrotans iuuatur, fouetur, sustinetur: aucta & roborata natura morbos per se prosternit, &c.* Quid dici poterat magnificentius pro similitudine Paracelsica, Gramaniana, Ambaldina, Seueriniana? Idem fit *toto cap.*15.*pag.*83.*& seq.* Omnino iudice Palmario Libauius in vna pagina sæpe dicit pugnantia: semper falsa: quod tamen mirum: Nam duo contradictoria non possunt simul esse vera, aut falsa. *Libauius artis nomen reiecit: Ergo non est chymicus.* Antecedens probatur: *quia noluit dici Spagyrus*, nec isto nomine innotescere. Mirum vero. At Galenochymus Palmarius est Hermesius, & Spagyrus. Præclarus ergo artista: Scilicet. Libauius non vult dici Spagyrus eo vsu vocis, quo Ambaldus & alii improbi Paracelsici delectantur. Alias saniore sensu non negat extractoriam, & coagulatoriam artem isto vocabulo comprehendi, de quo nos *inferius*. Notabit lector *Spagirus*, & *Spagyrus*. Illud componunt ex σπᾶν, καὶ ἀγείρειν, quod est soluere, & coagulare, quæ duo sunt præcipua in magisterio lapidis: hoc mali ominis est. Nam ἀγυρμῷ turbæ, & mendicitati cognatum. ἀγυρτισμὸς enim aut ἀγυρμὸς strepitus est, & mendicitas: σπάω, traho: iuxta illud: *Paracelsica alchymia est ars sine arte, cuius finis mendicatum ire.*

Nugæ Palmariana.

Pathologia Libauii.

Palmarii contradictio circa sanationis principium.

Vniuersale Palmarij.

An Libauius Spagyrus sensu Paracelsico.

Spagirus & Spagyrus tacitam habent differentiam.

CAPVT XIX.

De comparatione Alchymiæ veterum, quæ dicitur igne naturæ uti, & noua Libauiana & Paracelsica, quæ multis criminibus proscinditur cap.4. lapidis Dogmatici.

IGnis Gehennæ, & stygii Phlegethontis vſum potius inuenimus in *cap.4. Lapidis dogmaticorum Palmarii*, quam Naturæ. Agamus ſyllogiſtice:

Veterum Alchemiſtarum ſcientia fuit ſecreta, & paucis quidem lineis contenta, at multis ſuperfluitatibus abundans; nec re vera vllum artificium: Sed ab vna natura, vnoque natura igne, modo, vaſe conſummata.

Iuniorum, vt Paracelſi, & Libauii, non eſt eiuſmodi:

Ergo non eſt veterum ſcientia.

Pag.20.
Veterum Alchymia ſine arte fuit ſcientia.

Aſſumtio mirificè amplificatur, ignemque ex medio Phlegethonte abunde ſufflat. 1. Iuniores addicti ſenſui literali non intellexerunt veræ materiæ genus, nomen, naturam. 2. Artificia tentarunt, cum veterum ſcientia fuerit ſine arte, vt & *pag.*107. dicitur. Hinc artem condiderunt, modo Pyrotechniæ, mox medicinæ daram. 3. Falſi in ſanitate metallorum, ad hominis vitam audaciam ſumſerunt, & iſtis artificiis medicamenta præpararunt. 4. Quod viderunt CERTVM, proclamarunt pro principiis. Ex conſequente Paracelſus & Libauius iſtis veræ medicinæ fundamenta ſubruere conati, falſa, quæ diuinæ ſcientiæ eſſe putauerunt, ſubſtituerunt. Satis magnus & ferox eſt iſte ignis non naturæ, ſed bilis præternaturalis. Primum ad maiorem quod attinet, illud ſane, vt vt cœtera ſe habent, non ferendum, quod Palmarius putauit veterum ſcientiam non fuiſſe artem. Si ſcientia accipitur ſpeculatiuè, Ariſtoteles ſane conceſſerit, non eſſe artem. At conſtat, veteres non tantum Theoriæ incubuiſſe, ſed iuxta ſua Theoremata etiam opus condidiſſe. *Lapidem*

Agricultura artis expers.

enim *confecerunt Enchiria quadam mirabili*. Rectè dixit ſchola Parmarii librum eſſe erroribus, & mendaciis plenum. Comparat autem iſtam ſcientiam agriculturæ quam putat arte vacare. Vtinam viueres Palmari. Iuberemus te victum parare ex iſta agri colendi ſine arte ſcientia. Verum hæc

Alchymia ante Paracelſum fuit Pharmaceutica.

tranſeant. Aſſumtio probatur operoſe. De Paracelſicis nos nihil. Hoc verum eſt, aliquot centuriis annorum ante Paracelſum Alchemiam veterum fuiſſe medicamentariam. Si hi, qui ante mille annos medicamenta chymice præpararunt, ſunt iuniores: Simus ſanè & nos iuniores. An vero literam ſequentes obiter peruenerint in Chymiam Pharmaceuticam, quærunt etiam doctiores, & ſic eſſe aliqui opinantur. Nec nos id in diſputationem vocabimus. *Artes varias habent inueniendi occaſiones: Et nihil ſimul inuentum eſt, & excultum.* Non defuerunt tamen iuniores, qui & materiam intel-

Lapidem fecerunt multi.

lexerunt, & cœtera. Nam poſt Hermetem, & Gebrum multi lapidem fecerunt: Inter quos recentiſſimi ſunt quantum ſcimus, Eduardus Kellæus, Michaël Sedinuogius, Alexander Coothonius, &c. Erat quidam apud nos Neapolitanus, qui affirmabat in Italicis clauſtris eſſe multos artifices, à quibus accepto puluere ipſe vertiſſet argentum viuum in aurum. Satis eſt, ſi rem tenent iuniores. De litera non cuiandum. Artem ſuam iuniores vocaſſe Pyrotechnian, aut medicinam, fieri potuit. Sæpe enim ſynecdochicè loquuntur, & à fine nomina ſumunt. Sed quid hoc ad rhombum? Nos quoque diſputauimus contra eos, qui medicinam cum Alchymia confuderunt. A metallorum cor-

Medicina non eſt cum Alchymia confundenda.

rectione tranſiuiſſe iuniores ad hominum ſanitatem nec illaudabile eſt, vtpote fine meliore artis propoſito, nec efficit artem eorum diuerſam à priſca. An vero tam imperitus erat Palmarius, vt neſciret ab antiquis quoque humanæ ſaluti fuiſſe conſultum? Enimuero medicum finem ab Hermete artis inuentore repetunt, nec minus Hermeticus eſſe voluit Arnaldus per tincturam ſanando. Quantum vero peccatum eſt id, quod experientia certum immotumque, & priori in alchymia carens cognitum, compertumque eſt, pro principio habere, modo id non fiat abſolotè, nec extra fines iſtius ſcientiæ, ex qua ars pendet? *Eſt principium cognoſcendi: Eſt agendi.* Sunt quoque artes ſubordinatæ. Quæ Elementa ſunt in vniuerſali phyſica, extendunt ſe per particularem, atque etiam per chymiam, & medicinam: Et ſic principia logica, ſeu metaphyſica. Interim nihil prohibet quamlibet ſpecialem ſcientiam ſua quoque habere principia. *Eſt in humoribus, quicquid quærunt Medici*, inquiebat Palmarius. *Medicinæ ergo principia ſunt humores. Eſt in mercurio, quicquid quærunt ſapientes.* His vltimum quærendorum eſt mercurius iudice eodem Palmario, qui tamen aliquando ſulphur addit. Iſta ſunt bella aſſumtionis firmamenta. Conſequens, quod attexitur à parte Libauii, οὐχ ἑπόμενον eſt, ſed mendacium.

Argumentum II. contra artem Libauii:

Ars Libauii continet metallorum, & medicamentorum Sophiſticationes: nullas aut pauciſſimas pharmacorum præparationes laudabiles, ſi non ſint ex pharmacia quæſita.

Ergo falſa, & à veterum ſcientia aliena.

Antecedens probatur, quia præparationes Libauianæ artis non ſequuntur leges diuinæ ſcientiæ (quo titulo Chymia Palmarii nobilitatur *Cap.11.pag.62.& ſeq.*) Cur autem non ſequuntur? Quia carent *igne philoſophico: ſine quo fruſtra labores ſpagiria referuntur ad exempla chymiæ*: fruſtra finguntur principia, & elementa ex locutionibus autorum, qui tamen iſta ignorarunt. R. Eodem argumento Galenochymia Palmarii poteſt accuſari eorundem criminum. …am & ipſe ignorauit fictitium illum ignem, nec præter nomen quicquam eius habuit. Si enim habuiſſet, non alia medicamenta propoſuiſſet.

fuisset. *Si habuisset: aut ex humoribus Medicorum elicuisset, aut ex mercurio sapientum. Ex neutro.* De humoribus patet. Nemo enim ignem istum mirabilem vnquam ex Hippocratis humoribus conflauit. Si ex mercurio sapientum fecisset, Elixyr & lapidem possedisset. At habuisse, negat ipse. Dicamus ergo, Galenochymiam nihil continere, nisi sophisticationes. Quod ad rem ipsam attinet, ex malo fundamento malè iudicauit de contentis arte Libauii Palmarius. Ideo iudicium eius temetarium est. Ingeniosa metallorum sophismata, quæ fiunt sine studio fallendi, & pro eo, quod sunt, venduntur, adeo non sunt in hac arte prohibita, vt etiam publici sint iuris, & à vetustate eximiè celebrata. In Thesauris Darii fuerunt pocula ærea, ab auro non nisi odore distincta; quorum duo etiam in templum Hierosolymitanum pro donariis regiis illata legimus. Quantus numerus est apud Plinium? Aurificina quot exempla habet? Inaurat, inargentatque pocula, & alia multa clenodia; Æs album & aureum publicè fit; quin & aureum inauratur, gestaturque in ornamentis. Ita ornantur templa, & domus, & familia, parciturque auro & argento magno rei familiaris compendio. Sic phaleræ & arma & crepundia puerilia, cum pictorum operibus multaque alia splendent. Quod si quis eò malitiæ deuenerit, vt sophismata illa studio fallendi velit proponere, simplicesque decipere; is statim redarguitur examinibus pluribus, cogiturque dare pœnas legibus, si deprehendatur. Chymia habet misturas, tincturasque apparentes pro variis vsibus licitis: habet & docimasian exactam, monetque quo modo vnumquodque & in quem finem sit factum. Si Palmario displicuisset calumnia, isto nomine Libauii chymiam non reprehendisset. Illud lætum est, quod adiicit: *Si non sint ex Pharmacia quæsita.* Colligimus: *Quæ medicinarum præparationes quæruntur ex pharmacia, sunt probata. Libauiana omnes quæsita sunt ex pharmacia. Omnes ergo probatæ.* Assumtum non fallit. Nam Chymia medicamentaria est pars pharmaciæ, quod *supra* Palmarius etiam scholæ sensu proponebat. *Nec est in arte vlla præparatio vllius medicinæ, quæ non sit Chymica, rudius, elaboratius.* Nouimus enim gradus laborum esse. Quærit de Arnoldo, an artem medendi ex eiusmodi artificiis condiderit, & pharmaciæ adiecerit. Non opus erat quæstione. Rem inspiciamus. Arnaldus (*a*) sanauit aliquando tinctura: aliquando elixyribus vegetalibus: aliquando vulgaribus medicamentis. Medicum egit in omnibus. Medici instrumentum præter cætera, quibus vtitur, est medicamentum. Hoc præparare, si quidem indiget apparatu, est pharmaciæ. At, inquis, principia, & Elementa chymica ignorauit. Non, inquam. Non enim si non istis appellationibus designauit, ignorasse rem consequens est. Lapidem is confecit. Eius principia sunt sulphur, & argentum viuum, quibus sal accedit. Deinde longe alia Elementa in eo destillantur, quàm Physica Aristotelis agnoscit; Sed sunt in manibus doctorum scripta Arnaldi, quibus conuincitur malitiæ Palmarius, & mendaciorum. Aliud. *Veteres noluerunt arcana sua patefacere nec medicamenta sua parare sine igne philosophico. Ergo Ars Libauii non potest congruere cum vetere.* Ratio consequentiæ est; quia ignem, sine quo nihil potest consequi, ignorat.

Metallorum tinctura & mistura licita.

Arnoldus ex quibus medicinam condiderit.

R. Eodem ariete etiam ars Palmarii euertitur. Nominari sæpe ignem istum à Palmario audimus. Sed vbi res est? Si cælata est à priscis, quis eam Palmario manifestauit? Si Palmario, cur non & nobis? An iste solus intellexit Pontanum, & Suchten?

Prolepsis: *At loco ignis sunt varia menstrua. Ergo iuniores possunt idem, quod veteres.* Respondet negando consequentiam: argumento: quia ista menstrua non possint supplere vices istius ignis. Cur? Quia vnus ille ignis totum compositum perficit. Id non possunt menstrua recentium. Nos respondemus, probationem hanc petere principium. Falsum enim est, quod vnus & solus totum compositum perficiat ille ignis secundum explicationem Palmarianam, de qua iam sæpe. Menstrua vero quod attinet, sunt rebus certis certa, eaque artificiosè adhibita multum possunt, sicut & infusionum coctionumque Galenicarum liquores. Non est ideo officina Hippocratica damnanda, quia non vtitur igne Palmarii, nec ideo menstrua abiicienda. An in chymia requiritur nihil aliud? Inficiatur, inquam, Palmarii: sed non in vetere Arabum, Indorum, & Ægyptiorum. Verum superflue disputamus cum tali homine, qui *Chymiæ nihil amplius tribuit, quam Lapidem vniuersalem*, ad quem quidem ignis ille mercurialis requiritur, tanquam Primarius artifex; sed non solus. *Cap. 11. pag. 67.* longe aliter disserit iste vitilitigator. *Purgantium impuritates* (inquit) *tolluntur separatione, & depuratione. Multo magis igne naturæ adiecto, qui tum perfectionem addit labori. MENSTRVA nobilia animalium, vegetantium, auxiliantur. Opus absoluitur, si dictum ignem contineant: quanquam solus ille potest potentius & celerius, &c.* Ecce tibi. Hic aliqua in parte sunt & separationes, & menstrua. At solus ignis asseritur? Verbis, inquam, inanibus. Quis tam sit stultus; si in mercurio lapidis (qui totus est metallicus) est, quicquid quærunt sapientes, atque adeo etiam ille ignis naturæ, vt extractum paraturus cinamomi, aut alterius rei, inde ignem asciscat? Aliud.

De menstruis chymicis. Vide in Tetrade Quercetani pag. 405. 406. Ibi explicat anecdotum ζωνίσιλον. Lege Alchemiam Pharmaceuticam Libauii.

Extracta, olea, essentiæ, sales & similia peiora sunt omnia, quo elaboratiora sine igne naturæ sapores malos, & qualitates exuperantes ad mediocritatem adducente. Hunc autem Alchymia Libauii ignorat. Ergo Chymica eius tanto sunt peiora, quo elaboratiora. Maior illustratur extracto colocynthidis, quod mole paruum, noxa est maximum: Item stillatitiis aquis: quas vt plurimum dicit esse insipidas, & inefficaces, *quia aqua destillando exiens sit elementaris, expers virtutum essentialium.* Donat tamen ei tenuitatem maiorem propter ignem, quem negat rerum sapores mutare posse adeo, vt etiam in cineribus calcinatorum restent. His opponitur *ignis ille omnipotens; qui possit TOLLERE nullæ vi illata sapores; & cicurare dyspepta & ingrata omnia: Sine quo OMNIA SPAGIRORVM opera sint irrita*, &c. R. Maiorem non vsque adeo reprehendimus, si termino *ignis naturæ* intelligatur conueniens vnicuique materiæ, vt natura eius conseruetur, & in melius promoueatur. *Id enim operam dare debet chymicus, vt separando inutilia, siue in mole, siue qualitatibus, naturam conseruet, & exuscitato calido innato* (qui est naturæ ignis & oleum) *per digestiones industrias virtutem reddat agiliorem, sublimioremque*

Extracta.

Aqua stillatitia.

Ignis elementaris.

Chymici cura in medicinis parandis.

quod

quod dum fit, simul cruditates tolluntur, & excessus molestorum ad temperiem reducitur, non omnino perditis saporibus. (Nam naturales sunt seruandi, vt essentiam cinamomi referat cinamomum gustu, essentia salis salem, vini vinositatem, &c.) Quod si vel non potest hac ratione elaborari salutariter, & pro scopo, materia, aut artifex aliud intendit: non sunt tam odiosæ *transplantationes*. Constat enim si non idem obtinere possumus, nos ex arte operantes determinatum consequuturos. *Non enim in quoduis mutatur quodlibet, sed in dispositum.* Si vero per ignem naturæ accipiendum est figmentum Palmarii, vel Elixyr mercuriale, nihil est in Propositione veritatis. Nam peregrinus ignis sumeretur, & res mutaretur tota natura in aliud. *Minor* est commentum Palmarianum, Probationes *maioris* sunt insanæ.

Transplantationes chymicæ aliquando vtiles.

Extractum colocynthidis diuersimode paratur, b & vt diximus, sunt gradus quidam extractorum: vti & gradus morborum, & hominum vtentium; si essentiam quintam colocynthidis volumus, non indigemus monitore Palmario. Nota sunt artificia, quibus excessus amaritudinis, & acrimoniæ temperetur. *Aquæ stillatitiæ sophisticè producuntur, si ita sunt, quæ in Gallia fiunt, vt scribit Palmarius, plus habent de elemento, quam de essentia.* Conqueruntur autem etiam Germanorum Medici de ignauia, & inscitia pharmacopœorum, qui plærumque destillationes nouitiis discipulis committunt, nec aquositatem ab essentiali liquore separant. Verum inde non debet arti conflari ignominia. *Ignem non posse sapores rerum mutare*, si simpliciter dictum est, falsum est. Notum est, quid possit adustio, imo & maturatiua vis est in igni foris adhibito. Quæ ignis in cineres murat, acrimoniam, salsedinemque, & Empyteuma contraxerunt. Piper, cinamomum, & similia tenuia nolunt diu coqui. Sapor enim perit. Intueatur autem aliquis istum Alchymiæ Libauianæ censorem, qui ne loqui quidem chymice potest, *calcinatis attribuendo cinerem.* Ita sibi ipsi circumcidit linguam, dum asserit spagyrorum opera sine igni naturæ esse inutilia. *Hermesiæ* debebat dicere, sed & multa vtilia fiunt igne violento, etiam in opere lapidis, qui albedinem fixam, & rubedinem vltimam non consequitur sine valido igne, nec proiectio potest forti carere. Ignem autem naturæ tollere sapores nulla vi illata, credemus ad Calendas Græcas, siquidem illi intelliguntur, qui rei secundum naturam perfectæ, qualem fore assumit chymicus, insunt, vt salsus sali, acidus aceto, amarus absynthio, vinosus vino, &c. *pag.23.* de arsenico, & stibio diuaporatis, næniam recitat inanem. Basilius Valentinus vitrum stibii, & inde ignem confecturus *calcem* certè *efficacem* reddit. Apparet Palmarium declamatorem parum nouisse naturas rerum & vim artis.

Solœcismus Chymicus Palmarii.

Calx Stibii an inefficax.

(a) *Arnoldi opera An 1520. impressa si legas chymicum principium de extractionibus, inuenis cap.21 speculi introductionis, vbi de specificis formis, quas & Mesue posuit, docuitque è materia extrahi posse. Ita cap.1. de senect. retard. ad Roberium, vbi secretum extractionis per vinum, quo sublime opus medicinarum vocat à sapientibus occultatum nec in libris positum. Ita cap.3. de perlis eliquatis, & sale de minera seu chr. sir minerali, medicina perenne, aq. vitæ, lapide animale, &c. Multa sunt extracta & in sermonibus, vbi nominatim de aqua vitæ ex vino, & aq. auri, aliorumque metallorum, reiectis tamen corrosiuis, &c. Secretum ibi occultari, patet ex rosario Arnoldi, flore florum nouo lumine, &c. Verum in aqua vini laudibus, si alteretur musco & aliis, adeo apertus & profusus est, vt totum in preparatis fic. medicinis ponat. Lege & quia in Antidotario fauentur. Omnino chymicis medicinis Arnoldus non caret, vt Campegium facile mendacii quis redarguere possit. Quid de sigillis dicendum Paracelso commendatissimis? De lapide philosophorum res est certa. Vide cap.29. practica summaria, & opera chymica Arnoldi.*

(b) *Quercetanus in restituta pharm. cap. de Syrupis magnifica quoque loquitur de solis digestionibus Ellebori, Tithymalli, Esulæ, &c. sed nullum ponit exemplum, in quo sola digestio integra reddat tam mitia. Separare sedimenta ab expressis succis. & liquorem purum captare: Addere saccharum, hydromel. & similia, id ne est solo igne natura solisque digestionibus opus obtinere?*

CAPVT XX.

De igni philosophico Palmarii in Cap.5 pag.24.

Philosophi & sapientes in chymia qui.

NOmine philosophorum in magisterio chymico, vti & sophorum, & sapientum intelliguntur non academici, Socratici, peripatetici, stoici, aut similes, sed magi, (a) rerum naturaliū gnari, qualis Democritus, Pythagoras, Hermes, &c. fuerunt, qui studio chymico magnam sibi admirationem pepererunt, vt præ cæteris philosophi & sapientes haberentur, nec negari potest, aliquos etiam magiam Babyloniam, & Chaldaicam sciuisse, sicut in Ægypto Iannes & Iambres coram Pharaone incantamentis ludentes. Isti vocabulum IGNIS variis rebus attribuerunt. Est ignis mentis, acumen logicum, & illuminatio Theologica & magica: Ignis artificiosus Promethei: Ignes cœlestes seu astra: Ignis mundi vniuersalis cum spiritu mundi distributus: Ignis Elementum: Ignis meteoros (vt qui olim Castori & Polluci, nunc à Papistis S. Germano, vel D. Mariæ, aut aliis sanctis ascribitur: Sic Cometæ, Dracones volantes, &c.) Ignis subterraneus: Ignis Gehennæ, & tormentorum: Ignis stygius causticus: Ignis naturæ insitus mistis: Ignis arte graduatus: Ignis extractus vel separatus, & huiusmodi alii plures. *Mercurium* aliqui vocant *igneum venenum*, comburens, mortificans, & comburens corpora. Est ignis in vitriolo: Est in sulphure fixo per salem alcali, seu Sodæ Gallicanæ, &c. Inter omnes excellit *ignis magicus, & philosophicus.* Magicum vocant arcanum, qui latitat in rebus ipsis, & magno artis studio elicitur, cuius vis tanta est, sicut scriptum est in Kurba, vt etiam ignis elementaris potentiam superet. Ex hoc genere est *supra* propositus *Gehennæ ignis*, qui extrahitur ex argento viuo, vitrio-

Ignis magicus qui etiā

vitriolo, sale petræo, vel communi, & exaltatur sale capitis mortui, & ammoniaco sublimato. Talis est & *ignis Tartari*, & plurium causticorum. *Philosophicum ignem* proprie dicunt, quem in magno magisterio adhibent Philosophi appellati, estque duplex: *Mundanus graduatus* ita vt naturam blande iuuet, purget, exaltet, &c. Et *insitus mercurio* tam crudo, quam corporum perfectorum coagulato. Si ab artificio suo minerali ad vegetabilia, & animalia discedunt; ignem *vegetabilem & animalem* suis generibus innatum designant; Paracelsici in sale & oleo, vel spiritibus quærunt. Est tamen & hic externus quidam, qui insitas vires conuenienter promouet. Vnde lapidem suum mineralem declarant generationibus & perfectionibus naturalibus vegetalium, & animalium ratione vtriusq; ignis, de quo nos cogimur frequenter dicere, propter nugas Palmarii, qui tum *alibi* sæpe de suo igni solo operatore, & domino omnis artificii chymici garrit, tum *capite quinto* ex proposito. Titulus est: *Ignis Philosophicus* (qui & ignis sapientum, aliquando magicus: Palmario ignis naturæ) *OMNIVM chymicarum operationum verus est auctor, & solus Dominus, sine quo irrita sunt omnia.* Magnum quid dicitur. Si enim ita est, nullum opus chymicum erit, quod hoc igni non sit effectum. Idem erit iudex & norma omnium. Quod si & aliis ignibus quædam sint præparata, ea ex cancellis chymiæ excident, inque aliam classem rerum secedent, vt tota metallurgia, omnes destillationes, calcinationes & quæcunque igne externo elaborantur. Ille ignis erit instrumentum artificis: erit primarium agens, & pariet alium ignem, qui *medicus* dicitur; Imò vt Palmarius, Michaëlius, Querceranus & alii vocant, *medicina ipsa est in metallis* & hominibus sanandis. Totus erit exaltatorius, digestiuus, perfectiuus per circulationes, alterationes & similia artificia. Tanti boni descriptionem lubet audire. 1. Producitur *Pontani ignis*, qui totus est mineralis, internus partim, partim externus, vt *supra* patuit. Hic vero non est omnium operationum chymicarum auctor & solus Dominus, si modo aliquid est chymicum extra lapidem: nisi fortasse aliquis Palmarianus nobis velit donare aliquid in cæteris analogi. 2. Proponitur *potentia* quædam *chaus primi*, quæ in actum euocata sit incubatu Spiritus sancti, tanquam gallinæ, vti quidam exponunt. Sic ergo erit *vis natura generatiua*. At neque hac omnia opera chymica tanquam solo Domino conflantur: Et si iste est ignis artificiosus Philosophorum, magna sane est amplitudine, & non proprius chymicorum sapientum, sed etiam rusticorum. 3. Adducitur *lux naturæ*, qua astra lucent. Risu dignum hoc. Quis ad sua artificia vtitur astrorum luce, nisi accessorio modo, vt inspiciat materias, vasa & alia videnda? Imo micant foris astra; philosophus vt lapidis morem intueatur, igne flammeo candelarum, &c. vtetur rectius. Magis ridiculum est, eo igni, quo astra micant, vigere, & foueri inferiora. *Calorem solis* volebat dicere bellus iste philosophus. Paradoxum est, quod iste ignis moderatus omnem excessum tollat. Non vbinis calor Solis, & calidorum astrorum est moderatus; sed si sit moderatus, quomodo excessus omnes tollit, præsertim in his, quibus scribitur esse Symbolicus, vt aere, & igni elementari? Num ignis minus est calidus Sole moderate aerem calefaciente? Notetur hic *Symbolismus ignis cœlestis cum igne & aere* elementis. *Infra fortiter negauit cœlo vllum esse commercium cum elementis* quia distet toto genere. Commẽdatur iste ignis cœlestis quidem eximiè, sed præter rem. Nam rebus sublunaribus non potest esse insitus, & naturalis. Est enim externus: aut concedendum est, quod in Elementis medii mundi, & mistis idem ignis sit substantialis pars quædam, à cœlo in inferiora implantata. Nam *natura est internum principium*. Hoc autem videtur velle Palmarius, dum ait, regnare etiam in terræ visceribus, mea re per omnia, distributum esse rebus inæqualiter: Esse quoddam subiectum, in quo vigeat copiosissime: ex quo per artem sit extrahendus. 4. Hic iam erit ignis quartus; sane ignis naturæ, si insitus naturæ potentia. Sed minimè à cœli astris. Nam *mineralia & vegetalia suum ignem habebant ante condita sydera.*

abstrusum sensum & spiritualem habet.
Philosophicus.
Grandia de igni philosophico Palmarii.
Ignis medicus.
Ignis medicus & philosophicus Palmarii.
Ignis astralis.
Contradictio Palmariana.
Ignis cœlestis non potest esse natura Elementarium ignis, ni eis sit implantatus.

Bona tamen est hæc confessio Nam non indigebimus scala, per quam ad Solem, tanquam *noui Promethei*, ascendamus: exoremus quendam *philosophum* artis peritum. Is nobis copiosum ignem ex minerali quadam materia conflabit, non absque ingenioso artificio. Quærit tamen Tyro noster, qui fieri possit, vt ille ignis ex cœlo in minerale quoddam immissus, vicissimque inde erutus, possit tam esse vniuersalis in medicinis omnibus parandis? An non satius sit aliquo *speculari artificio* coagulare Solis radios, quo modo apud Plinium dicuntur quidam credidisse *Electrum* ex coagulatis circa Atlantem Solis radiis nasci? Nimirum tardi nimium sumus ad Galenochymiam capiendam. *Si enim vniuersale effectum quæritur, vniuersalem causam requiri statuimus.* At si ignis ille cœli singulari aliquo subiecto exceptus est, iam non amplius potest esse vniuersalis, quippe qui sit determinatus, & ad speciem redactus, vltra quam non agit, quemadmodum *Elixyr philosophorum commune* ad album, & rubeum singularibus fermentis est alligandum, vt inde lapis factus, non plumbum, æs, ferrum, &c. procreet, sed suæ naturæ conueniens. Sed audite: *Cum omni genere, specie, indiuiduo inuenitur ille ignis*, inquit Palmarius. Incredibile hoc. Nam chymia materialis & non phantastica, tractat res singulares, & sensibiles, *suntque sensibilium sensibilia principia*, inquit Aristoteles. Genera & species sunt substantiæ secundæ, id est, logicæ, & nihil extra intellectum. Nempe assumenda est Idea platonica eaque chymice laceranda, vt ignem Palmarii habeamus. Si non fallimur; argutus homo erat Palmarius, quanquam fortasse non Doctus. Maius miraculum est, quod ille *ignis etiam sit frigidus & humidus: & pituitosus*. Quomodo erit ignis, & is cœlestis, si talis est? Ex Palmario didicimus toto genere cœlum distare ab elementis. Hoc autem non Palmarii caussa ponimus, qui est mortuus; sed stultorum istorum, qui nos Palmariano genio exagitant, & sibi mirifice placent, inuentum esse, qui Libauium tam masculè, vel potius cyclopicè vexet. Sequuntur *longe mirabiliora*, quæ non sunt relatu digna. Illud tamen non est prætereundum *Ignis & Azoc* (inquit *pag. 25.*) *tibi sufficiunt.* Meminimus nos apud chymicos de lapide id legere: Sed *Azoth* scribebatur, & exponebatur vox *de mercurio*, qui dicitur *ignis & igneum venenum*. Si viueret Palmarius, quæreremus, haud grauate exponeret

Ignis Palmarii ex cœlo irrepsit in quoddam minerale.
Ignis cœlestis ad singulare redactus non potest esse generale chymiæ instrumẽtum.
Incredibilis ignis.
Ignis frigidus.
Ignis & Azoc, quæ in opere minerali aliud quid sunt, quam in animali & vegetabili.

poneret nobis, quinam eſſet ille ſapientum Azoc; an ignis? Et num duobus vocabulis vna res deſignaretur, an duæ? Nos ignis voce graduatũ externum intelligimus: Nomine Azoth mercurium (b) qui eſt lac virginis, & aqua permanens, accipimus. *Hiis duobus abluimus Latonẽ, & æthiopem dealbamus*, qui æthiops in ſe habet radicem, & fundamentum ignis naturæ ſapientum. Sic eſt philoſophandum, o genie Palmariane, non ita ſtolide, vt tuus fecit Palmarius. Notamus inſuper, quod *iſte ignis & Azoth coniunctim nullum aliud medicamentum perficiant*, *quam* quod *mineralem tincturam* vocant. Si ergo abſynthium eſſet præparandum, vnde ſumeremus Azoc? Niſi chymia tota tantum eſt lapidea, verum eſſe nõ poteſt, quod Palmarii titulus *in cap.* 5. requirit. Quid autem de hoc dicendũ, quod *ope ignis & Azoc alimenta cuiuſuis ſaporis inſipida euadant nomine ſanguinis*? Credendum videtur, Palmarium cum viueret, multum ignis & Azoc comediſſe: quia vt lapis eius oſtendit, ſanguinem habuit plane inſipidum, qui alias in genere dulcis eſſe prædicatur, niſi quid ex accidente eueniet. Sed qui quæſo euaſit ille ſanguis talis ex alimentis *ſine omni additione & detractione*, niſi forte pauca? An Palmarius tam parum (ſit pax piis auribus) cacabat? Vomuit certe multum, vt Lapis dogmaticus teſtatur. *Piſces marini*, inquit, *ſunt inſulſiores fluuiatilibus*.

Sanguis Palmarii eſt inſipidus.

Ignis Palmarii eſt in piſcibus eoſq; facit inſipidos.

Videntur ergo valde ſanguinei eſſe, vt totum oſtreorum genus, quanquam iſti vulgares phyſici, qui ſingulares rerum naturas ſcrutantur, aliquibus tribuant ſalſum ſuccum: nec poſſint intelligere, quo modo ille ignis cœleſtis ſit in omnibus omnino rebus, & tamen tam multæ dulces, etiam ſanguis ipſe, vt Palmarius fatetur *pag* 94. plures acres, acerbæ, acidæ, amaræ, etiam in ſua perfectione, vltra quam natura non tendit. Sed non nimis eſt philoſophandum. Interim ponemus hunc *QVINTVM ignem naturæ*, qui eſt animalis, & fors plus beſtialis, quam humanus, quia ſanguis humanus ſæpius eſt acer, & nonnihil ſalſus. Sequitur *ignis ſextus*, qui eſt *ventriculi medicamenta ingrata mutantis in grata*. *In ventriculo*, inquit, *aſſumta medicamenta ingratum ſaporem perdunt*! *Et inde lac*, *& ſanguinem purgatorium*, *& inſipidum reddunt*. Verum hoc ſit de ventriculo Palmarii. De aliis eſt incredibile maxime cum ſæpe affirmet, ſine molis diminutione id fieri, ſi lac inſipidum inde fit; mater Palmarii & vaccæ fortaſſis ignem iſtum habuerunt. Nos ſumus infelices, quibus mater lac dulce immulſit. *Ignis iſte etiam hoc poteſt intra ventriculos noſtros, vt purgantia perdant horridos ſapores illæſa purgatrice.* Argumento, quia mulieres & capræ comeſto ſcammonio lac inſipidum, & purgans naniſcuntur.

Ecce ventriculum Palmarii plus quam ſtruthionicum. Lac inſipidum.

Ignis Palmarii ſi velint, relinquit purgantem vim, etiam venenum relinquit.

Forte credendum eſt, etiam venenum non perire ab illo igni: quia & hoc aſtrale eſt, & quædam puella ad Alexandrum miſſa tota erat intoxicata, ſicut & rex quidam in India apud Ludouicum Vartomannum. *Eſt autem purgans valde cognatum veneno*, & Græcis vtrumque dicitur φάρμακον. Quidam etiam purgando per Elleborum animam cum alui fecibus profundunt. Si ita eſt, valeat ignis. Quid enim commodi eſt, ſi elementares duntaxat qualitates deſtruit, relictis occultis, & venenatis? Verum quo modo ad calorem ventriculi peruenimus, cum ignis iſte naturæ ſit inuentione artificialis? Quis eſt anatomicus, qui eum arte ſua ſectrice manifeſtauit? Eſt naturæ, & artis. Nam Palmario eſt omnia.

Mirum. Ignis Palmaris eſt artificialis inuentione, & tamen ventriculo inſitus.

Quæritur, num iſte ignis etiam ſit anatomicus, & poſſit comeſtum, aut aliter commiſſum corpus in tria principia ſecare? Si eſſemus in ſchola Galenica & Hippocratica, facile diſceremus, eius operatione non tantum *quatuor humores* fieri alimentarios, ſed & excrementitios nonnullos, ex quibus ſerum eſt ſalſum, phlegma aqueum, & inſipidum, ſi eſt naturale; melancholiam aiunt eſſe acidam & bilem flauam amaram, quibus 4. Elementa, & tria principia repræſentantur. Sed Palmarii ignis eſt ſingularis. Non facit tria principia: verum facta exaltat. At à quo, & cuius ope facta? Num à chymico, & quodam alio igne? Verum non hæret ille ignis in principiis ſublimandis: Etiam eſſentiam, actionum reginam, nobilitat. Bellè. At nos tardi ſumus, qui non intelligimus quo modo eſſentia Palmarii ab illis tribus differat. Niſi fallimur, Palmarius non multum abfuit à Libauiana Alchymia, & fors iſta eſſentia eſt Quinta, quam alibi ad amuſſim prædicat. *O magnam vim veritatis*. Iam contra vſtulatorem ignem declamat. Quid is meritus eſt? Dicitur deſtruere omnia. Bene. At nos ingenio vtemur, & ſic adminiſtrabimus iſtum vſtulatorem, ne poſſit vſtulare. Num tunc erit Philoſophicus? Credimus fore: atque ita SEXTVM ignem naturæ habebimus. Quid *de Meſue* ſentiendum. *Nominat is quidem* (loquitur Ariſtarchus Palmarius) *deſtillationem*, *& oleum & alia quædam*. *Sed erat rudis iſtius veritatis* (feritatis ſcribi debuit.) *Eſt auritus teſtis*. *Vulgare quid eſt oleum lateritium*. *De ſpecie ſeparata à materia garrit.* Qui ſic? *Quia ſi ignem naturæ ſciuiſſet*, *non ſeparaſſet*. *Ignis enim naturæ ſpeciem in materia conſeruat.* Commentum iſtud eſt Paracelſi. Si dicis, *Meſues communicatam facultatem pro ſpecie habuit; craſſum magna pro materia*: Reſpondet: *Ergo tantum fuit Pharmacopœus*, *& non chymicus iſte* ἰσόθεος. *Deſcripſit noſtram* (Galenochymicorum ſcilicet) *Pharmaciam omnium accuratiſſime.* Ecce tibi Libaui. Inueniſti magiſtrum. Sed Libauius nimium eſt pertinax. Credit enim vni Meſuæ plus, quam centum Palmariis. *Oleum philoſophorum etiam noſtra Pharmacopolia agnoſcunt*. Miraris? *Societas quadam facta eſt comprobata chymiæ & Pharmaciæ*; Et Palmarii ſchola nihil chymicum volebat, quod non eſſet Pharmaceuticum. *Meſues ſuam artem, qua olea eſſentialia fiunt, aſſcribebat his, qui quæ ſunt occulta, in rebus manifeſtant*, quos etiam vult conſulendos. Syluius *ſapientes* vocabat: Meſue *in præfatione* oleorum *Alchimiſtas*. *Seruitor in oleo philoſophorum apparatum vaſorum aſſcribit horum notitiæ, qui occupantur arte Alchymiæ.* Quis ſit iſte Palmarius, qui nobis aliam Alchymiam ab illa veteri velit obtrudere?

Humores ex cibis in corpore.

Palmarius tria principia ponit quæ ante atque etiam infra negat. Addit & eſſentiam.

Ignis vſtulator.

Meſuæ iudicium paſſiuum.

Quid de *Arnoldo* iudicandum? Eſtne Alchymiſta? Reſpondet: *Habet aquam auri potabilis ex Auro Dei; non ex auro Alchemiſtarum. Habet Elixyr contra venena: & ſanguinem deſtillatum, ſed eſt ſanguis lacertæ. Omnes ſunt labores lapidis, nec pertinent ad particularia.* Hæc magiſter Palmarius. Mira omnia.

Arnoldus qualis chymiſta.

Aurum

Aurum Dei est ne *aurum natura* in mineris terræ natum, & à fossoribus erutum, vel Chrysoplysis collectum aliterque à terra sumtum, an non? Credimus fuisse aurum natiuum. Bene. Num lapidem Arnoldus fecit, an quid aliud? Lapidem certè, eumque vniuersalem. (d) At *infra* Libauio pertinaciter negat Palmarius, Aurum naturæ ingredi lapidis artificium. Quo auro Arnoldus, vt is est, eodem κατὰ γένος etiam Libauius. Habet vterque idem subiectum. Iam inuentum etiam id est, quod Palmarius contendit *calasse sapientes omnes*. In quo enim, quæso, est IGNIS NATVRÆ? Respondetur *in auro Dei, quod est & natura aurum*. At erat in Mercurio, quicquid quærunt sapientes? *Natura quoque aurum*, inquam, *est Mercurius*. Nouum est sanguinem humanum Arnoldi non esse hominis, sed Lacertæ. Mineralisne, an animalis? Animal lacerta multum differt ab homine. Quidam sanguinem viri rufsi poscunt. Intelligunt autem sulphur ex marcasitha aurea. Verumtamen putamus Thomam, qui apud Pontificios est infallibilis, & Arnaldum vniuocum hominis sanguinem intelligere, vt & Plinium *lib. 26. cap. 1.* & 28. *capite quarto*, &c. Dormiat interim Palmarius.

Palmarius aurum natiuum lapidi asscribit, & vicissim negat.

Ignis naturæ in auro naturæ.

Sanguis viri rufsi.

(a) *In Arnoldi libris sapientes sæpe dicuntur Medici periti, quos & Physicos appellant, præsertim ii, qui magni magisterii fuerunt gnari. Ita apud Mesuen, quod apparet tum ex aliis, tum ex cl. philosophorum*, &c.

(b) *Nota, quod superius dictum est, hic non negari, quod alio modo & mercurius sit ignis, & ignem potentem in se habeat. Vide tetradem Quercet. pag. 458. 459. cap. 33.*

(c) *Palmario Mesua Alchymia non est Alchymia; vbi tamen nota, quod hodierna chymia gallicana, Basilica, &c. à prisca valde discesserit, præsertim in mineralibus. Libauius noluit artem annuam ad huius istius noui cinefloris arbitrium scribere, sed iam seculorum experientia & vsu probatam.*

(d) *Qui in Arnoldi, coætanei Petro Aponensi, & Lullio circa ann. Christi 1300. scriptis versantur, duo in eis inueniunt; vnum, quod vulgarium scholarum & officinarum morem sequatur, estque Hippocraticum, Galenicum, Arabicum, iuxta methodum communem: alterum abstrusum, minimeque sic publicum factum, vt ab omnibus caperetur. Illud est genus exotericum: hoc commentariorum philosophicum ex consuetudine sapientum Hermeticorū. De illo plenos libros dedit: hoc alicubi attigit, alicubi vero mystico sermone prodidit integrum. Vbi ad Clementem papam in practica summaria scribit, hæc habet cap. 29. Inter simplicia à proprietate valentia contra venenosa, primum & vltimum est, Elixyr maioris operis A L K Y M I AE si ad vltimam deducatur perfectionem. In tractatu de dosibus Theriacalibus ait: Scimus, quod lapis ille Theriacalis, quem Arabes vocant BEZAAR, non viridis, sed gypseus, qui de corpore repentis animalis extrahitur, in quantitate semilenticulæ sumtus in pulvere potentissimè liberat à veneno cuiuslibet nociui animalis. Nec mirabimur de hoc, cum viderimus MAGNAM MEDICINAM, quam LAPIDEM RVBEVM nuncupauerunt, in quantitate vnius grani MILII qualibet die sumtam collectionem duram X V. Annorum exterius eminentem in latere infra tres hebdomadas resoluisse, miraque sunt valde opera naturæ, sine quorum notitia in particulari iuuenum intellectus fraudatur, &c. vide finem istius tractatus. De ipso vero lapide ex professo compilauit Rosarium philosophorum lib. 2. Deinde nouum Lumen: post hoc perfectum magisterii, gaudium magistri, thesaurū & flore florum: quarto tractatum de lapide philosoph. Quinto epistolam ad regem Neapolitanum super alkymia. His ita se habentibus, & Attestante Iohanne Andrea Iurecons. aurum ab eo probatum factum esse, aliisque multis astipulantibus, mira est impudentia Campegii, Riolani, Palmarii, & aliorum misochymicorum, quod ausint soli obloqui. Ad sanguinem quod attinet, de quo Palmarius contendit, quinam sit, lege Lullium & Vlstadium. In Arnoldo in breuiarii lib. 4. cap. 21. habetur cancrum & fistulam curari, si sæpius abluantur A Q V A SANGVINIS destillata, & superspersa calce sanguinis. Remedii genus habes, apud Plinium lib. 26. cap. 1. Quæ Palmarius de Lacerta garrit, fatua sunt.*

Capvt XXI.

De igni naturæ duplici, alimentario in corporibus viuentium, & medicamentario in Alchymia.

Comparat magister opera naturæ, & artificis. Illa dicuntur peragi *igni natura* intus & foris, circa alimenta operante. Nam natura spagirica hîc est, & separatoria. Segregat igne suo feces, magmata, capita mortua, stercus intestinale; Vnde hanc nouam proprietatem accepit ignis naturæ: An non totus & solus est *Hermeticus*, non autem *spagiricus*? Nihil aut parum separat sæpe: Iam nullum est alimentum quin separet, & faciat *quatuor genera inutilium*, quibus accedit quintum, *serum* scilicet, *sale ammoniaco plenum*. Quid hinc? Noster Palmarius Paracelsista, Gramanianus, & Patabolicus Alchymista factus est. Nihil enim dicit *hoc capite 6.* quod non vel ipse Patacelsus diceret, si viueret. Est enim simili inconstantia. Separari dicit, & non separari, de quo ante. *De sanguinis colore* non est bonus Galenicus. Negat enim ex Epate esse; *pag. 31. & 50.* sed *ex occulto produci*, quo modo chymici ex albo lapide per violentiam ignis faciunt rubrum. Verum ignis iste productor non est Palmarianus ex toto. Nam ex rubro album quoque facit, vt lac, adipem, semen, &c. Chymicum tamen & hoc est, verum nonita. Nam cum chymicus sapiens ex rubro lapide vult facere album, cogitur mercurium addere. Naturæ ignis in fœmina potius detrahit, quam addit quicquam. Diuersæ

Ignis naturæ separatorius.

Palmarius Paracelsista.

Vnde rubedo sanguinis.

Duplex chymia Palmarii. *Ignis Palmarii & chymia separat.* *Comparatio operum naturæ in alterando & magni magisterii in lapide.* *Semen.* *Portentosa desemine.* *Q.d. in fæmine.* *Rebis Palmarii.* *Circulatio.* *Aurum potabile exuberatum, su praque sphæram exaltatum.*

ergo sunt operationes ignium naturæ. Natura Palmarii chymica habet filtrationes duas. *Eodem modo vt ait pag.31 chymici labores purgant medicamenta. Ergo duplex chymia: vna naturalis: altera artificialis. Neutra Libauio permittitur. Sicut enim propria & alibilis substantia seruatur in chymia natura, ita debet seruari medicamentosa in artificiali; quod deest Libauianæ.* Verum nos dicimus, Palmarium istud *scripsisse ex affectu* tanquam Libauii hostem, *non ex veritatis conscientia*: Deinde sibi ipsi aduersari. Quoties enim ideo repudiatur Libauii Alchymia, quia ignorat ignem naturæ, qui solus omnia perficiat citra separationem vllam, aut paucam illam alio nomine damnatur, *quia scilicet, separat quidem, sed non seruata medicamentosa substantia.* Licet ergo separare inutile ab vtili, impurumque à puro? Imo fas & ius est artis spagiricæ. Quorsum itaque negatur tam impudenter? Palmario iudice *natura ignis in homine exercet exaltatoriam.* Separat sanguinem in corpus genituræ & spiritum vitalem: quæ duæ portiones sunt ex vna radice, & vniuntur vicissim, fiuntque semen, tanquam lapis naturæ philosophicus & Elixyr cuius proiectione in argentum viuum fœminæ, nascitur simile. An non hoc est lapere? Semen est compositum quid ex corpore genituræ, & spiritu vitali ante diuisis, postea reunitis. Quid si spiritus ille totus effet volaticus, nec tam diu maneret in corpore, donec posset coagulari, & concrescere cum genituræ corpore? *Elaboratur tamen corpus genituræ in testibus, vt fiat subiectum essentiæ diuinæ, instructæ triplici spiritu.* Mirum. Semen ergo coalescit ex *quinque rebus*, corpore genituræ, tribus spiritibus, & essentia quinta. Hoc quoque non est desipere, portentoso tamen Paradoxo est similimū. Nam & REBIS vocatur illa coniunctio spiritus & corporis: forrasse melius (*inquis.* Nam sunt quinque. Tandem docetur naturæ circulatio cum serpentinis. *Quæ omnia debet imitari chymicus.* At quorsum quæso, si proiectionis momento omnia ignis naturæ peragit? *Depuratio, coctio, circulatio, exaltatio sæpius continuanda* (quod & ipsum prodigii instar. Continuum enim non est diruptum) *non fiunt breui.* Veruntamen argumento rem facit probabilem: Quia *ars debet supra Naturam ascendere.* Iam scilicet intelligimus quid sit *aurum potabile* Palmarii exuberatum (quasi ex vberibus emulctum) supra sphæram exaltatum nec reductile, quo robotata natura virus elephanticum totum in cutem expellit. Vtinam illud sumsisset Palmarius antequam scriberet: nisi forrasse sumsit nimium. Vnde factum est, vt omne venenum, quod vspiam est, in calamum expulerit, illeueritque chartis, sed certe absque omni igne naturæ, nisi & hic est venenatus. *De spiritu animali ad cerebrum sublato scribit, quod adeo sit feruidus, vt ni cerebri frigore temperaretur, incendium conciperet:* qui tamen tam non ignis, sed æmulus ætheris, & cœli dicitur: cumque sit tam calidus, etiam de re frigida, vt lactuca, elicitur, & aqua. Scilicet erat, qui nobis persuadere volebat, aquam esse calidiorem vino: quia si potetur in magno æstu, sudorem gignat. Cerebri Palmariani ignis, quo tempore scribebat, non caluit ab aqua & lactuca: nec fuit temperatissimi ignis cœli, sed stygii pyriphlegethontis.

CAPVT XXII.

De igni malæ naturæ, quo Palmarius voluit comburere tria principia Alchymiæ Libauii cap.7.pag.35.

Chymia esse propriam obscuritatem. *Chymia habet principia & elementa.* *Elementa.* *Mira elementa Palmarii.*

IN *præcedente capite* didicimus, Naturam esse rebus & nominibus chymicam; & sic naturæ operationes vocandas esse appellationibus operationum artis, vt destillationis, circulationis, exaltationis, &c. Nam *comparatur ars naturæ. Capite septimo* docemur in aliis scientiis perspicuitatem: in chymica obscuritatem quæri. Quod si est, male didicimus, apertissima naturæ opera esse ex chymia declaranda. Sed hoc donemus autori ventoso. Habetne chymia etiam principia, & elementa? Palmario iudice habet. Sed quæ? *Principii nomine*, inquit, *materia, & eius labores intelliguntur.* Agnoscimus effatum chymicum. Principia quærenda sunt in materia: Sed elementorum nomina non sunt materialia: quippe quæ significent mutationes quasdam analogas elementis in operationibus. Inde dicuntur elementa mutari, destillari, &c. Siccine res habet etiam in naturali chymia animalium? Si Palmarius stare velit placitis, debet habere. Veruntamen addenda correctio est. Nam illud dogma de principiis & elementis est peculiare Alchymiæ, primumque locum habet in magno magisterio tincturæ, inde transfertur ad alia. Quæ sunt & quot principia chymica? Palmarius proponit TRIA iuxta quosdam, *sed hos putat ab Hermete deceptos esse: qui opus lapidis creationi mundi assimilauit. *Sic mundus creatus est*, inquit *Hermes, nempe, initio erant omnia vnum: nihil apparebat, nisi aqua.* Quid hinc Palmarius? Arbitratur, *vt tria principia sunt in mundi exordio, ita esse tria in mundanis omnibus.* At, inquam, Hermes istud non dixit. Deceptus est potius Palmarius, qui etiam mox errorem agnoscit. Tantum enim duo ponit principia *sulphur & mercurium*, sententia Libauii, & Paracelsi, qui tamen adiecisse dicitur *Salem*. Hinc argumentum: *Si omnium sunt tria principia, confunduntur omnes scientiæ & artes. At hoc improbum. Ergo non sunt tria.* R. Negamus connexum. Non enim si chymici mista tesoluunt in tres partes essentiæ interioris, confundi omnes scientias est consequens. An non ergo habent principia chymici? Respondet Palmarius: Nominant sulphur, & mercurium omnes. Ergone omnes confundunt scientias chymici omnes? Neutiquam vero. Cur? Quia *non vulgaria, sed sua intelligunt.* Bene. Sed nec Libauius alia intelligit, quam chymiæ propria. Ita de elementis; in quibus tamen mire vertiginosus & argutus fuit, licet non doctus Palmarius. Cum dicunt magistri: *Conuerte elementa, & quod quæris, inuenies:* Item: *fac siccum humidum, molle durum, & habebis magisterium:* putat perinde esse, ac si præcepissent ex terra aquam fieri, ex aqua terram: ex sulphure mercurium; ex mercurio sulphur; ex vtroque salem. Item interpretem solertem. Agnoscitne ergo tria principia, licet aliter declaret? Ita videmus. Veruntamen bonus ille nō rectè inspexit literam; vel, si dicendum est, de-

est, deceptus est à litera. Nam initio materia tota est humor. Incipiendum ergo ab humido frigido Element[...] quod est aqua. Deinde fit terra calida sicca. (Neque enim est frigida) ex eodem humore coagulato: Tertio terra hæc iterum vertitur in aquam, sed paulo calidiorem. Hinc fit transitio in corpus naturæ aereæ, quod est calidum humidum. Ex hoc iter est in calidum siccum igneum. Hæc est prima Elementorum tota in lapide rubro. *Si principia spectes, in initio non est sulphur, nisi inuisibile, sed mercurius.* Ex hoc fit mutatio in sulphur indigestum: quod vt concoquatur, resoluitur, denuoq; digeritur, & fit sulphur album in opere albo: in rubeo id mutatur in sulphur rubeum. Iam fermentandum est, & solidandum corpus, in quo anima. Solutum itaque sulphur tunc accipit nomen salis, vti & spiritus, quo mediante vtrumque coniungitur. Dicitur & acetum & aliis nominibus soluentium, maxime tunc sal appellatur mercurius, cum nigritiem enatam abstergit: acetum, cum soluit. Hæc Libauius in scriptis sapientum inuenit, & ex parte etiam rudimenta vidit, nec est mentitus. Ait Palmarius, *semper per terram intelligi sulphur.* Sit sane hoc: veruntamen diuersitas est in terra & sulphure. Sulphur & mercurium, hoc est, terram & aquam vult esse duo Elementa conspicua: Alia duo recondita. Nimirum aliquando sunt conspicua; sed in initiis putrefactionum, non est nisi vna aqua. Facile patimur sic disserere Palmarium, & loqui cum Libauio. At ita non euerterit, sed stabiliuerit Principia & Elementa chymica. Ait *Treuisanum remotam materiam petere ex communibus elementis*: nempe cum peripatetice de compositione mistorum disputat. Veruntamen cogitare debuit Palmarius, *Mercurium philosophorum esse ignem cœlestem* se iudice; *Et cœlum toto genere differre ab elementis.* Vbi hic mistura ex congressu elementorum? *Chymica Elementa succedunt, non miscentur.* In modo generationis humanæ toto errat cœlo, & monstra scribit, non dogmata. Semen & menstruum quis credat esse proxima nostri ortus principia? Quis, sanguinem concurrere modo seminis, modo menstrui specie? Menstruo ali semen vnius radicis? Semen sanguineũ esse sulphur? Videant physici peripatetici, num Aristoteles gignat *metalla ex terra & aqua*, hoc est, *sulphure, & mercurio.* Videant, quam verum sit, *ex duobus actu existentibus non fieri vnum*, idque esse impossibile naturæ? Non sanè in initio sic est, cum lapidem fabricamus. Veruntamen cum animalia ex coitu nascuntur, an non sunt duo actu semina? Idem fit in coagulatione magisterii. Deliria sunt, quæ pro argumentis ponit: *Esset Ens per accidens, non per se.* Nempe chymicorum tales aduersarii, quia nati sunt ex duobus seminibus actu separatis, sunt Entia per accidens. Item: *Esset compositum, non simplex naturæ opus.* Imò est compositum, quanquam & simplex possit dici, respectu homogeniæ. Item: *Esset forma composita*, &c. quasi vero formæ non sint vltimæ perfectiones, quarum nihil erat actuante absolutionem, sed totum potentia.

Elementorum in lapide conuersio.

Sulphur duplex artis.

Sal.

Acetum.

Palmarius in Elementis lapidis incertus est.

" *Principia* " *humani* " *ortus.*

Absurda Physica Palmarii.

Risum quis teneat, cum reiicit tria principia, *quia ignoremus proportionem compositionis, & mensuræ?* Si hoc est idoneum argumentum, nega & quatuor humores in animatis: nega in mistis 4. Elementa. Apparet hinc, quam infans fuerit Palmarius in artificio. In principio semen est vnicum aspectu; sed potentia duo iam inter se commista. Postquam in putrefactione discesserunt, ipsa natura & ratio docet modum redunitionis. Verum ad stulta non est respondendum multis. Sapere videtur, cum chymicorum Elementa diuersa ab Aristotelis ponit. Cur non idem in principiis fiebat? Num Galenici habeant quatuor humores vnius mercurii, vt sit in mercurio quicquid quærunt sapientes: In humoribus, quicquid medici, ipsi viderint. Schola respondet, *Palmarium mentiri. Pag.64.* Idem præclarus disputator in quatuor Elementis agnoscit quintum, quod *cœlestem substantiam, eamque diuinam vocat.* Benè. At ista substantia est triplici vultu; *liquoris, olei, & salis.* Quartus non est. Inter quatuor Elementa misti omnes sunt comprehensi. Iam ergo Libauianus est Palmarius. De hoc ne dubites, vide *pag.40. finem* scilicet *capitis 7.* vbi hæc: *Spagyriæ principia artis sunt. Ea pendet ex pharmacia. Simplicia naturæ opera assumit elaboranda. Si velis, oleum, sal, essentia, sint principia siue prima opera, vt in pharmacia puluis, decoctum, aqua sunt elementa compositionum,* &c. Hæc Palmarius, qui transmutationem Libauii expertus est in seipso. Quanquam enim ineptiat de puluere, decocto, aqua, tanquam principiis pharmaceuticarum compositionum, tamen vtcumque est Libauianus. Quid enim ad rem, *si chymian & spagirian duas eiusdem artis partes voces,* & tria principia in spagyria agnoscas? Non re differs, sed modo rei explicandæ. Maneant principia artis chymicæ, & cæteris scientiis, artibusve relinquantur sua. *De vnico chymicorum principio,* quod ponitur *pag.39. facile conueniemus, si chymia est eadem cum lapidis artificio: Et principium idem, quod primordium, vnde incipitur.* Quid hinc aliud concludas, quam Palmarium voluisse vexare scholam suam, & cum Libauio animi caussa, ludere? Sed lusum virulentia perdidit, maleque cessit autori incauta vexatio. Notandum autem, oleum, sal, essentia pro liquore mercuriali, vt ineptè loquitur. Si ista sunt res Alchemiæ, quo igne sunt præparatæ? Num vnico illo & solo autore & Domino? an externo, quem *pag.34.* vt plurimum mitem, & blandum esse scribit?

Elementa chymica alia ab Aristotelicis. Pag.39.

Palmarius Libanianus, quinque naturas in misto agnoscit.

Palmarii spagyria cōcedit principia.

Chymia & spagyria duæ eiusdem artis partes.

Vnicum principium.

(a) Hic nota, quod aliqui recentiores quatuor faciant principia: tria actiua, & vnum passiuum, quod scilicet est elementaris materia, terra & aqua constans, cum illa cœlo ascribantur. Ita in vnum genus compinguntur elementa & principia. Sic interdum & Quercetanus loquitur, tria actiua ponens, & duo passiua, quæ scilicet sensibiliter occurrunt. Spiritus igneus & aereus, qui non sunt cum principiis, expirant insensibiliter, aut coagulant.

CAPVT XXIII.

Quomodo Palmarius ignea sua ira in excußione elementorum sit vsus cap. 8. fol. 41.

TItulus capitis ius quatuor Elementorum contra TRIA Libauiana promittit. Errauit promissi faber. Nam & Libauius quatuor Elementa in sublunatibus profitetur. Verum ignis Palmarianus pasci non potuit absque materia, quæ cum vera defuit, fingenda fuit. Non erit lis de re: tantum videamus paradoxa Galenochymici huius, in eum finem, vt qualis sit Galenochymia, nouum scilicet istud monstrum, hac quoque parte cognoscamus.

Paradoxa Galenochymica. 1.

Paradoxum primum: *Magistri scientiarum perpetuo sunt vsi nominibus elementorum à NATA natura, & prima creatione mundi.* Dubitamus valde, an aliquo argumento probare possit Galenochymus, 1. naturam esse natam; 2. magistros artium fuisse à prima statim creatione; 3. Elementorum nominibus statim vsos esse: 4. Et quidem quatuor vulgarium in Peripato.

Vetustissimos pro igne cœlestia corpora & calorem habuisse: non illum spiritum calidũ Peripati, nec accensum halitum.

Ratio nostri dubii est, quia in antiquissima mundi historia legimus quidem de aqua & terra; & aere seu spiritu; De igni nihil legimus; sed eius loco cœlum & lux ponitur. Hinc philosophorum antiquissimi quatuor quidem simplices naturas fassi sunt, sed ignem alium non habuerunt, nisi cœlestem, qui in materia elementati quasi elementascit, sicut cum radiis solaribus flamma excitatur. Aristoteles quoque cum ignem elementarem poneret, non ausus fuit ei actualem calorem tribuere, & in ima deriuare, sed motu rarefieri & calescere aerem tradidit. Hippocrates *in lib. de carnibus* quatuor ista appellat autoritate veterum, *Aetherem, terram, aerem, humidissimum, seu aquam.* Ignis vocabulo indiscretim vtitur de calido, calore, meteorica flamma, & similibus. Sic Plato: Sic Plinius *lib. 2. cap. 5.* vbi igni summum tribuit locum, vnde stellarum luces. *Trismegistus* totum mundum formatum ex quatuor scribit *in Asclepii cap 1.* *Igne* scilicet, *aqua, aere, terra*; Et ignem diuidit in partes duas valde Hippocraticè. Quod enim sursum est, seu fertur, *viuificum* esse dicit, quod deorsum, *ei seruiens*. Num Palmarius habuit antiquiores auctores? Loquitur tamen & hic Hermetice. Inquit enim *Tota natura ex his & in his*, Elementis scilicet quatuor, *est, & tota quatuor summis generibus integratur.* Iam autem & cœlum est pars naturæ materialis, idque *pag. 42.* igneæ naturæ esse dicit, quanquam lucentis, non vrentis, vt vt tempore Phaethontis perhibentur poli incensi esse igne solis, quem in inferioribus aliquando non tantum lucentem, sed & vrentem, & inflammantem sentiunt æthiopes. Vtitur quaternione isto contra ternionem chymicum, hoc modo:

Quatuor & tres partes mistorum.

Si quatuor sunt, ex quibus tota integratur natura, non tria. Illud est. Hoc ergo. Assumtio probatur operose. Sed nos de assumtione soliciti non sumus. Propositionem negamus. Nam *& quatuor & tria agnoscimus*; quatuor quidem sub nomine *elementi*: tria sub nomine *principiorum*, vel in exaltatoriis spagiricis, essentiæ, quæ triplici specie è rebus mistis elicitur. Non quidem opus est auctoritate, vbi rerum testimonia assunt, & ipsi sensus euidentia operum conuincuntur: tamen patiamur testem ipsum Palmarium, qui tum 40. *pag.* tria spagitica concessit, tum *pag. 41.* ait, naturam totam ex quatuor esse; in tribus (principiis) potius desinere. Verum is sua inconstantia est constans. De *mercurio & sulphure* in *lapidis chymia* multa asseruit: iam mineralia potius *ex elementis* conficit, argumento qualitatum elementarium. At nec hoc negandum est, nec illud, cum mineralia non solas qualitates elementares habeant, verum etiam essentiales, quas *totius natura* vocant, & *toti substantia interiori* acceptas referunt. Excidit disputatori incauto *paradoxum II.* Nam quatuor primas qualitates Elementorum vocat *formales, (a) & actiuas*: quod procul dubio *in peripato*, vbi duæ sunt effectiuæ, duæ passiuæ, non didicit. Noterur argumentum *sapiens* valde:

Secundæ qualitates (asperum, læue, spissum, rarum, subtile, crassum, &c.) *sola elementa habent prima subiecta. Ergo non principia tria: Et ex consequente principia tria sunt reiectanea.*

Tria principia chymica ex Aristotele.

Quid si opponeremus hoc: *Mistorum facultates interiores neque elementorum possunt esse, neque elementaris alicuius: Ergo elementa sunt reiectanea?* Antecedens probamus per Aristotelica ista aurea: *Omnis animæ virtus siue potentia CORPVS aliud participare videtur, idque magis diuinum, quam ea, quæ ELEMENTA appellantur, cuius natura differt pro nobilitate vel ignobilitate animæ. Inest enim in semine omnium calor fœcundans, isque non ignis, non talis facultas aliqua est: Sed spiritus in semine & spumoso corpore contentus, & natura in spiritu proportione respondens elemento stellarum, &c.* Num satis graui, & vero vtimur autore Aristotele? Quatuor is agnoscit elementa: Et tamen inanimatis tria alia ponit facultatum subiecta, quæ simul existentia appellantur CORPVS: Cuius partes sunt *calidum innatum, spiritus, & natura stellis analogos*, ita vt calor & spiritus, licet diuersa sint, tamen cognatione quadam fiant vnum, quibus accedit natura cœlestis, omnia simul inclusa non Elementis Palmarianis, sed seminι, & spumoso corpori. Hæc cum agnoscantur in viuentibus, animalibus nimirum & vegetabilibus, in mineralibus per analogiam esse censendum est, quando vegetalia ex mineralibus prodeunt, & eorum succis alantur, sicut animalia vt plurimum vegetabilibus. Mittamus & ista: Portenta, non paradoxa sunt hæc: *Radix planta asscribitur terra, folium aqua, flos aeri, fructus igni. Ergo sunt 4. Elementa.*

Animalia ignea.

Animalia quædam sunt ignea. Sanè pauca, & nullum fors præter *Pyraustam* Aristotelis. *Dæmones ignei* animalia ab aliquibus vocantur sed non sunt. *Salamandram* illam chymicam vita animali caremus nouimus, nec est alia, quæ ignes superet, nisi copia liquoris paruum extinguat. *Visus igneus* Platoni est propter cœlestem spiritum: sed aqueus Aristoteli. De Deo igneo, quid opus erat Heraclyti testimonio? *Est ignis consumens*, inquit scriptura. Sed & hæc facessant.

Salamandra. Visus. Deus ignis.

Initio

Initio à Deo creata esse tria principia negantur: quia non sal, non mercurius, non sulphur creatum, sed aqua & terra. Imo, inquam, in his ista omnia. Si id satis est ad negandum tria essentialia mistorum, nega etiam aurum, argentum, Electrum & alia innumera esse creata. *Homo est terra*, inquit, *non sal.* At homo tamen in leto suo dicebatur habere *salem Ammoniacum*. Excrementum arguit naturam eius, vnde excernitur. Combure hominem in cineres, salem inuenies. Cur autem non eodem argumento negantur reliqua tria elementa, quia non scriptum est: Homo factus est ex igni, aere, aqua, & redibit in ista? De *vxore Lothi* lepidus est. Hic sal non potest negari. Ergone ex sale erat facta? Imo transmutata in statuam salsam: sicut & tota regio in salsissimum lacum est versa. Deus vsus est in euertendis regnis naturali instrumento, sulphure scil. & igni. Horum etiam effecta sunt naturalia, licet incitata à caussa altiore. Nam sulphur incensum arsit, & regionem bituminosam extracto bitumine natantem fecit. Ignis ignea reliquit ex resolutione. Quæ inerant potentia, in actum sunt producta validis agentib. Si sal & bitumen nõ fuissent in reb. istis potentia, naturale instrumentum non eduxisset, idq; naturale fuisse supernaturaliter impulsum, & directum, constat etiam nostris experimentis. Donat Palmarius Lothi vxorem versam esse in salem. Sed quo modo? *Præcessit ignis*, inquit. Tametsi hoc non sit scriptum, nec credibile igni potius, quam *spiritu salsifico* factũ: Nam tantus ignis, quantus ille fuit, incinerasset, non totã salem fecisset, aut saltẽ fudisset, seu liquasset, inq; lapidẽ mutasset, quo pacto figuli solẽt: Et alias facile est ex sale vitrũ efficere: veruntamẽ *dicis caussa*, sit ita. *Chymici in eliciendo sale vt plurimum etiam vtuntur igni. Sal ergo in re fuit.* Quid quod ex aliquibus sponte efflorescit, vt ex salice quadam? Quid de soda, alcali & similibus salsis? Palmarius festiuus est in asserendo suo igne. Nam eodem salsa alimenta mutat in dulces sapores. Atqui *quo nutrimur, eo constamus, & non transit quid nisi in cognatum.*

An 3 principia creata.

Homo an sal

Vxor Lothi.

Incendium Sodomorũ.

Vxor Lothi quo agente in salẽ versa.

Quæ de cœlo, stellis, angelis Elementicis, *Nugæ.* Physicam & medicinam totas pendere ab elementis; *diliria. Est in humoribus* (qui sunt res mistæ) *quicquid quærunt medici*, inqiebat Palmarius, *& humores vocabat mercurium*, vt consonaret hoc: *Est in mercurio quicquid quærunt sapientes.* Si ista sunt vera, humores, mercurius, elementa omnia erunt vnum. Sed latior est physica, & medicina, quam vt in illis hæreat. *in fine pag. 43.* scribit veteres elementa voluisse, sed numero dissensisse. At *pag. 41.* ab omni vetustate repetebat quatuor. Libauium contemnere elementa mendacium est, quanquam verum sit, quod in chymicis abiectaneis nullam vim essentialem ponat. *Portentum est*, quod ait *pag. 45.* (Nugæ & deliramenta interiiciuntur multa:) *Spiritum sanctum, quem prius ignem vocabat, fœcundasse non minus aquas cœlestes, quam elementares.* Si Deus nihil facit temere, num et vltra cœlum est generatio rerum? Notentur illæ duæ aquę, vna *cœlestis*, altera *elementaris.* Adiiciemus illis magnum numerum ignium, quos in præcedentibus recensuit. Si omnia sunt simplicia corpora, & tamen non plura quam quatuor elementa, ad quas classes erunt reiicienda? Si ad cœlum? Diuidenda cœlestis essentia ergo in aqueam, & igneam partem. Si illam *symbolici chymistæ* vocant mercurium, hanc sulphur, quantum est peccatum? Dum ait *Chaos aqueum incubatu spiritus sancti fœcundatum esse*, præter opinionem incertam nihil affert. Spiritu oris Domini vniuersus cœli exercitus est firmatus, seu totus mundus factus, & qua placuit, fœcundatus. De *cœli crystallina substantia*, & *Empyræo* ex quorundam fictionibus ludit. Tandem post quatuor elemẽta asserta, duas aquas, pluresq; ignes positos, bonus ille disputator nobis largitur *ESSENTIAM QVINTAM pag. 45. & 46.* Audiamus descriptionem. *Essentia quinta sapit naturã crystallinam: Est alterum genus aquæ*: vtpote aquea & crystallina substantia IN OMNIBVS SVBLVNARIBVS, *retinens proprietates totius indiuidui. Est vnica*: non excludit 4. Elementa: *non est fex cœli*, vt male Libauius: *Est natura calore cœlesti & facultate diuina plena: calor ille immistus miscet elementa, mistionemque eorũ struat.* Bellè? Hoc est disputare contra chymica principia. Quo argumento probatur, quintam essentiam esse crystalllinam? *Hiobi 37.* Elihu ait: *Tu forsitan fabricatus es cum Deo cœlos, qui solidissimi sunt quasi speculum fusi.*

Veteres 4 El. habuisse, & non iuxta Palmarium

Aquæ duæ.

Palmarius habet duas essentias cœlestes in cœlo vnam, extra cœlum alteram.

Sp. S. an aquas incubatu fœcundarit.

Palmarius Ess. Q. ponit. Q. Ess. quid.

Hinc colligunt ineptuli. Cœlum est aqueum. Aqua congelat in crystallum, seu glaciem. Cœlum ergo crystallinum. Quod congelauerit, Elihu indicat voce *solidissime*: Item verbo: *Fusi sunt*: quasi Deus fusoriam speculatem exercuerit condendo cœlum. At fors æri fuso comparatur. Quid ni aereũ cœlum? Sed sit crystallinum. Quo modo calorem in id implantabimus? *Sapit crystallum*: inquit Palmarius, qui forrasse cœlum gustare potuit, quia per omnia est diffusum. Crystallus est frigida. Periculum n. esset, ne liquesceret, si calida foret cœli crystallus, præsertim tanto motu. *Cœlum* ergo *frigidũ*: Imo est alterum genus Aquæ. Hæc a. frigida. Præterea si aquea illa substantia p omnia sublunaria diffusa, est simplex, quo modo poterit retinere proprietates totius indiuidui? Hę aut in elementis hęrẽt, aut in illa essentia aquea & crystallina, aut proprium habent subiectum. In Elementis nõ. Hæc enim mox dicentur toto genere à cœlo distare, vt tanto minus in vnum corpus mistũ homogeneum coire possit cœlum; sed nec in aqua illa cœlesti. Ea n. tm̃ mistiones facit, & retinet. Est *vinculum continens, & tanquam anima misti.* Detur ergo eis subiectum proprium: aut fatendum est, Palmarii ignem naturæ muratum esse in fatuum. *De fece cœli*, quam Libauius ex comparato ponebat iuxta Hippocratem *in libello de carnibus*, ludit. *Multa cœlestis substantia mansit in imis* inquit Hippocrates. Palmarius fatetur in omnia sublunaria diffusam esse. Recte? Quærimus, sitne eiusdem puritatis, cuius est in cœlo summo, an aliquid inquinamenti acceperit ex consortio elementorum? Essentiæ sane quintæ qualitatibus elementaribus non omnino vacant, estq; impossibile humanæ arti exhibere cœlum purissimum, si tale est, quale arbitramur. Si mistio aliquid contagii intulit, concedendum est aliquid heterogenei. Heterogeneum collatum cum homogeneo simplicissimo, purissimoque absolute (Nota quo modo loquamur, nec affinge nobis contradictiones ex vesano tuo cerebro) nonne poterit respectu huius dici quodãmodo impurum? An nõ feculentum? Ipse Palmarius p. 64. & 65. scribit: substãtia diuina permanẽs fundata est in subiecto plus minus tenace: neq; pura cõsistit, & ab omni subie-

Cœli crystallus.

Cœlum frigidum.

De cœli fece.

&c. nudata. Non nuda nascitur, nec nuda extrahitur. Veruntamen quod illius respectu dicitur *sex quodammodo, si compares cum crassis elementis, & exutis cœlesti natura, dicetur iure essentia cœlestis, & homogenea, puraque substantia.* Valeat & hoc. *Lis* iam instituitur cum Hermete, Hippocrate, Platone, & tota Plinii antiquitate, cumq; Poetis & omnibus illis qui *cœlum quartam naturam esse dicunt.* Colligamus rationem in nodum:

Contra eos qui cœlum pro igne ponunt.

Quod toto genere differt ab igne Elementari, non potest igni substitui.
Cœlum toto genere differt ab igne Elementari.
Ergo, &c.

Palmarius refutans seipsum.

Laborat in assumtione: Maior enim facile probatur. Sed argutum hominem aspicite. *Pagina præcedente cœli substātiam in omnia sublunaria immittebat*, vt retineret proprietates indiuiduorū. Hoc aut per meram fit assistentiam, aut per mistionem. Vtro modo dicas, necesse est nisi *mentale* quid eueniat *& spiritale*, quomodo anima corpori inest, (id, quod locum hic non habet: Cœlum enim corporeum est) aliquam corporum familiaritatem esse. *Quæ congrediuntur*, inquit Palmarius, *genere conueniant oportet. At cœlum congreditur cum elementis. Ergo genere conuenit cum illis.* Idē elicitur *ex cap. 5. pag. 24.* vbi *de mirabili igni cœli*, quo inferiora omnia vigeant, & foueantur. *Non possunt elementaria foueri, nisi ab eo, quod cōgeneum est quodammodō. Actiua & passiua genere conueniunt.*

Aliud: *Cœli qualitates non feriunt sensus nostros, inquit. Ergo toto genere ab Elementis differt cœlum:* Imo vt ait *pag. 64. Cœlum & elementa differunt plusquam genere. & pag. 66. Nulla est proportio cœlistis ad elementari. Cœlum est incomparabile elementis.* Antecedens refutant vel pisces, & cochleæ. Nam calescunt solis radiis: frigescunt vi Saturni: Oculi lucem cœlestem percipiunt. Sunt autem ista qualitates.

Aliud: *Essentiæ cœlestes liberantur facile à qualitatibus Elementaribus. Ergo toto genere distant cœlum & Elementa.* Antecedens probatur: quia essentiales proprietates seorsim existunt ab elementaribus: quia pereuntibus his, manent illæ: vt: igne naturæ possunt tolli sapores salua purgante, velut amaror ex colocynthide: aciditas à cremore tartari: Item purgans facultas non est cum vno sapore, sed cum diuersis: aliquando etiam cum insipidis. Euge Palmari. Hoc est doctum potius esse quam argutum. Respondemus contra te ex tuis. Si liberantur cœlestes ab Elementaribus, vna fuerunt. Si vna fuerunt, congeneæ sunt. Nam quæ congrediuntur, debent conuenire genere. Idem tu *pagin. 48.* scribis Elementa 4. esse instructa 4. formalibus, & materialibus qualitatibus: *Cœlestem substantiam desiderari pro forma, esseque quintam essentiam.* At quæ in vnum homogeneè mistum coeunt ita, vt se late alterum se habeat vt materia: alterum vt forma, cum vtraque sint corpora mistilia, ea necesse est esse congenea.

Palmarius seipsum euertens.

Q. Ess. non omnino separabilis ab elementis.

Notate vero nostrum disputatorem concedere, & statuere *quintam essentiam*, quæ sit *pro forma misti* ex elementis. In cæteris est magna scabies. Quomodo enim probari potest sine qualitatibus elementaribus esse vllum Ens chymicum? Non posse ex toto separari quintam naturam & elementa certissimum est: Et multi fingunt sibi cœlestem naturam potius, quam nudam monstant. Quid si cœlum summum quoque haberet aliquid elementis analogum, sicut calor in viuentibus cognatus est cœlo? *Sapores*, inquit, *possunt tolli salua vi purgante*: Ergone qualitates Elemētares? Nullum ergo purgans insipidum est calidum, frigidum, humidum, siccum, asperum, glabrum, subtile spissum, rarum densum? Promittit bonus Palmarius inuictum artis testimonium, quod relicta purgatrice possit amaror tolli ex colocynthide. Nimirum promissis diues erat: vbi est illa probatio? Consumta est per ignem naturæ. In eius ventre latitat. Si tollere potes amarorem colocynthidi ita innatum, vt sit quædam pars perfectionis, manente purgatrice facultate: Et cœlum est toto genere diuersum ab elemētis, qui magis probas purgatricem esse cœlestem, quam amariciam? Facilius tollitur toto genere aliud, quam congeneum. Ita contra seipsum disputauit Palmarius etiam *sequente c. 9. p. 49. de humoribus*, quos negat esse nuda nomina, sed *balsames spiritum & essentiam* elementari humiditati implicatos. Si hoc verum est, cœlestis essentia non toto genere alia est ab elementis. Itaq; & toto illo capite temere insanit contra salem, sulphur & mercurium. His enim nominibus diuersæ partes quintæ essentiæ, aut etiam diuersæ dispositiones intelliguntur. Risum non tenemus, cum scribit: *Quis ferat per mineralia explicationes seminis, menstrui, humorum, &c.* At ipse hoc bene ferebat *pag. 37. Si mineralium libidine teneris* (inquit) *dic parabolice* cum PHILOSOPHIS, *sanguineum semen esse sulphur: Et pag. 39. Galenici quatuor humores habent vnius* MERCVRII. Humor ille dum in semen coquetur, sulphur erit: dum in os abibit: SAL. Ita ridendum est, dum mercurium essentialem repudiat, argumento *hydrargyri mineralis, quo Gallici vnguntur*: Item sulphur, argumento *olei ardentis* vel *sulphuris mineralis*, quia vena secta in sanguine non conspiciatur. Eo ipso argumento etiam quinta essentia, quam inesse humoribus dicebat, reiici potest.

Amaror in colocynthide est pars naturalis perfectionis.

Humores quid.

Palmarius sal, sulphur & mercuriū nō fert cōtra seipsum.

Humorum cum principiis conciliatio.

(a) *Riolanus Quercetano monstrabat Scheckium sub schola Parisiensis scabellis inuenire potuisse aliquas qualitates esse substantias & formas elementorum, quo sane & Galenici sunt mittendi, vt inter quisquilias pedum sapientiam tantam colligant. Sed ostensum est alibi & ab aliis, stultitiam istam esse, quæ recte calcatur calceis studentium sub subselliis scholarum, nisi per formas accipiat accidentales.*

CAPVT

CAPVT XXIV.

De igni anatomico cap. 10. pagin. 55. vbi refutandum quoddam argumentum ſumſit, Palmarius.

ARma capit in hunc ſyllogiſmum:

In quæ reſoluuntur omnia miſta, ex his conſtant.
In tria principia reſoluuntur omnia miſta.
Ex tribus ergo principiis conſtant omnia.

Propoſitionē de cōſtitutione & reſolutione naturali cōcedit. Minorē negat. Sed ſtāte ꝓpoſitionē, ſi quis pro Paracelſo ſenſu phyſico digladiare velit (quod noſtrum non eſt) quā facile euerſi fuerint humores Palmarii cum conrenta quinta eſſentia? Si natura omnia reſoluit in ea, ex quib. conſtant; non a. reſoluit cadauera animalium in quatuor humores, & quintā eſſentiam, nō conſtabunt corpora eorum ex humorib. & quinto elemēto. Nos relictis Parcelſicis primum ad ꝓpoſitionem dicimus, videndum eſſe, quænam ſit illa reſolutio, q̄ debet partes compoſitionis reſtituere: Et quatum rerum: Eſt quædā *naturalis*, quam Ariſtoteles *putredinē naturalem*, quæ eſt ſine violenta corruptione, & tranſitione in nouum cōpoſitū, appellat. Quædam *violenta* Quædam *ex toto* eſt *naturalis*, *quadam arte dirigitur*. Eſt & cum *recens nata* nec dum perfecta reſoluuntur: Eſt cum *matura*, & abſoluta. Quæ fit per putredinē ex toto naturalem ſine omni arte ſolutio, analogas elementis res exhibet, licet nullā reuera ſimplicem, & ita ſubducit eas iudicio exq̄ſito; vt diſſipata multa nullibi appareant, relicto ſolū fimo & tandem terra. Hic reſoluitur ē̄t quadamtenus omne miſtum, vt humores & Elementa Hippocratis, cum ſimilarib. & diſſimilarib. exceptis, quæ ſunt firmiore cōpage, vt oſſibus, & capillis. *Quadātenus* dicimus, q̄a nō fit deſtructio ad vltimā ſimplicitatem. Cū ars dirigit putrefactionem, & vaſis aptis cōtinet, excipitq; putrefacta, & ſinit in digeſtione ſecedere, vel etiā ipſa partes ſeparat colatoriis, organis deſtillatoriis, prelis Et interdum etiam fortiorem cōpagem ignib. violentis aperit, vt in calcinationibus, & incinerationibus poſtquam obedientiores ſunt extractæ: alia ratio iudicii eſt. *Omnia n. quæ inſunt, in conſpectum veniunt, & ſe contemplanda ſiſtunt, non rudi plebi, quæ oculis plebeis, artificia incipere, ſincereq; iudicare non poteſt, ſed artificibus peritis rerum.* Violenta corruptione ſola id peragi nequit: neq; enim eſt ſimul generatio noui cōpoſiti, vt vermium, muſcarum, murium, &c. ex putreſcentib. Item *in imperfectis*, & adhuc in via generationis ad eſſentiam exiſtentib. cenſuram inſtituere, ſuperuacaneū eſt. *Chymicorum artificum materia eſt miſtum abſolutum: Interdum & imperfecte miſtum*, vtrumq; ne non fortunæ, ſed naturæ opus, quanquā multa ēt qualitercunq; in mineris terræ caſu & ratio coaleſcant, quorum anatomiam peragunt *metallurgi*. In hac artificioſa reſolutione chymicus liquido dicit miſtum cōſtitiſſe ex his, quæ educuntur, ſiue id *in propria forma*, vti fit reſolutione blāda, ſiue *analoga*, cum mutatio ſit in diſpoſitum. *Si n. non fuiſſet in re, non extitiſſet, neque forma ſua, neque analoga.* Illud CONSTARE Paracelſici ad primam ſpiritalem conſiſtentiam referunt, complexi ſimul potentiam, ex qua matureſcendo tandem emergunt, quæ Dei voluntate erant prædeſtinata. Cum videant ex perfectis exire *corpora* q̄dam eſſentialibus facultatibus deſtitura, hæc *pro matricibus, & inanibus elementis* habent, ſine quib. tamen naturaliter gigni non poterat integrum, ſicut nec infans naſci ſine vtero, & ſecundis: q̄ in principio conſtitutionis oportet fuiſſe cum ſemine. Nō n. vna adoleuiſſent, & per ſucceſſionem fuiſſent aucta. Deinde eſſentiam, in qua poteſtas ſpecifica rei, ſeparant. Hæc triplex eſt, liquor, ſal, oleum, aut pro oleo ſpiritus: ſoluta, vel coagulata forma. Etiā hæc dicuntur deſtinata eſſe ab initio, & quaſi partes compoſitionis. Ni enim eſſent, quomodo in actum peruenirent? Sed tamen quædam etiam poſt gignuntur, & primis ſuperueniunt. Hæc diſcernuntur ſic, non quod natura iſta ex ſeparatis componat, & conglutinet, vti ſibi fingunt populares phyſici miſtiones: Sed quod *interiora natura Deus in initio conſtituerit, & potentiam procreationis ſimilium per ſemen. aut ſemini analogum indiderit, vt vnumquodq; ſuo tempore moueatur, & in conſpectum prodeat, quando quoduis certa menſura & tempore conſtet.* Vnde videre eſt, quantum valeant illa inſulſa: *Chymicum neſcire compoſitionum momenta, menſuras, gradus. &c.* quaſi vero interſit eius ſcire. Satis eſt patefacere poſſe, q̄ naturæ Deus ſciuerit, & ipſum miſtum in ſe habuerit: Verum qui in arte intra eius Cancellos, & metas elaboramus, non repetimus omnia à primis initiis, diſpoſitionibus, & deſtinationib. phyſicis: ſed quicquid in ſeparatione artificioſa integri, perfectique aut quocunq; gradu miſtionis miſti (ſiue natura miſcuerit, ſiue ars, vt pharmacopolarum, quanq̄ nō proxime miſtum exeat, ſed primum naturale: vt ex maſſa pilulari non ſuccus abſynthii, aloe, rhabarbarum, &c.) educitur, id pro eſſentia habemus: abiectanea vero ad elementa reponimus, ſiquidē eſſentiali, & non magiſtrali proceſſu vtimur. Eſt n. in his differentia: cum magiſtralia principia, & elementa adhuc ſint inter ſe miſta, & à prædominante nomen accipiant: eſſentialia vero à fecibus inutilibus ſeiuncta: quanquam im pariter. Nam eſt *extractum materiale. Eſt formale*, ſeu *aſtrale*. Illud ſuccus vel ſimilis eſſentia adhuc rudior eſt habens in ſe oēs partes, ſiquidem ſal ex fecibus extractus acceſſit. Hoc eſt plane repurgata & exaltata ſubſtātia variis diſpoſitionib. (artis n. operationes ſunt variæ) varia nomina accipiens; Et modo tota ſimul, vt in *quintis eſſentiis* totalibus: modo ſecreta: modo iterum coniuncta, vt in *Elixyribus*. Secretio exhibet *oleum, ſalem, liquorem*; non plures formas. Hæc vocant eſſentialia formaliaq; principia, licet Elementa non fuerint poſteriora in prima generatione.

Reſolutionis diſcrimen.

Putredo.

Eſſentias, quæ extrahātur in re eſſe vel actu vel potentia.

Eſſentia triplex.

Miſtio naturalis, vt fiat.

Eſſentia & Elementa.

Elementa & principia magiſtralia & eſſentialia differunt.

Extracta duplicia.

Dices, at *tu Libaui ita cum Paracelſo, & Seuerino facis, à quib. tamen te ſeiunxiſti.* Non inquam facio. Nam *aliud eſt deſtinatum eſſe, vt fiat, aliud, ineſſe, cum aſſumitur ad elaborationem chymicam.* Oleum, ſalē & alia

Non cum Paracelſo.

alia in misto naturali gigni, si maturuerint, Deus destinauit, vti & similium generationem per semen, & alia. At non necesse fuit ea in principio compositionis diuinæ affuisse. Sed neq; sanguis & humores cæteri aderant actu separati in sanguineorum origine. *Peccant Paracelsici, cum chymica principia mutant in physica.* Minor iam est dilucida. Qui omnia putat resolui in ista tria, non satis caute putat, licet *Paracelsista etiam simplicia elementa ausint proponere*, & cœlum ipsum solemque assumerent, si tam lōgas manus, & tam capacia haberent vasa. Termino OMNIA chymici veri accipiunt maxime *mista naturalia, perfecta*: non eruda, nec sterilia & aquosa folia cum similibus: nisi cum per se sustinent misti rationem. Habet enim natura articulos quosdam, & gradus seu fines subordinatos. Ideo intra quoque vltimum terminum potest aliqua ratio essentiæ esse, sed q̃ pro perfecta non licet sumere. Palmarius in incerto vagatur mari. *Diruit, adificat, mutat Paracelsica nostris.* Contemnatur ergo. 1. *Eiusdem est dissoluere, cuius miscere.* Falsum. Natura potuit miscuisse: Ignis violentus dissoluere. 2. *Nunquam fit resolutio vsque ad elementa.* Vide ergo, vnde probes omnia ex Elementis esse, & qui stes cum Aristotele. 3. *Tria in alia simpliciora abeunt.* Resp. dispositionem possunt mutare: sed tu monstrare debueras illa simpliciora. 4. *Simpliciora ista non sunt elementa, ex quibus natura res miscuit*, R. Quæ ergo? *Natura*, inquis, *vere pura assumit, summa, summe contraria.* Resp. audio voces: rem non video. 5. *Dissolutio in elementa est impossibilis.* R. pugna cum Aristotele & Galeno. Elementa Chymica non sunt ista tua. Nolumus laborare in cæteris. Tot enim fere sunt carcinomata, quot sententiæ.

Alia principia physica, alia chymica.

CAPVT XXV.

De quintæ essentiæ Chymicæ laude, ex c. 11. pag. 62.

DEbet Galenia suauium manibus Palmarii. Eam enim Quintæ essentiæ laudatissimæ accessione adeo locupletauit, & exornauit, vt iā facta sit *Galenochymia*, hoc temperamento, vt *Galenia antecedat, chymia sequatur*, nisi velis interuertere ordinem. Thema est. *Medicus est ἰσόθεος: Et medicina diuina.* Argumentum: *Quia vna medicina continentur pertinentia ad sapientiam.* Prosyllogismus: *Quia ipsa vna in morbis, & medicamentis prauidet DIVINVM in natura societate VNIVS CHYMIAE.* Quodnam illud? *Rerum essentias Actionum fontes.* Quas essentias? *Quintas: cœlestes*, Argumentum ab opposito: *Qua id non potest, quaq; SOLIS corticibus rerum inhaeret, non est medicina, nec ἰσόθεος eius Professor*: qualia quædam magnis ampullis prædicabantur etiam *in præfatione.* Cur autem non sit medicina? *Quia non est tuta, breuis, facilis, nec sanat cito, tuto, iucunde.* Qui sic? Quia *non ducitur notitia formarum & formalium instrumentorum.* Quas tu mihi *formas* nominas? *Eas, vnde est certitudo, constantia, & effectus laudabilis.* Nondum intelligo. Quas dicis? An non *cap. 5. pag. 27.* irridebas separatas à materia formas quia tuus ignis naturæ formas non separet, sed conseruet? At tu tardus es. *Cælum non solum qualitatem impertit sublunaribus, sed & permanentem essentiam, & diuinam substantiam.* Hæc est forma. vt *pagin. octuagesima prima* disputat Palmarius: *forma aut ab Elementis est, aut à cœlis. Si ab Elementis, erit aut à qualitatibus, aut à substantiis. Non a qualitatibus. Esset enim accidens.* Ne mille quidem accidentia possent substantiam vnam constituere, nec producere sua virtute. *Non ab elementorum substantiis: quia ex vnione formarum elementarium non potest existere forma, nisi sit composita. At forma est simplex, & in instanti gignitur, &c.* *Relinquitur, formam esse à natura vniuersali, quæ externa quidem est materiæ, in quam agit: sed absoluto opere fit interna, vt in re constituta sit aliquod quintum permanens, & conseruans opus.* O te diuitem cerebri Palmari. *Sic Riolanus erat confutandus cum sua schola.* Sed te tua quinta essentia non diu conseruauit. An vero Galenus ista ignorauit? Respondet: *Iunior quidem: sed senior diuinitatem agnouit.* Belle! Intelligimus ergo natiuitatem *Galenochymiæ.* Hoc est vnum argumentum medicinæ laudatæ. *Alterum* est: *Ob chymiam, quia docet vniuersale ex quinta essentia. In omnibus rebus contenta, laudatur medicina.* Sed probandum est *contineri in omnibus rebus.* Præsto est rationum magister.

Medicus diuinus.
Sapientia in vna medicina.
Forma medica.
Palmarius Riolanum confutat.
Galenus essentias cœlestes agnouit.
Vniuersale chymicū in omni misto.

1. *Quia cœlum fotu vniuersali iuuat inferiora. Ergo in omnibus est quinta essentia.*

2. *Quia spiritus mundi diffusus per omnia copulat cœlum & elementa*, quod maxime elucet in hominis spiritu animali, & solis. Sed insit omnibus: num etiam potest extrahi? Imo potest. *Non enim consistit pura, & omni subiecto nudata. pag 78. non nascitur nuda, non venit solitaria sed stipata instrumentis: & ministris, cum quibus elicitur: semper cum spiritu: sæpius vtrumque cum oleo.* Subiecto tracto trahitur ipsa. Etiam elementares qualitates in excelsiorem gradum prouehuntur, vt cum illis bene possit stare quinta essentia, licet ante aliquoties dictum sit, *cœlum plus, quam genere abesse ab elementis*: & *pag. 66. nulla proportio sit cœlestis ad elementare.* Nam calor essentialis, id est, essentiæ diuinæ proprius est moderatus absque vitio & excessu: Est materia elementi ita attenuata, vt ad elementi summitatem accedat, neque tamen ideo fiat nocentior. Vnde belle GRAMANVS, male Libauius, qui putat talem in igneum posse mutari. *Diuina quadam & incredibilia audimus.* Dentur exempla: spiritus vitrioli, aqua, oleum essentia Terebinthinæ: Purgantia, quorum ingratus sapor sublatus SEPARATIONE & depuratione: sed magis addito IGNE NATVRÆ, &c. Vnde euadunt cœlestes essentiæ castæ, inuiolatæ, non patientes ab elementis, vt extractum, essentia, rhabarbari, sennæ, agarici, &c. *Pulchra omnia contra scholam Parisiensem*; si forent sat sapida. Fatendum tamen est, nos non assequi rationem Galenochymiæ. Nā *chymia non debebat facere extracta, olea & similia: quia tractat vniuersale sine augmento & decessum.* Spagiriæ sunt ista opera, non aliter ac infusa & decocta, vereq; vtraq; pharmaciæ, & non Alchymiæ. Ita *hoc capite* delirauit Palmarius, *nullius addictus iurare in verba magistri.* Suademus, vt adiungatur *c. 13 p. 76.* vbi nobilem *de cœlesti essentia* exercitationem exhibet, & magnifice disserit *de vita & anima, quæ sit ignis*: Et quidem ardens in humido oleoso: *de diuina essentia* rebus omnibus data, hoc est, cœlo: quæ essentia, absente

Mirus calor.
Gramanus à Palmario defensus.
Opera Spagiria.
Essentia cœlestis anima vicaria.

absente anima, opus feruet, & moderetur, vt cum homo est in fieri. Tunc enim abest anima: sed cœlestis essentia vicariam ibit operam. *Viuunt medicamenta* per istam, id est, agunt. Est *Hæcceitas* Scoti: *Aristotelis natura* & facultas: vitale, spirans, & actiuum principium: calor, spiritus, humidum primigenium: *totarei substantia*, ex qua manat occulta proprietas: & vis morbicida medicamentorum. Non potest satis prædicare calorem, & naturæ ignem, quo *oleum præstans è rebus extrahitur*, vt insolatione. Nā calor maturat omnia, in spiritu existens, qui mediæ est naturæ, & cœlestia elementaribus iungit. Si spiritus sit volaticus, oleo cōstante figitur. Spiritu & calore humor animatur. Hęc est quinta essentia, ignis cœlestis in qualibet re etiam vilissima: *τὸ θεῖον Hippocratis*: Er quis omnia possit recensere? Verū schola vnico halitu ista maxima breuiter difflauit, scribendo: *Palmarii liber habet mendacia, & errores. Ipse cancre tenetur Palinodiam*: quod in æternum non faciet.

Medicamenta viuere. *Hæcceitas.* *Caloris vis.* *Θεῖον.*

Capvt XXVI.

De ignea collatione medicamentorum Libauii cum Parisiensibus ordinariis, cap. 12. p. 68.

Inanem hic operam Palmarius sumsit. Cum enim *Libauius ordinarias medicinas contempserit*, sed quāque suo loco & ordine salutariter vsurpari posse nouerit, atq; adeo istas etiam pro suis habeat: temerarius labor est cōparationem instituere, quæ in eodem quatenus idem, est nulla. In chymicis a: paucissima sua habet: plæraq; vero aliorum artificum, *cum non voluerit suam artem condere, sed dispersam artis forma & methodo complecti* pro virili. Neque vero hic quoque quicquam est in medicamentorum vitium censu, quod non experientiam habeat, & autoritatem, aut aliunde sumtum sit, quam ex rebus naturæ, quibus & Parisienses vtuntur, quanquam diuersa præparatione; in qua tamen & illis est sua libertas. Siue Hermetice præparatam sennam exhibeas, siue Hippocratice, modo præparatam recte, & datam perite, prudenterq;, quid interest? Sunt, qui sic malint, aut possint; sunt qui aliter. Medicus gratificari debet ægroto in indifferentibus. Quin potius Palmarius comparauerit suas igneas, per ignem naturæ tam affabre concinnatas, vt absque vllo decessu, aut accessu, nisi forte modico, ex venenis virulentissimis euadant saluberrimæ, & iucundissimæ, citoq; conferentes: quædam etiam alimenta: Imo VNIVERSALE, nomine certe si non re, famosissimū: Scribere voluit Galenochymiam. In hac Galenica & chymica autoritatem habere debent: cumque chymica sint duplicia, Hermetica, & spagirica, (ita enim placuit magistro) rectius collationem suis impendisset. Humanum tamen est auscultare lapidis dogmatici doctorem. Ita argumentatur ipsius modestia:

Chymica Palmarii duplicia.

Qui cito, tuto, iucunde sanat, in medendo fert potiores:
Galenochymicus cito, tuto, iucunde sanat: Ergo.

Minor opposito declaratur: Non Paracelsista, falsus chymicus, præstigiator, qui falsa pro veris colit, & artificialia naturalibus supponit, qualem Libauium esse scribit, & citat autorem Ghiesuitam quendam ex genere mendacissimorum monachorum & crudelissimorū Antichristi satellitum, singularium Libauii hostium; Martinum DelRio, idq; non semel. Respondet schola *Palmarium mentiri*. Deinde titulus promittebat comparationem Libauianorum medicamentorum cum ordinariis, *quasi Libauiana non sint ordinaria*: Sed Galenochymica in ordinem cooptauit: Si non sunt ordinaria, extra oleas saltat probatio, & à thesi declinat argumentum. Tertio: sit Thesis de Galenochymicis. At negatur assumtio. Declaratio eius dicitur esse calumniosa cum suo prosyllogismo. Nec opus est demōstratione. *Nunquam enim præstigiator fuit Libauius, nec magus*. An sit falsus chymicus, opera eius ex summis artificibus collecta ostendunt. Falsa pro veris colere si interroges, quid sit: responsum accipies *vera esse, quæ per ignem naturæ Palmarianum elaborantur & quæ ipse olim conflabat ex auro exuberato, ex stibio Suctenu, ex argento viuo sublimato*, & aliter præparato siue Hermetice, siue spagirice: Falsa erunt cætera, quæ ex tot autoribus, etiam Parisiensibus collecta digessit Libauius. Verum errauit iudicium Aristarchi. Nam falsitatis censura non Libauianis competit, sed Palmarianis Galenochymicis. Ratio est; quia *Galenochymia à nullo probato autore est recepta*: Libauii vero medicinæ petitissimorum sunt medicorum, & artificum: Ridiculum a. est, quod ex *ex capite de Gemmarum magisterio* probat de medicamentis, vbi *ne γρῦ quidem de medicinis*, nisi obiter dictum inuenitur. Alia probatio nomina artificiorum coaceruat, quæ dicit ex Paracelso omnia deprompta esse, nec præstate, quod policentur? quia tantū sint metuenda, quantum elaborata. Si interrogasses, num experientia id cognitum habuisset: nihil aliud audiuisses, quam *ignem naturæ defuisse*: hoc est, Palmarii somnio præparata non esse: quod perinde est, ac si quis negaret *Andromachi Theriacam*, vt institutum est antiquitus confectam, esse efficacem; quia follibus Vulcaniis in Lemni fictitio antro non foret afflata. Vtrobiq; est figmentum, & vmbræ somnium. His relictis aliud assumitur thema, & instituitur collatio *inter chymica Parisiensia, & Libauiana*: & illa his anteferuntur. At scholam hic quoq; habet aduersam, *qua non chymica chymicis, sed his integra opponebat*, quod & ipse blaterator animaduerterit, & mox de integris verba fecit. Exculpamus argumentum:

Galenochymica Palmarii autoritatem. *Vera Palmariana.*

Cathartica Parisiana sunt Libauianis potiora:
Omnia ergo Parisiana sunt potiora.

De cathartica Palmarii.

Antecedens probatur: Aut n. chymice parata sunt: aut more officinarū. Vtrobiq; fiunt tuta, iucunda, cita. Ratio est: quia excedens temperamentum, sapor ingratus, & cacoethia tollitur. Proba: quia *sic chymice parantur, ignis natura omnem noxam auffert, relicta tātum cœlesti essentia purgatrice*. (a) Sin officina-

officinarum arte, compositio idem præstat additis mitibus, quibus feruor reprimitur: astringentib. quibus celeritas tardatur: alexiteriis, quibus cacoethia compescitur, suauibus, quibus ingratus sapor corrigitur. Omnia experientia comprobauit. Herculeum scilicet, & adamantium argumentum. Nos inuertimus:

Cathartica Parisiana Galenochymici Palmarii non sunt artificiose præparata:
Non ergo potiora Libauianis.

Probamus disiuncto: Aut n. chymice aut vulgari modo officinarum præparata sunt. Chymice ex sententia Palmarii nō possunt. Est n. figmentū vanum cōuersio ista per ignem naturæ sine accessu, decessu, & cæteris. Vulgaris modus, quem Palmarius describit, est ridiculus. Nam volebat medicinam citum reddere: at addit styptica, quib. retardatur effectus, cumq; negare cacoethiā medicamēti nō possit efficit, vt spacium habeat ad nocēdum. Dum moles crescit, hac ipsa pōt esse molestum. Cætera iudicabimus, cum correctoria in specie recensebit. Interim ēt hoc dicimus. Nec consequentiam esse in Enthymemate ab vna specie ad totum genus, *nec omnia cathartica esse cacoethe*. Probatur aliud.

Libauiana medicamenta licet mole minima cacoethia tamen & noxa sunt maxima.
Ergo non potiora ordinariis.

Extractum colocynth. Antecedens probatur extracto *colocynthidis*: quod pilulis, ordinariis vel Trochiscis, vel hieris Diacol. longe dicitur amarius, horridus, nocentius, &c. ꝙ ipsum ēt elicitur ex correctiuis, quæ addūtur. Dicitur violentius, q̃ a frenantib. ꝓpriis spoliatum. Si dicis: *at dosi parua placet*: respondet, atqui eo calidius, amarius, nocentius, ventriculo infestius. (b) Si obiicis: *at ista omnia tolluntur circulatione exalta-*
1. *toria, & digestione in menstruo conueniente: item extractum prius noua extractione ad essentiam redigitur quæ post-*
Prolepses. *ea cum spiritu vini, vel simili liquore essentiali, & pro vt cōducit, alterato, in pelicano circulatur, sicq; exuere cogitur*
2. *syluestrem morem*. Respondet, æque malum ac bonū exaltari. *Si neges, dicasq; separationem fieri puri ab im-*
3. *puro*. respondet id præter artis institutum esse: quia chymica præparatio nec abiiciat quid, nec addat:
4. quia sic non sit magisterium. Si rursus dicas: *at in tres essentias, seu essentialia principia diuiditur*, quorum quodq; per se digeritur, & exaltatur: Et tunc iterum coniunguntur, vt fiat salutaris medicina: Respōder fallam esse in tria diuisionem, quia *vnicum sit tantum*, ꝙ cum vario vultu apparet, & varie mouetur, diuersa accipiat nomina, appelleturq; *sulphur, sal, mercurius, cum re vera omnia sint mercurius, omnia sal, omnia sulphur*. Hæc ille *pag. 72. & 73.* R. Nos negamus antecedens: & dicimus ad ꝓbationem, quod æquiuoci elencho ludat. Sunt sane extractiones colocynthidis, & p̄parationes, elaborationesque diuersæ, quarum vna possit esse mole parua, potestate magna: Interim vero non oēs eodem censu sunt damnandæ. Deinde non intellexit iste miser *quid sit potestate maximum in minimo*. Illud magnum intra suæ naturæ limites manet. Deinde cum ad vsum accōmodatur ad effectum in determinato corpore refertur, nec absolute magnum est, sed relate. Si scrupulari quantitate præbeas *alhandal*, extractione eā rediges ad grana tria vel quatuor, q̃ forma pilulari in nebula madida data nō habebunt per se plus virium, q̃ scrupulus ille, siquidē bene est preparatum extractū & pilulæ submissus haustus decocti cōmunis, aut brodium quoddam, &c. Rulandus sane satis bene vtebatur *spiritu vitæ aureo* qui nihil erat aliud, quam *extractum alhandal* cum suo menstruo, &c. Quod si correctiua adduntur, vti concedit Palmarius. quid habet, quod iam possit conqueri? Sophisticum est de solo extra vsum statuere, & inde in ipso vsu prudēter datum cum suis correctoriis vituperare. Sed nec in colocynthide sunt omnia Videamus occupationes:

Prolepsis prima inutilis redditur vsu petito, cum his, quæ vim frangunt, mulcent, dirigūt. Deinde veris exaltationib. eliditur. *Secunda* calumniā habet. Nam ista circulatio digestoria est & simul bonū à malo separat beneficio ignis artificiosi, & menstrui cœlestis. *Tertia* est mendax. Quomodo spagiricū extractum possit fieri, si nihil abiiciatur? Eiusdē iudicii est & *quarta*. Nota tñ versutiam. Quæ philosophi *de lapide*, cuius materia iam studiosissime præparata est & superfluis abiectis ex integro mercurio extracta, *abiectoq; binario vnitas duntaxat seruata*, differūt, hæc calumniator ille transfert ad extracta omnia. Certe aliud sal esse, aliud oleum, aliud liquorem sensus testantur. Quod si tamen placeat aliq̃ essentiam iam ab elementaribus sordib. liberatam exaltate ad modum lapidis, fieri possit, vt sola digestione per ignis ingeniose adhibiti calorem decoquatur, digeraturque sine abiectione, aut accessione molis. Ita se habet & hoc argumentum. Aliud:

Extractum sine abiectione.

Lapidis phil. præparatio.

Exaltatio essentiarum.

Qui tollit relinquendum, is non facit potius medicamentum sed deterius.
Libauius tollit relinquendum. Ergo.

Venenum medicinis nō debere adimi iudice Palmario. Assumtio probatur, quia *venenum adimit catharticis* quod erat relinquendū: Probatur: *Theriaca non esset Theriaca, si opii venenū tolleretur: Ergo nec colocynthis catharticum, si venenū eius deleretur*. Ex cōsequēte *impurum à puro non est separandum, sed totum vna relinquendum* R. iniustus est sophista: qui *p. 71.* volebat malum cum bono non debere exaltari, sed separari ab hoc illud: iam a. separationem veneni prohibet. Negamus minorem, & dicimus ad probationem, quod petat principium. Exemplum Theriacæ sophistice accommodatur. Neq; n. venenum in ea relictum est: sed virtus iuuans oppressa deleteria seruata, & exaltata. Aliud

Qui ignem vnicum ignorat, non potest meliores præparationes dare.
Libauius ignem vnicum ignorat. Ergo: Et ex consequente, mauult Palmarius omnium dogmaticorum vulgari, aquam Libauiana.

Notent hoc Verifices Palmariani & applausores. Maior probatur, quia sine igni isto parata sunt venena. Resp. si de igne Palmariano fictitio, quem Elixyr & lapidem vocat, intelligitur maior: falsa est: & probatio eius mendacium. Si de legitimo igne, minor est falsa. Probationem maioris vertimus in ipsum Palmarium.

Quæ sine igni Palmarii Galenochymici parātur, sunt venena. Dogmaticorum vulgaria medicamenta parātur omnia sine illo igni. Ergo venena. Sic Palmarius ex dogmaticis fecit veneficos.

Aliud: *Quæ non sunt elaborata philosophice, non sunt præstabiliora.*
Libauiana non sunt elaborata philosophice. Ergo.

Assumtum probatur: *quia non exaltatum in eis est bonum, sublatum autem destructumque malum*, vt feruor, acrimonia amarities, cacoethia, seruata vi purgante: *In igni natura sunt opes chymicæ.* R. Delirauit disputator: Prius volebat venenũ cum bono relinquendum: iam contendit separandum per ignem suum fatuum.

Aliud: *Qui in suis medicamentis retinent formam propriam, meliora parant non retinentibus. Parisienses in suis medicamentis retinent propriam formam: Libauius non retinet. Illi ergo hoc melius parant medicamenta.*

Maior probatur: *quia omnia debent elaborari cum formæ conseruatione.* Minor confirmatur. 1. *quia igne naturæ, qui solus potest conseruare formam, Parisienses vtuntur: 2 formæ physicæ sunt à materia inseparabiles, earumque actio est corporea: Itaque non possunt sine corpore consistere. Non separantes ergo formam retinent, &c. Contra Libauius non habet ignem naturæ. 2. Dum separat quintam essentiam à materia, formam corrumpit. 3. Impossibilem in tria separationem instituit. 4. Quinta essentia à creatore primitus omnibus est indita. Ergo & elementis, à quib. ideo est inseparabilis. 5. Si separatur, cœleste separatur, quod nec debet, nec potest separari. 6. Vna natura requiritur. Separatione fiunt multa* 7. Si dices, *at reduniuntur:* respõdet: *non datur regressus ad habitũ, & nec eadẽ, nec similis forma redit: quia nõ accedit talis, nisi sub tali materia. At materia talis esse desiit, elaboratione extractoria, 8. Natura dedit nobis, vt talia, tanta quæ in medendo sint satis. Ergo nihil demoliendũ. 9. Deus fecit omnia in pondere, & mensura, & numero. Qui separat, Dei mensuram destruit.* 10. *Natura nec deficit, nec abundat in necessariis. Temeraria ergo est separatio. 11. Corruptione in tria principia non solum rei natura perit: Sed & contraria reponitur: quia mutatio est ex contrario in contrarium: à bono in malum:* vt: ex vino fit acetum: ex semine, & sanguine fiunt morbi venenati. 12. *Si natura de industria ex plurib. voluit constare medicamentum, nulla separatio debet fieri. Illud est. Hoc ergo.* Assumtio probatur: 1. *Igni, qui vt sit moderatus, contrario moderandus est: Et sic miscendus: 2. Humores synceri exeuntes, & separati signum sunt pessimum. 3. Corpora cõsulto iuncta sunt essentiis subtilia crassis, vt mutuo se iuuent in actione.* Hæc Palmarius fœcunda Minerua in hoc argumento. R. Primo omnibus his vti possumus contra præparationes omnes, quib. inutile ab vtili secernitur, & eligũtur conferentia, etiam in culinis, nedum in officinis medicamentariis: Deinde totam naturam digestoriam alimenti in plantis & animalib. his argumentis damnare. Tertio Palmarius arietes istos excogitauit contra omnia sua chymica Hermesian & Spagirian, atq; adeo omnia extracta, olea, sales, aquas, essentiam quintam, Lapidem, Elixyr, decocta, infusa, expressa, sublimata, aurum potabile exuberatum, antimonium Succen, ignem naturæ Pontani, & omnino omnia sic sunt in vsum medicũ transferenda, vt nascuntur, intra, & extra terram: quæ responsio satis est ad stultam istam molem conterẽdam. Verum ne ab igne naturæ Palmarianæ consumti videamur, Salamandræ nostræ succum instillemus & pauca quædã ad rões dicamus. Primum inuertimus ratiocinationẽ à parte Libauii (Nam Parisienses pridem responderunt *Palmarium errare, mentiri, calumniari, &c. Qui in medicamentis retinent formam propriam medicamenti, qua est medicamentum, is bonum parat medicamentum.* Nam medicamenti forma ꝓpria est nõ esse radicem, herbam, arborem, lapidem & similia, q̃ natura edit, sed virtutem & potentiam habere qua ad bene medendum vnumquodque est instructum. Assumimus: *Libauius & cæteri boni chymici retinent formam medicamenti propriam.* Ratio est: quia quod natura catharticũ peperit, id purgatiuum relinquunt, quod nutritiuum, id nutritiuum; Et sic de Bezoardicis, confortantib. &c. Palmarii vero ignis non relinquit, quia vertit venenum & pharmacum in cibum: Item tollit amaritiem, aliosq; sapores. *Libauius ergo bonum parat medicamentum: Palmarius malum.* Iam de rationibus. Maioris probationem admittimus si intelligitur nec forma, qua vnumquodq; in natura vixit: nec species externa: sed facultas medicamentosa, aut aliter iuuans. Si enim non relinqueretur: Cadauer conderent Medici, non medicamentum. *Ad minoris prosyllogismos:* Parisienses quo igne vtantur in præparatione ipsi sciuerint. *Supra* Palmarius eis tribuebat ordinaria. Vsurpabunt ergo & ignem ordinarium. Deinde certum est, eos nec externam speciem seruare, nec formam, qua planta, aut animal vixit. Seruant ergo interiorem, quæ est medicæ facultatis principium, quam & Libauius. Argumenta contra separationes. 1. *Formas physicas* excepta sola humana, à materia *inseparabiles* esse credimus: verum non sensu Palmariano. Nam ita sunt inseparabiles, vt solæ extra materiã non subsistãt: alias separantur & intereunt in materia succedente alia. Id probat tota classis generationum, & corruptionum. Et si sunt inseparabiles, quomodo ignis Palmarii separat sapores, & alia? Quando etiam Libauius separat crassa & inutilia ad medicandum, *non totam tollit materiam.* Alias incorporea faceret medicamenta: sed in interiore eius essentia corporea vim comprehensam colligit, & vna cum essentiali subiecto transfert: siue id fiat igne naturæ, siue analogo instrumento. 2. Falsum est corrumpi formam medicamenti, qua medicamentum, dum separatur essentialis pars à fecib. 3. Falsa est & impossibilitas separationis in tria. 4. Quis id negat factum suo modo? At non sequitur in mistis coactam non posse separari à sterilibus partib. Vbi coagulata est, inde potest separari. In simplicibus elementis non est coagulata. E fecib. a. ipsa natura fecit separabilem. vt in omnibus succis expressitiis, & similibus. Et quorsum decocta, infusa, exprimenda, impetantur? Fatuum est logicis, & metaphysicis ratiunculis euertere velle euidentem naturam rerum, sensibus & experientia comprobatam. 5. Cœlestem essentiam debere & posse separari in medicinis, Palmarius contendit *duob. capitib.* 11. & 13. Secum met ergo ipso pugnat. 6. Verum hoc est in Elixyre in principio & fine: In medio est falsum. Deinde in cæteris chymicis, pro arbitratu medici, vna vel plures naturæ fiunt ex misto. Quinq; naturas inclusit Palmarius. Si omnes essent instructæ potentiis salutiferis separari possent, reduniriq;, vel etiam simul elaborari. Confundunt miserum casearíæ Thestilides, Oenopolæ, coci, &c. 7. Quod attinet axioma

Contra separatoriam Alchymiam seu Spagirian.

Inuersio rationis Palmariana.

Pro separationib.

Forma quomodo separetur, & sint inseparabiles

illud *à priuatione non dari regressum ad habitum*, eundem scil. numero, (non specie, vel genere) id sane in plærisque locum habet. At quis est Medicorum qui in suis præparationib. id spectet? Separet aurifex diuersa metalla. An non possit redunire? separet lecticam scriniarius: An impossibilis sit restitutio? Separet quis fecem à cereuisia, vino & similib. quã facilis est remistio? Stultum est naturæ motum cum artis rationibus confundere, & formas, vnionesque naturales pro artificiosis proponere. Quod si tñ artifex semine naturæ vtatur, & specie simile per naturam ex priore corrupto producat, idq; & viribus & numero melius, num absurdum quid tentet? Nosse debuit ille *lapidis dogmatici faber totum studium philosophorũ esse ad exemplum naturæ elixyr suum perficere*. 8. Errat à dicto secundum quid. Si nihil in naturæ operib. est immutandum, vorare debuit cum vngulis, corio, cornibus & ossibus boues. Ipsa in animalib. nutritiua potentia separationes suas habet, *nec quicquam facit ex toto*, vti & artes plæræq; vt scripsit Aristot. Eadẽ responsio est ad 9. Crases tamẽ interiores, quib. inest medica facultas, non destruũtur, argumento virium. Itaq; *extractum, oleum, aqua cinanomi adhuc sapit, & olet cinamomũ, &c.* 10. Aliud est de natura per se loqui: aliud de ea ad finẽ certum relata. In nutritione esse superflua, res loqtur. *Philosophi mystici* in præparatione materiæ ad Elixyr *duas agnoscunt, & tollunt superfluitates*, &c. 11. Ridiculum sophisma. Tollatur vnũ, & introducatur contrariũ. Si ergo malum sublatum fuerit, bonum sequet. Ex semine & sanguine fieri possit venenum: At fieri põt etiã animal: & medicina, prout est semen; vt ex semine fœniculi, oleum, &c. 12. Negatur cõnexum. Natura ex plurib. fecit misturas, in quib. quædam partes sunt inutiles ad medicinam; quædam vtiles. Vtræq; mistæ. Non desinit mistio inutilibus ablatis: Non perit Rhabarbari purgatiua, etiãsi herba, scapus, flos, cortex detrahãtur. Probatio de igni stulta est. Nam alio modo graduatur. Ridiculum & nihil ad rem, quod ait de humorib. excretis. In tenio actiones sunt diuersæ. In extractis veris satis est præsidii ad medicas actiones. Tandem, ne logicus iste nugator credat, omnia se chymica decoxisse, pugnat contra sua ipsius argumenta, laudatq; *Sales Spagiricos, & olea*. Sed ne quid dicat sine vituperio, negat vires similes habere integris. Cur quæso? Facex tritico sal, oleum, aquam: atque ita ex pane. *Ex coniunctis nunquam denuo effeceris nutrientem similiter panem.* Certe mi Palmari. Si te tanquam ptisanam in mortario contudissent Parisienses, nunquam reparassent Palmarium sapientem. Si panem & triticum petimus, nõ opus erat chymico labore. At ex illis medicinam volumus, quæ prius sic in pane actu non erat. Cur autẽ oleum tritici non habeat maiores ad sanandum id, cui destinatum est, vires, quam triticum ipsum? Nimis patientes in his deliramẽtis sumus. Veruntamen fieri id oportet studiorum iuuenturis causa. Notetur, quod scribit *vinum aperte diuidi in phlegma, Salem & spiritum*, licet ex redunitis non restituatur vinum. Disputat itaque contra proprias rationes. Argumentum nouum:

Ex principiis panis non potest restitui panis. Ergo separatio est inutilis, &c.

Essentia cœlestis est ἄποιος, laudatissima, mitis, blanda, &c.
Libauianæ essentiæ non sunt ἄποιοι, vt oleum cinamomi, sales caustici, Ol. Caryophyllorum, Thymi.
Ergo non sunt essentia cœlestes.

Essentia cœlestis careat ne qualitatibus.

Imo dicuntur deteriores integris: quia integrum cinamomum poterat bona quantitate masticari, quod nõ licet in oleo. Re. maior ἀπὸ τοῦ ἀποίου est falsa. De miti, & blando respondemus, non desiderari omnium graduum essentias: quin & validas posse remitti vario ingenio. Collatio cum integris est aniculæ potius, quam medici. Cur laudat olea, si integra sunt mitiora, & ad vsum medicum habiliora simpliciter? Cur tantopere extractam quintam essentiam commendauit?

Repetit postea fabulam suam de integrorum elaboratione per ignem suum sine separatione *in vnico Hermetice obsignato vase*, &c. quo ipso infantiam suam prodit. Nam præceptiones *de mercurio philosophorum* transfert ad omnia: quasi vero omnia eandem præparationẽ paterentur. Ita se habuit *c. 12. c. 13 supra* excussimus, *c. 14.* nihil habet, nisi mera nugamenta: vbi primum ex lapide stolide intellecto iudicat de omni quinta essentia: postea de quinta essentia pueriliter garrit, & calumniatur, q̃ de cœli fece erant per quandam comparationem dicta: Inde imperite fabulatur de quinta essentia immista, qui ne quid cœlum quidem sit, & quo modo sit, vnquam intellexit: Et si sit plane immistum, blaterat Chymicæ artis essentias non posse esse quadamtenus compositas, & implicatas elementis. Omnino *toto isto capite* nihil profert nisi anile, & nugatorium. Optamus vt rectius sapiant Palmariani, q̃ procul dubio sunt multi, & Libauio inuident gloriam informatæ artis: sed eos sua inuidia, vt multos consumet.

Stoliditas Palmarii putantis lapidis præcepta omnibus esse communia.

Cœlum immistum.

(a) *Quercetanus, qui Parisiis medicinam fecit ignorat illam chymiam Palmarii. Nam separationibus vtitur in colocynthide, Elleboro & similib. cum digestione adiectis aliquando menstruis & aliis: aliquando transplantationib. id asscribit, quod Pal. igni naturæ, vide p. 460. pharm. restit.*

(b) *Vt non rationibus sed exemplis refutetur nugator: repetimus extractum colocynthidis, vti id descripsit Quercet. Pulpa colocynthidis comminuti maceretur in aqua stillatitia succi cydoniorum in B. M. Facta digestione exprimatur, serueturq; succus: Reliquiis noua affundatur aqua & facta digestione fiat fortis expressio, idq; repeti põt, donec omnis vis sit exhausta. Expressiones commista digerantur in balneo, donec sedimentum sit factum. Liquor purus decapuletur, & in nouo vitro circuletur, donec & hic feces ponat. Repete laborẽ, quousq; cessent feces, & liquor rubescat. Hũc lentissimo igne balnei destilla. Relinquetur extractum purissimum, iucundũ, consistentia mellis. Hac nos accurata elaboratione, non negantes esse alias minus præstantes, id quod arti, quæ omnib. consulit, non dandum est vitio. Facit, vt solers natura apud Aristotelẽ, quæ omnia membra nutrit: sed præstabiliore alimento partes principales. Sic aquam mellis, vel succi rosarum extrahere possumus Elleberum nigrũ: aqua lactis vel rosarum, aut Altheæ esulam, &c. pro omnibus est quinta vini essentia nõ ex fecula, sed ex vino ipso In aliquibus vtimur aceti spiritu: in aliquibus propria simplicis cuiusque aqua, aut phlegmate aut aquis Theriacalib. & Elixyrib. &c. Cum succos extrahimus ex recentibus, vtimur defecationibus pluribus, quæ transferuntur etiam ad infusiones, & decoctiones. Aliter procedimus in extractis aliis, vt scillæ, viperinæ carnis, &c. apud Quercetan. Item in feculis & gummatibus, Theriacali, &c.*

CAPVT

Capvt XXVII.

De vniuersali Galenochymico Palmarii ex cap. 15. pagin. 85.

CVm Palmarius Libauium Paracelsicum probare vellet, & simul Galenicum *p.16.* repræsentabat ipsum *vniuersalis cuiusdam medicinæ* assertorem, quo nomine esset paracelsista: deinde eiusdē explosorem, qua ratione Galenicus audiret, vt sic hoc argumento duæ factiones discernendæ viderentur. Peccabat quidem tunc ille, Paracelso adscribendo id, quod multis seculis ante Paracelsum inuenerant, explicauerantq; & commendauerant antiqui, & Libauio inconstantiam obiiciendo ex apparente contradictione, quasi suo modo generalem medicinam approbando, & alio modo panaceam Ambaldinam reiiciendo ventosus esset, incertusq;, quid statueret: Sed quid iam de Palmario dicendum? Is sæpius ante vniuersale prædicauit, & præparationi eius tantum tribuit, vt putauerit *nullam aliam esse chymicam, & veram, volueritq, omnia ad eum modum per ignem quendam naturæ citra notabilem molis deminutionem, aut accretionem* elaboranda esse: iam etiam proprio capite ex professo id docet; & Galenochymiæ, lapidisque dogmaticorum caput statuit: nec hoc solum. Eandem sententiam Scholæ medicæ Parisiensis Academiæ, in qua tamen id non didicit affinxit. *Schola ipsum* omnibus calculis nigris *compendio damnauit*, mendaciumq; recantare iussit: quæ est breuis quædā examinandi via. Nos videamus, ecquid solidi, & synceri protulerit. 1. Ex veterum sententia minerales medicinas internn & externo vsu salutares ponit; quod suo modo non improbamus, 2. Concludit ex posito: *Ergo vniuersale minerale non reiiciendum.* Hoc quoq; tolerabile, si vsus prudens assit, & verum istud priscorum vniuersale; non a *falsæ* impostorum *panacea:* vera quoq; eius præparatio, adhibita sit & non ambitiosa ad omnia omnino commendatio cum repudio, & infamia aliarum medicinarum, quo modo agyrtæ Paracelsici suum vniuersale iactant, quod tamen minime verum vnquam sunt consecuti. 3. Statim post hæc *Paracelsissat*, & fanaticos fumos proflat commendator. *Mineralia*, inquit, *omnino maiores & constantiores vires habent*, scilicet, *quam vegetabilia, & animalia.* Imo, inquam etiam perniciosiores, quanquam in quolibet genere non desint nocentia, vt napelli, thoræ, toxica: scorpii, aspides, buffones, &c. 4. Cur autem maiores habent vires mineralia? *Quia artem chymicam sunt experta*, nempe illam igneam Palmarii. At eadem promittebat etiam colocynthin, Elleborum, & omnia venena tam mitia, quam quisq; sibi possit fingere, deleta omni Cacoethia, seruatis tantum cœlestibus virtutib. qualis erat purgatoria. (a) 5 *Mineralia possunt ascendere in classem alimentorum*, ait. Mirum, inquam, si hoc vlli persuaserit Galenico, nisi prius transmutato in Galenochymicum Palmarianū, qui per suum IGNEM ex summis venenis alimenta & ex medicamentis catharticis nutrimenta conficere posse sibi finxerit. Non negandum tamen, aliqua in ista quoque classe esse, quæ tandem veniant in vsum ciborum, vt *aqua*, & quæ per plantas & animalia præparantur. De *sale* putant Palmariani, quod possit à calore naturæ intra nos in escam mutari: Sed cum condimentum sit ex prædominio, cessat inter alimenta esse. Hoc modo & alia præparata industrie cibis immisceri possunt, aut etiam pro medicina adhiberi; veluti quæ ex ferro auro, argento, gemmis, coraliis, vnionibus, &c. fiunt: Sed per se non nutriunt homines, nec immediate. Remittantur tales cibi ad bestias & plantas. Serpentibus dictū est, *terra vesceris*: Ita viuere & Buffones aiunt, licet magis succi causa: *Auiculæ lapides atterunt* in ventriculis, vt & *pisces* nonnulli arenas ingerunt. Sint aliquatenus nutrimenta: Humana non sunt simpliciter, & absolute, vel immediate. Consentiunt etiam sacræ literæ, *diuinæ voluntatis indices*, & experientia in magna fame. 6. Præfert Palmarius similiora alimenta, & durabiliora: Nempe sic philosophantur *de auro poculento* etiam Paracelsici. *Sanguis vltimum nutrimentum* est: & adhuc dissimilis membris. Cæteri gradus sunt remotiores. Quicquid potest fieri essentialis pars chyli, possit in sanguinem mutari segregatis excrementis & coctione naturę debitā. Mineralia remotissima sunt, & dissimilima, cum etiam aqua, licet succis mista homini, non sit satis cōueniens, si sola offeratur. Alia ratio est, si nutrimento sicco iungatur, vel à piscibus, plantis, &c. sorbeatur.

Palmarius damnans Paracelsum fit Paracelsista suo cōuictus argumento

Examen vniuersalis Palmariani.

Mineralia medicamenta probata.

" Mirum ar" gumentū & efficax, si homines essēt minerales vt simile simili iuuaretur, & aleretur.

Mineralia alimenta:

Aliqua mineralia cibis idonea.

Salē aliqua nutrire cum cæteris cibis: Gen 3 14. Es. 65 25. Serpēti puluis panis eius.

Aqua sola homini non est congruum alimentum.

Quidam aliquo vsque vrina sua se sustentauit cum in specu subterraneo repentino superiorum casu conclusus esset. Est autem vrina valde mineralis. Sed tandem tamen neque hæc iuuat. Alias nemo fame moreretur. 7. Quæ vero sint ista similiora & durabiliora, prolixe describit, vt viam muniat magnis ampullis ad suum vniuersale. Marginales notæ rem compendio explicant: *Mineralia quia fortiora, elaborationem sustinent perfectiorem, & longiorem, vt possint exactius permisceri, augeri, multiplicari viribus, & quantitate:* Itē *vitæ principia* eis tribuit, calorem, spiritum, humidum radicale, &c. *Animat* quoque ea quinta & diuina essentia multiplici coctione: multiplicat spiritum vitali, naturali, animali. Omnino tam multa in subsidium vocat, vt mineralis natura plane desinere videatur; quod tolerari potuisset, modo præstitisset tam præclara. Forte aliquis Galenicus compendiosiore via istud consequi tentet. *Anas quædam syluestris capta in ventriculo habuit sabulum, & cum hoc duo auri purissimi grana.* Quid si tales auiculas auro pasceremus, & postea his vesceremur? Auro vero non mero quidem: attamen tanquam basi. Si mineralia præparata animantur, spiritu intra nos animantur, & non in ollis chymicis. 8. Promittit tāta sanitatis dona, vt ēt hydropici possint conualescere, & putrefacta Elephanticorū iecora restitui. *Ista magnifica quis non Paracelsicus liberalissime promittit, & ad nauseam vsque inculcat?* Si viueret Palmarius, interrogamus eum, num, quam curasse gloriatur auro potabili supra sphæram exaltato & an-

Vrina seruatus.

Similiora nutritiua.

" Mineralium " dotes.

Aurum nutritiuum facere.

Hydrops & Lepra.

Vniuersale nuldū n. timonio Suctenii, habuisset epar putrefactum? Glorias immensas audimus & legimus. Vbi tandē experientia infallibilis? Credimus tamen libenter præclarum medicamentum esse id vniuersale ex auro, atque adeo generalem vim ad multa habere posse, cum non ignoremus in vegetabilib. quoq; eiusmodi ancipitia inueniri, & mercurialia q̄ se accōmodant specialib. medicinis, & earum vires assumunt. Videndum a. *ne quis ex mercurio & auro medicinam facturus venenum paret*, quod *supra* Palmarius fieri posse docebat. 9. Ex quo vero minerali est illud catholicum? Gradatim ad Thesaurum accedit. *Quæ lucent magis*, inquit, *cæteris præstant*. Si Plinius adesset, de argento potius, quam de auro assumeret, doceretq; ēt *venena quædam splendere*: sed ideo non esse præstabiliora. De *Gemmis nobilibus* nihil dicitur absurdi; sed quæ non sua luce iuuant. Imo præparatione lux perit. 10. *Melancholicos sapientes putat propter humorem lucidum, quo gaudeant Dæmones*. Ridete. *Diabolus dux tenebrarum est*: Melancholicus succus ater, & caliginosus: Caliginosi spiritus atrabilariorum. Vnde ergo lux irrepsit? Si Diabolus est princeps & dominator tenebrarum, & gaudet capitib. melancholicis tanquam balneo, consequens est, humorem istum minime lucidum esse: aut si est lucidus commendationis gloriam perdere lucida, aliqua ex parte. Si n. & malū lucidum, non magni momenti est argumentum à luce. Sed *sacræ literæ lucē & tenebras opponunt*, & Deum luci, Diabolum tenebris asscribunt. 1. *Tim* 6.16 *Colos.* 1.13. *Eph.* 5.8. *c.* 4.18. *c.* 6.12. vbi Diaboli rectores tenebrarum, &c. 2. *Pet.* 2.4. *Iudæ v.* 6.11. Multus quoq; est *de spiritib. & organis sensuum* animiq;, roboratis per vniuersale. Vnde concludit *p.* 89. *Hæc ergo diuina & cœlestis substātia, magnum Elixyr philosophorum. sapientum magisterium, multa & maxima potest*, vt purificationem spirituum, perfectionem humorum, caloris fomentum, &c. Si quæras, vnde hoc sciuerit, cum manifestū sit nec scientiam rei nec experientiam habuisse: dicēdum est, Palmariū primo loco sibi finxisse suos spiritus & reliqua: Deinde commentum esse spiritualem lapidem spiritib. plane familiarē: indeq; deduxisse istā magiam *solis λόγοις* absque omni sensibili experimento. 12. Adeo conuenit cœlo hic *liquor*, vt nō solum cœlestis, sed & *cœlum ipsum* dicatur. Sic quidem *Lullius* quintam vini essentiam appellabat, vt & *Vlstadius*: Sed de lapide minerali fuit modestior. Neq; n. in hunc implantat stellas, vt in illā. Cōmittit itaq; Palmarius metalepsin quandam Rhetoricā, dū ex minerali genere delabitur ad vegetabile. Deinde si cœlo conuenit liquor seu mineralis, seu vegetabilis; q̄a comparatum argumentum debet aliqua notius esse, vnde didicit cœli naturam? Quam pridem è cœlo venerat? Chymici nostri *cœleste* vocant alio quodam modo, nempe q̄ vltra Elementorum sortē ascendit, etiam si mistum sit, & elementis neutiquam totaliter liberatum. Quæ vero sit natura quinti elementi, vt ei tanquam notæ comparari liquor aliquis mistus possit, *ne Aristoteles quidem sciuit. Paruas n. demonstrationes de cœlo habuit, quia id à sensib. nimis est remotum.* Conclusio est: *Magnum elixyr philosophorum est liquor non tantum cœlestis dictus, sed & cœlum. Ergo cum cœlo concordat viribus & operibus.* Antecedens probatur, quia Palmarius dixit. Respōdemus: à dici ad inesse non valet consequentia.

Elixyris vires.

Q. vini essentia.

Cœleste chymicum.

Melancholici habēt lucidum Diabolorum hospicium iuxta Palmarium.

(a) *Est stulta opinio Palmarii, quod sapores tollantur seruata cœlesti purgatoria. Nam tum illis & hæc damnum sentit. Hoc solum beneficii est, vt ex gradu nocente, deminutis virib. & subtractis his, in quib. valebat, sit blandior & represior, quod fieri & extractione infusione aceti, circulatione & aliis modis potest.*

CAPVT XXIIX.

Quid ignis iste naturæ in alimentis efficiat & saporibus, ex cap. 16. p. 90 & c. 28 p. 138.

Sapores alimentorum quales esse debeant.

DE alimentis disputatum satis est ex Hippocrate, cōiq; experiētia. Agitur de saporib. eorū: debeātne esse sapida; an insipida? dulcia an aliter affecta. Diuersæ sunt opiniones. Plæriq; *dulcia debere esse alimenta* pronunciāt, seu q̄ rectius dicitur, nutriendi substantiæ, & qualitatib. ita familiaria, vt inde homogeniam abeant, fiantq; numero idem. Hinc primum requiritur mistio. *Simplex n. solū mistum nutriri non potest.* Deinde quia in animalib. & plantis diuersimode affectæ sunt partes, opus est, vt ēt *affectiones* induat nutrimentum. Melius hic iudicatur *insipidum*. Hoc n. oēs sapores recipere potest. Hippocrates tamen terræ includebat varios succos, vt quælibet pars inde sibi cognatum eliceret. Ita vteris animalium, & chylis diuersitas erit tribuenda. Alii *dulce* volunt esse omne nutrimentū: quod aliqui interpretātur de *grato*: aliqui de *dulci gustu humano*: quasi vt suis, vel capræ est gustus ita ēt humanus & contra. Quidam docent omne genus alimenti, q̄ vim euidentem naturæ nō infert, posse gradu temperato saporis assumi: sed tutius postea partim separationem fieri partim transmutationem. Palmarius tam bonum ignem naturæ proponit *p.* 92. vt nihil fingi possit aptius ad quiduis edendum. *Omnes naturæ functiones calore obeuntur*, inquit: *Est* NATVRÆ IGNIS, *qui sapores infestos* (Ita n. debebat scribere) *dulcedine permutat: Coctione dulcescunt amara, salsa, acria: Sed a calore non quouis:* (neq; n. salsa, & amara igneo) *verum natiuo, qui mitificat omnia. Ignis arte adhibitus ingratos medicamentorum sapores tollit, quod certo experimento est comprobatum, &c.* Primum dubites, de qua dulcedine loquatur: num quomodo aquā insipidā dulcem vocant, an quo modo mel, & sacchar. an quo modo familiare, & gratū. *Calor n. mitificat omnia*, inquit. At mite potest esse cum acido tēperato cum salso, cum suauiter misto, cū saporibus mistorum, vinoso & sapiēte poma diuersa, pyra, nuces, &c. Relinquit ergo lectorem incertum. Postea comparat calorem insitum naturæ, & artis externum. *Si hic potest mutare sapores malos in gratos, multo magis ille. At artifitiosus potest.* Argumento est experientia certa. *Multo ergo magis ille.*

Ignis naturæ in saporibus virtus.

Si credere volumus, artem præparatoriam ex officina, & culina expellamus, nec amplius quicquā cōdiamus sale, aceto, sacharo, melle, aromatibus. &c. Cur? Quia lōge melius ignis naturæ in nobis mutare sapores horridos pōt, quā cocus. Atqui hoc nondū persuadere potuimus neq; sanis, neq; ægris. Nescimus, an in Gallia quisquā sit, q̄ vel expertus sit, vel credat. *Vtinam vero ars ista superesset, quæ mortem in olla colocynthidis pomis impleta possit tollere.* Esitaremus in fame fel terræ, absynthium, Helle-

Helleborum, consiliginem, napellos, Thoras, & quid non ? *Salsa* posse fatuascere, seu dulcescere essentia salis separata nouimus: At id non est pro arte Palmarii, quæ nihil separat. Audiamus argumentum mirificum: *Quæ manum vrunt, ore continentur innoxie*, inquit. Tam crasso ergo fuit ore Palmarius? Non prunas neque ore, neque manu toleramus, nisi forte multa saliua extinctas. Putat autem, *calorem natiuum* caussam esse, cur ora non vrantur. Imo, inquam, Palmari si crassum tuum sputum non restinguat feruorem, calor iste non impediet, quo minus totum os vesicis exasperetur, & vlceretur, quod meminimus cuidam nobili euenisse qui *placentulas complicatas incendebat, & vorabat*. Ignem ille tamen multum habebat, vtpote iuuenis alacris, & robustus. Schola Parisiensis negabit, re id ex se didicisse: quia *omne tale additum tali facit, vt magis fit tale.* Nouimus à magno igni minorem dissipari. Sed id aliam habet causam. Magnus enim pabulum suffuratur. Num Palmarius habuit os Draconinum Cati? Num ignem sternutauit, vt Behemoth *Hiob* 41.9. Non si aliquando bolos manum vrentes in os translatos ferimus, simpliciter vrentia ferimus: Imo ne ore quidem ferremus nisi versatione, humore, & aeris attractione vteremur. Sed inconstans valde est. Nam nimium acria, quæ bene possumus manu tenere, adeo non corriguntur à calore nostro, vt etiam interficiant confitente factum Palmatio. Idem experiuntur qui causticas aquas, vitriolum, euphorbium, ranunculum minorem, coccognidium, & similia masticant. *Hydropiper & folia Ari recentia* nô poterat nostri oris calor sic demulcere: neq; fauces *cantoris cuiusdam, qui volens sibi grauem vocem conciliare, chalcanthum sorbuerat*, periclitatus de vita. Secus iudicat de salsis. *Quo quod salsius est*, inquit, *eo melius erit alimentum. Credat Iudæus Apelli*, inquit Horatius. Non ego: Et ne credidit quidem Palmarius, nisi quod somniis suis deceptus sic deblareret. Iam obliuiscitur sui ignis naturæ, cum *pag.* 93. scribit *sanguinem sanorum omnino dulcem esse*: multiplici coctione bilem atram & flauam separari. Quid opus, O Palmari? An ignis iste felix iam non alterat tantum, sed & separat? *cap.* 5. *pag.* 25. Ignis iste alimenta non dulcia sed insipida faciebat. Tam vertumnus erat Palmarius. Illud quoque paradoxum est, quod ait, pisces in mari salso, seu altro, ibi est salsissimum, sicubi non subsunt fontes dulces, nutritos esse insulsiores viuentibus in aqua dulci. Scribebat hoc etiam *cap.* 5. *pag.* 25. Sed quod semel mendacium est, repetitum non fit veritas. Non si forte in aliquibus hoc sit, in omnibus est. Deinde pisces in mari versantes non omnes sunt pelagii. Pleríque sunt littorales, & cibum in dulci quærunt. Temerarium ergo est pronunciatum. *De plantarum alimento* non eribuit Hippocrati obloqui. Deinde commentum affert, amaras, acres, salsas esse earum partes, quia non sit secretrix valida: vnde in ipsis maneant excrementa. O te Sapidulum Palmari. Fatendum est excretricem tuam non validam fuisse, nec ignem mirificum. Alioquin tam salse & amare non scripsisses. Quorsum separatio excretricis, si inest ignis naturæ? Deinde an non natura sua & temperamento absynthium, & fel terræ sunt amara? Non ergo mistione excrementi. Quin & vbi nullus humor amarus terræ subest, absynthium nihilominus nascitur amarum. In Lupinis & salsis plantis metamorphusin calide statuit. *Alimentum*, inquit, contra Hippocratem, *Initio est dissimile. Ergo salsa planta & amara non trahit salsum aut amarum succum*, sed alium. Si enim salsum, & amarum: non posset transmutari. Scilicet fatendum est, sapores istos ex naturæ proprietate rebus suis inesse, & non ex relictis excrementis. Veruntamen ignis naturę nihil tale pati debebat, quia sapores homini horrificos blande mutat. *Dulcia negat manere, sed bilescere.* Vide calorem mirum. Ex gratis facit succos ingratos, & naturæ aduersos. Ad anticyras ergo cum tali igni. Fructus huius capitis est vt Palmarium Palmarii argumentis refutemus. Logicum est: *si id, quod magis inesse poterat, non inest, multo minus id inerit, quod minus poterat inesse.* Hinc nos ita: *Si ignis naturæ insitus viuentib. non potest sapores acres, salsos, amaros, &c. mutare*, q tn̄ magis facere posse dicebatur, *multo minus id poterit ignis externus ab arte adhibitus*, qui à Palmario pro minore agente habebatur. *At ignis insitus non potest*, teste Palmario de variis plantis: Imo ille ignis ex dulci melle facit aduersam bilem. *Multo minus ergo poterit ignis ille artificialis.* At Galenochymicus Palmarii: & ex cōsequente, quo experimento se iactat, illud aut mendax est, aut fortuitum, aut aliena potestate peragitur. *Cap.* 28 *pag.* 138. De magisterio saporis disputat. Id huic capiti est domesticum. Vna ergo opera videamus, quid & ibi monstri pepererit.

"Os Palmarii ignes tolerat.

Quidam placentulas incensas vorat non absque noxa.

Acria periculosa esse.

Salsius melius nutrire.

Pisces.

Plantarum sapores.

Examen capitis 28 Palmariani lapidis de magisterio saporis.

1. Agi dicit de sapore ingrato *aut tollendo, aut corrigendo* in medicamentis, inuiolata purgatrice. Glaucoma tunc habebat Palmarius. Non enim de medicamentis tantum in eo magisterio agitur: sed indefinite de omnibus, in quibus mutatio magistralis requiritur, & fieri potest. 2. Fieri id docet sine molis deminutione & incremento, per fictitium ignem naturæ. *(a)* Sed de hoc iam satis multa. Fabulam enim & vmbræ somnium audimus. Quercetanus quadem *pag.* 239 *pharmac.* similia promittit: Sed non sine putrefactione, separatione, digestione, mistione, &c. 3. Pulchram paralogiam videte. *Sanguis est talis, qualia esculenta, & potulenta: Quales sunt humores*, (sanguis) *tales sumus nos. Et tamen sanguis est dulcis ex alimentis cuiuuis saporis: Debebamus omnes esse dulces, excepto Palmario, qui nimis fuit amarus.* Ex istis nos hæc. Agitur de saporibus: Ponitur tale axioma: *Ignis Philosophicus extra nos id facit in medicamento, quod calor naturæ intra nos circa alimentum*: Assumimus: *At intra nos separat essentiam alimentariam ab excrementis, nec quicquam in totum mutat. Ergo & extra nos in medicamentis*: & ex consequente falsum est Palmarii dogma de alteratione sine auctione & deminutione. Deinde: *Si talis est sanguis, qualia sunt esculenta, & potulenta.* (Nota de saporibus, & qualitate sermonem esse.) *cibis salsis, acidis, amaris, vineis, triticeis, carneis, pipereis, &c. necesse est sanguinem quoque esse talem. At hoc non est*: teste Palmario. *Non ergo verum est, quod in sapore & qualitatibus aliis conueniant cibi & sanguis.*

Tertio: *Si talis est sanguis, quales cibi, necesse est omnes cibos esse dulces, gustu nimirum humano in hominibus.* (Nam iterum notate conuenit de saporibus, & qualitatibus agi.) *At non sunt dulces omnes cibi: Ergo nec sanguis omnis.*

4. Verum ille vertumnosus disputator à saporibus & qualitatibus deficit ad rerum *essentiam*,

quam *negat aliquid commune habere cum ingratis saporibus* Qui sic quęso? An non sunt connati? Tolle salseditem à sale: essentiam salis destruxeris: Aciditatem aceto adime, nihil remanebit de aceto nisi phlegmaticum cadauer. 5. Prędicat ignem suum quasi omnem exuperantem qualitatem tollentem, & cacoethian. Vtinam vere prædicaret, Nam nemo sic ægrotaret, essetque medicina vanum nomen. *Quo sanior quisque est, eo plus ignis habet. Quo plus ignis, eo melius domabitur aduersa qualitas. Nemo poterit intoxicari.* Nã ex venenis & medicamentis beneficio caloris illius fiunt alimenta. Cur ergo moriebatur Palmarius? In aliis omnibus ignem istum quærebat, in se solo nullum inueniebat. 6. Argumentatur etiam: *Si ignis naturæ in ventriculis sturnorum, gallinarum, anatum venenata cicurat; etiam in vasculis artificum. Illud est: Ergo & hoc.* Connexio probatur, *quia in ollis artificum gubernatur consilio, & ratione.* Mirũ acumẽ. Non ita dudum audiebamus inuersa argumẽta: *Si in ollis põt: magis in ventrib. Iã sic: Si in ventrib. magis in ollis.* Vtrum maius est vel minus dicite logodædali. 7. In aceti indicio apparet nõ bene coctus ab igne suo naturali. Magisterium definit vt vult. Deinde in nos sua sputa immittit. *Sapor in magisterio debet extolli. Ergo non tolli.* Belle. Vtrumque inquam. Nam mala vel excedens qualitas tollitur, reliqua bona extollitur. 8. *Aceti sapor*, inquit, *non exaltatur mistis peregrinis, vt intendatur.* Quid ni inquam? Nam ex potentia in actum vocatur, & disposito agente fit altior. 9. Libauium mendacii accusat: Bene se res habent, quod Palmarius à sua schola est damnatus mendaciorum. Sed vnde mentitur? Scripsit *in chymicis saporis mutationem potißimum vsum habere in corrigenda acrimonia: At acetum etiam acrius facere docet.* Bone Palmari: Ignis tuus tibi non fulsit. Cum acrimonia corrigitur, etiã ex hebete potest fieri maior. Quod vero acetum attinet Libauius acidius vult, magis, quam acrius, licet abusiue saporũ nomina permutentur. At, inquis, *quicquid exaltatur ad gradum altiorem perducitur.* Recte inquam. *Ergo*, inquis, *quod excessu acre est, non potest magisterio illo corrigi: Debebat enim fieri acrius.* Vtinam viueres Palmari, Doceremus tuum ignem melius coquere, aut saltem tuam phantasiam per tuum ignem ad mediocritatem perduceremus. Medicamentum, & alimentum sunt res relatæ ad aliquid. Ergo tũc exaltantur vires eorum, cum huc rediguntur vt optime faciant, quod possunt facere. Acre acrius vltra terminum sanitatis reddere, non est medicamentum, vel cibum exaltare: Sed ex cibo vel medicamento efficere venenum, aut damnum. 10. Aliud carpit. *Libauius lotione tollit acrimoniam. At magisterium nihil debebat tollere:* Acutum sane & hoc. Ignis naturæ Palmarii nihil addit, nihil detrahit. Nam exacte seruat mandatum. Ergo est verum magisterium. Nihilominus tollit salsedinem, amariciem, & alios sapores molestos cum cacoethia. *Tollere* ergo *maleficas qualitates & addere beneficas, non obstat magisterio.* Deinde aliud est tollere proprium, & accessorium in præparationibus. 11. In præcipitato ludit. Bonus vir Libauium loquentem de præcipitato hydrargyro ex aquis acribus prompto, quo modo fit & aurum vitæ, ablegat ad alium præcipitatatum, qui non fit per soluentes liquores. (*b*) Ehem: callide: Scilicet Libauius volebat omnem pcipitatum sic tractari (*c*) atq; etiam ignem philosophicũ Palmarii? Procul O pcul este profani. Sacer ille pcipitatus Palmarii lustralib. vndis non indiget: nisi fortasse cum nimium vstus est. Nã Galenici est Empyreuma & pcul eluere. 12. Libauius scripserat, si tam alte radices complexa sit acrimonia, vt elui non possit, sicut amaricies non potuit elui ex Palmario ante vermes in sepulchro, & fors etiam purgatorios ignes, palliandum esse, quomodo corrigere solent dogmatici sua medicamina. Palmarius artem Libauii hinc impotem iudicat. Imo, inquam, debes potẽtem censere. Quia pro vno artificio habet plura: sicut tu te soles in mille monstra conuertere, tantũ; vt Libauiana vexes Concluditur caput conuitiis asininis: quæ nos non curamus. Ita est saporis chymia apud Palmarium.

Si ignis Palmarii verus esset nullus nec ægrotus nec medicina esset.

Aceti indicium.

Præcipitatus

Notabit studiosus Lector nos nihil detrahere experientiæ in elaborationibus & exaltationibus chymicis, vbi postquam iam impurum à puro segregatum est, digestionibus & circulationib. extracta fiunt puriora, essentialiora, & iucunda, qua de re vide etiam Querc. *in pharm. c. 12. pag. 228.* Sed Palmarius de integris absq; separatione veneni fabulam narrabat, vide & *p. 235. pharm. Q.*

(a) *Notamus, ne quis omnia Palmario tribuat, Libauio vero nihil in saporibus insitum cuiq; rei calorem cum ceteris ad perfectionem contendere. Hæc vero non in dulcedine semper est, sed & in acore amaricie & aliis, maximeq; propriis cuique saporibus. Bene nouimus per artem chymicam extractiones vegetabiles quæ fiunt per proprium, & ex ipsis sumtum menstruum, mitescere digerendo, & circulando, vniendoque. In mineralibus constat de sublimationib. & aliis viis. Quercetanus spiritum vitrioli ex acri reddit mitem, 1. digerendo, 2. addendo phlegma proprium. 3. circulando cum vini spiritu, 4. mistione hostis iugulantis, & actione mutua frangentis, vt liquoris Tartari &c.*

(b) *Plures modos nouimus, quibus argentum viuum potest præcipitari sine menstruo: vnus fit per phiolam exiguis partib. vel per circulatorium: alter per ferream cannam. Tertius per digestionem in magisterio. Crollius videtur alium notare p. 130. Basilica vbi certis instrumentis per se redigi in cinabarim scribit. Fieri hoc etiam per serpentinos ignitos potest. Vide Quercetanum in Alexic. p. 468. 469. in consilio de Lue Venerea pag. 388.*

(c) *Crollius præcipitauit argentum viuum cum auro per biennium. Sed quid de eo sentiat, vide p. 125. Basilica. Præcipitatur alias cum menstruis vario modo: & sine omni adiectione tantum ignis industria: itẽ cum auro, cuius exemplum est in syntagmate.*

CAPVT

Caput XXIX.

Quid Chymia pharmaciæ conferat: Vbi ignis natura eſt inſtar omnium cap. 17. pag. 95.

Titulus diſtinguit Chymiam, & pharmaciam. Illa compoſite appellatur etiam pharmacochymia, proculdubio pars Galenochymiæ. Hæc eſt officinarum trituratio, coctio, lotio, infuſio. *Pharmacochymia.* Thema eſt: *Chymia longe præſtat pharmacia Galenica*: (quæ eſt dogmaticorum:) quo Themate Hermeticorum præparatoria præfertur officinarum Hippocraticarum laboribus. Argumentum primum: *Quia Chymia progreditur vltra tritionem, coctionem lotionem & infuſionem*, donec in præſens inutile ſuſtulerit; Et *malignam qualitatem ſalutari permutauerit*. Nos quidem hanc litem non multum litigabimus. Eſt enim contra Riolanum & ſcholam directa. Veruntamen quædam portenta opinionum notare conuenit. *Dum purgare eſt animus*, inquit, *inutile eſt aſtringens*. Male memor erat Palmarius *capitis 12. pag. 69.* Ibi enim contra Libauium ſcholæ inſtitutum laudabat, quod catarthici celeritatem aſtringentibus ſiue ſtypticis retardarent dogmatici. At hic audimus plane hoc in purgantibus inutile eſſe, quia purgare, & aluum ſiſtere ſe mutuo impediunt: Et cum alterutrum volumus procurare, alterum prius tollimus in Rhabarbaro. Reſpondebit proculdubio ſchola Logicum hũc blaterõnem deſipere. Nam *Rhabarbarum in ſubſtantia datum non implicat ſe in inteſtinis*. Deinde idem fit Cydoniorum miſtura, qua corrigitur Diagridium, & Elleborus niger, niſi forte quid occultius ſit conſiderandum. Nouimus enim hominem, qui ſiue ante, ſiue poſt cibum edat Cydoniorum ſuccum, purgetur, adeo indomitis Cydoniis vt odor in fecibus maneat. Ipſe Palmarius *pag. 114. cap. 21.* ex Meſueo aſtrictionem in cathartico probat, vt ſuum ſtibium defendat. Sed hoc tranſeat. Quo modo vero Chymia ſuperat officinæ præparationem? An non ſeparat? *Non*, inquit: *Sed exaltat, ſublimat, propriam ſubſtantiam viribus multiplicat: ſaporem ingratum cum Cacoethia tollit: VT RESTET amicum, tutum, facile, genuina virtutis.* Quo præſidio, & auxilio hoc diuinum conſequitur? *Inuentio* (inquit) *mirabilis ignis Philoſophici Chymica eſt. Iſ perficit omnia etiam integra, & quacunque ratione compoſita. Defectus omnes ſupplet, redundantias tollit. Hoc vno, ſi non alio, ſuperat pharmaciam vulgarem chymia. Ea & mineralia induſtriè ſcit tractare. Nam aurum nec foliat, nec puluerat, ſed liquat, ſeu ſoluit competente liquore: Vitriolum NON INTEGRVM, ſed arte in dulcedinem adductum addit*, &c. Hæc eſſet vnum magnum, ſi verum eſſet, ſcribebat quidam ludens. Sed metuimus, ne ſchola Pariſiana his ipſis argumentis ſuam pharmaciam antefetat chymiæ, vt volebat Riolanus. Ita enim ratiocinari poteſt:

Palmarius ſibi aduerſus in purgantibus.

Ignis vis mira.

Aurum quò modo chymia præparet.

Verum ſemper anteponi debet, mendacium poſtponi.

Pharmacia dogmaticorum continet verum: Galenochymia Palmarii mendacium. Ergo. Puta maiorem ſic enunciari debuiſſe: continens verum debet anteponi continenti mendacia. Minor probatur, quia quicquid ille fanaticus de igne naturæ ſuo garrit, verum non eſt. Pharmacia vero Galenica ratione & experientia munitur. Deinde iſte ignis ſeipſum implicat contradictione. Si ita præparat, vt aliquid reſtet, neceſſe eſt, ſeparatum eſſe aliud, ex quo reſtet. Deinde ſi iſte fictitius ignis integra, & quacunque ratione compoſita emendat, quid cauſſæ eſt, vt tantum bonum adhuc lateat? Tertio ſi defectus ſupplet, redundantias tollit, quo modo relinquit integra? An non *pag. 96.* ſcribitur in plantæ nutritione non excludi reliquias nutritionis, & inutile excrementoſum, vnde infuſionũ magmata veniãt; ſaporeſq; ingrati, & malignæ qualitates genuinæ facultati obſtantes? Si ignis ſeruat tantum genuinũ eſſentiale, an non integra diſſoluit, & ſeparat inutile ab vtili? Imò & vitriolum non integrum relinquit. Quid opus erat Galenochymia noua, ſi furta pro ſuis inuentis, & Alchymiæ ſurrepta pro propriis, nihilque aliud vendit? An iſta ante Palmarium ignorabant Chymiatri? Verum libuit autori nugarum non vna ſtultitia deſipere. *De correctoriis cenſet, ea ſæpe contrariam facultatem occultare in profundo*: quod eſt ſecundum argumentum, q. d. *Quod facultatem noxiam in profundo relinquit peius eſt eo, quod tollit. Pharmacia corrigere volens relinquit eam facultatem; Chymia tollit. Illa ergo peior, hac melior.* Aſſumtio, ita ſimpliciter ponitur de pharmacia. Sed de chymia probatur figmento ignis. Sed primum *pag. 69.* Scholæ correctiones mirifice commendabat: quia tollerent componendo ea, quibus nocent integra. Ita *pag. 72.* Pariſienſes, quod nocet, corrigunt meliorum additione. Si hæc vera ſunt, pharmacia non relinquet prauum. Deinde marginalis nota ait; *Metalla vulgò nec rite nec rectè* (quaſi *Rite* aliud quid eſſet quam *rectè*) *parantur*: quod & ipſum tollitur fœditate contradictionis. Tertiò: *ignis Palmarii eſt fatuus. Nihil ergo vtile probat*. Dum ait, *vegetantia multas ignis gehennas* (Ita enim ineptit de more) *& primos artis labores* (qui in mineralibus alias vſurpantur) *reſpuunt*; *cuiq; ſunt labores ſui*, &c. obliuiſcitur *recti*. Nam in ignis naturæ operatione tantum eſt vnicus labor, vt *cap. 5. pag. 27.* & eiuſmodi. Non ergo cuiq; ſuus. Sed in purgatorium mittatur & hoc caput, præſertim cum in auro non foliato, nec puluerato, & in vitriolo non integro (quod tamen requirebat ignis ille ſapiens) ſed arte ignea in dulcedinem adducto, ſuam inſcitiã prodat, ſuaq; placita euertat ipſe. Quæ *cap. 18.* de ſubiecto purgantis poteſtatis declamat, non placet examinare. Alii aliud dicunt. Palmarius negat Catharticam eſſe à qualitate elementati, vel temperamento (contra Hippocratem, & Galenum:) vult à cœleſti & diuina eſſentia eſſe, quæ in domeſtico hoſpitetur ſubiecto. Itaq; & igni naturæ eam vim tribuit, vt hac ſeruata omnia cœtera tollere poſſit, licet mole non deminuta. Sed contemnitur eius ſententia, quanquam forte non differt à Galeni craſi interiore. Illud ſaltem hinc eluceſcit, cum ſcribat, facultatem purgantem eſſe in interiore, & proprio ſubiecto, quod eſt quinta eſſentia, impudicam, & ferocem habuiſſe frontem tam pertinaciter abnuendo integrorum ſeparationes. An hoc eſt integrum, ſi abiectis pluribus partibus tantum paruam ſerues, quam poſtea citra imminutionem elabores?

Cathartica: Nota Sophiſticum integrum Palmarii, quod non eſt ſimplex totum: ſed extracta ex eo eſſentia.

Caput XXX.

De argento viuo polychresto ex cap. 20. pag. 105.

Argentum viuum ignis.

Aqua permanens.

Supra diximus cum de mercurio & igne Suctenii ageremus, *argentum viuum ex antimonii stella martia per hydrargyrum elicitum*, vti volebat Sucten (nam alterationi similius est artificium, quam extractioni) *vocari ignem*. *Mosius in Turba argentum viuum, quo philosophi vtuntur, appellat igneum*, quanquam ignea vis initio, & in cortice non appareat, sed lateat in recessu. *Agadmon aquam auri, igneum venenum* dicit, estque *aqua permanens* ex mercurio cum compare suo coniuncto, hoc est, aqua illa mercurialis glutinosa ex argento viuo sublimato, postquam bis cocta est & auri calce impraegnata, & in *lac virgineum* mutata. Aliquando tamen is terminus *nigritiem* ex malagmate illo philosophico designat, quae & *sulphur* dicitur. Sic *Menebdus* Etheliam seu argentum viuum coctum, & aerem factum ignem nominat corpora comburentem, &c. In *aurora consurgente cap. 13.* Ignis philosophici, seu argenti viui triplex genus proponitur, & *anima*, vel *quinta essentia mercurii*, ignis dicitur. Citatur ibi Turbae *senior* inquiens: *Ignis noster est aqua. Si scieris dare ignem igni, mercurium mercurio sufficit tibi. Illum ignem oportet extrahere igne connaturali.* Vide ibi & reliqua. In *scala philosophorum* aqua calcinans solem & lunam secunda vocatur *ignis non naturalis*, cuius virtute magisterii fit complementum, diciturque dissoluere spiritum corporis fixi: sed *ignis natura* dissolutum congelare. Vtrobique vero est *mercurius*, qui iuuatur igni *innaturali* seu externo artificiali, qualis est *fimi vaporosus*; & *alio elementali*, qui flammeus, suoque tempore est vtilis. Ex his & similibus multis locis patet *Argentum viuum in se habere ignem*, qui cum per artem foras trahitur, cognoscitur ex operationibus igneis, quas in metalla exercet, & corpora morbida. Non incommodè ergo in tractatu hoc de igne naturae, agitur de argento viuo, quod Palmarius vocat *Polychrestum*, quod *vulgares Physici & Medici*, quia arte tractare non possunt, vituperant, qua in re rectè accusantur à Palmario. Quoniam autem Paradoxa nonnulla eius historiae immiscet, & Libauium criminari non potest omittere, videamus quidnam ista in re sapiat.

Ignis non naturalis.

Mercurius chymicorum an naturalis.

1. *Hydrargyrus, argentum viuum Plinii, Mercurius chymicorum*, inquit, *vna & eadem res est nempe non artificialis, sed sponte nascens.* Improuidus scriptor confundit potius rem, quam explicat. Mercurius chymicorum quanquam naturali constet materia, tamen, secundum formam, naturalis non est, quod intelligitur etiam ex adiecto, CHYMICORVM. Chymici vero sunt artifices. Vocant autem ita *vel liquorem*, qui est tertia pars essentiae, & vnum ex principiis, de quo *supra* multis. vel *materiam lapidis* mineralis studio summo artis praeparatam, atque ita à mercurio vulgi distinctam. Argentum viuum minerale Plinii potest esse materia quaedam mercurii mineralis chymicorum: Nam ex eo potest extrahi: at idem non magis est, quam quinta vini essentia vinum: Sulphur vitrioli vitriolum: Mercurius antimonii antimonium, &c. Ideo tam saepe inculcatur à philosophis, *quod ipsorum mercurius non sit mercurius vulgi.* Hoc itaque primum flagitium est Palmarii in hac speculatione. 2. *Nullus est artificialis*, inquit. Si intelligit artem non posse facere argentum viuum primae dispositionis, non fallitur. Si vero ars assumit materiam ex natura, in qua argentum viuum est potentia, & producit id actum, cur non inde nomen accipiat artificialis? Sane Galenus correctione indiget. Nam hydrargyrus etiam purus putus in natura inuenitur. In eo tantum non est falsus, quod ex minio quoque natiuo, & argentariis lapidibus, in quibus non erat actu, sed potentia, vi ignium eliciatur. Plaerique dicunt *separari*, quod non vsque adeo impugnamus: Veruntamen videtur etiam *quaedam transmutatio* contingere, sicut lapides ferrosi, seu dispositi ad ferrum, & similes minerae in ferrum abeunt excoctione, similiterque fit in aliis, quae ideo Galenus vocabat artificialia, vt Cadmiam fornacariam, pompholyga, cerussam, aeruginem, &c. qualia multa chymici ex metallis, aliisque mineralibus arte faciunt, vnde postea artis opera dicuntur.

De Mercur. philos. Vide infra in Ripleo.

Conflatura metallorum quodammodo est transmutatoria.

3. *Nullus è metallis, & mineralibus eruitur* inquit. Scilicet ne *Suctenio* quidem, quem aliquoties tanquam Libauio oppositum autorem citauit, credidit. Is suum ignem, & argentum viuum ex stibio eliciebat, & porro martium, venereumque faciebat. Apparet autem imperitia hominis, qui, dum audet de lapide & vniuersali philosophorum tam copiose & magnifice declamare, ignorat omnes peritos *metalla nihil aliud esse* profiteri, *quam argentum viuum coagulatum*, & posse per dissolutionem artificiosam in liquidum reduci sicut glacies ex aqua concreta in eandem reducitur. Ne *Erastus* quidem adeo pertinax erat, quin fateretur *ex auro posse fieri mercurium*, quem miro compendio *Eduardus Kelleus Rudolphopoli* praesente *Nicolao Maio*, & Pragae in gratiā *Rosenbergii* teste *Penoto* ꝓduxit. Ipse *Penotus* aliquot modos eius artificii proposuit, editusque est liber *Elia artista* nomine, in quo & processus docentur, & calumnia depellitur. Profitetur eam artem etiam Basilius Valentinus I. Bapt. Porta & alii. In nostris aduersariis etiam plures habemus descriptiones, quibus ex plumbo, stibio & aliis conficitur argentum viuum. Palmarius quidem Libauium aliquoties eo nomine irridet, & criminatur, negans etiam in Elixyre Philosophorum aurum, & argentum in mercurium abire; sed deceptus est inscitia sua, & imperitia. Negat *mercurium erui ex mineralibus*: Et vix quinque lineis interpositis è *cinabari minerali* educi confitetur. Quae haec est imprudentia?

Palmarii improuida contradictio.

4. *In cinabari minerali actu & distincte continetur. Ergo non eruitur aut fit arte.* Imperitè inquam. Inuenitur quidem etiam purum, & quod iam suum est siue per se, siue inclusum minio, & cadmiae argentariae, siue fotis adhaerens, aut permistum arenis: Veruntamen etiam in aliquibus inest potentia. Sola concussione, & ictu mallei non semper etiam actu existens separatur, qua de re Agricola consulendus.

5. Si

5. *Si quædam è natura poßibilitate eruuntur, vt aurum & argentum, nusquam artificialia, sed pure naturalia sunt. Ars NIHIL quicquam addit, vt nec tritici cultura artificialis est.* Respondere ad obiectionem volebat talem: *Cui, vt actu sit, ars adhibetur, id est artificiale.* Nam cum in potentia esset, nondum erat absolutum. Quod vltimam perfectionem affert, id nomen operi ex se potest imponere. *Iam vt sit argentum viuum, & alia multa mineralia actu, ars conflatoria efficit. Ergo.* Negat Palmarius propositionem. Etiamsi enim arte perficiuntur, tamen sunt naturalia. Sed veritas est, quod *aliqua sint naturalia; aliqua artificialia.* Duo enim principia concurrunt, vnum *internum*, quod est natura, quæ multa in mineris imperfecta reliquit: alterum *externum*, quod est *metallurgica*, chymia mineralis & similes elaborationes industriæ. Argumentum à tritici cultura ignorat Elenchum, estque ridiculum & falsum. Omnino enim quia triticum non sponte nascitur, sed opere coloni; ipsum quidem naturæ vi ex semine prodit, & perficitur: sed cultura tamen eius est artificiosa?

Negat Coloni artem esse artem.

6. *Dioscorides pronuncians argentum viuum venenum, aut sublimatum intellexit, aut ex aqua forti præcipitatum.* Mirum vero, si chymicus fuit Dioscorides. Quid ni & Plinius, cum de vulgari inartificioso scribit esse venenum omnium rerum? Dioscorides ignorauit ignem naturæ Palmarii. Alias non tantum innoxium medicamentum esse dixisset, sed & in alimentum mutasset, sicut Palmarius aurum potabile, vniuersale lapidis, gemmas & similia. Dioscorides *lib. 5. cap. 60. primo* proponit artem, qua ex minio (non illo, quod Quercetanus ex plumbo coquit, quodque Dioscoridi est sandaraca, vel sandix, aliis scyricon: sed natiuo, quod ἀμμίνιον vel μίλτος, vel κιννάβαρι de quo Plinius *lib. 33. cap. 7.* quanquam & hic videatur perplexe scribere. Nam ex argentario lapide argentum viuum excoqui bene quidem dicit, sed in minio secundario, quod fiat exusto lapide, obscurus est. Aliud enim est id minium, ex quo hydrargyrus extrahitur: aliud sandaraca & sandyx plumbi seu cerussa, de qua *lib. 35. cap. 6.* quale fieri potest & ex lapide plumbario. Illud concedi Plinio potest, postquam iam extractum est argentum viuum, siue lapis fuerit argentarius, siue plumbarius, siue vena hydrargyri, vstione confici minium secundariũ) conflatur argentũ viuum: Rem ignoram Palmario. Addit *inueniri* etiam *natiuum*: Hoc solum nouit Palmarius. *Tertio* tradit *seruari plumbeis*, stanneis aut argenteis vasis; quia omnem aliam materiam exedat. Deceptus est relatione mercatorum. Nam ista metalla dissoluit. Vtribus, vesicis ligneis, seruatur. *Quarto* ait *potum habere vim pernicialem.* Quo modo? *Pondere*, inquit, *interna exest.* Imò si exest, non pondere id facit, sed acrimonia, & vi destructiua, quam bene sentiunt aurifabri, fossores minii, vncti & vaporati hydrargyro. Si Dioscorides sublimatum intellexisset aut præcipitatum, quo modo potuisset vim exitiosam & erodentem ponderi asscripsisse? Non bene Sobrius erat Palmarius cum id scriberet, aut non habebat ad manum Dioscoridem, vel non vacabat inspicere. Præceps scilicet ferebatur in repræhensiones Libauii. *Capite 28. lib 6.* scribit Dioscorides *argentum viuum inter mineralia venena*, atque *potum eadem inferre, qua lithargyrus*, eademque proponit remedia. Nimirum intelligit crudum, liquidumque, quale ex officinis venit multis sordibus infectum, quæ sordes etiam emergunt in superficiem ex recessu, si seruetur aliquandiu. Adhæret sulphur impurum, & spiritus Cobaltici, seu cadmiosi; vnde recte dicitur venenatum. Si parem lithargyro habuit effectum plumbo vitiatum intellexisse censeri potest. Artifices multo sale & aceto eluunt, deterguntque; Et tamen adhuc impurum, & crudum esse dicunt, quod terrestritatem, & aquositatem perniciosam adhuc contineat, quæ acri balneo est tollenda. Veruntamen minus nocet postquam impuritas est detersa. Mittebatur nobis hydrargyrus ex terra aduocatorum, quam varisciam appellant, seu Vogtlandiam. Is ex minera erat exhaustus citra omne artificium. Purgatus sæpe traiectione per pannos, nihilominus nigritiem perniciosam & scorias euomebat multas. Non mirum, si quis talem venenum pronunciet. Longe ab hoc differt Hispanicus, Indicus, Tirolensis, Vngaricus, & quicunque circa mineras auri, argentique inuenitur non corruptus plumbo & similibus; in quo natura seminale principium coctione meliore elaborauit. *Talem assumunt ad suum magisterium sapientes*, & in aquam primordialem conuertunt. Sed ad Palmarium.

Arg. viuum Dioscoridis.

Hydrargyri impuritates.

7. *Argentum viuum rodere, nunquam fuit obseruatum*, inquit: Paucos ergo vel nullos audiuit de noxa argenti viui querulos. Mortui post vnctiones, habuerunt corrosa ossa, (*a*) in quibus & argentum viuum inuentum aiunt. De sublimati in dentes iniuria norunt, quæ faciem mercurialis aquis liniũt: *Dauid Rungius* scribebat quoties tractaret argentum viuum, aut cinabarim, se molestiam, vel solo halitu sentire. Amicus noster *Doldius* non ita pridem significabat, *quendam chirurgum* sæpe sumtis mineralibus medicinis, quarum peritiam sibi arrogauerat, mortuum *habuisse ossa friabilia.* Iudicabamus mercurialia nõ fixa fuisse medicamina, nisi fumãdo ægrotos ipse quoq; fumos corrosiuos hausit, aut Gallicus fuit. Calcinat aurum, argẽtum, plumbũ, stanuum: ferrum molle reddit, &c. Sitne hoc corrodere, an quid aliud, videre debuit Palmarius, ante quã iudicaret. *Putauit* .n. (ita scribit) *eius ope metalla durißima in calcem*, puluerem, atomos *abire, non aliter ac stygia.* Mirum: Si non aliter ac stygia; eodem sane modo. *At stygia est corrodere. Ergo & hydrargyri.* Sed ille falsum hoc iudicium arbitratur. Cur ergo dixit *non ALITER?* Iuniores norent corrosionem illam per accidens tribui argento viuo propter adhærentia corrosiua, vel quia frigiditate labefactat solida, quæ postea cum nutrimentum receptum non possint conuertere, id corrumpi & acre fieri sinunt, ipsaque etiam per se fathiscunt. Si purum est, metalla in eo soluuntur non corroduntur: licet vocetur interdum corrosio certa relatione.

An argentum viuum corrodat.

8. Verum vertumnus iste à corrosiua transit ad calorem, negatque argentum viuum calore calcinare. Sed & falsum dicit stygiam vrere calore. Et est tamen caustica. Quo argumento negat? *Si calore, ignis deberet aurum calcinare. At non calcinat. Non ergo calore.* At inquam calcinatio est opus caloris ignei. *Solo salium spiritu*, inquit, *aqua fortis momento soluit argentum.* Non quidem momento, inquam, veruntamen si spiritibus salium (aluminis, & halonitri, vel etiam salis) cur non calore? *Spiritus salium sunt caustici.* Ideo & cum argentum in cucurbitulam aquæ fortis

fortis iniectum est, vtrumque actu quoque incalescit, vt non semper, vel diu possit nuda manu contineri. Erat autem nimis obliuiosus, philosophiæque suæ immemor Palmarius. *In initio capitis ex magistris Elixyris Philosophici adduximus sententias, quibus argentum viuum* IGNIS *pronunciatur, qui ignis licet sensibus non appareat in crudo* (Est enim potius *frigidus tactu hydrargyrus*) tamen intus existit, & cum committitur ei dispositum patiens, emergit, sicut fit, cum aqua fortis frigida actu stibio, vel ferro, &c. affunditur.

Ignis in hydrargyro.

An aqua regis soluat aurum calore.

Aq. soluentes variæ.

9. Vt neger adhuc calore soluere stygiam, producit regiam. *Si calore solueret, etiam aurum: At non aurum. Ergo non soluit calore.* Item *si solueret calore, aqua regia, quæ fit aquæ forti adiecto sale ammoniaco, esset calidior omnibus aliis, & solueret alia maximè. At non facit: quia non soluit argentum. Ergo non calore, non frigore ista peraguntur, sed certa rerum proprietate.* Sane confitendum est, quod aqua fortis communis non soluat aurum. Est & hoc dandum, quod aqua quædam conficiatur, quæ vnum metallum soluat, alterum non: Aliam esse quæ omnia soluat: aliam quæ non soluat nisi in argentum viuum. Agnoscimus dispositiones inter agentia, & patientia. Agnoscimus & hoc Platonicum, quod solutio sit penetrantis, & diuidentis, quod est acutum & tenue ad instar ignis, vel aeris, vel cœlestis essentiæ. Virgilio & frigus est penetrabile, quod alias cogit, & constringit. Verum & in aceto animaduertitur igniculus quidam. Vnde ipsum attenuatum & acre redditum fit soluens lapidum. Acidus spiritus separatus ab eo, vel etiam acetum integrum acutissimum margaritas non segniter soluit, vt est in historia Cleopatræ & filii Æsopi, &c. Interim vero fallit iudicium Palmarii in negatione caloris, & ignis. Omnia ista peraguntur igne essentiali, & calore non quouis, sed certi generis. Sic Aristoteles in plantarum, & animalium procreatione negabat quidem rectè ignem, aut talem calorem, vel vim igneam generationem procurare: Interim alium ponebat calorem cognatum elemento stellatum. Ita debuit disserere de his quoque Palmarius. Fit istud *calore*; sed *proportionato*, & *certarum essentiarum, certaque materia.* Norunt & aurifices Macrobiani non omni igni flammeo, vel elementari calore omnia fieri rectè: Nam alius est ex paleis, alius ex carbonibus mollibus, alius ex duris, alius ex flamma surgente; alius ex lithanthrace: alius ex spiritu vini; alius ex solis radiis, &c. In omnibus tamen est calor, quo valent spiritus certarum materiarum: Quilibet agit sibi analogicè & determinate.

Ignis magicus.

Vide Basilicum Croll. pag. 211. 212. 213.

10. Quæstio de calore salis Ammoniaci (b) nunc sit omnibus aliis vehementior, facilis est expedita. Nullus sal acriores habet spiritus, præsertim si exaltati fuerint. Prope tamen accedit sal Tartari: Halonitrum; sal vrinæ, qui est pars artificiosi ammoniaci. Illi spiritus calore valent. Hinc consequens est salem ammoniacum esse validum causticum. Si addas aquam argenti vivi sublimati, validissimus fit ignis, quem magicum & essentialem vocant. Qualis etiam sit ille ignis, quo aurum breui spacio, atque pene oculi ictu in argentum viuum, & sulphur dissoluitur, cogitare licet. Auri calx per regiam facta tantum concepit igniculum, vt leui motu, vel calore externo concalefacta *cum magno crepitu fulminet.* Si in regiam infundas oleum vel liquorem tartari, nisi cautus sis, cum tuo periculo ignis vim senties. Ista omnia considerasset Palmarius si vel sciuisset, vel calumnia non abreptus fuisset, vt studiose aliorum iudiciis se opponeret. De vi ignea *mercurio Philosophorum* inclusa, quam etiam ignem appellant, suo in loco dictum est. Notetur autem hic obiter, quod *Palmarius dissoluat* salem ammoniacum aqua forti; aurum argento viuo: argentum stygia. Nam *cap. 24 pag. 127. ista negabit.*

Calcinatio per mercurium. ἀμάλγαμα q. simul dolium: ab ἅμα simul & ἄλγημα dolor: Fors à γαμέω deduxit vt sit simul nubere, quod connubium vocat. Dicti à μαλάττειν subigere malaxare. deriuant.

11. De *Hamalgamate* Palmarii. Argutus homo fuit Palmarius, & Græce Latineque doctus. „ Quo modo argentum viuum calcinat metalla? *Si plurimum*, inquit, *superat metallum, in atomos innumeras & minutissimas* (ita solœcissare solet) *deducit pro certa proportione, qua illi maritatur.* ἀμάλγαμα nominant Græci, quasi *matrimonium*. Non necesse est plurimum superare. Nam sufficit proportio vnius ad quatuor; vnde tamen exprimitur, quod superfluum est. Aurifices vocant *molere*. Græcus pulticulam, seu massam, quæ inde fit, vocaret μάλαγμα. Nam malaxando, & remolliendo conterendoque fit, sicut officinarum famuli pilularum massas subigunt. Imperiti corruperunt vocabulum, & transtulerunt in officinam aurifabrilem, *amalgama* enunciantes, quasi Arabes essent *amalagma* dicturi. Palmarius *matrimonium* significari arbitratus est ridicule. Infidum certè matrimonium. Nam non multo igni vxor deserit virum, nec est ista *philosophica coniunctio*, de qua vsurpatur matrimonii terminus. Sed cur dissoluat metallum, quæritur. Non debebat dicere, DISSOLVIT. Id enim *infra pag. 127.* negat. *Habet id*, inquit, *à substantia identitate.* Mirum. Idem ergo dissoluit Idem? Fors scribere volebat *proprietate.* Ratio est: quia *multa dura soluuntur liquoribus.* At, inquam, hoc non fit ob substantiæ identitatem: sed ob poros, in quos admittitur humor, qui vinculum, & terminans tollit. Ita disserit Aristoteles de solutione mistorum. *Nulla id fit acrimonia*, inquit, sed *solæ liquoris proprietate, quæ symbolum inuenit in congelatis & induratis.* Fiat sane hoc in aliquibus. Num *quicquid recipitur secundum modum recipientis recipitur.* Alicubi tamen requiritur acumen penetrans, & acrimonia, quæ ligaturas, & seras potenter soluat, vt fit aceto, aquis acutis, fortibus, salsis, spiritibus & pluribus eiusmodi menstruis. Galenochymicus debuit agnoscere etiam terrarum, & glebarum solutiones: Item succorum coagulatorum aluminis, atramenti, salium, item sulphuris, resinæ, succini, &c. Ex Aristotele potuerant disserere περὶ τήξεως; Deinde de putredine, cum per circumstantem calorem insitus eum terminante, & continente humido educitur, posteaque intrat peregrinus, qui gluten soluit, & humidius facit mistum; vnde putrescit, & diffluit, fitque fimus & tandem terra. Poterat & περὶ κινήσεως dicere. Diuisibile enim quid est argentum viuum, & spiritus. Itaque per omnes partes symbolici metalli se insinuat, & sua diuisibilitate compagem molis, seu crassitiem & continuitatem corporis vel integratam quantitatem distinet, & disiicit: at substantiæ vnitatem non soluit. *Chymici ergo negant veram solutionem esse, sed calcinationem appellant*, in qua licet sensibilis ignis non sit, nec acrimonia

monia tactui humano molesta, tamen spiritualis, & *sui generis corrosio* non possit negari. Igoem autem produnt effecta. Nam metallum aliquando à mercurio receptum adeo adurttur, vt *specie nigri fumi redeat*, quod facile probabit is, qui argentum amalgamabit. Suctenius documentum haber de ferro, argento, stella reguli, venere. Notabile est, quod *nigritiem à regulo ex argento viuo redditam in regulum reduci tradat*. Alia documenta occurrunt aliis.

12. Negat vnquam obseruatum, *quod vegetabile aut animal ab argento viuo mutatum sit in substantia*. Quam mutationem ille velit, diuinandum forte est. Id constat, quod hydrargyri fumo ossa corrodantur, plantæ necentur, pediculi, vermes, muscæ, &c. occidantur. *Datum est*, inquit, *argentum viuum verminosis, pag.* 108. Cur autem datum? an non vt vermes necet tam in pueris, quàm equis? Metallorum scrutatoribus & fossoribus ea in re plus est experientiæ, quā fuit misero isti Palmario, quem & Veterinarii possunt explodere.

An mercurius mutet Plantas, & animalia in substantia.

13. Sed audiamus sapientem rationem *syalismi* & purgationis à mercurio. *Frigore*, inquit, *mitigat ardores*. Nempe sic volunt quidā *Elephantiasin* sanari ab argento viuo, quia *summe calido morbo opponatur summe frigidum remedium*. Frigus id elementare est, & habet coniunctam humiditatē tantā, vt etiam *ossa flexilia* efficiat, vti putant, quanquam hoc reiici possit *in pituitam*, quam colliquando efficit. Alii volunt aëreæ subtilitatis esse. Qua ratione purgat, *si purgat? Humores* (inquit) *fluxiles, oberrantes in viis communibus euacuat ex Accidente*. Quo modo? *Proprio frigore calorem* partium infirmat; pituitam prouocat *è partis substantia* manantem caloris natiui impotentia: *qua facit quatenus frigidum & catharticum*. Num ergo aliqua facit frigore, aliqua purgatiua facultate? Vbi ignis naturæ, qui illud malum frigus enecet? *Omne purgans calidum* Si purgat pituitam, non prouocabit ideo, quia pituitosum temperamentum habet, vt simile trahat simile: sed ideo, quia calidam vim, qua resoluit & colliquat humores, quos postea ad emunctoria sua ablegatos expellit natura. Nec tantum id operabitur in humoribus, qui in viis hærent, verum etiam in penitioribus. Maxime enim cum sentit focum naturæ in corpore, inde fugit ad frigidum cerebrum, vbi colliquando, vti volunt, catarrhum mouet; & in nucham, neruos, articulos, aliaq; loca magnam copiam frigidorum humorum immittit, vt inde impotentia in viribus animalibus tremores, articulorum dolores, graues anhelitus, &c. excitentur. Illi humores num in viis oberrauerant communibus? Cum foris illinitur idem peragit. Quid de cinabari, & præcipitato? Num & in his frigore agit? *Miraculo* quasi discutit collectiones phlegmaticas, & plegmonas, item nodos duros mollit. Vnde *emplastrum Iohannis de vigo, & vnguentum ex plumbo* cum hydrargyro felicissime adhibentur. Num frigore & cathartica hic iuuat? Palmarius ait etiam *scabiem siccare*, &c. Nimirum erit in mercurio aliquid abstrusius, quod quærunt sapientes. Et quod ipse Palmarius agnoscit *p.* 111. 112. 113. &c. vt lusisse videatur in prioribus.

De syalismo Elephantiasis.

Purgandi vis hydrargyri.

Hydrargyrus calorem fugit.

Hydrargyri vis discussiua.

14. De *anatomia argenti viui*. Non potest mirabilia effecta hydrargyri explicare frigore. Irrepit in chymiam; & inde duas correctiones protrahit, quarum vna est *spagirica*, seu distractoria: altera *Hermetica* (sic enim vult nos loqui Palmarius) per ignem naturæ. Consideremus ista peculiari capite.

(a) *Vide hac de re Alexicacum Rulandi pag* 49. *vbi in vitiosos humores corrosio transfertur.*

(b) *An sal ammoniacus sit calidissimus. Vbi ratio dubii est ex acido liquore, qui ex eo cōficitur, vnde Quercetanus acidos spiritus ammoniacos esse censet. Acida vero iudicantur frigida, qualis & nitri spiritus. Alibi dicitur sal ignis naturæ. Sed in quo diuersæ sint partes: Vide Quercet. de medic. prisc. cap.* 3 *p.* 20.

CAPVT XXXI.

De argento viuo Palmarii per sublimationem & ignem naturæ, aliisque modis præparato ex pag. 111. 112. 113. *&c.*

SPagiria Palmariana in argento viuo hæc est: *Vna*, inquit, *sublimatio, mercurii, qui ab Alchemistis, sanitatis caussa mercurium colentibus, serpens dicitur, caput & caudam, in quibus venenum latet, à ventre, qui media est substantia vtilis, & medicamētosa expers malorū, quæ tribuuntur integro, & imparato, secretas exhibet*. Tandem ergo & illi sunt Alchemistæ qui segregant, & inutile ab vtili, impurum à puro separant, quod *supra* suauiter admodum irridebat, *ioci*, vt apparet, *causâ* Palmarius. Deinde in aurem poteramus insusurrare homini, si aures habuisset, *id non medicina humana tantum causa facere Alchemistas, sed & magni magisterii*. Nam quos *Hermeticos* Palmarius vocat, quorumq; artem *Hermesian*, hi quoq; separāt inutilia; vt sic separatio tam sit in magisteriis, quam extractis, licet diuerso modo. Tertio *caput & caudam veneni accusat* sapientulus Palmarius. Quid ergo est, quod magistri dicunt: *Res, cuius oculi nigri, pedes albi, caput rubeum, est magisterium*? Vbi sane nec pedes seu cauda, nec caput abiicitur: Verum hæc sunt *mysteria*. Dum ait caput, caudam tanquam inutilia abiecta esse, seruato ventre innoxio, num in argento viuo agnoscit *duas partes venenatas*, tertiam salutarem? Galenicus & Dioscoridæus aliquis cerebrosior diceret, quid, malum conatus es nobis persuadere argentum viuum *venenum non esse*, cuius tu ipse duas partes, salua tertia, venenum dicis? Dic modum secretionis? *Cauda in fundo vasis subsistit adiuncta corpori fixo: Caput per summa volitat, vt puluis tenuissimus, qui in crystallum vix cogitur, media substantia vasis lateribus adhæret, neque ascendit altius quantumuis ardente igne adhibito. Crystallina est solida & maligna illius aura vacua, quæ NVNQVAM proferet enumerata accidentia*; Hæc ille. O male peritum veri magisterii. Nam Chymici non caput sublimi capitello seu alembico tribuunt, sed caudam: Nam respiciunt ad *draconem Apocal.* 12. *& Genes.* 3. 15. ad serpentem, cuius caput calcatur pedibus. Nos vidimus multas picturas sapientum, in quibus cauda volatica semper se surrigit: sed caput

Alchemistæ separatores impuri à puro.

Palmarius videtur contra se agnoscere venenum.

Secretio argenti Viui in sublimatione.

Mercurius dulcificatus, quem aliquando malo cessisse Quercetano; indicat Riolanus in Antiturqueto pag. 75. *de Gonorrhæa.*

Draco.

in imo iacet, prostratusque est in tergum draco, qui ex alembico reuersam caudam deuorat, alasque suas depascitur. Deinde fundo asscribit corpus fixum. At hoc non inutile est; sed ex volatilitate noxia coagulatum. Palmarius audiuit aliquid: (*a*) sed totum ignorat. *Fundalia proiiciantur*, inquit Lullius. Hæc non sunt corpus mercurii fixum; sed superfluitates, vel in substantia vel qualitate: Et, in sublimato, feces salis, & vitrioli, quas multas collegimus, si cui libet inspicere. Hæ vero primis quatuor sublimationibus solent remanere, nisi valde impurus est mercurius; vbi tamen cauendum. Nam *Alexius* mouet sublimationibus posterioribus singulis figi aliquid essentiale; Et nos hoc ipsum scimus, præsertim si velimus menstruum adhibere arcanum. Cum per candefactam ollam *in aquam resoluitur* hydrargyrus, volatica pars partim seruata natura in conceptaculum transit, partim in aqua resoluta. In fundo restat nigrities mortua, qua abluta habemus medium. Sed de hoc alias. Puluis, qui in alembico primis sublimationibus concrescit pruinæ instar (vidimus etiam sordes nigras) fugacissima, & spirituosissima pars est. Sed non semper. Nam demum & crystalli nascuntur in alembico, id quod oculis nostris vidimus; Et verum est, quod artifices scribunt *de NOSTRO mercurio, quod in altissimis montibus nascatur; Et non in medietate sublimatorii*, quanquam mystico sensu velint etiam quintam essentiam cœlestemque puritatem vltra elementa euectam designare. Quocirca falsa est opinio Palmarii, licet ardenti igni, tamen non ascendere altius crystallinã partem. Si viueret, interrogatemus, num pro salubri medicamento haberet sublimatum, vitri, vel crystalli æmulum? Non, opinamur, affirmaret. Superbiit vnico modo sublimationis, quem putauit Libauio ignotissimum esse, de quo *infra*. Auscultemus alteram præparationem, quam *vere Magistralem* appellat. *Tota*, inquit, *argenti viui substantia fit benefica*, & *ex summo VENENO summum venenorum*, & *omnium Magnorum morborum remedium. Id vnum & VERVM est magisterium.* Itane? Si hoc modo ex summo veneno fit summum alexiterium: Ergo argentum viuum fuit *venenum summum* ante istum apparatum. Si hoc, quorsum totis viribus *pag. 109. & 110.* veneni ignominiam ei detrahere studuisti? Vt Galenicus aliquis magis venenum esse credat, adiicit exempla similia, de quibus nemo peritus dubitat, quin sint venenu: Vt *sandaracam* Græcam: & alibi *Realgar, arsenicum*, &c. Verum nimis properabat in vituperia Libauii Palmarius; Nam non hydrargyrum Dioscoridis, Plinii, Galeni, volebat dicere, sed *argentum viuum vitreum ex sale & chalcantho* sublimatum, quod iam non est hydrargyrus, sed *mistura ex tribus*, & sic alienum quid. Confundit miser materias. (*b*) Istud autem *sublimatum sine molis & ponderis deminutione fieri medicamentum ex veneno* etiam Quercetanus scripsit. Ne sit graue transscripta ex Alexicaco audire: *Alia*, inquit, *methodo hydrargyrum præparatur: quando octo partes mercurii* (à vitriolo & sale) *sublimati*, & *sex vulgaris* (liquidi argenti viui, vt in officinis vulgaribus habetur) *accepta comminuuntur*: (Teritur sublimatum cauta nare: Deinde in vitrea concha stilo eburno, vel spatha lignea argentum viuum commiscetur celeri manu vt puluis fiat. Sublimatum autem facile agit in argentum viuum, idque mortificat; sed spiritum exhalat, qui dentes nigrat, & catarrhos prouocat) *& ad integram vsque hydrargyri liquidi mortificationem permiscentur. Omnia deinde in matratium* (cucurbitam sublimatoriam) *iniici debent & ignis sublimationis* (per gradus) *sex horis adhibendus vt TOTA materia sublimetur & in formam crystallinam reducatur* (Quercetanus non astitit operi, Melius & cum Gebro conuenientius Palmarius loquitur, nisi velit tam diu sublimati & tam sæpe, donec nullæ feces remaneant) *Reiterata sublimatione habebis mercurium dulcem purgatiuum, dosi gran. 20. vel amplius.* Addit, se non solere sumere hydrargyrum ex mineris vulgaribus, qui sit crudus nimis. Ideo *alibi* dicit ex cinabari reduci, &c. Elaborat autem etiam perfectius mercurium communiter sublimatum, ita vt non assumat talem, qualis vulgo prostat titulo Venetiani: Sed toties sublimat, donec quintæ essentiæ puritatem sit adeptus, clarior & purior crystallo, quo modo Arnaldus eum præparauit *lib. de perfecta lapidis inuestigatione cap. 3.* Hæc ibi Quercetanus. Nos *in syntagmate nostro* de eodem disseruimus plano modo. Anno 1160. in Ianuario Martinus Rulandus iunior, archiater Cæsarius, sic explicabat artificium: *Cæsari* (inquit) *est puluis Mercurii Panacea dictus vsu mihi tuto probatus. Exhibetur ad scrupulum vnum. Exigit blande omnem superfluam materiam lentè, nec ciet vomitum. Fit facile ex mercurio sublimato, & argento viuo inuicem mistis, & sublimatis vase amplo & tertio ignis gradu. Abluendum postea aqua dulci sæpius, quod sublimatione est eleuatum, & crystalli specie adhæret parietibus vasis.* Hæc Rulandus. Vultisne audire, quæ in *Tetrade* scribit Quercetanus? Date aures quæso. Simul enim furta Palmarii cognosceris. Est enim edita terras an. 1606. Sed Lapis Palmarii, 1609. Quæ ergo de igne naturæ habet tam magnifica, Quercetani explicationi debentur: quanquam Quercetanus nihil dicat de Realgate, arsenico, colocynthide, &c. Nihil item, quod medicamenta & alimenta per ignem naturæ commeent, aut ex veneno fiat nutrimentum vnius & eiusdem. Vide *cap. 6. medicina priscorum*, & *in syntagmate Libauii lib. 2. cap. 18.* Item *in alchymia pharmaceutica*.

Hydrargyrus iam est Venenum summum Palmario.

Palmarius sublimatum & Hydrargyrum confundit.

Præparatio sublimati Quercetani & argenti Viui.

Arnaldus lib. 2. Rosarii, cap. 9.

1606. Imperatoris Panacea ex M. Rulando.

Quercetani mercurius ex Tetrade.

Ignis naturæ Palmarii est furtum ex Quercetano.

Addo (inquit Quercetanus *pag. 459. exemplaris Marburgici*) *internum illum NATVRAE ignem in illo mercurio essentificato latentem.* (De essentificato Paracelsi habes *pagina præcedente*: Estque nihil aliud quam argentum viuum septies, vel nouies sublimatum à sale, & vitriolo, donec perspicuitate sit crystallina, siue reductiones interponas, siue non) *sistere posse, coagulare, conglaciare & in crystallinam duriciam VNO MOMENTO propria sua aqua metallica, ac fluentis iustum pondus aut circiter* (Intellige hydrargyrum liquidum, vt est in officinis. Pondus ante nominatum est octo sublimati, sex crudi) *compingere, à qua vicissim ille sic extinguitur, ac contemperatur, vt ex contrariis vtriusque effectu ne minima quidem de substantia illorum portiuncula depereat, aut diminuatur: Ita vt hoc artificio, qui ante Draco erat omniuorus, lenis, ac suauis columba reddatur, aquilaque cœlestis cœlestium ac admirandarum virtutum ferax*, &c. Hæc ibi. Scribit autem, se magis probare argentum viuum ex cinabari artificiali reductum, quam plane crudum: Item id, quod omnes planetas habet, hoc est ex stibio, quod matrix metallorum dicitur, & magnesia, &c. Pondus non certo definit; sed tantum ponit, quantum potest sublimatum haurire. Vide ibi

& reli-

& reliqua ipso sono verborum cum Palmatianis conuenientia, quanquam & in istis sit, quod desiderari possit; Quercetano hyperbolicis locutionibus assueto. Eadem habet *pag.*481. Alexicaci, nempe ita præparatum sublimatum nullum vomitum, nauseam, aut stomachi perturbationem mouere, etiamsi detur scrupulari, vel semidrachmæ pondere ad omnes humores sufficienter, potissimum venenatos exturbandos; in præparatione de pondere nihil decedere, &c. Animaduerte simul sophisticam Palmarii, qui omnibus persuasum cupit, beneficio ignis naturæ (Is est in sublimato ex sale, vitriolo & hydrargyro) ex argento viuo nihil deminui, &c. Nimirum iam duæ partes in sublimatione decesserunt remanente tertia. Dum etiam liquidus hydrargyrus cum sublimato miscetur, nos experti sumus, quid exhalet; & dum sublimatio fit ex nigro puluere, quis credere possit; nihil decessisse? Hinc in secretius artificium penetra. *Lapis philosophicus fit ex aqua gummosa sublimati, & auro. Quando is proiicitur prima vice in argentum viuum liquidum, id vertit in medicinam momento absq; iactura ponderis, adeo, vt etiam crescat.* Verum ad Palmarium. *Eadem mira arte,* inquit, *duæ substantiæ mercuriales vnius radicis componuntur:* Ita quidem loquuntur magistri in praxi lapidis, & intelligunt *ex glutinosa aqua mercurii* decentet *sublimati* fieri res duas mercuriales, vnam aquam primam, alteram Elixyr: sulphur, merc. marem fœminam; quæ duæ partes iterum sunt coniungendæ, & coagulandæ. Sed Sophista ille hoc secretum nunquam intellexit. Hoc sentit ex argento viuo crudo, & sublimato fieri medicinam istam, quam ex Quercetano & Rulando descripsimus. Rursus: — *Lapis Philos. ex quibus.*

Eadem arte (garrit) *Mercurius per mercurium extrahitur,* NON EX AVRO, *non ex argento, sed ex corpore magnesiæ, quæ est regina minerarum.* Hæc ex Suctenio transtulit, qui ex stella antimonii per argentum viuum mediante argento extrahit argentum viuum. Sed primum neque Suctenius, neq; Palmarius persuadebit, argentum in illa extractione nihil contulisse. Secundo dum imperitæ nugationis Palmarius accusat Libauium, certo documento indicat, se nunquam intellexisse artificium Lapidis, quod omnino prima vice præparationem aquæ viscosæ mercurialis per sublimationes & alias operationes multas requirit; deinde Elixyris solutionem per aquam propriam, & si ad rubeum paratum est, calcis auri adiectionem; si ad album, argenti; vtrobiq; mediante spiritu. Hæc sunt adeo vera, vt sine eis essentia lapidis sit nulla. Magnesia, quam appellat, est stibium, & eius corpus, regulus, seu stella: Alias magnes noster, vel exaltatus mercurius, &c. — *Arg. viuum de argento viuo. Vera partes lapidis. Magnesia.*

Ridiculum est, quod *pag.*112. scribit; Medicum istas præparationes scientem esse *Fere omnipotentem.* Magna latitudine oporter esse illud FERE. Alias tam breui mortuus non esset Palmarius. In Laude argenti viui, qua dicitur contraria posse, & præstare fidem superantia, ipse laudator vltra omnem fidem est gloriosus. Ait *menstruis nobilibus vegetalium, & animalium feritatem omnem deponere.* Credemus id; cum artem videbimus. Proprietatem ei tribuit, *quæ ad vniuersalis naturam ascendat.* Imò fit ipsum vniuersale & panacea, quatenus se extendit horum terminorum vsus licitus, *pag.*86. *&* 87. innuebat, *Crystallinum* esse, quod alludit ad essentiale sublimatum: Sed *pag* 89. *Liquor est.* Non quidem hoc reiicimus suo sensu: Sed num intellexerit Palmarius, dubitamus. *Adeo natura placet* (inquit) *vt nihil moueat, si nihil oberret in viis communibus excernendum.* Si hoc verum est, quomodo omne superfluum tollit? Num omnis superfluitas hæret in communibus viis? *Quæ sunt illa communes viæ? Sed vnde quæso fit tam salutaris? Paratus cum sale communi calcinato,* inquit. Sed interrogari debuit, quæ sit calcinatio salis communis? Nos scimus, salem in calcem redigi non posse, sed potius fundi, & in vitrum verti. *Sublimationis à sale & vitriolo est opus istud.* Sale solo detergetur rectius, vel acida muria. Porro omne malum, quod sequitur hydrargyri vsum, reiicitur *in imparatum; in vsum diuturnum, in frigus & caloris nostri infirmitatem:* Sed procurator non credit. Nouit enim temeritatem Paracelsicam sic non excusari: nouit, sæpius errari in præparatione, vt cum debeat *mercurius vita* esse, sit *mortis.* Nec absq; caussa monendum, *vt in mineralibus ex stibio, argento viuo præsertim vitriolato & similibus simus cauti.* Proiiciunt multi maximas ampullas, vt sua medicamina faciant vendibilia: sed non semper respondet exitus. Μὴ νάγων — *Arg. viuum vltra fidem potens. Modus quo hydragyrus fiat salutifer. Mala hydrargyri vnde.*

(a) *Notabis aliud esse de magno magisterio loqui: aliud de particulari medicina ex mercurio sublimato solo, vel cum aliis. Vide arcani corallini apud Crollium confectionem: Et apud Quercetanum de arcano simili, de quo nos alias. In his abiiciuntur fundalia, & quæ in alembico constiterunt. Alia ratio est lapidis, vbi quando præparata materia est, nihil abiicitur.*

(b) *Sublimati ars à Quercetano proposita: De hac sensit Crollius in Basilica pag.*130. *in fine, arcani corallini: Aliquid habet pag.*277. *in cosmetico.*

CAPVT XXXII.

De stibio nonnulla, in quo ignem Mercurialem inesse supra ex Suchthenio & aliis dictum est.

VAria de stibio, quod Chymici antimonium, & Magnesiam vocant, est opinio. Multi, ex quibus & Quercetanus, putant esse *metallorum omnium veluti primam matricem,* & seminarium, aut Ens primum, vel primam destinationem; argumento, quia non tantum ex eo aurum excoquitur, verum etiam regulus eius omnis generis metalla per eorum spiritum induit. Itaque & *Suchten & Basilius Valentinus* eum per *salem saturni* in plumbum mutant per stanni spiritum in stannum, & sic deinceps: Argentum viuum sane ad eius primam constitutionem concurrisse, testatur reductio; quæ non solum per argentum viuum fit, sed & alio modo; de quo *in triumphali curru, & aliorum autorum commentariis.* Hinc inter semimetalla refertur. Tribuitur tamē ei *crudius argentum viuum,* quā est seu hydrargyrus, seu metallorum mercurius. Alii dissentiunt, dicuntq; per salem esse fixius; & magis coagulatum: Esse vero quasi abortum plumbi aut plumbum degenerans. Vnde & Regulus eius parum dicitur à plumbo differre, in quod & transit accepta humiditate mercuriali ex plumbo. *Alexander Conthonius* vt plumbum — *Stibium matrix metallorum. Antimonii in metalla varia. Hydrargyrus ex stibio: Regulus stibii plumbeus.*

F

bum in aurum mutauit, ita & stibium. *Bismutho* adeo affine est, vt reguli pene sint idem, excepto, quod stibium nigro plumbo, & auro sit vicinius, Bismuthum (Agricolæ plumbum cinereum) argento, & stanno seu plumbo albo. (*a*) Dioscorides quoq; in plumbum abire crematione vberiore stibium tradidit, & vim habere vsto plumbo similem. Quæ etiam noxæ ex spiritu plumbi, & bismuthi contingunt, eædem ex stibio. Colores in potentia habet eosdem, vt & argentum viuum. *Galenam*, quę est plumbi vena, inuenias indiscretam ab albo seu nitente stibio crudo. Sæpe etiam in vno lapide minerali & vena est vtrumq;. Sed excoctores feruentius plumbo inuenerunt. Nam sicubi ipsum est, aut sulphur, aut arsenicum, aut cadmia venenata, auertenda vis est in ferrum, vel medicamina ex ferro, & plumbum præmittendum; vt argenti liquor ad id confugiat. *Basilius vult ab astris esse in terra destinatum & per archeum in Elementis coagulatum fumum, qui modo plus mercurii habeat, vt qui auro est affinior: modo plus sulphuris, qui mas vocatur. Paracelsus docuit*, (inquit *in Tetrade* Quercet.) *antimonium ex purissimis perfectissimisq; mercurio & sulphure prognatum sub vitrioli genere in metallicam formam, & splendorem.* Sed iudicium hoc refutant tot scoriæ & feces separandæ cum halitibus venenosis, arsenicalique sulphure, vt *cap. 25. tetradis & alibi* Quercetanus scribit. Esse venenum summum ante separationem, *pluribus pagellis* affirmat Basilius vt 34. 42. 44. 54. 65. 95. 97. 101. 105. 107. 125. *&c. editionis Germanicæ Tholdenii.* Id experiuntur, qui in fumis eius laborant. Vix est aliud minerale, quod Paracelsum, & eius sequaces adeo exercuit. Itaq; & infinita ferè medicamina ex eo conflarunt. Est enim veluti vertumnus quidā, & *miraculum naturæ*, vt loquitur Basilius, vitesq; varias accipit non tam ex ortu, quam ex varia elaboratione, euidentissima demonstratione, quod aliud possit aceto, aliud vini spiritu, & pro vt acetum

Stibii laudes.

vel spiritus præmittitur, aut succedit, extractum. Laudatur euehiturq; vltra omnia medicamenta *exceptis tribus, vniuersali* scilicet *lapide, astro Solis, & spiritu mercurii*, ex quibus tamē duobus vniuersale cōflatur.

Lapis non fit ex stibio.

Greuerus id recenset inter materias vniuersalis: sed non intrat essentialiter, *recteq; negat Basilius fieri lapidem ex eo fieri, siue hydrargyron eius esse mercurium philosophorum.* Patrant alia miracula ex vino, tartaro, vrina, sanguine, sulphure, chalcantho, &c. sed ista omnia nihil ad stibium. Aiunt esse *minerale, in quo sulphur solis potentius inueniatur, quam in sole ipso.* Credunt Antimonium notari, Basilio scribente patria ex

Panacea stibiaria.

eo fieri ac ex Sole & mercurio. Hinc Panaceæ tam variæ, quam varii penè sunt artifices; Imo Quercetanus, qui copiose de chymia & spagyria antimonii scripsit *in Tetrade & Alexicaco*, non vnā exhibuit, modo per se elaborando, modo cum argento viuo sublimato, aut tartaro, aut sale ammoniaco, aut halinitro, aut vitriolo, aquis fortibus, aceto, spiritu vini, &c. operationibus multis, vt calcinatione sublimatione, reuerberatione, circulatione, putrefactione, digestione, destillatione ascensoria, descensoria, in latus: fixione, &c. in quibus oportet ignis regiminum peritum esse artificē vt materiæ, a-

Claues seu modi elaborandi stibii.

gentiumq; modum & scopum teneat. *Basilius tanquam claues commendat putrefactionem, & digestionem*; alias etiā calcinationem, reuerberationē, & sublimationē in præcipuis habens. Incredibile est, quanta varietas medicaminū inde conflettur. Vulgares artifices calcē non vnā conficiunt, vt quæ modo pur-

Terra S. Rulandi & crocus metallorum, de quibus exactius in Hypomnematicis.

gans sit, modo diaphoretica: ex quo genere fuit *terra quadam sancta Rulandi*, & *crocus metallorū*, qualem docuit apparare etiā Quercet. Sane *pater Rulandi archiatri mittebat nobis aliquando puluerē cinereum nomine terræ sanctæ*, quā ab effectu mirabili in febribus putridis sic appellabat: aliquando *obscurū vitrum*, aliqua ex parte metallinā repræsentans, & asscribebat fieri arte Matthioli. Filius archiater paulo ante mortē hęc perscribebat: (*b*) *Sulphur anodynū Quercetani fuit vitrioli*, & *basis Nepentheos eius. Antimonii sulphur*

Sulphur anodynum Quercetani.

seu tinctura non est eius virtutis, cuius est illud Hoc (antimonii) *mihi vt olim, ita etiam num Diaphoreticum est, non narcoticū: Et Aquæ benedictæ parentis essentia Ex Regulo calcinato bis terue eoq; reuerberato, & abluto probè, quandoq; & primis annis facta est eadē aqua & vsurpata magna vtilitate.* Hæc Rulandus: vnde patet, alias calcem,

Crocus metall. Rulandi est sulphur antimonii: sed vide Hypomnema de antimonio.

alias regulū; alias vitrum, alias sulphur stibii materiam fuisse aquæ Benedictæ. Quod autem de Nepenthe Quercetani scribit, habetur *in Pharmacopœia pag. 536 Parisiis an. 1607. in quarta edita*, vbi præter opium mentionē facit extracti sulphuris dulcis vitrioli. *In libro de materia vera medicinæ priscorū, pag. 429. & 430. Vignoniæ editionis an. 1603.* non quidē omnino repudiat opium: Veruntamen *negat Laudanum suū recipere seu opium seu vim eius*: sed pro certo affirmat præcipuam *vim narcoticam* (at hanc in Laudanis opiatis non agnoscit. Ideo & ex opio remouet *in Pharmacopœia pag. 553. & seq.*) quam Nepenthes possidet, depromtam esse *ex vitrioli sulphure dulci*, sulphure argenti, tinctura coralli, essentiis croci, & ca-

De anodyno soporifero sulphure vitrioli.

phuræ. (*c*) Hæc tunc ille. At in *Pharmacopœia sua* Laudanum ex opio facit: ℞ *Essentiæ opii* ℥ij. *Ess. croci cum aqua limonum extracta* ℥j. *magisteriorum Gemmarum, Hyacinth. Corallorum an.* ʒj ß. *terræ sigil. veræ*, ʒj *pul. Bezoar veri, vnicornu, Ambra grisea an.* ℈ij *Misceantur.* Ita theriaca summa *pag. 374.* Alex. Sed nec in sequentibus descriptionibus est illud sulphur. Rulando vero quidam hanc misit: *Vitrioli Vngarici quantum vis solue aqua aliquoties, & per filtrū traiice. Sine iterum consistere, vt euadat mundum. Calcina moderato igni ad summam rubedinem. Salē separa aqua pluuia destillata. Relinquitur Colcotar seu puluis ruber. Hunc include matratio seu phiola longicolli tantum tertiam partē eius implendo.* (Duæ vnciæ sumi iubentur) *Affunde olei rubei vitrioli spissi tantum, quantum ad madefactionem videtur necessarium. Signatum Hermeticè pone in arenarium acedia per duos menses. Videbis terrā cum oleo interdum eleuari, & vicissim sidere, inq; fine inseparabiliter commisceri. Ita habebis vitriolum narcoticū & tenax*, quod in loco humido in oleum resolui potest. *Odore somnū suauem inducit*: Est basis triplicis laudani, quorum duo posteriora ad curandam epilepsiam cum ol. caphuræ, & ad suffocationem matricis cum extracto ficuum in tibiis equorū repertorum summa sunt. *Quercetanus olfecit tantū, non vidit.* Posthæc irridetur *sulphur Thaleri* medici Augustani, & *Petri Montani*, quorū præparationes vocantur *culinariæ*, &c. *Dosis grana ij. vel iij. ad sedandos omnes dolores*, & quietem afferendam *tam corpori quam morbo.* Hæc & alia ille ad Rulandum: qui tamen quod parat, sulphur rectè non dicitur; sed potius Elixyr vitrioli ex terra eius & oleo per digestionem, qua se attenuant mutuo; præparatum. *Sulphur* tamen *aliqui vocant oleum rubeum*: Sed nec hoc est syncerum, si est

corro

corrosiuum. Nomen illud iustius vendicat sibi oleum dulce sine additamentis peregrinis à vitrioli Elementis, & sale mercurioque separatum. Non male *Rupescissa subtilißimam essentiam*, quæ cum argento viuo in sublimatione euehitur; certoque modo segregatur, *sulphur vitrioli vocat*. Ille quidem sua vritur industria: sed vin' syncetum? *Sublimati crystallos purißimos reduc in mercurium.* Hunc pone in Atbannorem ad putrefactionem. *Emerget specie nigredinis pinguis, quam collige: & per vini spiritum nobilem digere, tandemque mollißimo igni ad rubedinem perducito.* Hoc verum sulphur est vitrioli, quod quidē secretum appellamus. Nam cum sublimatum fiat ex sale, vitriolo & argento viuo, reductio salem sustulit: vitrioli sulphur inclusum hydrargyro manet, indeque per putrefactionem segregatur. Rulandus misit nobis sui sulphuris specimen, quod est tenerrima rubedo, vitrioli acorem & acrimoniā sapiens. Nos tincturam ex colcotare per sp. vini extractam vocamus. Alii aliud moliuntur. Sed ad antimonium redeamus. Est apud Quercetanum *Bezoardici Diaphoretici* nomen potius, quam integra descriptio. *Ille ex sublimato & subduplo reguli stibii*, vel ex regulo & stibio simul fieri docuit *pag.* 470. & 488. *Alexic.* Destillauit ex retorta. Liquorem gummosum rectificatum in cucurbitam satis capacem immisit. Instillauit caute liquorem salis ammoniaci (aut halonitri, vel tartari;) vnde efferuescunt. Digestione facta in puluerem facessunt, qui datur granis 5. vel 6. *cum Hyacinthina confectione*, vel conserua cordiali forma pilulari ad sudandum in lecto contra venena pestilentiæ. Mire vel potius hyperbolicè (cuiusmodi est Bezoardicum, quod dandum est cum cordialibus;) prædicat Quercetanus, refertque acceptum *Iohanni Hartmanno*, qui tamen ad Rulandum scripsit *suum Diaphoreticum esse Crollii ex Basilica.* Hoc libet paulo liquidius describere, ne quis in medicina ad salutem humanam comparata temere, vt fieri ab agyrtis solet, erret. *Fiat sublimatum ex argento viuo, sale, & vitriolo secundum artem. Placet id studiose elaborari sublimationibus repetitis, donec fecibus nullis relictis splendidißimi purißimique crystalli instar ascendat. Tunc enim perdidit malignitatem. Huius libræ vni adde tres libras antimonij Vngarici.* (Mallemus stellam vel regulum) *seorsim autem vtrumque in puluerem redactum esto. Post veloci manu in porphyrite sunt commiscenda. Nam solent humefieri, & incalescere. Include retorta vitrea luto armata. Appone conceptaculum amplum. Claude rimas. Destilla in arena obseruatis ignis gradibus de more. Solet butyrum quoddam in collo consistere. Id liquare Crollius iubet prudenter admota pruna per forcipem. Alii cauent facta capsa ex luto, adtectaque rostro, & imposito cinere calente. Destillatione absoluta, egressum liquorem iterata destillatione rectifica semel. Deinde calore liquefactum* (nam concreuit) *effunde in cucurbitam capacem longam. Instilla modicis guttis aquam regis, vel solum halinitri spiritum, seu liquorem. Efferuescent cum tumultu, & soluentur inuicem. Conijce prudenter quantitatem. Nam cum instillata aqua non amplius tumultuatur, satis est. Tunc relinque in digestione, donec materia tota quiescat, & soluta appareat, forma olei, potes in Acedia detinere. Hoc dicitur oleum. Id pondera. Interim vero dum in digestione stant, para aquam regiam ex forti, & sale ammoniaco. In hac solue aurum vt est artis. Si olei fuit selibra, in eam guttulatim & prudenter instilla auri soluti semunciam. Sic mistura erit clara, non turbida, & rubicundißimi coloris. Si enim copiose affunderes, turbaretur, nec aurum vere incorporaretur, quia abstracto menstruo scintillæ auri emicarent. Claram illam & rubentißimam solutionem include alembico bene lutato. Digere in acedia furno, vt omnino se penetrent, & alterent mutuo. Hoc facto iuncturis recte obturatis destilla gradatim duodenis horis ignem augendo, vt 48. horis absoluatur opus. Cum humiditatem elicuisti, intende ignem ita, vt cucurbitæ fundus excandescat. Quod volatile est, tollitur in sublime: sed Crollius id contemnere iubet. Frigifacto opere vas rumpitur, vt decet; inuenietur in fundo, & circa latera substantia fixa, coloris flaui instar terræ siccißima, insipida, sitientis. Lingua si admoueas, adhæret sorbendo humorem. Fixionem hanc vocant. Ex libra vna olei, dimidia terræ restat. Ea est calx fixa. Hanc in catino aurifabrili per mediam horam candefacito, vt spiritus infesti melius secedant. Non fugiet ex igni, nec vlla corrosiua vis restabit. Vsus est à granis 3. vsque ad 8. cum aquis conuenientibus* (*Scabiosæ, Cardui benedicti, fumariæ, &c.*) *in peste, lue venerea, podagra, hydrope, febribus, obstructionibus splenetica, epatica, calculo,* &c. Ita est Antimonium *Crollij*, & Bezoardicum Diaphoreticum *Hartmanni* ex argento viuo sublimato, auro, & stibio, quibus non inuenitur minerale efficacius. Non debebamus plura adiicere de Antimonio. Quid enim possumus post Rubeum, Seuerinum, Dornæum, Paracelsum, Quercetanum, Renealmum, Suchthenium, Basilium, Tholdenii collectanea, & similia? Paracelsistæ summo studio Antimonii naturam excusserunt. Nos multa ex eo fecimus, calcem, vitrum diuersum, colorem flauum, cinereum, flores, oleum rubeum, &c. Alii adhuc plura. Vt Quercetanus, Matthiolus, Penotus, &c. Quæ tribuuntur monacho Basilio, magnam habent varietatem. Ille ex stibio facit *acetum philosophicum*, adiecta aqua pluuia stillatitia: quanquam alii vtantur alio modo: facit argentum viuum, & ex hoc præcipitatum, & oleum, &c. Facit tria principia, salem, mercurium, sulphur: Et nomine sulphuris tincturas, oleaque varia sine, & cum additamentis. Ex oleo conflat lapidem ignis: Ex principiis iunctis essentiam compositam: Alia arte, calces, flores ascensorios, descensorios, rubros, citrinos, albos: vitra variorum colorum, vt omnis generis gemmas mentiantur. Sulphur inflammatile: Arcanum; Elixyr: Magisterium: Lilium (tincturam rubeam ex rubro vitro per acetum, & vini spiritum extrahendo ordine.) Facit plumbum, regulum, stellam: puluerem fixum: calcem deliquio soluendam: florem purgantem rubrum à colcotare eleuatum: Extractiones mirificas: Balsamos vulnerarios, & alia, quæ Tholdenius edidit præfante Tanckio, & auxit. Extrahit ex vitro essentiam per acetum stillatitium fixatorum non purgantem, sed diaphoreticam. Non inutile quid faceret aliquis Chymiatrus, si verbositate contemta in compendium redigeret istum currum triumphalem, & aliis quoque linguis communicaret. Videamus, quid Palmario placuerit.

Verum sulphur vitrioli.

Bezoardicum Diaphoreticū Quercetani vide in pharmacopœia pag. 532. de qua nos latius in appendice de mercurialis medicinis Quercetani.

Antimoniū Diaphoreticum Crollii conferēdum cum Quercetano Bezoardico.

Basilius monachus stibiatissimus.

Lilium.

Id factum infra studiosorum Latinitatis causa.

(a) *Winandus de Bismutho: marcasitha vulgariter dicitur* Wismath. *Stridet & liquescit vt stannum. Ludit in testa vt argentum: sed auolat. Miscetur pars eius quatuor partibus stanni. Mistura*

sit argenti æmula: sed fugax est. Fit ex ea per se argentum fulminatum. Elicitur ex eadem etiam tinctura, qua fit sol & luna: & coagulatur hydrargyrus ad album, vel rubrum perpetua coagulatione. Nihil differt à stanno, nisi quod sit ponderosior, fugacior, malleum non sustinens. Quædam est aurea, quædam argentea.

(b) *Oberndorferus obiecerat Rulando aquam Bened. fieri ex antimonio vitrificato. Hoc negat Rulandus pag. 24. Alexicaci, & chymia triam Rulandinam, in qua explicetur diserte, promittit.*

(c) *Nota, quæ in reformatione Theriacæ in pharmacopœa pag. 513. scripsit Quercetanus: Ex vitriolo Hungarico, Romano vel Cyprio elicerent sulphur dulce, quod verum anodynum & narcoticum ceteris, atque adeò opio longe præcellit. Huius sulphuris extrahendi modus perspectus est plerisque Hermeticis. Cum vero id basin sustineat in meo Nepenthe, secretorum meorum facile primo, id mihi restruo, &c. His verbis duo indicat. 1. Esse extractum. 2. fuisse sibi notum quidem, sed in arcanis retentum. In electuario de ouo in Alexic. pag. 370. ponit anodynum minerale, & docet esse salem prunellæ, nempe lapidem illum, qui fit ex halinitro per sulphur purgato. Alia sulphura anodyna proponuntur pag. 213. Tetradis. vide pag. 628. pharmac.*

CAPVT XXXIII.

De stibio Palmarii ex cap. 21. pag. 114.

Gallorum medicina chymica minerales.

GAllorum noua medicamina plæraque sunt ex vitro antimonii, calce, floribus (quæ per acetum, vinum sublimatum, halonitrum, aquas acres, &c. variè præparantur, & vt vites, ita nomina fictitia accipiunt varia) tinctura, oleo, sale, mercurio, stella, scoriis, terra, & aliis: Deinde ex compositione cum argento viuo, metallis, sublimato, colcotare, &c. Vnde mercurius ille vitæ, præcipitatum aureum, puluis angelicus, &c. Præterea ex sublimato refecto cum suo hydrargyro: Interdum commista solutione anti, &c. Regulos quoq; conficiunt varios, & lapides ex metallorum calcibus. Si aurum, argentum viuum, stibium, vitriolum adimeres, euanescerent gloriationes istæ mirificæ & panaceæ, quarũ fiducia triumphant plæriq;: Palmarius autem etiam *igne suo* est insolentissimus. Ille vero viuere debuisset diu. Nam per IGNEM NATVRÆ tot labores Seuerini, Paracelsi, Rubei, Quercetani, Basilii, Tholdenii & aliorum in ventum verrisset, & facilima opera totam stibii substantiam absque accessu, & decessu mutasset *vel in cibum*. Est tamen, de quo conqueritur. Primum *defensor est stibii accusati veneni*. Negat vel integrum, natiuúmque esse venenum, vel præparatum. Nos in *præcedente capite* Basilii repetitam confessionem produximus. *Alibi* monuimus *videndum esse, quomodo adhibeatur* fumo volatico, an coagulata substantia, correcta, incorrecta, &c. Multum interest, quomodo in vsum vertas. 2. *Stibium & plumbum differunt toto cœlo, nec possunt permutari.* Ridiculum vniuersali cœlo differre. Quid si in terra, & in eadem minera, lapideq; conuenirent? Nos cum Quercetano libenter fatemur, omnis generis metallis associari posse, auro, argento, plumbo, æri, &c. & maxime conuenire cum Marcasitha, quæ bismuthũ, & plumbo nigro. Ideo & Dioscorides, Plinius, Auicenna, Suchthen, Basilius & alii in plumbum mutant. Si Galena, & lapis plumbatius, imò plumbum ipsum multum exhalat realgaris venenati, quid ni & stibium, præsertim nigrum? Ideo miser ille etiam hoc scabiosum enunciat: *Eius regulus non potius plumbum est, quam auripigmenti, & Sandarachæ metallinæ*. Imò inquam magis, adeo, vt *plumbi nothus filius* iudicetur stibium, qui & patri similis breui arte fieri potest, sicut marcasitha stanni. 3. *Video*, (inquit) *intrepide datum à Dioscoride, Plinio, Galeno Græcis, Arabibus* ad externos, & internos affectus. In Dioscoridis *cap 49. lib. 5.* nihil est tale. Tantum enim externis accommodatur. Ita apud Plin. *lib. 33. cap. 6.* vide Matthiolum in locum Dioscoridis, qui & Galenum citat ex *lib. 9. simpl.* Auicenna *lib. 2. canonis tract. 2 cap. 7. Antimonium* ait *esse substantiam plumbi mortui*, & tantum foris vsurpat, posito succedaneo stanno vsto. Vbi ergo sunt illi interni affectus? Vbi est intrepida propinatio? Auicenna metuit, *ne exulceret*, quia carnes superfluas exedit. (a) Sed hoc linquamus. 4. *Borax ex benignis est*, inquit, *pag. 115.* Benignum sane, quod est ἐκδόχιον ἢ φθόριον. Sed tamen in stibio, quod in album vitrum Monachus ex calce vertit Borace, valeat. *Boracis compositio non est vna*: nec satis tuta, quæ constat sale communi, tartaro & lacte. 5. *Quanquam venenatus esset borax, non manet cum metallo:*) Qui fit ergo, vt vitrum album exeat adiecto borace sæpius? Temeritatis est paucis inspectis facile pronunciare. Quis nescit sales lapidescere ignium vehementia? 6. Quid sibi vult, quod ait: *Omnia vasa aurifabrorum borace funduntur, ferruminantur, solidescunt*. Fluere enim facit mediũ vnionis. Si omnia, num etiam lapidea? Lingua effrenis argentea, & aurea Chrysocolla, borace & similibus ferruminari voluit dicere, Vt tamen diu defendit præparatum antimonium, *Vitro vulgari cacoethiam* asscribit. Nos nolumus artis opus vituperare, nec imperitiæ patrocinari, multo minus audaciam agyrtarum commendare. Vnum quodque suo loco bonum est. *Vitrum recte paratum arti bene obedit*, vt & alia ex eo medicamina. *Quo melius & nobilius, actiuiusque quid est, eo circumspectiorem vsum desiderat. Ideo antimonii medicinæ non sunt puerorum, non barbitonsorum, anicularum, & impostorum ex Paracelsia, sed peritorum Chymiatrorum. Syrupum è stibio* Palmariano optamus bibisse Palmarium nostrum. Fors adhuc viueret ab apuplexia immunis. 7. Docet *præparationes, quibus eadem operetur, quæ mercurius*. (b) Quæ ista? Sine, & cum aliis calcinatur igne, regia, halinitro: quibus spiritus vomitiuus expirat. Calx digestione (spiritus vini) fit Diuretica & Diaphoretica, præcedente scilicet maceratione in aceto. Est & oleũ multiplex: Producit tincturã Panaceæ nomine iactatam. Citatur Rulandus: Suchten: ex quo didicit medicinam contra Elephanticã suã; sed tamen singularis modi. Non debuisti, Palmari, istũ tuum tacere. Sed magnificentissimum est: *Totus figitur & perficitur in medicamentum innocentissimum πολύχρηστον.*

An stibium sit venenatum. Quercetanus in Tetrade cap. 31. eadem fere habet quæ Palmarius.

Cur

Cur hoc posteris non relictum est? Proculdubio ignis naturæ vi tam bellum & probum TOTVM euadit. Nam, si non mentitus est Palmarius, eo ex venenis fiunt medicamenta, ex his alimenta sine accessu, & decessu. Verum illud credibilius, quia comprobatius, quod *ex stibio*, *auro & argento viuo sublimato* conficetur *medicina nobilis. Flores vomitiui circulati vini spiritu, & melle, vehementiam vomitiui deponunt.* Sit sane istud: Monachus vtebatur aceto: nisi quod neque deiectoriam relinqueret, sed simul perderet cum vomitiua, cum illam Palmarius reseruet. Vnde fit autem, vt vomitiua pereat? *Quia*, inquit, *flores adhuc crudi erant. Coctione & nobilitate menstruorum mitescunt.* Errasti Palmari. Illi enim flores, qui ignium fiunt vehementia, sulphurei sunt, & spiritibus realgaricis, & vitriolatis aduersi ventriculo. Hi spiritus occiduntur digestione menstruorum, sicut tu solebas duobus ignibus confusis medium elicere. Partim vero etiam euanescunt. Verum paras & *crystallos ex stibio*. De his tacuit monachus. Tuum erat eos explicuisse, vt haberemus ad tertianas, & quartanas remedium. Habes & *regulum, ex quo addito sulphure fiat bona cinabaris*, cuius dotes innumeræ. Fallor, an Panacearius eras? Nam & Ambaldus sulphure, argento vino & regulo videbatur Panaceam cudere, sed quæ in *Vanaceam* exiit. Ita est caput de stibio. Sequens 22. cur *Hippocratis* temporibus salubrius sit victitatum, & nunc morbi funestiores, probrum habet Hippocratis, qui *supra* totus erat spagyrus, & chymicus. Iam ætati eius tribuitur ars inabsoluta, egena, manca, sterilis in præparatione medicamentorum. Quod ergo consilium? *Ars chymica* in auxilium vocanda. *Hæc enim*, vt inquit, *medicamentorum naturas non solum auget: Sed sæpe permutat noxias salutaribus; dum alimenta, medicamenta, & venena ipsa mutuo permutat.* Proh hominum fidem. Quid opus est ex venenis, & medicamentis facere alimenta arte, cum materiæ satis sit vbiuis, sicubi habitare possunt homines? An tantam famem speramus? Quid si chymia, cum indigemus medicina, cibum faceret? Nempe *vnus ἰατροχυμικὸς* (Galenochymus) est πανδύναστος: quanquam non sit Iupiter ille poëticus. Ille est Hippocratis Medicus ἰσόθεος, & tamen Hippocrates ignorauit chymicas præparationes. Vnde suum ἰσόθεον inde non potuit definire. Verum Palmario licuit singulari esse, & de Tantali fonte soli bibere.

Totum stibium figi: (quod Rogerius sulphuri ex stibio tribuere videtur, cum ait totum in oleum verti, sed hoc non est figere.)
Crystalli stibii.
Cinabaris ex stibio & sulphure.
Vide cap. 11. pag. 62. cap. 13. pag. 79.
Θεῖον.
Potestas artis chymicæ vltra fidem.
Medicus chymicus omnipotens, si fas est credere.

(a) *In Myrepsi antidoto 470. è zingibere, habentur lapidis antimonii, Lazuli, armeni terna drachma. Dioscor. lib. 4. c. 149 miscet id elaterio & duplo salis: sed non maiore quantitate, quam vt coloret ad catapotia erui magnitudine aluum mouentia conficienda. Certum autem est crudum si purum sit, ne maiore quidem, nedum tantilla dosi purgare, & ideo non nisi nigri coloris gratia, ad occultandum elaterium & salem, additum esse. In myrepso lapis antimonii videtur aliud esse quam stimmi, quod cum crudum non purget, neque melancholiam expellat, quorsum addatur electuario fortificante, & corroborante? Terris quoque rectius accensetur, quam lapidibus, aut saltem succis mineralibus, ob facilem fluxum. Metallici semimetallis apponunt, quia metallinam reddit, argentumque viuum & plumbum. Dicitur & spiritus, & marcasitha, &c.*

(b) *Pag. 100. Vitrum antimonii inexhaustam ostendit vim purgantem. Ita de mercurio. Quid mirum, cum sint spiritus?*

Caput XXXIV.

Diexodus ad plura ex Antimonio arcana dilucidius paulo quam extant apud auctores exposita.

IOsepho Quercetano Terra sancta Rulandi, Crocus metallorum, aqua benedicta, &c. adeo placuit, vt à filio manifestationem expetiuerit, nec quieuerit, quin simile quid excogitaret. Eius, titulo *Croci metallorum*, & inde factæ *aqua Benedicta* pluribus locis facit mentionem; veluti *in Tetrade cap. 25.* vbi de clysteribus loquitur, vultque Hermeticos (nescimus quos. Vix enim vllus est præter ipsum, aut paucos alios) præstantius longe medicamentum purgans in suis clysteribus substituere reuulsoriis pilulis, hieris, &c. nempe *crocum metallorum, qui sit quadam species præparationis antimonii*, cum NITRO parati (bal nitro, sale Petræo) à quo figatur, & ARSENICALI sulphure spolietur, vt sic citra vim, & corporis perturbationem vsu interno sumi possit, multoque minus exagitet corpus clysteribus iniectum. Admirandos ei effectus ascribit. Hæc ibi. Anno 1607. quo edidit *pharmacopæiam dogmaticorum restitutam*, meminit *aquæ vomitiuæ, & purgatiuæ simul in febribus admirandæ*, item in pleuritide, & morbis popularibus. Vocat remedium metallicum, & chymicum. Parat hoc modo: Cape *magnesiæ saturninæ opalinæ & pellucidæ* (vitri ex stibio, quod opalum gemmam imitatur) *& lapidis vel salis prunellæ* (halonitri per sulphur purgati, & effusi lapidea consistentia: Germani vocant *Breunstein*, quia *Anginæ* prodest, & bruno Vngarico) *pares misce. Calcina philosophice* (Germanus diceret: *laß verpuffen*; Igne circulari calcina, vel incende pruna aut candente ferro, vbi tamen non lapis pruni sumendus, sed halonitrum inflammatile, nisi ille adhuc sit crudior, vt incendi possit.) *Magnesiam* (stibium) *inuenies calcinatam & coloratam instar Epatis.* Hanc dulcoratam vsui seruabis (Basilius monachus Epar facit addito pari tartaro crudo ad crudum antimonium, *pag. 161. & 162. Triumphalis currus Toldenii*) puluis erit instar croci: vnde nomen croci metallorum: quia *magnesia est radix & primum Ens metallorum. Croci cape ℥j. aqua cardui benedicti lib. ij. vel iij. Cinamomi ℥ß. macerentur biduo, aut triduo. Aqua colata seruetur.* Dosis sescuncia ad vacuandum sursum, deorsum, in febribus & peste, &c. Dubitat, an sit æquiparanda aquæ Rulandinæ benedictæ. Hæc ibi. Quid Rulandus parauerit, ex antecedentibus liquet. Non errauit Quercetanus in materia. Rulandus autem quemlibet liquorem competentem assumsit, & & quidem non *Epar* illud, sed tamen *calcem*, *vitriue stibii puluerem*, aut etiam ex *regulo extractum*, quanquam *in Alexicaco* studiose neget ex vitro antimonii confici, quod suo

Crocus metall. Quercetani.
Aq. Benedicta Quercetani.
Croci metallici Querc. modus primus explicatus.
Nomen croci metallorum vnde.

modo

Ophthalmica.

modo & tempore potest esse verum. Commendat Rulandus etiam *Ophthalmicam*. Hunc quoque studuit antimonii croco imitari Quercetanus, quanquam ex missa nobis non vsquequaq; videatur congruere. Cape *croci istius ex stibio drachmam vnam vel duas*. Infunde *in aq. Eufrasiæ fœniculi, &c. selibra, vel circiter. Fiet aqua ocularis, quæ instillatur guttatim, vel per splenia foris apponitur*. Putat Quercet. applicatu

Medicinam oculis applicatam aluũ mouere.

externo aluum mouere posse: (quod nobis mirum opus videtur, ipsaque tentatio aut persuasio mirabilior.) Non tamen audet magnifica Rulandina suæ adscribere. *Aquam antepilepticam* item ex stibio facit: *Ex dicta*, inquit, *magnesia multa addita præparatione alia*, (ex stibio crudo) *& crusta panis detrita per retortam elicio igni satis magno aquam antepilepticam*, quam in puero probauit præmisso punchymago, datam per *dies* 40. indies mane, bis aut ter aluum absq; molestia deiicit, & vermes deturbat. Hæc in

Aq. destillata purgans.

illo loco: Vbi mirетis puero in dies per tot dies datã esse aquam Catharticam. *Gap.* 16. vbi de vomitoriis, *aqua Benedicta Rulandi* iterum facit mentionem, *& aqua terra sancta*, quam diuersam ab illa arbitratus est. Addit *de poculo chymico*, quod putat *ex vitro Antimonii* conflatum fuisse, vel *calce plumbi cum silicibus vitrificata* & in typũ fusa; in quo per noctẽ detentus liquor, si hauriatur manu, vomitũ cieat. Ad-

Poculum chymicum.

dit & de croco metallorũ vomitiuo cuius in vino infusi colatura detur, vt sit *pantagogum*. *Basin aquæ*

Pantagogum.

benedictæ esse conijcit: *argumento, quod & suam benedictam ex eo fecerit. Vomitiuam terra sancta* opinatus est

Aq terræ sanctæ vomitiua.

fieri ex mercurio & antimonio, quasi mercuriũ vitę Paracelsi designaret. Tandem *circa finem operis pag.* 621. compositionem *croci metallorum* reponit: *Magnesiæ saturninæ & halonitri pares mistas in catino incendit, & detonare sinit, vt relinquatur vpar, quod pulueratum sit rubicundum instar croci martis*, ablutionibus dulce

Crocus Metal. Querc. II.

reddendum. Purgare vomitusque ciere ait dosi gr. 10. vel 12. cum vino aut alio liquore. *In Alexicaco pestis cap. 7. pag. 475.* primum nusquam potest antimonii vitrũ probare, quod & in defensione scripserat *pag. 406.* Crocum metallicum vnum Diaphoreticũ ex *magnesia saturnina* (antimonio) *conficit ita vt*

Crocus metallicus Diaphoreticus Quercetani III.

cum tartaro & halinitro pars mercurialis à cæteris prius separetur (nempe per speciem quandã calcinationis, quam detonationẽ vocant, vel cremationem in igni rotæ, seu circulari, quo modo solet vulgariter fieri. Sed Quercetanus aliud innuit, vt sequitur) & seorsim seruetur ad remedia quædam ex eo præstantissima conflanda: Ex fecibus autẽ lixiuium rubicundissimum sola aquæ ebullitione com-

Sulphur solare ex stibio.

paretur, in quod lixiuiũ si acetum guttatim instilletur, *sulphur solare* secernatur, quod sæpius ablutũ ad ignem siccetur, & dosi ℈j. cum aq. Bezoardica sudorem moueat. Alium describit purgatiuũ cro-

Crocus Purgatiuus Quercetani vide cap. 5 pag. 31. primæ defensionis.

cum pag 407. ex eodem stibio: *Capis stibii puluerem. Miscet aquale halonitro. In olla posita incendit, sinitq; deflagrare. Fit epati similis massa.* Puluis eius granis 6. vel 7. ex vino datur ad purgandum. Excitat tamen & *suauem vomitum* in peste necessarium. Hæc terra quædam est antimonii à spiritibus arsenicalibus, & mercurialibus venenosis separata, & abluta. Possis calcem dicere. Si eam nouo halinitro misceas, de-

In croco metallorum altius colorando opus est repetitione calcinationis per halonitrum.

flagrationem repetas, abluas, idemque tertio facias, *calendulæ colore* medicamen *Diaphoreticum* dosi granorum 20. vel 30. tradit fieri. *Purgatiuum* autem denuo *pag.* 477. commendat, quod infusum eius ad 7. vel octo grana quosdam magis vomitu; alios magis aluo vacuet, vtrumque *absque naturæ perturbatione*, quod innumeris exemplis sibi spectatum affirmat. Hæc de croco suo metallico *istis in locis* Quercetanus. Vides crocum metallorum duplicem habere: vnum *purgatiuum*; alterum *Diaphoreticum*: Illud vel ex *vitro* conflat, vel ex *crudo*: Vtrobiq; adiecto halinitro. Hoc ex calce post flores per sublimationem detractos, ex qua per lixiuium acre ex cineribus clauellatis & calce viua, tincturam

Quercetanus vitrum stibii probat & improbat. Vide Alexicacum Rulãdi pag. 25. 26. & 27. vbi de Quercetani iudicio. & multa pro vitro Antimonii contra eius vituperatores.

elicit, hancque per acetum præcipitatam & dulcoratam commendat. Iudicium eius de vitro alicubi suspenditur, nisi velis ita intelligere, improbari vitrum in substantia citra repressionem (nam vel aceto reprimitur, vel nitro sæpius addito, & inceoso) datum, qua in re sæpius peccatum nouimus ab agyrtis, & turba Paracelsistarum.

Quomodo vero differat crocus ipsius à Rulandi, *supra* est expositum. Ideo & sequentes infusiones aliquam differentiam admittent. Veruntamen radix est eadem. Aqua ocularis à *D. Paulo Simlero* per nos à viuo patre Rulando aliquando petebatur ad obtusum, hebetemque visum. Sed nihil profuit: Quam anno 1597. septimo Iulii accipiebamus, *erat perspicua, inodora, sapiens solutionem vitrioli albi, intermista quasi alba nubecula. Suberat & erosum quid, quod linguam vellicabat.* Coniiciebamus extinctione stibii, & æris factum esse adiecto vitriolo albo. Quæ prius mittebatur, quasi *extincta calcis stibii in aqua rosarum erat.* Alia *olebat nigellæ semen*, eratque subpinguis, cum albo sedimento, quasi Thimallorum pinguedinem adiecisset aquæ nigellæ & rosarum, in quibus maceratus fuisset crocus metallorum. Nos similes fecimus *extincto lapide calaminari candefacto*, & *calce stibii feruente in aquis*

Aqua ophthalmica Rulandi.

ocularibus, ex calendula, fœniculo, ruta, rosis eufrasia, chelidonio, saluia, &c. Interdum Tbutiam & vitriolum album addidimus, acrimonium temperantes sacharo crystallino. Sunt, qui nonnihil salis

De aquis ophthalmicis, vide Quercet. pharm. pag. 73.

ammoniaci, & aquæ albuminum adiiciunt: & est quidem Ammoniacus efficax etiam ad vngues, si quis recte temperet. Ex Rulando non potuimus expiscari, qui etiam varietate se obscuriorem fecit. Videtur obiter incidisse in Ophthalmicam. Nam si stibii regulum & vitrum conflare velit, sæpius extinguenda feruefacta materia est aquis. Hinc alteratio prima, cui postea accessere augmenta. Ex-

Aq. cærulea chirurgorũ.

tincto Orichalci, vel si aqua extinctionis in pelui ex Orichalco detenta fuerit, vim inde acquirit æris, quæ oculis singulariter conducit. Barbitonsores talem efficiunt cæruleam, missa in pelues suas *aqua calcis extincta cum pauco sale ammoniaco*. Ita æruginis tinctura iucunda visu extrahitur, estq; & propter cadmiam glebosam, vel fornacariam, quæ pompholygem reddit, ista aqua non contemnenda. De aqua antepileprica ex stibio & crusta panis absq; alia præparatione quid statuendũ sit, non habemus. Poculum chymicum purgatoriũ potuit fieri è regulo, vitro, calce, &c. Fusio vitrea calida super mo-

Rulandina & Quercetanæ ex imitatione plura.

diolum calidum non repugnat. Alias dissilit. Sed & partes possunt componi. Quid si vitrum luto figulorum immisceas, vel calcem, iubeasque tibi fictile forma poculi conflari? Sic habes indicio Quercetani crocum metallorum duplicem, terram sanctam, aquam, vel alium liquorem benedictum, antophthalmicam, antepilepticam? Imo & antipodagricam, quæ item capit crocum

metal-

metallorum, additis decoctis flot. meliloti & chamæmeli: aliquando & solutione argenti viui subli-mati: & aqua præcipitatotia auti fabtorum ex solutione atgenti. Habes & poculnm ctapulæ expur-gatiuum. His adde D. Hartmans Speywaßer, hoc est, aquam vomitiuam Ioh Hattmanni apud Marburgenses chymiatri, cuius meminit Rulandus *in Alexicaco pagin.* 29. ne desit cornu copiæ ex Antimonio.

In Tetrade post explicatam ex Antimonio panacæam, antidotosque varias, Panchteston, Pantagogon ζωοφλον, Soterion, Lysipyreton, Theosdoron, Theopempton, Panareton, Polychreston, Isochryson, Lysiponon Canodynum diaphoreticum) *pag.* 417. promittit adhuc 40. præparationes, & cōposiriones Antimonii in antidotarium peculiare comportandas, in quibus sint tinctura ex toto stibii corpore, atcana, magisteria essentiæ, olea, balsama, aquæ vitæ variæ, cumque metcuriis eductis & tegulis, sulphura, salia, flores, &c. ad omnis genetis vsus. Sed antor morte præuentus illud antidotarium conficere non potuit. Scripsimus successori eius *D. Mosē Quadrato*, vito doctissimo, tegioq; medico, cui commendatum intelleximus nonnihil arcanorum Quercetani, daret opetam, ne posthuma illa pereant, qui quantum fieri potest, promisit facturum, & amicis nonulla seorsim communicatnrum. Quoniam autem Basilius Valentinus, quem Quercetanus putat ante 200. annos vixisse, licet *Stylus eius non sit alius à Paracelsico*, vt vel Paracelsus ab ipso didicerit, vel aliqnis Paracelsista spuria sua interposuerit, plæraque ex istis, quæ Querceranus coniecturus erat, in suum antidotarium descripsit, nosque ignoramus, aliane lingua, quam Germanorum sit excusus, sumemus hanc operam & omnia in compendinm tedacta ttansscribemus. Ita & his consulemus, quibus deest liber, & quibus otium ad teuidendum.

De antipodagrica vide di gladiationē acerbam in Alexicaco Rulandi p. 33. & seq vbi habes descriptionē quandam, quam Rulandus suam esse negat: quippe qui diuersam habuit. Tanckio victi, oblatus est liber Secretorū Quercetani, & audiuimus qui diceret Laboratorem eius multa vēdidisse pretio

Capvt XXXV.

Præparationes Antimonii a Basilio Valentino Monacho Germano descriptæ, & ex curru triumphali collectæ.

HIc quoq; labor pertinet ad inuestigationem Ignis naturæ, quo Palmarius putabat se vniuetsam Alchymiam absoluere solo posse. Non enim vetustos illos Germanos *non aliam* habuisse *Alchymiā*, quam ex illis à Libauio descriptam, & igni quidem sua opera perfecisse, sed non illo fictitio, nec modo Palmatiano. Materia, ex qua interna externaq;, vniuersalia, particularia medicamēta parantur, est *Stibiū ex venis Hungaricis in ortum tendentibus*: atque hæc quidem communis. Sed cuius quædam præparationes vlterioribus atcanis, vltima destinatione perfectis, materias reddunt nouas, quales *calx, vitrum, flos, Regulus, stellæ, Epatica massa, mercurius, sal, tinctura, &c.* quæ tamen & suum per se vsum habent. Præparatio fit *per ignem elementarem* atrificiose accommodatum, vt artificis scientia, propositum, & Vulcanus in idem conspirent. *Operationes superius* sunt commemoratæ. Non desunt *instrumenta* quoq; alia, soluentia, extractiua, sublimatoria, circulatoria, &c. cuinsmodi sunt *menstrua*: *Acetum stibiatum* ex pluuia: *acetum vini stillatitium*: *Spiritus vini* optimus: Spititus *salis*: Succus *acerbæ vuæ*: *aquā mercurii* per se facta: *Pluuia destillata* ad dulcorandum: Oleum seu *spiritus iuniperi*: *aq. fortis*: *Lixiuium* ex cinere fagi: Vnlgaris *aqua dulcis*: &c. Adbibentur & additamenta siue ad opus promouendum: siue exaltanda medicamina: vt *Sal petræ*: *Sal Gemmæ*: *sal communis*: *sal Armenius*, *sal vrinæ*: *sal tartari*: *Tartarum* ipsum: *Borax* Venerus: *argentum viuum sublimatum*: *sulphur*: *sandaraca* Græcorum, quæ *rubrum sulphur* alias: *Crocus martis*: *sal saturni*: *sacharum clarificatum*: *Tinctura coraliorum*: *Qu. Essentia Rhabarbari*, *colcotar*: *Butyrum* ex vitriolo & sale: *Liquor ex capite* mottuo eiusdem destillarionis. *Calx auri*. *Limatura chalybis*: *Oleum rubeum vitrioli*: *calx viua*: *argentum viuum*: *terra Tripolitana*: *arena*: *arida testa* ex crudis figulotum vasis, &c. quę omnia non tantum varie misceri possunt, & elaborati, vetum etiam augeri, vt facile infinitæ stibii p̄parationes exoriantur, vti & videre est apud Quetcetanum, Seuerinum, Dornæum, Sucten, Tholdenium, Zuingerum, Botonnum, aliosque plurimos, quos adeo contemsit Palmarius, vt ctuci quoq; cnm Libauio adiudicauerit, simulq; ignorati ignis naturæ contumelia implicauerit. Hæc merces est vitorum doctorum, qui suo talento publicæ saluti, & communi vtilitati inletuite studuerūt, ne quod scite viderenrur, soli scirenr, & vsutparent, sed societati humanæ, qua fide accepetunt, telinquerent. Primnm medicamen ex stibio calx est. *Fornacula ventosa, vel alteri calcinatoria accommodatur scutella fictilis fundo plano cum margine sextantem alta In eam stibii Vngarici pollen grauiter* (ad culmi altitudinem transuersi) *immittitur, suppositaque pruna modica crematur. Cum fumum emittere incipit sedulo versatur furcula ferrea, cui præfixa lamella rasoria transuersa.* Rutabulum dicunt culinatii. *Cauendum, ne tantus sit ignis, vt colliquescat. Quod si nihilominus euenit, opere frigefacto redeundum est ad contritionem, & versionem, donec nec habet amplius, nec concrescat. Coloris erit cinerei.* Ita plærique stibium præparant vitri causa, vt & Matthiolus *li.* 5. *Diosc. cap.* 59. Sed habet etiam pet se vsum suum, in exiccandis vlceribus: Calx ista candefacta, aquisque ocularibus extincta sæpius, anrophthalmicas ptæbet. Botonnus coquit aqua ad tettias remanentes: & ex bis cum Sach. tosaceo purgans facit, de quo *alibi*. Tertæ speciem dicas cuius generis fuit sancta Rulandi quædam febrifuga infusione & antepleuritica. Secundnm, quod ex stibio conflat Monachus, est *VITRVM triplex. Vnum ex calce prædicta, duo ex crudo.* Illud sine additione simplexque vocatur: *hac cum additamentis, & aliqua compositione.*

Basilii Valētini Monachi de Antimonio libri si extarunt ante plus quā 200. annos, sunt illi ipsi ex quib. Paracelsus potissima sua medicamenta hausit, quippe cum quo & modus loquendi, conuenit.

Præparata: Instrumenta

Additamenta.

Autores à Palmario contenti. Calx stibii.

Antophthalmica aqua.

Vitrum puri antimonii.

Vitrum purum ita conficies: *Calcem in catinum terreum, qui ignem magnum ferat, immitte, & ante folles, vel in anemia magni ignis violenter colliquefactio vt fluat instar aquæ, sitque purum & translucidum. Rape vero experimentum immisso bacillo ferreo frigido, quo portionem extrahas, & ad lumen iudices sitne satis pellucida, & pura. Si ad votum est, coxisti ad regulam: Siu minus amplius fundere oportet. Vitra enim ignibus maturescunt validis, nec prius purgantur.* Ita liquefactam & perfectam offam effunde in peluim ex orichalco planã, concalefactam, ne dissiliat. Vide, vt non crasse, sed tenuiter fundas, ne lamellæ sint spissæ & densæ. Colore erit *citrino*. Dicitur *purum*, & optima virtute esse: quanquam nec *Quercetanus*, nec *Seuerinus*, aliiq; multi eius vim purgantem commendent, non rei vitio, sed agyrtarum. *Matthiolo*, Rulandiis, & aliis multis non sorduit, in febribus præsertim & peste, in quibus decoctum, vel infusum sine substantia dari potest. Quidam gr. iij. iiij. aut vj. etiam in substantia dederunt. Clysteribus quoq; inditur, & fotis adhibetur in discussoriis tumorum, & fluxionum fomenti forma. Quidam refringi posse vomitiua putant, si maceretur stillatitio aceto, quod figit vim eius, vt scripsit Monachus, postea dulci abluatur. Alii id consequi student nouis calcinationibus, & expirationibus, quo artificio etiam flores fixos promittunt. CROLLIVS multa expertus, nunquam id potuit obtinere, quanquam mitius euaserit medicamentum. Et sane non temere est, quod de aceto dicunt. Hoc n. extractorium est, & frenatorium nimis ferocium. Ne tamen refractum quoque sursum tendat, addunt deiectoria, cathartica, vt Rhabarbarum, &c.

Nota fusionis artificiu. Nos calcem tam fixam facimus vt catinus prius flueret & vitresceret, quam ipsa, licet halonitrum & alia adhiberetur

Vitrum stibii 2. Basilii

Vitrum secundum paratur non ex calce, sed crudo stibii puluere adiecto duplo Borace, seu chrysocolla Veneta. Exacte commista conflantur vt prius. Colore vitrum est rubro: Et vel per se in vsum venit, dato sex granorum in vino infuso per noctem sine substantia, quæ colando separatur: vel fit materia extractionis tincturæ per vini spiritum, aut alia menstrua commoda. Pro chrysocolla sumitur aliquando sal gemmæ, vel fossilis, aut halonitrum. De hoc, quod scilicet paratur cum istis additamentis siue rubeat, siue aliter sit coloratum, sunt pugnæ illæ feruentes inter Galenicos, & Paracelsicos, de quibus alibi sat copiose.

Tertium vitrum est album (Assumit enim colores varios, vt *opalus* gemma. Vnde Quercetanus sæpe *opalinum* vocat) *fitque eodem modo, sed cum quadruplo boracis crystallini, primum flauente offa, post vbi in igni morata fuerit diutius, albente.* Exploratio perfectionis ad regulam fit filo ferreo immisso, vt ante. Quod adhæsit decussum iudicatur. Istæ quatuor (*a*) stibii elaborationes ab omnibus sapientibus habentur pro chymicis. Sed in nullis operatur ignis ille fictitius Palmarii. Quoniam autem, vt *Seuerinus* loquitur, altior est antimonii prædestinatio, quam catharticum esse: ideo vitrum elaboratur amplius, proponunturque à Monacho viæ duæ: quarum prior triplici elaboratione triplicem etiam vsum habet.

Elaboratio vitri per extractiones.

Vitrum purum in pollinem redactum in cucurbitam immittitur affusoq; aceto stillatitio ex arte depurato in calore leni maceratur, indiesque bis commouetur. Interim acetum colore extracto flauescit instar auri perspicui: quo signo apparente transfunditur, redditurque puluere nouum, omnino ea industria, qua fieri solent tincturæ. Extractiones collectæ per colum traiiciuntur, ne quid fecum resistat. Inde per balneum elicitur liquor, vt restet puluis siccus ex flauo rubens. Huic affunditur aqua stillatitia dulcis: maceratur: destillatione reuocatur, affusaque alia idem labor repetitur, donec eluta sit aciditas & acrimonia, remanente essentia dulci. Ista est puluis: quem si acetabulis ouorum digestum in cellam inferas in farinam tactum non offendentem detritum, deliquescet, diffluetque sudore. (Liquescit antem, quod salis instar est: Ideo & *salis* nomen meretur). quem pennis illinere vulneribus, vlceribusque sanandis inducto emplastro punctorio iubent. *Si denuo coagulaueris, salem stibii nancisceris.*

Liquor antimonii ad vlcera. Sal stibii.

Sed preciosior est eiusdem pulueris anatomia. *Exiccatum ergo, & in pollinem inpalpabilem deductum super porphirite, include cucurbita, & spiritu vini optime elaborato ad tres digitos affuso extrahe, qua arte tincturæ solent. Reuocato ex extractionibus spiritu essentiam rubeam habebis.* Venit tamen in vsum etiam extractio tota. Grana iij. vel iiij. essentiæ prædicant ad *Elephantiasin, luem veneream, melancholiam, venena, asthma, pleuritin: non inusitata istis artificibus grandiloquentia: de qua si experientiam quæras tot leprosis, Gallicanis, melancholicis, &c. passim obambulantibus, nihil responsi, quod satisfaciat, acceperis.* Et vnde quæso ille Monachus argumenta virtutum sumsit, nisi ex superstitiosa opinione, quia *sicut aurum mundificat antimonium, ita etiam corpus hominis?* At, inquam, aurum etiam deterius, & asperius, duriusq; reddit, cum corporis humani salus sit in mediocritate.

Tinctura rubea, qua aliis sulphur.

Magnifica premissa de antimonio: sed hyperbolica.

Iam fit LILIVM *ex ista tinctura*, in qua fortasse aliquid de igne naturæ Palmarii olfeceris. *Extractionem istam totam non separato spiritu include Pelicano. Circula per mensem. Deinde transfusa in destillatorium primo loco spiritum elice: postea oleum rubrum, idque cum ingeniosa operum adaptatione sine additamentis. Accipies partem Lapidis, qui ignis appellatur,* quo dicunt metalla particulariter transmutari. Est *forma olei,* cuius grana acto contendunt veteres, *pilos, & vngues, cuticulamque* deiicere, vt homini accidat, quod aquilæ, serpentibus, aliisque pluribus. Omnino *Panacæa* prædicatur, idque absque vi cathartica. An vero plane nihil exigit ex corpore? *Diureticum* est, inquiunt, *Diaphoreticumque*, & *saliuam mouet*. Aluo parcit. Galenus diceret ad eam tenuitatem redactum esse, vt distribuatur in corpus. Vocant Quintam essentiam *ignem medicum, sulphur antimonii*: (In rubedine enim esse sulphur perhibent.) Paracelsus tincturam parabat ex rubea calce.

Lilium ex stibio.

Nouatoriũ hominis.

Sulphur stibii.

Ignis medicus.

Nam alcool stibii in clauso reuerberio detinebat per mensem vt euaderet leue, & volaticum, primo album, inde luteum, ex quo rubrum, & tandem violaceum (quod *Lilium antiquorum* alii nuncupant) ex quo per vini spiritus ad XX. digitos affusum tincturam extrahebat, separatoque postliminio spiritu *nobilissimam Lilii essentiam paratam esse dicebat*, in omni morbo curando præstantissimam, præsentissimamque, *nisi quod ista essentia videantur odisse suos autores, quos raro sic curatos audias.* Mo-

Tinctura Paracelsi ex stibio.

Essentia Lilii præstantissima.

Paracelsici

nachus

nachus alias veram tincturam non ex calce, aut puluere, sed ipsa minera stibii exculpit, antequam sit excocta. Eam in vitrum conflat, & postea elaborat ex mente tincturæ & essentiæ quintæ. Sed variant in talibus artifices. Oleum rubeum ex vitro cum sacharo sic faciendum. *Ex vitri farina tactu indeprehensa, inque cucurbitam illata, succoque omphacitidum vuarum expressitio fit infusio vase clauso per aliquot dies. Destilla postea succum, ne quid eius maneat. Pulueri relicto admisce duplum sachari clarificati* (vel crystallini) *instillando interim nonnihil de spiritu aceti. Ita irrigatum adhibitis ignis gradibus per retortam destilla, donec adipiscaris oleum rubrum, ex quo extrahe tincturam per vini spiritum.*

essentiarum felicissimaris iactatores raro ad senectutem perueniunt.

Huiusmodi oleum ponebat inter sua medicamenta etiam Penotus. Sed afscribebat SACRA SACRIS. Præceptio est: *Cum Sacharo candi ex antimonii vitro fit oleum rubicundissimum seruatis gradibus ignis. Id postea circulatur circulato maiore.* (Ita cum Paracelso nominant vini spiritum cum proprio sale aliquoties destillatum vt sal volaticus factus, intercedentibus tamen digestionibus suis, vnà cũ spiritu per alembicum exeat) *fitque dulce & medicamentum intus forisque præstantissimum.* Sed Monachus in descriptione fidelior fuit Medico. Ille etiam ad vsum habiliorem componit. Facit *calcem ex auro*, quam cum aqua certa in alembicum, indeque per rostrum in receptaculum agit. Huic affundit oleum suum antimonii mistum spiritu salis. Extrahitur *tinctura* relicto corpore. Tinctura porrigitur *cum tinctura coraliorum ex quadam aqua cordiali confortante, idque in hæmorrhagia, Dysenteria, Melancholia.* Quercetanus *in sua Tetra.* antidorum habet *Panareton ex antimonio & sacharo.* Sed operatione, & electione variat. Calcem mineræ antimonii Vngarici albam arte paratam, miscet duplo Sachari candi cum *circulato minore* (vini spiritu circulato super tartaro calcinato,) in syrupi consistentiam redacti, ità vt calcem sensim indat. Deinde digerit offam quatriduo, aut quintiduo in balneo vapido: Digestam destillat per gradus ignis, elicitque *triplicem liquorem* separato vini spiritu, qui primus transit: Primum *album ad vlcera cancrosa*: Secundum *flauum catharticum per os & aluum*: Tertium *rubicundissimum* instar sanguinis, quem vocat *balsamum dulcem*, ter quaterue repetitis destillationibus attenuandum abluendumque aqua rosacea vel buglossi aut endiuiæ, qua separata *admirandarum curationum* instrumentum haberi ait, datis sex guttis ex aq. fumariæ contra *Morphaam* & affinia mala. Tribus quatuorue guttis ex aqua minoris centaurii *Apoplexiam & epilepsiam* oppugnat; pestem autẽ guttis septẽ ex aqua theriacali, quæ fortasse sola quoq; prodesset sudorẽ promouẽdo, persuasum habuit Paracelsum eodem oleo suum *Laudanum Diaphoreticum*, & *solutiuum* præ aliis omnibus (chymici tales nihil habent, nisi *summa*, vt quibus, sicut Poetis, nõ datum est esse mediocrib.) commendatissimum confecisse, adiectis essentiis *omnem fidem excedentibus*, si fas est credere. Si hæc medicina est Panaretos quorsum laboriosa illa, sumtuosaq; panacea imperatur.

Digestum vitrum contra catharticam Oleum.
Tinctura.
Circulatum maius aliter in Tomo 1. syntag pag. 396.
Compositio ol. rubri stibii.
Puluis auri volatilis.
Anima auri
Panaretos Quercetani.
Liquor purgatiuus stibii.
Balsamus dulcis Querc.
Laudanum Diaphoreticum Paracelsi.

Arcanum antimonii Basilii. Salis armeni, & pollinis detriti stibii commisceantur in porphyrite. Misturam retorta inclusam more aquarum fortium destilla. Liquori, qui ignium vi proflatus est, affunde aquam pluuiam destillatam calentem, & præcipitabitur puluis, quem amplius edulcorabis. Is est candidus plumularum, seu amianthi specie. *Huic resiccato læuigatoq; adde spiritum vitrioli bonum. Digere, vt soluatur, seu potius atenuetur amplius, quomodo fieri solent incerationes, & imbitiones, immittendo guttatim. Tandem coagula. Arefacto pulueri infunde spiritum vini optime correctum. Stent in digestione per aliquot dies Destilla spiritum, & submitte nouum. Circula iterum. Tunc separabitur arcanum à fecibus & manebit cum spiritu vini & vitrioli. Separationem destilla, & relictam offam cum nouo spiritu circula, obtinebisque virtutem altiorem. Debet tandem forma liquida asseruari. Datur gutta cum aq. Rosacea ad robur ventriculi procurandum; suffocationem matricis tollendam, & colicam.* Hoc quidem Monachi arcanum est: Sed Paracelsus *lib. 3. de long. vita cap. 6. aliud* proposuit. Iussit *canere, ne forma antimonii destruatur*, vtpote sub qua lateat arcanum. Ideo totum, quantum est, integrum manere voluit, & per retortam sine omni capite mortuo propelli, idemque tertio reperi: Dosiu esse gr. iiij. ex essentia melissæ.

Arcanum antimonii.
Arcanum stibii Paracelsi.

Formam, quam velit, merito interroges. Si cum Mesue locutus est, essentialem partem, in qua virtus hæret, intellexit: ea erit cum menstruo suo toties propellenda, donec caput mortuum restet nullum, semper separatis fecibus. Sed est tamen & alius modus, quo *calx* efficitur *alba*, aut *rubea*, vt in febrifugo Basilii, de quo *infra*. Albæ sceuasian exhibuit Hieron. Rubeus, & Tholdenius. Quidam *flores* vocant.

Elixyr Antimonii Basilianum: *Purum ex vena antimonium cum dimidio sale ammoniaco contritum, cõmistumque in sublimatorium inferatur, & sublimetur. Sublimatum in vitream cornutã congestum destilletur. Destillatum secundo, & tertio destilletur fecibus semper sepositis. Hinc eluatur, vt sal decedat, maneatq; essentia stibii sola, quam inclusam catino absq; spiraculo mediocri igni reuerbera, donec colore rubicundo minium natiuum æmuletur. Ex hac calce miniata aceto stillatitio forti tincturam extrahe. Aceto in balneo retracto puluerem habebis rubrum quidem, sed subtiliorem. Hunc vt exaltes, & ab omni fece separes, extrahe denuo per vini spiritum artificio tincturarum. Extractiones collectas infunde in cucurbitam, & addita pauca coraliorum, Rhabarbarique tinctura serua.* Guttis iij. vel iiij. purgabit leniter, *corpusq; humanum sic mundabit, vt aurum stibium.* Paracelsus obscure admodum iubet resoluere antimonium cum sale ammoniaco: solutionem dulcorate per aquam pluuiam: In marmore resiccatum puluerem in liquorem deducere: Hunc iterum coagulare, & soluere, donec humor rubeus perspicuusque euadat. Vocat *Balsamum antimonii dulcem.* Non quidem Oedypi sumus: veruntamen destillandum vtrumq; instar aquæ causticæ censemus; & quod magna vi ignis prolicitum est, aqua dulci affusa coagulandum, coagulatũ sæpius abluendum: Inde reuerberandum, soluendumque in marmore repetitis crebro solutionibus & coagulationibus. Vel vna sublima, sublimatum solue deliquio, coagula: dulcifica, reuerbera, solue, &c. Sunt & processus alii. Sed audiamus *puluerem fixum antimonii*, tripliciq; menstruo aqua forti, spiritu vini, & aqua elaboratum, & ad hominis RENOVATIONEM inuentum.

Elixyr Antimonii: Est cõpositio quadam ex tinctura triplici
Tinctura alia stibii.
Bals. antim. dulcis Paracelsi.
Puluis stibii fixus ruber: Est species tincturæ elaborationis.

Stibio vulnerato, & in cucurbitam amplam coniecto paulatim affundatur aqua fortis, donec semisse exuperet, seu sex digitorum altitudine puluerem excedat Claude cucurbitam, & in calore leni in decendium digere, vt extractio fiat. Aquam postea effunde, & per filtrum traiice. Destilla in cinere, vel arena vsque ad siccum. Remanebit puluis citrinus, cui affunde stillatitiam pluuialem. Digere calore blando continuo, vt extrahatur rubedo. Extractiones collectas cola, & in balneo aquam destillando separa vsque ad siccum. Pulueri rubro affunde acetum vini acre, & tincturam extrahe, manentibus albis fecibus. Acetum separa destillando per cineres. Tincturam triduo reuerbera igni flamma sine intermissione, vt penitus rubescat, & figatur. Extrahe iterum per vini spiritum, vt feces penitus secedant. Extractiones destilla in balneo. Habebis puluerem rubrum fixum. Datur semidrachma ter die, vel sæpius *concretum in corpore sanguinem.* Dicitur *rumpere apostemata* interna, *luem venneam* sanare; *nouos pilos* gignere, & omnino renouare.

Flores Sarii.

De floribus antimonii. Quidam per descensum agunt, inqt Monachus, *admisto sale ammoniaco seu per retortã.* (Nam & hoc descensorium quadamtenus est, licet vasorum dispositio, vt in syntagmate præfiguratum, possit esse etiam vere descensoria) *proflant. Salem abluunt aqua dulci. Alii per tubos sursum in galeas, ollas aut ventricosas ampullas agunt, relicto alicubi spiraculo, vt ascendere fuligo possit. Alii albos, citrinos, rubeos sub diuersis galeis, ollisue mutue impositis conficiunt eodem igne & labore.* Basilius rubros assumsit, miscuitq; colcotare, & ter cum eo in sublime egit, vna eleuata vitrioli essentia, & flores efficaciores reddente, qui spiritu vini extrahuntur industria tincturarum. Spiritu separato puluis remanet siccus, qui *leniter purgare fertur,* & febres *tertianas, quartanasque* aufferre. Feces *Sal* exhibent. Notare conuenit, extractionẽ per spiritum vini, aut vrinæ moue[re] aluum: Sed per acetum vini potius astringere. Quod si præmissa extractione per spiritũ aceti sequatur p spiritum vini, purgatio inanis reddi dicitur, vt sic *Crollius* non debuerit de arte vomitiuã reprimendi dubitare, nisi forte dum per expuitiones vacuat, etiam vomitũ mouet. Apud Crollium eundem inuenire est *flores per ascensum, aut retortam,* vbi stibium arena pura mistum ignis violentia ꝓpellitur, ꝙ porro elaboratur sale tartari aceto stillatitio nutrito & aqua vitæ.

Sal stibii. Purgatricis in stibio repressio.

Lysipyretos Quercetani.


Quercetan. titulo *Lysipyretu* medicamẽ facit ex *fl. rub. antimonii partib. quatuor, & duab florũ sulphuris ad perfectam albedinem sublimatorum admisto duplo colcotaru ex vitriolo Vngarico vel cyprio.* Inde flores conficit rubicundissimos, quos primum acido *vitrioli ex venere spiritu* exaltat, postea vero *Saturni æthereo,* seu aqua plumbi, quæ per destillationem ex oleo eius inflammabili secernitur, vt ipse scripsit *c. 16.* defensionis medicinæ Hermeticæ. Commendat autem *ad febrium ardores extinguendos* datis 4. vel 5. guttis ex liquore competente.

Acetum stibiatum.

Extractum crudi antimonii. Hic aceto quodam peculiari opus esse iudicat Monachus. Id fit in hunc modum: *Vena antimonii in subtilem puluerem redacta inditur phiola prolixi colli. Affunditur pluuia stillatitia ad dimidium vitri, quod clausum in fimum immittitur ad putrescendum, donec incipiat fermentari, & in spumam attolli. Effunditur in cucurbitam, & iuncturis obstructis aqua elicitur destillando, quæ erit subacida. Cum humor separatus est, auge ignem, sublimabiturque nonnihil. Id remisce cum fecibus, iterumque affusa eadem aqua digere, & destilla. Opera hac repetenda est, donec destillatum tam acre sit, quam acetum ex vino, & sublimatum subinde appareat minus. In illud acetum detritum nouam stibii venam immitte, vt quadrante* (tribus digitis) *exuperet acetum. Digere in Pelicano mediocri calore per dies duodecim. Acetum inde rubescet, fietque acrius. Id decapulatũ pure in balneo destilletur, vt manente rubedine acetum solum extillet. Si rubedinem per spiritum vini placebit extrahere, habebis tincturam & medicinã bonam. Acetum reuoca ad balneum & phlegma separa* (*destilla denuo*) *Quæ feces supra in digestionibus remanserunt, postquam reuerberata fuerint, salem prabent, qui vstato more est colligendus, per solutiones, filtrationes, & coagulationes nimirum, aut deliquium calcis. Salis istius partem vnam adde trib. aceti. Destilla fortiter in cineribus. Ita parasti acetum antimoniale, cuius vsus etiam in medicina esse potest. Imponitur enim ambustis* (*cum oui candido.*) *Ad inflammationes ex eo & anima saturni conficitur vnguentum. Angina & faucium, linguaeque ardoribus medetur adiecto halinitro per sulphur purgato, & aqua Endiuia. In peste cochlear vnũ potatur, & foris imponitur apostemati, addita tertia parte aqua ex ranarum spermate.* Hæc Basilius de suo aceto. Alii pro extrahendis tincturis ex stibii floribus, vitro, &c. parant menstruum ex fortissimiè vino aceti mensura vna, cum quarta parte, & libra tartari calcinati. Misturam ex retorta in receptaculum, in quo item est tartarum, propellunt. Repetita quater destillatione acetum est paratum. *Acetum aũt terebinthinatum* Huseri ad lapides soluendos descripsit Crollius *in Basilica pag. 167.* Sunt, qui dolium terreum transuersum imponunt fornaci, ita vt à sinistris prominens collũ committatur cum vitro, in cuius ventre est tubulus deorsum in excipulũ tendens: deinde cauda, quæ ampullæ iungitur. Dolium autem in parte superiore excisum mediocri est ventre. Per ostiolum itaque immittitur antimonium: Affunditur pluuia. Digeritur modico calore. Deinde destillatur, cumque humiditas desiit, proflantur & sicci spiritus. Digestio vero pluuiæ repetenda est cum destillatione, donec acetum voto respondeat.

Tinctura obiter emergens. Sal antimonii.

Acetum tartarisatum.



Acetum philosophicum Quercetani legitur *in tetrade,* vbi notatur discrimẽ inter diuersa genera aceti, vt *acetum vulgare,* quod varium est: acetum *destillatum* simpliciter. *spiritum eius, forte,* cum & sine phlegmate; (adde & cœleste redditum exaltationibus) *Rectificatum* & *alcalisatũ,* acetum *radicatum: philosophicum,* cui summum præstantiæ gradum asscribit, facto *ex proportionali commistione, fermentatione,* & *vnione aereæ aciditatis animalis, & mercurialis acoris aquei cum vegetali terrestri, vt tinctura extrahatur ex antimonio,* vbi si quæras, quæ ista vocabulorum monstra, quæ in nulla arte, extra figmenta Quercetani, sunt vsitata, respondemus, nos quidem Dauos esse, sed tamen posse termino *aeria aciditatis animalis* accipere ex melle factum acetum, siue post destillationem phlegma sumas, siue hydromeli, siue rorem mellitum, quem apes comportant, vt mel inde fiat: vnde animalis aciditas nuncupatur, &c. Per *acorem aqueum mercurialem* intelligere acetum ex phlegmatica parte vini post spiritum destillatione separatum reliqua: per *vegetabile terrestre,* vitrioli spiritum acidum.

Acesa Quercetani p. 407 Tetrad.

Explicatio aceti philosophici Quercetan.

In Zoe-

In *Zoephilo* medicamento aliud parat ex liquore roris, seu mannæ cœlestis cum eadem minera per digestiones; & fermentationes philosophicas; quasi putares fieri ex rore maio mellito affuso pulueri venæ antimonii, digestionibus Valentini adhibitis: quanquam pro rore melleo etiam possit esse pluuialis aqua, vel melicratum. Aliud longe esse *acetum acerrimum*, quo in magno magisterio vtuntur philosophi, vel semiphilosopho notum esse debet. Libenter concedimus hoc recte dici posse etiam NATVRÆ ignem: Est enim de rei substantia: At non illud Quercetani, Crollii, Basilii. Est enim artificiosum. *Ars autem principium externum est.* Nimirum magni isti chymici cum Libauio desipuerunt, Palmarius autem sapuit solus; vt qui citra ambages solo igni naturæ antimonium tam mite reddit, quam est panis. Sed *extractum* ipsum videamus.

Aliud aceti stibiale.

Crudo de minera antimonio in lauorem detrito acetum affundatur, digeraturque, donec ruffescat. Fiat hoc mutatis extractionibus de more. Extractiones per papyrum crassum traiecta depurentur, destillenturque in arena per alembicum, per quem miri exibunt colores, sed qui omnes tandem in vna rubedine quiescent, relictis fecibus multis. Facile est intelligere acetum abstrahi, & peculiari vase excipi rubeum oleum, quod denuo rectificetur. Potest tamē in balneo vsque ad siccum destillari, & puluis solui deliquio, quod exhibebit oleū citrinum ad *vulnera, & vlcera* sananda. Alias oleum per alembicum extractum, si denuo extrahatur vini spiritu, & rectificetur, dari dicitur contra *lepram* & *luem Neapolitanam*.

Oleum tinctura antimonii.

Albertus Botonnus stibium ex minera terebat in marmore cum simplici oxymelite: Deinde stillatitio aceto extrahebat in balneo, vel loco calido per mensem. Hinc transferebat in destillatorium & aceto per alembicum prolicito, tandem aucto igni oleum emungebat sacharo, melleque dulcius, purgandis corporibus scrupulari dosi vsque ad drachmam aptum, ita vt sine noxa à longinquis trahat, vt in seipso sit expertus. Eadem scripsit Penotus, cuius tamen aliud catharticum est, quod *p. 179. de med. chym.* dosi gutt. 8. 9. 10. sursum deorsum mouet.

Ol. dulce purgans Botonni & Penoti in specificis pag. 72.

Hieronymus Rubeus *Sect. 2. de destill. cap. 23.* eiusdem meminit extracti, eiusdemq; fere artificii, sed num eius modum intellexerit, dubites. Ita enim habet: *Stibium è minera detractum, inque puluerem tenuissimum redactum aceto stillatitio perfundatur, dum acetum prunis candentibus appositum calorem contrahat:* (Pro: calore moderato digeratur, donec rubeat.) *Isto detracto nouum apponitur, fiuntque more solito extractiones, quæ (digestionibus præmissis, vt separatio fiat) vitreis organis destillantur:* (ille coloratum acetum destillari posuit) *separato aceto, sequetur auctiore igne tinctura varia, primum colorum mistione* (venulas ponit mille sanguineas) *tandem guttis sanguineis.* Tincturam hanc (vocat aquam) asserunt, *mellis dulcedinem superare*, parem non habere, *omnia vulnera* sanare. *Vt excellentior fiat, fimo obrutam 40. dies putrefaciunt.* (Circulant dicere voluit.) Opinatur falli magistros, quia acriore aceto, quam stillatitio eam ad rem sit opus veluti eo quod sale ammoniaco fuerit confortatum, &c. aut debeat stibium nō crudum, sed calcinatum sumi: Item non ascensum sit stibium ista ratione : Sed tantum acetum calce resistente, quæ loco humido possit deliquescere. Hæc Rubeus. Sed primum acetum verum videtur ignorasse, nempe philosophicum, quod ex proprio stibii corpore est desumtum, & ideo philosophici nomen habet. Deinde si omnino exasperandum est: non sale ammonio, sed antimonii acui debebat: quanquam & elaboratione, & proprio sale poterat. Tertio oblitus est interpositam putrefactionem. Enimuero si extractionem statim velimus separare, fortasse etiam alio modo eam consequemur: Sed philosophi prius in digestione relinquunt, donec primum fiat materiæ secessus; postea fermentatio, in qua extracta tinctura, magis, magisque attenuata in sublime contendit relictis grauibus: tunc opportunum est destillationi tempus. Volatilis enim euasit tinctura alis acquisitis. Alius etiam spiritu vini extraheret. Ita est arcanum.

Extractum stibii descriptione Rubei.

Tinctura.

Quercetanus Ζωόφιλον suum videtur ad sententiam Rubei excogitasse. Nam *calcinat mineris detractum stibium, & cum floribus salis ammoniaci, loco exasperationis aceti per istum salem, sublimat: sublimato salem aqua dulci demit: post extrahit id aceto antimonii iuxta Valentinum detinendo in balneo vsque ad floridum ruborem. Extractiones separat destillando ad siccum. Puluerem pluuiali stillatitia dulcem reddit. Deinde extrahit denuo per aquam vitæ ex corallis prolectam: cohobat, circulat attenuat, tandemque vehementissimo igne vrget etiam statim in initio, vt cum aqua vitæ coraliorum oleum antimonii extrudatur, quod sit rubrum, suaue, verus balsamus vitæ, &c.* quæ sunt verba eius, qui in Tantali hortulo iucunde somniauit, nec vnquam est assecutus forte, quod quæsiuit. Non exibit oleum ante procuratam volatilitatem facile. Sed tamen fides sit penes istos ingentes præcones, quibus persuasum est in ollulis & furnulis speculatorum posse gigni verum vitæ humanæ balsamum.

Quercetani Ζωόφιλον idem est arcanum ex Rubei mente correctum. Stultum est in ollis artificiosis verū vitæ balsamum cequire velle.

Extractum stibii cum Tartaro mediante Epate: *Stibii, & tartari crudi paria contrita in ollam fortem inferantur. & in reuerberium clausa olla immittantur. Reuerberentur ardente pruna, donec tartarum sit combustum. Deinde postquam refrixit opus, aqua dulci salsilaginem ablue. Massa erit specie Epatis: quod arefactum, inque lauorem detritum, & in cucurbitam missum perfundendum est spiritu vini. Digere: Destilla. Redde spiritum. Digere iterum, & destilla, idemque fac tertio. Tunc per chartam emporeticam traiice. Spiritum abstrahe destillando ad tertiam vsque partem. Abstracto potes vti ad nouum epar digerendum. In vitro vero relinquitur pingui quidam liquor, in vlceribus, & vulneribus efficax.*

Extractio Epatis stibiani chirurgica.

Si velis ad siccum destillare, reliquiæ diffluent loco humido in aquā eiusdem vsus. Alios modos habet Paracelsus *in Tom. 6. pagin. 212. 213.* editionis Basiliensis ann. 1590. vbi de præparationibus agit.

Liquor balsameus.

Calx alba cathartica alterius generis. *Cum aquam fortem ex vitriolo, & sale communi destillas, elicita aqua igni valido proflatur olei viridis aut butyri subtilis instar materia, qua potes si vis, ex croco martis per sulphur facto, tincturam marti demere. Sed caput mortuum deliquio soluendum est in acrem spiritum. Liquorem solutum filtra, & pulueri antimonii in cucurbitam ingesto affunde.*

Cathartica calx ex præcipitatione arcana.

Stent

Stent in sua digestione, donec fixum fiat volatile. **Destilla.** *Elicies liquorem amethystizontem, seu violaceũ. Aucto igni Caruleus seu Zapharinus profluet. In hunc si aquam communem immittes, pracipitabis puluerem album, quem edulcorabis.* Vsus *ad purgandum* instar vitri. Liquor capitis mortui *ex ferri laminis facit venereas.* Ideo & secundo vsu non erit temerarius.

Ex ferro cuprum.

Ad vlcera compositio quædam: Dictum est de extracto rubro antimonii, & tinctura ferri per butyraceam materiam vitrioli & salis. Scis etiam, quo artificio argentum viuum crudum in aquam, dum per chymicum Moloch (Saturninum Catinum) in igni feruentem traiicitur, fathiscat. Satis autem est, rudiore Minerua tincturam antimonii parasse, nempe stibium mistum halonitro in ollis cremando per modum deflagrationis, & detonationis; deinde per spiritum vini extrahendo, & vsq; ad oleitatem destillando. *Cape ergo Extractionis sanguineæ martis: aquæ mercurii an. p. j. Extractionis rubra antimonii, p. iij. Solutionis calcis auri per aquam mercurii p. ß. Misce. Digere. Effunde, quod purum est. Destilla id in arenario igni mediocri, vt liquor decedat. In fundo residebit calx rubra fixa. Postquam effudisti purum humorem, feces relictas soluere deliquio potes. Fiet liquor aqua caustica conferendus.*

Moloch chymicus.

Calcis rubra fixa ad Vlcera modus.

Quoniam autem diuersi sunt modi *antimonium per salem petræ præparandi*, Monachus suum tanquam sibi arridentem ita descripsit: *Purissimum, ex Vngaria mineris antimonium cum ter purificato halinitro commisce. Immissa in nouam ollam include igni rota* (circulari) *ita, vt partem post partem inicias per cochlear longi manubrii, vt vna deflagrent. Aura fumum à te auertat. Inde tecur relinquitur. Hoc contritum & aqua calente communi persusum ablue, quo sal decedat. Post, arefactum puluerem nouo halinitro misce, & procede, vt ante, idemque repete & tertiò. Tandem in lauorem super marmore redige, & affuso vini spiritu circula per mensem in cucurbita bene clausa loco calido. Spiritum postea effunde, cape alium, qui ardeat bene. Adde de eo nonnihil. Incende & sine deflagrare. Repete id decies vltimo resiccatum puluerem probe cremato in reuerberio in suo catino, vt percandescat.* Iste est puluis fixus, quem pro libitu resoluere potes deliquio, iterumque coagulare, donec placeat. Datur *ad apostemata interna* cum vino puro, vel vini spiritu quinquies vel sexies die, dosi gran. xv. Dicitur & *venena exarmare, & reuocare.*

Liquor acris ex fecibus.

Medicina antimon. per halinitrum, Renouatoria: Alexicaca, &c.

Epar.

Hæc descriptio *Quercetani* genio peperit *Lysiponon. Recipit pro antimonio de minera reguli p. j. pro halonitro communi purissimo, eius lapidis per sulphur præparati p. ij. Includit igni rota, & paulatim admouet propius, donec vi caloris fluat. Tunc immisso ferro candente vel pruna detonare facit. Epar tundit abluit, siccat, & cum æquali halonitro remiscet, repetitque opus vt ante, idque etiã tertia vice. Addit fixationem in clauso fixatorio per quinq; dies adhibito graduatim calore, donec candefacto catino calx ex albo rubescat instar florum calendulæ. Interim suspensa mansit digestio per spiritum vini, in cuius locum is substituit spiritum ardentem baccarum iuniperi. Circulat clauso vase per aliquos dies. Post exemtam materiam noua iunipèrina aqua perfundit: Incendit: denuo addit aliam, incendit, repetitq; idem tertio.*

Lysiponos Quercetani ex Epate stibii.

Calx rubra seu aurea, alias Crocus.

Tandem exiccatæ grana 10. vsque ad 20. præbet ex vino vel aqua conueniente, *ad omnes doloru ventris imi, & exulcerationes. Mensibus* quoque mouendis admirandum prædicat, vt & ad *pestem* per sudorem deiiciendam. Nimirum ingenioso facile est augere inuenta, & sua industria excolere, quod cum magna sui laude facere studuit Quercetanus. Idem aliquando *crudum antimonium, & halonitrũ* permiscet, & incensa detonare sinit, vt *Epar* fiat, ex quo rubicundum puluerem præparatum *Crocum metallorum* appellat. Vide Alexicaci *p. 407. & 477.* Eiusdem vlterior elaboratio, qualis scilicet in Lysipono describitur, *pag. 409. Alexicaci* dicitur *Bezoardicum metallicum*, vtpote excellens sudotificum in *peste*, dosi 20. vel 30. granorum.

Regulum Monachus ita conflat: *Stibii Vngarici, Tartari crudi, an. p. j. Halonitri p. ß. Iniecta in catinum, & in anemiam illata colliquescant probe. Miscere autem initio exacte conuenit. Cum prorsus fluunt, effundantur in calicem, fiatque pro rege impulsio. Postquam refrixit, decussis scoriis, regulus cum nouis medicaminibus contritus iterum liquetur, & segregetur ab excrementis, idemque repetatur tertium & quartum, donec argenti instar niteat. Iste est regulus multorum arcanorum velūti capsa*, quanquam & ipse pro se veniat in vsum catharticum, globulis eius aut nodis in vino aliaue materia liquida infusis, quo modo idem sæpius in vsum venire potest. Supra posuimus modum Alexandri Sucten.

Reguli confectio.

Globuli ex regulo cathartici.

Alius est:

Cape antimonii, halonitri, Tartari an. lib. 3. vel q. s. sigillatim trita commisce. Deinde ollam firmam in igni rota, seu circulari statue, & paulatim feruefacito. Tunc ferreo cochleari cũ satis prolixo manubrio haustam partẽ pulueris immitte, cumq; deflagrauit, aliam, insuperq; aliam, donec tota quantitas detonuerit. Tunc ferreo rutabulo bene misce, vt regulus probe subigatur. Inde sine refrigescere, detractamque ex igni ollam frange. Inuenies regulum, quẽ si libet amplius potes purgare.

Penotus *in suo medicamentario, pag. 77.* eandem proposuit præceptionem. Iubet autem cauere fumum: mouere materiam baculo, & cum bene fusa fuerit, in calicem proiicere, & feces incũbentes tollere. Addit & alia de antimonio, quæ ibi vide.

Regulus hic mutatur *in stellam*, si accipias *stibii Vngarici p. ij. chalybis comminuti p. j. Tartari p. iiij. Commista, colliquefactaque effunde in calicem. Regulo adde triplum tartari vsti. Contrita, commistaq; funde & effunde, vt prius idemque fac tertio.* Si recte rem tractasti, stellam adipisceris nitentem argenti instar. *Ex hac cum sale ammonio per sublimationem flores rubri fiunt*, qui dicuntur MARTIS *tinctura*, & soluti deliquio *oleum* reddunt vlceribus sanandis vtile.

Stella antimonii.

Flores stellæ.

Tinctura martis stibeati.

Quercetanus ex eis suum *Panchrestum* concinnauit reuerberando quatriduo & per acetum radicatum tincturam extrahendo prima vice, & secunda per Sp. vini alcalisatum more Basilii. Paracelsici immensa gloria istam stellam deprædicant. *Fit alter regulus absque additamentis*, dum ipsum per se funditur sæpius vt vitrescat. Apparent *nodi argenti* etiam cum addito halinitro in vtrum conflatur. Hi reguli collecti conteruntur, & cum calce plumbi (*salem Saturni* vocant) misti cœmentantur per tres

Ol. Martiũ stibiale.

Alius regulus.

Metalla ex stibio.

tres hotas, deinde valido igni liquantur. Effusi in fotmam seu canalem *in plumbum* transisse inveniuntur. Si cœmentes cum calce stanni, fiet stannum, & sic de cæteris. *Nam compertum est in metallis esse spiritum, qui symbolicas materias bismuthi, & stibii,* (calaemi quoque & cobalti, &c.) *in sui naturam vertit: quod est fundamentum chrysopœia.* Sic *ex ferro fit cruprum mediante spiritu cupri,* qui est in calcantho. Sine illo non fit.

Metalla ex stibio.

Verum enimuero ex *Regulo* suo Basilius adhucplura medicamenta, eaque perquam nobilia docet compatare. Primum est BALSAMUM ad affectus quosdam intetnos. *Regulus in pollinem redactus in cucurbitam mittatur, & affuso iuniperi oleo, vel Terebinthina spiritu clauso vase leni calore digeratur.* Dicitur colorem assumere. *Cum spiritus iste satis rubet, coniungitur cum optimo spiritu vini, & digestionibus præmissis, aliqueties inde destillatur semper reposito nouo. Ita nidorosus odor, tollitur, & transit tinctura in oleum spiritus vini. Tandem destillatur spiritus vsq; ad olei consistentiam, cuius tres guttæ ter in septimana exhibentur asthmaticis, pulmonicis, phthisicis, pleuriticis.*

Medicamina nobilia ex regulo.
Balsamum anthasmaticum.

Penotus alio modo tincturam ex eo facit. *Reguli p. ij. mercurii p. j. ol. vitrioli p. iij. coque, donec rubeant. Ex rubeo magmate separa tincturam per vini spiritum. Dicitur incredibilium virtutum esse.* Quanta vero Quercetanus ex eo policeatur, & quo modo præparare iubeat, cognosce ex ipso.

Tinctura Penoti ex regulo.

Medicamentum 2. Basilii ex Regulo fœcundum quidem est arcanorum, sed immodici pene temporis. *Pollen reguli inclusus rotundo vitro, aut globo sectili lapideo, aut matrici in arenario cum mediocri igni detinetur. Id dum fit, nonnihil in sublime tendit, adhæretque. Id penna deiiciendum, vel inuerso vitro imum reddendum. Coquitur denuo, sublimarique aliquid finitur: sed eadem arte deturbatur. Id longo fit tempore, repetiturque, donec in imo fixus maneat puluis, colore rubeus. Hunc deliquio solue in cella marmori inseminatum per totum semestre. Defluet sudor rubeus, à quo in cucurbitam immisso per destillationem phlegma abstrahe vsque ad oleositatem. Oleum repone in cellam. Ibi consistet exhibebitque crystallos pellucentes cum rubedine.*

Præcipitatũ stibii seu fixũ per se antimonium.

Crystalli stibii.

Hos denuo solue, & coagula, habebisq; albos, qui sunt verum sal Antimonii. Crystalli hi tandem in oleum album rediguntur, si misceas tritos cum triplo terræ Venetorum, quam Tripolitanam vocant, & destilles per retortam igne valido cuius vi exit primo albus, secundo rubeus spiritus, qui tamen & ipse euadit albus. Hunc destilla lenissimo balneo. Accipies oleum antimonii album, quod in quartana datur, lapide vesicæ, dysuria, podagra, &c. Illinitur & vlceribus antiquis. Verum hoc oleum vix quisquam effecerit, nisi qui luxuriari & abundare quærit miranda naturæ varietate. Nam sunt alia minoris temporis, & impensæ, virtutis autem maioris.

Sal antimonii verus.
Ol. album antimonii.

Medicamentum 3. Est mercurius per salem circulatum, vt Paracelsus vocat. *Cape salis sublimati ex vrina, quem ammoniacum artis alias vocant; Armeniaci, Tartari aquales. Irriga commistos aceto forti ex vino, & in vitrum immitte, aucto aceto clauso vase per lutum sapientiæ digere materiam calore continuo per mẽsem. Deinde in cineribus destilla ad siccum vsque. Huic trito admisce tres partes terræ Venetæ, quam Tripolin vocant. Destilla ex retorta gradibus seruatis. Exibit spiritus. Hunc redde regulo prudenter. Repone ad putrefactionem per bimestre. Vltimo destilla, & abstrahe acetum leni igni. Quod restat in cucurbita, misce cum quadruplo limaturæ chalybis. Redde igni, & pelle fortiter ex retorta in ampullam qua contineatur aqua frigida, confugium mercurii feruentis.*

Sal circulatus Paracelsi.

In eo opere spiritus salium, & argentum viuum specie fumi prouolant, & in fundo ampullæ exceptoriæ consistunt. Iste est Mercurius Antimonii. Effusa aqua collige mercurium, & exprime per corium. Ex eo facies *oleum mercurii* in hunc modum. *Parti eius vni in phiolam illata affunde quatuor olei vitrioli rubei rectificati quam optime. Digere: destilla: spiritus vitriolati manebunt cum mercurio iam præcipitato. Auge ignem fortiter. Ita nonnihil in altum scandet. Id deterge, & remisce cum inferioribus. Affunde oleum vitrioli nouum eadem quantitate. Digere: destilla: sublima. Repete opus tertio. Quarto quod sublimatum est abrade, & contere cum terra in fundo hærenie, eritque mercurius purus, nitidusq; speculi instar, vel crystalli. Hunc in Pelicanum immitte. Affunde iterum tantum vitrioli oleum, & triplum spiritus vini. Circula donec appareat oleum quod innatabit. Oleum hoc separatum transfer in aliud circulatorium. Affunde acetum stillatitium acre. Digere diebus 20. Tunc oleum, quod prius natabat, ad fundum secedet. Acetum autem fit turbidum. Separa oleum; & ablue stillatitia dulci.* Datur *Elephanticis, apoplecticis, lue Venerea* infectis. Est *renouatorium*, si indies vsurpetur. Ita est 3. arcanum ex Regulo antimonii.

Mercurius Antimonii.
Ol. mercurii stibialis.

Mira vis olei.

Quartum est *mercurius vitæ*, cuius duplicem dedit descriptionem Basilius: vna capit stibium crudum: altera regulum. *Pares stibii & argenti viui sublimati per se cõtrita commiscentur in porphyrite. Deinde ex retorta destillantur tertia vice, vt oleum fiat. Hoc rectificatur spiritu vini. Primo est instar albi butyri.* Glaciat enim seu consistit frigore. *Postea rubescit* (resolutione) *vt sanguis. Si regulum accipis, primo vtrumq; sublima simul. Postquam sublimasti, destilla, vt plane vnum fiant. Tunc igneam medicinam nancisceris, nempe concretum humorem vnctuosum. Hunc solue in oleum calore, & destilla ex retorta. Destillatum rectifica maceratione cum vini spiritu, & destillatione, qua spiritus sæpius ab eo reuocatur.*

Mercurius vitæ: seu oleum ex regulo & sublimato.
Igneum oleũ reguli & sublimati.

Primo processu factum commendatur ad *Herpetes, cancros phagedænas, fistulas.* Posterioris oleum datur etiam interno vsu trium guttarum quantitate ex vini sextante bis in septimana. Sed prudenter dandum est. Est enim valde acre. Nam si id tritis in puluerem crystallis affundas, triduo soluuntur. Solutio destillatur per retortam, daturque ad lapides vesicæ.

Crystallos soluere.

Hæc ille.

Crollius Flores Butyri antimonii simili artificio compositos concinnat. *Recipe* (inquit) *Antimonii Vngarici, & mercurii sublimati an. libr. 1. Trita diligenter commisce, & in retorta vitrea luto munita ex arena mediocri igne destilla. Exit liquor butyri instar, aut glaciei, summe corrosiuus, qui in collo concrescens admota circumspecte pruna est soluendus: collige ex receptaculo, & in mundam retortam transfer iterũq; destilla: quo*

Flores butyri antimonii h. e. puluis præcipitatus: vulgo mercurius vitæ.

 facto

facto infunde aquam calidam, coagulatique flores albi ad fundum concedent. Decapulata aqua repone nouam, idq; sæpius fac quam diligentißime, vt puluis bene dulcis reddatur. Tunc siccatum serua. Commendatur in peste, febribus, lue venerea, lepra, hydrope, vlceribus malignis, capitis morbis dosi gran. ij. vsque ad 4. Est vomitiuum & alui motiuum. Vide *ibi* plura.

Polychrestū oleum Quercetani. Hoc artificium Quercetano peperit antidotum Polychrestum, quem *in Tetrade* describit pag. 412. faciendum *ex reguli stellati libr. 1. & argenti viui in purum crystallum redacti sesqui libra: quæ mista destillantur: Gummi crystallinum inde collectum iterum atq; iterum destillando rectificatur & tandem spiritu Hydromelitis vinosi perfunditur, abluiturque, donec dulcescat* (spiritus manet super eo in digestione: Deinde retrahi potest destillatione, vel depletione, & sæpe mutari) *Id est oleum antimonii preciosißimum:* datur ad sex guttas in febribus: Vomitu & secessu purgat. *Diaphoreticus liquor.* Spiritus ille œnomelitis vel vinosi hydromelitis potest oleo vitrioli misceri, & dati dimidio cochleari pro *Diaphoretico*. Inde sumtum est & *Isochrysum* forma præcipitati, ex quo *tincturam* elicit, quæ cum aqua vitæ ex iuniperi granis circulatur ad *apostemata interna* rumpenda, & *hominem renouandum*, dosi à 6. ad 10. guttulas. *Isochrysum Quercetani: Tinctura stibii & sublimati, &c. Tetrad. pag. 407.* Sicut autem *Basilius* in altera descriptione regulum & sublimatum cōiunctim sublimat, ita & Quercetanus. Sed postea fit pro destillatione per *aquam regiam ex halonitro, & sale ammoniaco* solutio, digestio, præcipitatio, ex qua puluis factus reuerheratur in aureum colorem, ex quo tinctura elicitur per acetum philosophicum Quercetani. Omnia sunt liquida intelligenti processus artis, & Encherias.

Merc. vitæ Penoti forma olei rubri. *Penoti vita mercurius fit ex septies sublimati mercurii parte vna, & dimidia stibii, quæ mista destillantur ex retorta de more. Gummosus liquor soluitur in cella in oleum, quod ex humili cucurbitula destillatum in cineribus primo reddit liquorem clarum, deinde aucto igni oleum medium inter rubrum, & citrinum quod in aliam cucurbitam inditur, & destillatur vt oleo rubeo manente phlegma separetur.* Vocat *febrifugum* dosi dimidii aut vnius grani cum aliqua conserua. *Oleum ☿ vitæ.*

Iacobi Zuingeri catharticum. Iacobus Zuingerus *in examine principiorum chymicorum pares reguli & sublimati destillat. Humorem in collo concretum seorsim legit pro diaphoretico: Glaciem crystallinam repetita destillatione redigit in oleum, quo possumus vti pro caustico.* Verum latius est in *catharticum* vertere iniecta aqua calente vt puluis præcipitetur. Decapulata aqua solui possunt *coralia*. Puluis spiritu vini affuso, sæpeque mutato abluitur, quem *spiritum, qui haurit, vomit*. Sed vltimo tandem *oleum* ex spiritu coniungit se cum essentia mercuriali. Igitur destillatione reuocato spiritu & phlegmate, remanet *liquor purgans*. Quidam aut sunt & *auri pigmentum*, ne quid deesset mordacitati adducere, & quod mirū, non alium vsum ponunt, quā *verrucarum sublationem* quod fieri poterat vel *tela aranea*, aut *spiritu sulphuris*, aut *liquore cochlearum*, &c. *Oleum verrucarium.* Praxis est ista: *Stibii & auripigmenti pares colliquant, vt fiat lapis purpureus, quem cum pari sublimato argento viuo agili manu commiscent & per retortam destillant, dando lenem ignem supra, & infra; sed remouendo superiorem cum incipit destillare, ne vas dissiliat. Cum vero sistitur destillatio, iterum admouent ignem paucum ab vtraq; parte oleum purpureum exire dicunt.* Hæc ideo collecta damus, vt studiosus defectum, vel obscuritatem in vna praxi occurrentem sarciat ex cæteris. Nunc ad Basilium. *Balsama chirurgica Basilii.* Is facit Balsama chirurgica variis compositionibus.

1\. *Prima est: Stibii electi pars vna: salis comm. tosti, vel gemmæ dimidia: pulueris ex testis ollarum fictilium crudarum p. vj. vel quinque. Destilla per gradus fortiter & diu, donec oleum citrinum extillet, à quo separa phlegma repetita destillatione ad siccum. Fiat puluis ruber, qui soluitur deliquio in marmore.* Liquor illinitur *vlceribus & vulneribus*.

2\. *Fundum in vlceribus facere.* Secunda: *Stibii sulphuris an. p j. salis ammo. rectificati p. ß. calcis viuæ p. ij Destilla ex retorta per gradus, & vltimo fortiter. Si quid sublimatur, id remisce in fundo hærentibus, & destilla iterum, atque iterum.* Vsus in *vlceribus* contumacibus. Facit *fundum vt oleum vitrioli*.

3\. *Lapilli rubētes chirurgici.* Tertia: *Sulphuris trientem in olla liqua, & immisce argenti viui selibram, vt fit in cinabari. Massæ frigifacta, & contrita adde stibii, sandaracæ Græcorum, an. ℥iiij. croci martis ℥ij. farinæ lateritiæ ℥viij. commista sublima. Ascendet cinabaris, & lapilli rubentes. Neglecta cinabari hos collige, & tritos perfunde aceto vini acri destillato. Extrahe, vt solent tinctura. Extractiones collectas separa à tinctura per destillationem. Puluerem remanentem tere,* *Modus soluendi per deliquium.* *& secundo extrahe per vini spiritum. Extractiones digere per mensem in vase clauso in balneo. Abstracto postea spiritu essentia soluitur deliquio in vapida cella ita vt in pollinem impalpabilem redacta ponatur in hemisphærium ex fundo cucurbitæ factum, & hoc in aqua sinatur natare.* Liquor erit pellucidus, vetustis vlceribus illinendus superposito Emplastro punctorio.

4\. *Liquor campanarum.* Quarta: *Stibii, sulphuris, halonitri pares exacte miscentur. Sit autem capax alembicus rostratus cum recipiente ita positus, vt halitum subtus incensa mistura possit excipere, vt fieri solet in spiritu sulphuris per campanam. Mitte portionem in catillum suppositum. Incende, vt deflagret, submitte alium, donec tota mistura sit combusta. Ex fumo colligetur liquor, qui virtute vincit spiritum sulphuris.* Datur cum vini spiritu asthmaticis dosi trium guttarum. Foris illinitur vlceribus superposito punctorio. Hæ sunt compositiones chirurgicæ.

Sulphur ex stibio. *Sulphur stibii* dicitur quidem tinctura eius rubra, & oleum: Sed Basilius etiam illius habet modos certos: *Stibii triti pars vna, miscetur cum quarta salis ammoniaci (stibii libra 1. salis quadrans) sublima modico igni. Ascendit rubedo. Hanc collectam redige in pollinem. Si stibii fuit libra, iam adde vncias quinque stibii noui, & denuo sublima.* *Liquor sulphur. antimon.* Hoc sublimatum potes deliquio soluere si lubet. Valet enim *ad scabiem*, præsertim liquore tartari adiecto. Ita & Achores tolluntur, & serpigines. Si non vis in liquorem soluere, ablue sublimatum stillatitia dulci. Calcem relictam leni calore exicca.

Habes

Habes ſulphur quod incenſum ardet. Si placet, *extrahe tincturam eius per ſpiritum aceti ex vino. Separato iterum aceto, tincturam pelle per alembicum, aut retortam vt oleum exeat dulce*, cuius vſus eſt ad pulmoniam pleuritin, aſthma, dyſpnoean doſi gr.ij. ex vini ſpiritu mane, & veſperi ſub introitum lecti. Deſtillatio procedet, ſi prius tincturam deliquio ſolues, aut oportet crebris cohobiis vti. Aliud ſulphur eſt, quod extrahitur ex *antimonio crudo per coctionem in lixiuio fagino. Coctio filtratur: & præcipitatur aceto. Aqua effuſa ſedimentum exiccatum extrahitur per acetum ſtillatitium, vt fiat tinctura. Hæc ſoluitur deliquio, & deſtillatur vt oleum exeat.*

Tinctura ſulphur. antimonii.

Sulphur aliud ſtibii.

Suchten habet *ſulphur tertium*, nigritiem ſcilicet pinguem, quam expuit amalgama ex argento viuo, ſtella & argento. Quercetanus *in ſuo Soterio* id ſulphur elicit ex *Regulo, quem tritum miſcet cum halonitro, & detonatione facit Epar. Hoc abſq; ablutione pulueratum coquit lixiuio ex aq. cinere faginb, & calce viua. Decoctum transfuſum præcipitat aceto. Separato liquore ſulphur edulcorat: Deinde tincturam extrahit aceto ex œnomelite*, hoc eſt, hydromelite vinoſo, quod fit hydromelite condito in vaſe, in quo fuit vinum generoſum, *addicto ſpiritu vitrioli, & proprio ſale iſtius aceti* (vel tartari) *vt ſit menſtruum ſatis acre. Tincturam ſeparato menſtruo perfundit ſpiritu iuniperi, & circulat. Deinde deſtillat per retortam vi ignis, ſæpe repetitis cohobationibus. Demum modico igni deſtillat vſque ad oleoſitatem.* Balſamus eſt pulmonis ʒ.ad 6. guttas ex competenti liquore in morbis pectoralibus. In *Alexicaco* non vtitur tam laborioſa operatione. *Nam crocum metallorum facit ex ſtibii regulo addito tartaro, & halnitro per detonationem* (verbuſden) *Epar terit: coquit lixiuio: præcipitat aceto ſenſim infuſo: ſeparato lixiuio, abluit omnem acredinem: ablutum ſulphur ſiccat.* Calx quaſi *aurea* eſt: quam exhibet doſi ſcrupulari cum aqua Bezoardica ad *ſudores* mouendum.

Sulphur ſolare ſtibii iuxta Quercetanum in Soterio.

Aliud Baſilii ad febres fugandas: *Stibii tenuiſſimus puluis ter, quaterue forti igni ex retorta proflatur in ampullam magnam, donec rubei flores exiſtant. Ex his extrahitur tinctura per acetum. Extractio circulatur lenti igni per decendium. Separato per diſtillationem aceto, quod remanet, ſingulari induſtria in nouum receptaculum propellitur, vt oleum fiat* (cohobia adhibentur: vel tinctura reuerberata ſoluitur deliquio, moxque deſtillatur: vel cum ſpiritu vini prolicitur. Volatilis enim debet eſſe) *Oleum in Pelicano circulatur ad ſiccum.* Dari & olei forma poteſt guttis 4. ex aq. cardui benedicti ad ſudandum. In peſte datur cum aceto Bezoardico, ſi febris adeſt: Cū ſpiritu vini alexipharmaco, ſi frigus. Duo adhuc reſtant præ cæteris fere omnib. commendata: *Sulphur verum antimonii* ſine additionib. ꝑparandū forma olei: & *Elixyr ſeu Lapis IGNIS.*

Hydroticum Febrifugum Baſilii.

Flores rubei per inclinationē ſeu deſcēſum.

Sulphur verum ita docet:

Antimonium in exactum læuorem ſuper marmore perductum, & in cucurbitam immiſſum perfunde aceto ſuo (de quo *ſupra*) *alcaliſato, hoc eſt, proprii corporis ſale exaſperato. Clauſum detine in fimo vel balneo diebus 40. Acetum euadet ſanguineum: quo effuſo, repoſitoque affundatur aliud eiuſdem generis, & ſic porro lege tincturarum iterum aliud. Acetum totum poſtea ſic tinctum per chartam traiice, vel pannum, vt ſi quæ feces adeſſent, ſecedant. Deinde in vitro nouo, mundoq; apte clauſo in balneo digere alios dies 40. quibus materia euadet atra quod eſt ſignū ſolutionis per putrefactionem. Nigrefactam iſtam ſolutionem in cucurbitam transfuſam impoſito alembico deſtilla modico igni.* (Nota, quod Rogerius moneat, ſi aliquid de ſulphure vero per præparationes & adustiones perdas, id, quod in igni facile fieri poteſt, ſpiritum verum penetrantem eſſe amiſſum, per quem *totum Antimonii corpus* (b) *verti in oleum debebat rubrum*, perfectum vt per Alembicum exire poſſet.) *Relinquetur in fundo tinctura, quam contritam elue, vt dulceſcat aqua pluuiali ſtillatitia. Exiccatam porro include circulatorio triuentri cum longa fiſtula. Circula per menſes duos leni calore, perfuſam prius vini ſpiritu optime præparato ad altitudinem trium quatuorue pollicum ſeu vnciarum. Vas clauſum eſto Hermetice. Interim ſpiritus tranſparente rubedine inficietur. Effunde: cola per filtrum: nigras fæces abiice: ſpiritum tinctum per alembicum in arena deſtilla igne mediocri, vt vna exeat tinctura, fiatque oleum rubrum. Ita elementa ſeparantur. Conceptaculi parietes veluti auro obducti apparebunt, verum inconſtanter. Quod deſtillatione collectum eſt, circuletur ad lenem calorem per decendium. Tunc oleum ad fundum concedet. Liquorem effunde, & ab oleo ſeiunge. Id erit valde dulce & ſuaue.* Hoc dicitur renouare hominem, ſi miſceatur cum *tinctura ſanguinea* coraliorum. Tunc enim *ſanguinem purificat, ſcabiemq;* omnem & *Elephantiaſin* ſanat. Cum magiſterio perlatum *cor confortat, melancholiam* diſcutit, *memoriam* firmat. Cum aqua cinanomi datur ad *ſyncopen*, imponiturque doſi ſex guttarum linguæ allita ſimul naribus eſſentia croci. Hæc magnifice Baſilius.



Sulphur verum Antimonii Baſilii.

Oleum eſſentialis ſulphuris ſtibii.

Eadem fere leguntur apud Penotum. Iubet enim primum conterere antimonium irrigatum aceto ſtillatitio. Deinde pulticulam in vitrum coniicere, affuſoque aceto copioſiore in fimo digerere per dies 20. aut plures. Liquorem tinctum filtrat, ſeparatq; acetum deſtillatione. Rubedinem relictam extrahit denuo per vini ſpiritum. Extractiones circulat, tandemque oleum ſeparat, cui dicit ineſſe vires ſecretas. Conſentaneum eſt iſta anſam dediſſe Quercetano, vt *Panaceam* excogitaret nonnihil mutatis rebus, & quibuſdam adiectis. Pro minerali antimonio aſſumit rubros flores ex ſtella antimonii per chalybem facta. Sed ſi Rogerii præmonitionem audire volumus, non ſat circumſpecto conſilio. Nam ſulphur verum antimonii violentis ignibus oportet ingens damnum cepiſſe. Notum enim eſt, quanta vi opus ſit, antequam ſtella euadat. Deinde vt ex ea conflentur flores rubri, opus eſt tertia ſublimatione per ſalem ammoniacum prius ter ex ſale communi ſublimatum.

Tinctura ſulphurea antimonii iuxta Penotū.

Panacæa Quercetani.

Flores iſti iam tertium eleuati, & eluti ad dulcedinem vſque, iubentur denuo ex colcotare ſublimari, opinione, quod tunc *ſpiritus martis & veneris* (ferri & æris) communicentur, floribus ſtibii ex ſtella per chalybem concinnata. Tribuitur talibus floribus *vis purgatrix, febrifuga*, & aliorum morborum ſanatrix.

Flores ex ſtella antimonii cum marte & Venere.

Soluens.
Sal ammoniacus fixus.

Verum excusatur Quercetanus. Neque enim sulphur respexit in sua panacea, sed totum corpus florum. Ita enim procedit. *Primum praeparandum est menstruum soluens commune: Cape salem armeniacum q. vis, commisce cum pari calce viua, & in reuerberio calcina intensissimo tandem igne. Calcinatam massam ex reuerberio extractam perfunde multa aqua destillata dulci. Elice salem, vt est moris. Filtra, coagula. Coagulato sali adde nouam calcem viuam. Crema secundo in reuerberio. Extrahe iterum salem, vt ante: quem denuo cum calce viua reuerbera, extrahe, filtra, coagula & vide num in igni liquescat instar metalli. Tunc enim est fixus. Hic soluatur deliquio. Recipe liquoris huius purificati partes tres: argenti viui pluribus sublimationibus ad crystallinam perspicuitatem redacti partem vnam. Fiat solutio, quam excipe charta Emporetica absque glutine confecta, quam bibulam vocant. Debet illa omnem humorem combibere. Deinde in cucurbitam contecta destilletur ex arena per alembicum. Destillatum rectifica, vt euadat purum, & moschum oleat.*

Hoc est menstruum, quod Quercetanus non dubitauit commendate *malo Venereo laborantibus ad sudandum. In eius menstrui parte vna seorsim soluuntur flores isti ex stella, (circiter ℥j.) saepeque mutatur, donec totum corpus in menstruum sit consumtum. In alia eiusdem parte soluuntur perla (℥j.) in alia coralia rubentissima (℥ß.) Solutiones tres confundendae sunt, & digerendae per 4 aut 5. dies: Deinde destillandae: Destillatum reponendum ad reliquias: Iterum digerendum, & destillandum tam saepe, donec omnia in subtilissimum puluerem redacta inseparabiliter sint vnita. Huic pulueri adduntur tinctura solis (c) duae drachmae: totumque perfunditur spiritu vini perfectissimo: Circulatur, & destillatur tandem pure, vt antimonii Panacea sola relinquatur, admirandis virtutibus praedita,* de quibus consule Quercetanum ipsum: Res certe laboriosa, & preciosa. Quantum enim auri insumetur, vt obtineas drachmas duas tincturae? Quis & quantus labor est regulum, & stellam facere? Ter sublimare salem ammoniacum: ter aut quater flores: septies sublimate argentum viuum: figere salem ammoniacum? &c. Manus nimirum multae multa possunt. Verum *de lapide IGNI* audiamus. *Cape venam stibii Vngarici versus ortum natam. Adde aequales halonitri. Contere vtrumque & diligenter commisce. Deinde in igni circulari sine deflagrare, vt iam saepius dictum. Massam, quae inde fit, puniceam liqua, vt vitrescat. Ex vitro extrahe tincturam per acetum stibii. Tinctura separata ab aceto denuo extrahatur per vini spiritum perfectissimum.* Hoc est *purum sulphur antimonii* iudice Basilio; rubens, dulce, vtile ad medicinam. Manet autem iam cum spiritu. *Cape extractionis istius, quae ex tinctura & spiritu vini constat, libras duas. Adde salis ex antimonio (de quo supra) vncias quatuor. Misce. Digere per mensem vasi clauso. Si feces apparent, separa eas. Deinde spiritum abstrahe per destillationem in balneo vsque ad siccum: tunc igni valde intenso prolectandum est oleum dulce, quod dum exit, varicolor est, sed cum constitit, seu coactum est, rubet.* (Vide an non opus sit cohobationibus, seu spiritus destillati ad reliquias refusionibus & digestionibus, item translatione vasis ex balneo in cineres, vel arenam.)

Lapis ignis seu Panacea Basilii.
Similem lapidem docet facere Petrus in chymicis med. ex Marcasitha saturnina, seu lapide minerali antimonii p. 79. 80.

Hoc oleum rectifica in balneo, vt quarta parte minuatur phlegmate secedente. Porro cape mercurium ex regulo antimonii extractum. Affunde oleum rubeum vitrioli ex ferro facti, summe rectificatum. Digere in calore, vt mercurius praecipitetur. Proculdubio opus erit pluribus affusionibus, antequam totus corrodatur. Tandem separa oleum per destillationem ex arena, vt praecipitatum solum relinquatur (quod mirabilium est virium in vlceribus antiquis.) *Praecipitati huius & olei antimonii, quod paulo ante iussus es praeparare, pares coniunge, & in phiolam immitte. In hac clausum maneto, & digeratur.* Oleum aget in praecipitatum, ipsumq; soluet, & vtrumque tandem continuato calore figetur.

Purum sulphur stibii ex vitro.
Praecipitatū ex ☿ antimonii.

Ignis enim naturae intus operatur & phlegma consumit, vt tandem relinquatur puluis fixus, & fusilis, qui no fumat super ignita lamina. Haec est medicina ad homines, & metalla, suauis, absque periculo, penetrans non purgans catharticorum ritu. Dosis gr. iij. vel iiij. obseruatis circumstantiis. Datur in omnibus morbis tanquam *Panacea.*

Ignis naturae in ol. antimonii (alias etiam in halenitro viuo, sale ammoniaco, auro. arsenico, sulphure, &c.)

Hactenus descripsimus labores Basilii, & illustrauimus, quantum potuimus. Inquisiuimus autem diligenter in omnibus istis operibus IGNEM NATVRAE Palmarii: Sed Rogerius procul aliquid ostendit, nihil vero comprobauit. Basilius alium non potuit praebere, quam insitum iam extractis & puris essentiis, quae dum committuntur absque omni accessu & decessu, amice conquiescunt, & in vnum homogeneum mutantur.

Palmarii ignis nusspiā apparet.

At inquam, hoc non est ad immensam illam iactationem, qua integra solo igni naturae absque separatione tota mutantur, adeo vt venena, medicamenta, alimenta (vt stulte loquitur) mutuo commeent. Quid ergo aliud dicemus, quam dementem illum Galenochymicum fumos vendidisse?

(a) *Est quidam vitri modus, in quo calx & crudum commiscentur. Si libet, voca hoc quartum, fientq; ita cum calce quinq; medicamina.*

(b) *Nota, si totum stibium est sulphur quoddam, nihil noui fieri in certo oleo totum, si oleum vertitur, cum & vulgare sulphur per terebinthinam possit: & similiter, succinum, arsenicum, cera, &c.*

(c) *Tinctura ista apud Quercetanum fit per reuerberationē cum pul. pumicis, qui dicitur assumere colorem ex auro. Inde extrahitur per acetum stillat. (vel philosophicum Quercetani) Hinc separatus puluis vltimo extrahitur per vini spiritum, & edulcoratur. Vide alium modum in pharm. pag. 535. & 436. Tetrad. De medic. spag. p. 81.*

CAPVT

CAPVT XXXVI.

De reprehensione informationis & terminorum artis ex capit. 23. Galenochymiæ Palmarii.

CVm ad artis chymicæ comprehensionem accingeremur, desiderantes, vt cæterarum, ita & huius scientificam methodum, & informationem, ne in particularibus schedulis & præceptiunculis dispersa iacens, omnium libidini exposita esset, ita vt quicquid quicunque quacunque seu fortuna seu arte fabricaret, statim pro legitimo opere esset recipiendum, agnoscendumque & commendandum: optimos quosque veteres, & recentes autores euoluebamus, & ex vnoquoque quod constans & vtile esset excerpebamus, propositaque generali chymici operis idea, *Chymicũ* (*a*) id iudicabamus, *quod tum sapientes chymici fieri iußissent, tum consuetudo mundi pro tali agnouisset, tum chymicis operationibus & forma, fineque constaret.* Adhibebamus in consilium viros ea arte pollentes, & scriptis epistolis ad varios, quid quisque sentiret, explorabamus, *non condituri* NOSTRAM ARTEM, vt sæpe stultissimus ille conuitiator Palmarius de nostro instituto scribit, *sed communem omnium chymicorum professionem*, eamq; non particularem, quomodo vnus de lapide, alter de destillationibus, tertius de extractionibus, aliique de aliis particulis commentarios ediderunt, sed *vniuersalem*, ita vt omnem rationem elaborationis chymicę ad plenum complecteretur, quanquam partim impossibile erat omnia singularia exempla comportare, partim inconsultum, quod quidam nollent arcana reuelari; quidam etiam putarent vberiori experientiæ aliquid relinquendum. Mittebamus Diagrapheri operis Norimbergam ad Camerarium illum tunc temporis tanquam alterum *Aesculapium*, eumque rogabamus, vt inito cũ collegis & aliis sapientibus consilio nobis quid fieri oporteret, significaret. *Nullus fuit, qui institutum improbaret.* Videramus quidem etiam aliorum methodicas adumbrationes: sed eas vniuersali artis intentioni satisfacere minime reperiebamus: quanquam *in commentario chymico* etiam has non præteritemus, vt si cui omnino sic videretur faciendum, is non neglectus, sed pro particulari proposito acceptus intelligeretur. Prosiluit *quidam vetulus* auri faciendi inhiator; & omnia nostra, quæ tamen nostra nulla alia ratione erant quam collectionis & methodicæ informationis studio, reprobabat. Contendens chymiam totam nihil nouisse præter VNICVM VNIVERSALE titulo MEDICINÆ vel LAPIDIS SAPIENTVM. Hoc solum esse de essentia artis: Cætera (*b*) nil, nisi vitia abortus, aberrationes, decessiones, quanquam alicuius in variis rebus vsus. Illi tunc temporis pro stultitia respondebamus; donec Riolanus exurgeret, *qui vno halitu putabat; se non Quercetam, sed Alchemiæ causam subruere*, pessundare; & prosternere posse. Sed hic non multum lucratus obiit. Successit *M. Petrus Palmarius* rabie & dementia omnibus superior, qui reuocata *Michelii* de medicina phantasia conatus est omnia Libauiana euertere, atque insuper etiam nouam plane artem cudere, quæ sit GALENOCHYMIA: seu LAPIS PHILOSOPHICVS DOGMATICORVM, positis principiis duobus Catholicis: *Est in humoribus quicquid quærunt Medici: Est in mercurio quicquid quærũt sapientes.* Vt hinc medicinã exculperet cõmentus est IGNEM quendam NATVRAE OMNIVM CHYMICARVM OPERATIONVM VERVM AVTOREM, ET SOLVM DOMINVM SINE QVO IRRITA OMNIA, vt est titulus *c. 5.* Nos sane aliam Alchemiam ignorabamus, præter eam, quam Oriens Meridies & Occidens mundi iam multis annis exercuerãt; quam item tota Europa aliquot centuriis annorum erat professa: quam *Hermes*, *Geber*, *Auicenna*, *Mesues*, *Bulcasis*, *Rhases*, *Serapio* & alii innumeri sapientum magisterio adscripserant: quam *Arnoldus*, *Raimundus Vlstadius*, &c. ab omnibus agniti chymici explicauerant, quam reposuerat *Paracelsus*, & excoluerat cum suis asseclis Anglis, Germanis, Italis, Gallis, Hispanis, &c: quæ recepta erat à Regum & Principum familiis: quæ Medicorum libris aliqua ex parte comprehendebatur: quæ pharmacopolis concredita erat: quam etiam præceptis exponebant scholæ, & discipuli affectabantur; quæ placebat matribus familias, & hortulanis & botanicis. Illa lippis & tonsoribus iam innotuerat, vigebatq; in vitriniis, tonstrinis, artificum officinis, in conflatoriis, & vix locus erat vbi non aliqua eius portio inueniretur. De *Galenochymia* Palmarii nihil in vniuerso mundo erat auditum. Non ergo debuit furere ille homo, quod non descripsissemus artem ad saliuam suam. Nondum illa ex Moronia (vbi est scientia sine scire, & ars sine arte & exemplo) ad nos peruenerat, cumq; eam videri voluerit transtulisse Palmarius, mortuus est, & secum sepeliuit. Facile possumus ferre, vt quilibet sibi sapiat, & fingat pro arbitratu. Nostra modo à principibus excultæ artis, & spectatæ, accepta, nobis non inuideat. *Sui enim pulchrum: suæ sunt suis labris lactuca.*

Chymicum quodnam censendum

Verum enimuero cuius NATVRÆ IGNE nostram descriptionem afflauerit, consideremus: Diuiseramus *Alchemian in Encherian, & Chymian. Encherian, quę de instrumentis, & operationibus tractat*; compendio reiicit Palmarius, vtpote refutaturus eam in exemplis partis secundæ. Si quæras, qua fiducia, & quibus quæso argumentis? Nos sic argumentamur: *Quæ de re præcepta condiderunt sapientia; comperta vsu, & vtilia chymici, ea certe est chymicæ professionis, seu scientiæ & artis*; pro vt nunc chymicam pro Alchemia vniuersaliter accipimus. *De Instrumentis artis* (igne & vasis) *item variis operationibus præcepta sapientia, comperta & vtilia* (Imo & necessaria, perpetuoque constantia καθόλου πρῶτον, καθ' αὑτὸ καὶ κατὰ παντὸς) *condiderunt chymici. Quo modo ergo potest pars illa artis à professione abscindi, & repudiari?* Verum dementatus est miser ille Palmarius *lapidea phantasia, & somnio ignis cuiusdam naturæ*, quo solo omnia sua-

Alchemiæ diuisio.

Encheria.

Encheria vindicata.

uissime peragentur *vno opere, vno vase, vno igne, vno momento.* Fatendum est, si Deus vellet, ictu oculi omnia nobis ad sententiam confecta fore in omni arte, in qua ratio & experientia regnat: at ideo non intercidunt artis præcepta. Finge ad votum adesse lapidem & ignem: Num ideo nulla esset destillatio, sublimatio, nulli gradus ignis nullæ fornaces, nulla vitra & cætera? Qui docent lapidem facere, quam solicite *de externo igne* præcipiunt? Quam de *vase*? Imo quanti laboris est *præparare materiam*, quæ cum *ex natura* sumenda sit, superfluitates inutiles habet, cum quibus fieri non potest, vt in essentiale opus veniat? Ipse Palmarius probat *olea, sales, aquas, essentias quintas, extracta.* Nullisne indiget ad hæc instrumentis, & operationibus? Volunt aliqui præcipiendum esse de istis in genere, sed in singulis exemplis totam rationem operis sigillatim repetendam. Sed illi docent, se auriculas asininas habere non breuiores Palmarianis, & ignorant artificum morem. Cum iubent destillare, circulare, extrahere, putrefacere, digerere, &c. præcognita iubent. Hæc didiceris apud magistros vsu, oportet vt Mesues monet, aut præceptis, & aggressione operum. Mittamus tales censores cum Palmario ad Cynosarges, aut si libet ἐκκόρακας vt melius iudicare discant. Ita est prima accusatio.

An opera chymica sint diuidenda in metallica & chymica.

Secunda est: Libauius in parte secunda Alchemiæ, quæ est de operibus chymicis, sine ordine metallica medicis miscuit, & sine arte artem aucupatus est. Resp. Apud Paracelsum, & in libellis veterum Germanorum sæpe legimus diuersitatem operum, quorum quædam proponuntur ad Alchemiam: quędam ad medicinam: Et sæpe vnum idemque diuersis scopis conficitur, vt crocus martis pro Alchemia: Et alius pro medicina. *Per Alchemiam intelligunt principaliter magisterium lapidis vniuersale*: Deinde varia particularia, quorum plæraque sunt sophistica, vt *augmenta, tinctura, pars cum parte, &c.* omnia vt plurimũ ex metallicis & aliis mineralibus conflanda, quanquam aliquando & vegetalia, cum animalibus assumantur.

Non ignorabat hoc Libauius: sed cogitabat simul non essentia, sed vsu distingui, & id quod factum erat metallicæ rei causa, etiam inseruire posse medicinæ. Quo circa essentiale discrimen in hoc ponere non poterat, neque tamen adeo oscitans, aut negligens erat, quin moneret sic magis ad artificia mineralia parari: alio modo magis ad medicinam: Et aliter ad externam: aliter ad internam. Idne est confundere? Agito aliquis Palmarianus, & nobis iuxta istam distinctionem artẽ informet. In quot classibus erit repetendus *Crocus*? In quot *calx*? In quot *Liquor* & sic de cæteris? Quando satius & methodo catholicæ conuenientius *generalia generaliter* dicere, *& specialia specialiter, & vno titulo agere de oleis, vno de salibus, vno de aquis.* &c. Siue ex mineralibus vegetalibus, animalibus fiant, siue ad metalla, homines pecudes, plantas & alia? Pudeat stultos istos sapere velle in ea re, quam nec didicerunt vnquam nec præ fumis insani cerebri possunt intelligere. Fortasse (diuinandum enim est) nõ hoc voluit Palmarii sagacitas, sed id erat in oculo vnguis, quod de metallis & mineralibus varie purgandis, excoquendis, transmutandis, componendis, probandis Libauius præcepta & artificia congessit. Sed eat anticyras, quisquis in hoc nos culpat. Melius scimus instituta chymicorum circa metalla & alia mineralia quam isti sapientuli. Olim quid erat Alchymia aliud, quam circa metalla potissimum exercitatio? Quid Geber tam frequens habet? Quid Rogerius & cæteri?

Magisterii.

Accusatio tertia: *Nomen magisterii* (inquit) *gloriatur à diuina arte ad suam impostoriam transtulisse.* R. Errasti mente Palmari. Libauius nec agnoscit impostoriam, nec ad eam transtulit nomen magisterii. Nouit vsurpari à latinis Arabum interpretibus non tantum de lapide, sed & de oleis, aliisq; per chymicam solutionem factis, vt est apud Mesuen. Sed tunc ea vox est vsus latioris. Vt contraheretur, nõ fuit nulla causa, de qua *infra.*

Num arcanum mysterium, & c. repudiata.

Quarta: *Alibi reiecit portenta ista; mysterium, arcanum, &c.* R. Fallis Elencho à dicto secundũ quid. Nam vt Libauius indicat in *commentario*, isti termini vel in sano Hermeticorum sensu vsurpantur: vel in insano Paracelsistarum. Hic repudiat vsum; ibi statuit, sicut cum *tuum ignem naturæ tuum monstrum & somnium vocat*: sed non *ignem naturæ sapientum.*

Libauius nõ indiguit Parisianorum monitis ad statuendum rectum.

Quinta: Mauult pharmaceutica retinere, vt monitus à schola scripsit: R. Recte dixit schola Palmarium mentiri. Nam falsum est Libauium à schola monitum mutasse sententiam, cum ista diu ante litem scripsisset. Falsum est eum pharmaceuticos terminos maluisse, cum in eo loco agat de Elemẽtis chymicis, & principiis sale sulphure & mercurio, &c. sine seorsim elaboratis, & in vsum per se adhibendis, siue per se quidem præparatis, verum postea per circulationes, & digestiones philosophicas denuo coniunctis, & in Elixyr mutatis. Hi non sunt pharmaceutici termini; si quidem isti chymicis nõ conueniunt. Si olea, aquas, sales nominauit, non accepit officinæ tantum olea, sed & soluta mesuæ & alcalia, & destillatas aquas, quæ itidem sunt res & termini chymici.

Licentia Palmarii fustib. digna.

Tandem bellus ille calumniator concedit *Licere CVIVIS pro arbitrio abuti nominibus*, & artes hieroglyphiis obscurare. Itane? *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* Si tam amplam donas licentiam omnibus, cur Libauium accusabas? Imo non liceat cuiuis. Quid enim aliud latet hac in herba, quam perniciosissima illa Paracelsia, qua quilibet bipedum nequissimus quicquid coxit arte, forte, inertia, id aurum potabile vocat, & aliquid de auro, aut rebus preciosis, sicque pro stercoribus suis lucratur prædam petitam. *Quodlibet opus chymicum certo constet elaborationis modo, certis notis, & nominibus.*

(a) *Cum Paracelsistæ interrogantur: quænam res sit chymica respondent, purum ab impuro. Purum autem censent quicquid ipsi suo iudicio depurarũt, nec possunt ferre exquisitas artis censuras. Chymicũ i. e. quod arte sapientum chymicorum, & experientia vel magistraliter vel essentialiter elaboratum est cõprobatum, in virtute propria ad vsus salutares exaltatum, & ab alienis admistionibus liberatum. Chymicum est, quod arte chymica sapienter & perite est confectum ex mistis optimarum virtutum.*

(b) Hoc

(b) Hoc iudicium etiam nunc hæret apud quosdam, arbitrantes chymiæ essentialem esse vnicum lapidem ad omnia vota humana tam in metallis transmutandis, quam morbis extirpandis sufficientem: cætera artificia extranea esse & obiter inuenta, posseque in illius defectu in medicina qualitercunque substitui, cum tamen omnia simul sumpta non assequerentur vim lapidis. Sed hoc iudicium non hominis sapientis & periti, verum pene lapidei esse manifestum est ex Arabum & Saracenorum aliorumque veterum & recentium commentariis: Deinde ne ipsi quidem lapidem possunt exhibere, & qui habuerunt, vix ad morbos pro vniuersali accommodarunt, & si accommodarunt, ne assecuti quidem sunt tertiam iactationum suarum partem, nedum totum. Fit ergo isto iudicio stante, vt chymia ad inane nomen recidat.

CAPVT XXXVII.

Num opus chymicum recte sit in magisterium & Extractum diuisum, & quæ sit Galenochymiæ Palmarii distributio.

ALiquoties dicendum fuit, in certaminibus Chymicis rebus debere verba accommodata esse quaotum fieri potest, meritoque à sapientibus odio haberi malitiam illorum, qui cum in re quod carpere queant, iure non inueniant, verborum pugnas exordiuntur, id quod etiam Galeno inuisum fuit, ne quid de S. Paulo dicamus. In antiquorum autem & recentiorum commentariis chymicis terminum *Magisterium* vsitatissimum esse, quis ausit negare? Mesueus artifices vocabat *sapientes, qui, quod in rebus occultum esset, manifestarent, formamque à materia expedirent*, quorum professionem aliquando vocat *artem magni magisterii*. Magisterium autem vel opus magistri esse, vel professionem solus Palmarianus stultus negauerit. Vtrumque vero vel generale est, vel speciale. Nam ad magisteria sapientum pertinet omnis occultarum potestatum in mistis reuelatio, & ex latibulis seu potentia in corticem, & actum protractio, adeo vt & oleorum per solutionem confectionem ad magisteriorum classem referant. Deinde protritum est illud: *Res, cuius pedes albi, oculi nigri, caput rubeum, est magisterium*: Vbi non est ipsa magistri operatio, vel studium, nec quoduis opus, sed determinatum & certum, nempe quod Lapidem philosophorum, *Tincturam physicorum, Elixyr sapientum*, &c. appellitant estque inter omnia opera magistrorum, seu sapientum excellentissimum adeo, vt propter præstantiam *Magnum magisterium, & medicina* sit nuncupatum. Hoc ergo primum & summum est, continens *Ideam quandam omnium operum chymicorum*, quæ inde *philosophica* appellantur possuntque distribui in *primum*, & ea, *quæ ad exemplum primi elaborantur* in triplici mistorum naturalium genere. Elaborationis philosophicæ ratio est. 1. *Rem seu subiectum ex natura sumere*: 2. *Separare superfluitates*: 3. *Essentiam puram reducere ad principium*: 4. *In vase artis per calorem naturali analogum resoluere, quod putrefacere appellant*: 5. *Resolutum reducere, & perficere coquendo figendoque*: 6. *Exaltare rem eandem opere* ad carceres reuocato sæpius, donec vires summas acquirat, possitque gignere sui simile, &c. Separatio, coniunctio, digestio, percoctio in totam circumacto labore præstant absque vllius peregrini accessione; imo nec decedit quicquam postquam alienitates sunt detractæ, & materia ad suum primordium redacta. Ob hanc quasi integri in se, vel partibus, elaborationem factum est, vt *magisteria dicerentur quæcunque impuritatibus detractis elaborarentur perfectiua operatione, siue omnino, siue in aliqua prærogatiua*. Inde dilatata vox est, & pluribus ob similitudinem communis facta, adeo, vt etiam ipsas depurationes receperit, & tum in substantia tum in qualitatibus mutationes artificiosas. Opponitur magisterio *Extractum*. Hic enim non seruatur integritas rei, siue in toto simul, siue in partibus; Sed maiore mole contempta, abiectaque minima portio secernitur, & elaboratur; quæ cum nec vno vultu sit, nec gradu, nec affectionibus iisdem semper, neque etiam careat pluribus elaborandi modis; *Species* diuersas peperit, easque vel *simplices* vel *compositas*.

1. Tim. 6.4. 20.
2 Tim. 2. 14.16.

Magisterii.

Elaboratio nis philosophica modi.

Hanc chymiæ nostræ distributæ rationem non erubescimus apud tribunal sapientum reddere. Obscuros istos, scabiososque sophistas non arbitramur curandos esse. Non cogimus quenquam nobiscum sentire. Finge tibi aliam artem, si nostra displicet, & lurido tuo veneno parce. Quam vero Diagraphen nobis Palmarius proposuit? Id primum colligamus ex ipsius decretis. *Vana*, inquit, *pag. 71. est boni à malo, puri ab impuri separatio*: Et alibi exemplo Theriacæ probare nititur, *venenum non esse separandum, sed in medicinam salutarem sic mutandum, vt omni cacoethia, omnique sapore alieno sublato, seruata sola purgatrice cœlesti, ex pharmaco fiat medicamentum, aut etiam alimentum, id, quod* SOLO *igne naturæ putat, fieri debere & posse*: Sine illo esse irrita omnia. Si hæc recipimus, *chymia tantum est alteratio quædam*, qua virtute operantis in materiam integram ignis naturæ fit medicamentum salubre ex veneno vel alio horrido, aduersoque naturæ; Et porro etiam alimentum. Verum enimuero alibi (*pag. 63.*) scribit *chymiam docere facere vniuersale medicamentum, quo sufficiente tot particularia cessent, cuius beneficio Medicus emergat, fiatque honorabilis & ἰσόθεος*; & quæ sit *sola* MEDICINA: Vide cap 15. & quæ *supra* sunt disputata. Illud autem *vniuersale* Elixyr ex nulla alia re existit, quam *ex mercurio sapientum*, qui est metallicus. Efficitur hinc vt chymia omnia alia subiecta repudiet, omnia vegetalia, omnia animalia, omniaque mineralia, seruato solo mercurio. Destruitur ergo chymia prior, quæ omnia venena &

Chymia Palmariana descriptio.

Chymia Palmarii quid.

Vniuersale ex quo.

naturæ humanæ aduersa elaborare sic docebat per ignem naturæ; vt venenum, medicamentum & alimentum mutuo commearent, id quod fieri dicebatur in *Colocynthide; Elleboro, Sandaraca, Arsenico, Sublimato, Realgare*, &c. quæ certè non sunt ille sapientum mercurius. Habemus ex Palmario iam *duas chymias pro vna*. Sed accipite & *tertiam*, cuius fundamentum est: *Est in humoribus quicquid quærunt Medici*. Hæc ergo versabitur circa sanguines rerum, & phlegmata, & biles, atque adeo quatuor Elementa. Vultis *quartam*? Probat Palmarius *extracta, olea, sales, aquas, essentias quintas; argentum viuum sublimatum* & similia, tanquam res diuersas, quanquam alicubi tam vesanus sit, vt audeat nobis persuadere *OMNIA ista esse vnum mercurium* propter diuersas dispositiones diuersa nomina sortitum. Ista vero facere nullus potest, quin impurum à puro cogatur separare, sicut ipse à suo sublimato feces segregat, & puluerem quendam aridum in summo capitello collectum. Hanc à prioribus aliam esse chymiam, manifestum est; Sed cui nulla relinquitur autoritas, quia in mercurio est sapientum quæstus, & sine igni naturæ quicquid fit, tanto deterius pronunciatur, quanto est elaboratius. Audite *Quintam*. Pag 95. scriptum est; *Pharmacia vulgaris tota est in medicamenti electione, & præparatione per coctiones, lotiones, infusiones, expreßiones, &c. Pharmacochymia* (quæ pharmaca, quæ sunt aut venena, aut purgantia, seu omnino medicamenta) *probat vtramque: Sed modos imperfectos statuit. Ergo tollit omne inutile, & malignam facultatem salutari permutat, exaltat, sublimat, viribus multiplicat, sapores & cacoethian tollit: Id facit in medicamentis, quod natura in alimentis, &c.* Ecce tibi Pharmacochymiam, quæ est quædam mistura ex pharmacia Galenica, & duplici chymia Palmariana, quarum *vna nihil separat: altera contrarium facit*: Et tamen omnia repudiantur, & è ciuitate chymica in exilium mittuntur quæ non parantur *SOLO igne naturæ*, qui solus Rex, & imperator chymicus. Ne vero erremus & Magistrum Palmarium perfunctorie agentem, aut somniantem, vel errore, & desipientia disputandi raptum putemus partes integræ appellatione designasse (Forte enim vna pars chymiæ circa integra simplicia, vel, vt loquitur, quouis modo composita, occupatur, eaque elaborat: Vna facit vniuersale: Vna separat & purgat: Vna humores considerat: Vna pharmaciam vulgarem perficit) ex professo propositam descriptionem contemplemur. Magistrum & omni fide maiorem (scabiosiorem, stultiorem, sordidiorem) autorem Paracelsi iuratum discipulum Suctenium producit. Quid is autem? *Magisterium dixerunt Philosophi*. Quid? *Promtitudinem operis, quasi momentaneam & in ictu oculi factam*. Vt hoc

Magisterium Suctenii.

„ intelligas, interpres Palmarius ait esse *natiuitatem lapidis, diem, horamque partus, in qua sint duæ operationes,*
„ *prima & secunda, quæ immediate alligetur primæ: cuius ignoratione opus destruatur* (hoc est, qui lapidis artem ignorat, non potest facere lapidem arte) *hoc magisterium* dicitur fieri *in vno vase: ex vna materia* (mercurio) *in qua nihil redundat: nihil desideratur. (Nam in mercurio est, quicquid quærunt sapientes.) Nulla ergo adiectio, nulla detractio necessaria: nulla est separatio: nulla est Spagyria, pure est Chymia*. Belle. Habemus ergo aliquam Chymiam esse puram: cui proculdubio aliqua impura, vel mista opponetur: *Nam diuidendum est differentiis contrariis: Contrarium autem vnum vni. Et contrariorum vno dato, datur & alterum. Sunt enim λογῷ simul, nec est contrarium nisi contrarii.* Ita ergo nobis architectus ille fabricauit, seu duas artes oppositas, seu vnius duas partes, vt sit vna purè chymica, altera impure, vel mistim, quæ fortasse est illa *Pharmacochymia* seu *Galenochymia*. Ad rem quod attinet, imperitissimus ille vt cœcus de coloribus garrit. *Falsum enim est philosophos materiæ suæ, quam ex natura sumere coguntur, nihil detrahere, & nihil addere.* Certum enim & constans artis scitum est, duas adhærere materiæ super fluitates, vnam foris, quæ versionibus & similibus purgationibus potest remoueri; quomodo metallurgi argentum viuum separant à vena, deinde abluunt, exprimunt per colatoria, detergent sale & acero &c. alteram in radice, quæ non potest, nisi magno artis studio per valida medicamina, quę totum mercurium penetrant, auferri. Quando vero iam ille mercurius præparatus est, & in sentinalem essentiam redactus, tunc nihil amplius de mole eius demitur. Coquitur autem per conuersionem Elementorum, vt fiat elixyr album vel rubeum, calore duplici, externo & artifici subiecto vno, naturali & interno altero, qui sulphuri, & masculæ virtuti comparatur, valens in spiritu & humido radicali. Accedit corporis perfecti fermentum, & vlterior elaboratio, donec in momento proiectionis medicinæ ex argento viuo, vel imperfecto metallo fiat aurum, vel argentum natiuo, vt aiunt melius. Hoc esse *magisterium* non simpliciter, sed *magnum*, noueramus diu ante cognitum Palmarii nomen. Esto vero hæc *pura puta atque essentialis chymia*. Dicimus Palmarium nostræ Alchemiæ reprehensorem neque habuisse, neque sciuisse chymiam, & nec artificem chymicum fuisse, nec medicinam veram vnquam cognouisse: Argumento, quia artem lapidis ignorauit, neque etiam lapidem vnquam possedit: Et ex consequente neque ignem naturæ sciuit, tantumque alienas voces, instar corui crocitauit. Qui principalem artis partem, & quæ solius artis autoritatem sola sustinere potest, non habet, artem totam habere negatur, vt Palmarius. Verum ille nihilominus gaudet sua inscitia, & phantasticis somniis. Informat ergo Alchemiam & partibus distinguit. *Placet Alchemiæ diuisio*, inquit, *in Hermeticam, & Spagiricam*. seu vt *pag. 124.* habet, Hermesiam & spagiriam. Quæ est ratio distributionis?

Palmarius blaterat de re ignota.

Mercurii impuritates.

Magisterii magni summa.

Palmarius chymiam veram nullam habuit nec sciuit.

Palmarii Galenochymia.

Quia vnio diuisioni est opposita. Ergo *Hermesia* tractabit *vnum: Spagyria multa*: An potius Hermesia simplex: sed Spagiria compositum? Nihil est. *Hermesia tractat integrum: Spagiria extractum*. Itane? At Palmarius sic affinis fit Paracelsiæ Libauii; qui & ipse suo magisterio integrum corpus homogeneum (tollit enim tantum heterogenea foris adiecta) ascribit; Extractumque ei opponit, quanquam vnire, & resoluere, contrahere vt integrum fiat, & distrahere, vt existant partes, vti fit in physicorum mistione & putredine, neutiquam faciant duo Alchymiæ totalis membra. Sed singulare est Palmarii iudicium. Exprimatur ergo euidentius: *Hermesia est prima pars Alchemiæ de Hermete*. Quid Hermes? An non ille pater Alchemiæ, qui seipsum *in Smaragdina* appellat Hermen TRISmegistum? Non: sed *Hermes est nomen materiæ*, quæ dicitur mercurius, in quo quicquid quærunt sapientes, inest. Quid autem quęrunt? Id, quod habet. Quid habet? SVVM IGNEM: suum vas, suas alterationes, quas sibi infert

Quid Hermesia.

Quid Hermes.

infert ipse: se soluit, se gelat, sublimat, figit, & alia. Hoc est magisterium sapientum. Imo sapiens, inquam, si ista omnia per se sine vllo ministerio facit. Accedit tamen fortasse aliqua anicula, aut pusio, qui balneum calefaciat, & omnia adaptet. Mitum enim est si in se & vas suum habet. Sed ad stulta sufficiunt pauca. Mercurium Græcè dici Hermen nouimus, ista tamen voce non sunt vsi nostrates philosophi de materia: sed omnes *Hermetis nomine patrem artis accipium*, à quo etiam ars ipsa *Hermetica* dicitur, & adeo dilatatur, vt totum complexum chymicum contineat, atque insuper etiam modum medendi per medicinas Hermeticas, & philosophandi, quod fit per hieroglyphias & parabolas. Si ergo Hermetica disciplina, vel vt Palmariano verbo vtamur, Hermesia non tantum Alchemiam complectitur, verum etiam philosophiam & medicinam, peccauit ille bellus digestor in legem scientificam *καθόλυ*, & in alteram *καθ' ἀυτὸ*. Verum donemus id Palmario. Estne magisterium lapidis sic oppositum extracto, vt in hoc separatio locum habeat, in illo non habeat; & in magisterio omnia integra seruentur, tantumque exaltatoria arte per ignem ad essentiarum nobilitatem perducantur: in extracto separentur superflua, & elicitæ partes essentiales aut essentia tota simul tantum assumantur? Non est. Nam *si id est integrum, quod in lapide elaboratur: omne extractum est integrum*. Sicut enim in lapide *non* assumitur *totum argentum viuum* (nisi cum lanandum est) *Sed eius quinta essentia*: Ita in extracto; nec vlla est differentia ratione electionis materiæ circa hoc. Vt etiam *in lapide ex vna essentia fiunt duo, indeq; tria, & rota Elementorum conuersa tandem* iterum vnum, iuxta illud: *Omnia ab vno: Omnia ad vnum*: Sic, cum placet artifici, proceditur etiam in extracto. Nam per putrefactionem soluitur integrum (pro putrefactione sunt in aliquibus analogi modi pro natura cuiusque.) Solutione facta impuris separatis essentia assumitur. Hæc digerendo fathiscit in oleum, & aquam. Sal inest fecibus, & non soluitur, nisi ignium violentia. Oleum ab aqua separatur, & elaboratur per se: Ita & aqua. Interim extractus sal etiam ad opus venit. Hæc postea cōiunguntur denuo, (*a*) fermentantur, digeruntur que, donec vnum existat Elyxir. Ista vero, vt diximus, fiunt ad placitum artificis, vel pro vsu vario. Hac ratione si extractum est spagyricum, etiam Lapidis magisterium erit. Quod vero sibi imaginatus est magisterium Palmarius, aut nuspiam erit, aut in materiis Libauianis. Mirè vero obliuiosus fuit Aristarchus ille. Quod enim magisterium *pag.* 123. & 124 ex Suctenio definiebat tam sapiente mercurio: id *pag.* 126. auxiliares copias non recusabat. *O Sucten, inquit, quantum tuo igne Solem Luna iungis sine iactura, dum momento lunam philosophicam facis ex Antimonio tuo, vt sit RERVM MAGISTERIVM?* Ita argumentamur: *Si hoc est verum magisterium, quo ex antimonio fit luna philosophica, cui in momento per ignem Suctenianum sol iungitur: Illud prius necesse est esse falsum & sophisticum.* Non enim possunt esse vnum: stibium scilicet & mercurius philosophorum: argentum ex stibio sociato sole; & ille mercurius, qui omnia in se habet citra proiectiooem illam momentaneam; Quod si & hoc est magisterium verum, & illud, an non delirabat Palmarius, cum *omnia soli mercurio* asscriberet; & pro magisterio nihil nisi vniuersalem lapidem agnosceret? An non delirabat, cum mutatiooem per proiectionem momentaneam produceret, quasi primam partem Alchemiæ staturus? Cum tam futilis, & vana sit Palmarii distributio, maneat Libauii Alchemia diuisa in Enchiresin, suis præceptis scientificis constantem; & chymiam, cuius duæ sint functiones, quarum *vna* in toto elaborat, nulla parte homogeniæ eiusdem (nam sordes vel metallurgus, aut Rhizotomus aut Pharmacopœus vel quiuis purgator tollit) neglecta, siue elaboratio fiat circa qualitates, siue circa substantiam, mutando, separando, congregando: *altera* abiicit *binarium* seruata *vnitate*, quæ vnitas amplius elaborata varia parit arcana, & essentias, simplices, compositas, &c. quæ omnia & rebus ipsis respondent, & artificum experimentis.

Elixyrium faciendorum modus.

Aliud magisterium Palmarii.

Tertium magisterium Palmarii

(*a*) *Exemplo lapidis elaborantur maxime mineralia: vt ex antimonio extrahitur oleum, & tinctura terrea. Hæc coniuncta digeruntur in lapidem, cui aliquando adiicitur sal proprius, vel auri fermentum, &c. Ex vitriolo fit oleum rubrum, & tinctura item terrea, quæ coniuncta in vnum elixyr abeunt. Vide infra in sequentib. libris.*

CAPVT XXXIIX.

De igne calumniatorio Palmarii in iudicio specierum chymicarum, & magisteriorum qualitatis occultæ.

Libauius, vt obseruatis methodi iustæ legibus per distributionem superiorum in inferiora vsque ad exempla descenderet, subiectum chymiæ ponebat *speciem chymicam*; quæ & *opus* dici potest, (artis enim finis est opus:) Non succurrebat tunc commodior terminus, qualem si quis inuenerit, ei gratias debere nos profitemur. Quid est species chymica? Est *opus Encheiremat is Alchemiæ perfectū*. Quotuplex est? Duplex: *simplex*, & *composita*. Quid simplex? *Simpliciter perfecta*, quæ vno continuo processu proxime ex imperfecto ad suam in se perfectionem perducitur: estq; *magisterium* & *extractum*. *Magisterium est species chymica ex toto impuritatibus saltem externis ablatis, citra extractionem elaborata*. Id sic declaratur maximè seruari molem, licet in nonnullis aliquid discedat, aut etiam concurrat aliqua essentialis elaboratio pro vsu conueniente, & arbitrio magistri: seruari & homogeniam misturæ, quanquam totum in partes integrantes, quæ chymicis dicuntur *elementa*, & *principia*, sed nullū ex istis immistum, discerpatur, vt fiant idonea subiecta essentiarum, &c. Hæc in *qualitate* & *substantia* parere magisteria asseritur: Qualitatis esse *manifesta*, vel *occulta*. Hæc tunc Libauius digerebat, & exposita ratione simplicium, procedebat ad *compositas*, *quas volebat fieri ex simplicibus inter se certa ratione compositis*, ita scilicet, vt vel magisteria magisteriis, vel hæc extractis miscerentur; vel diuersorum generum extracta, aut etiam vnius generis diuersæ species. *Alia compositio est in magisteriis, vbi non diuersa magisteria* elaborata fine sui vltimo iunguntur; sed *ad idem assumuntur*

Species chymica quid.

Magisterii definitio.

res plures, sicut & compositio est in extractis, quæ plutibus simul mistis fiunt, vt in *balsamis, aquis cordialibus compositis, &c.* Imo ipse Palmarius quouis modo composita integra in magisterium suum intrudebat. Ista ergo qua arte purgatoria, & quo igne studuerit examinare Palmarius, videndum est.

Examen iudicis de magisterio.

CALVMNIATORIVM inueniemus. Primum irridet, quod magisterium diximus speciem sine extractione factam. Ridiculum caput. Si magisterium est pure chymicum, & opponitur extracto, quod est spagiricum, quæ cœcitas & dementia est, non posse videre *Magisterium fieri sine extractione?* Fiat cum extractione. Desinit ergo magisterium esse. *At*, inquit, *exempla ei aduersantur*. Ne cum Palmario (qui mortuus apud manes cum Riolano disputabit de qualitatibus, transmigrent ne siue an cum subiecto) agamus, assit aliquis ex Palmarianis (Sycophantas enim tales multos restare non dubitãdum est) & ad formam Ghesuitice se sistat:

Quæ exempla addunt & demunt ad placitum, non sunt magisteria.

Olea scorpionum, catellorum, & similia occultæ qualitatu addunt & demunt ad placitum. *Ergo.*

Maior probatur, quia ista sunt enim, & non absque extractione. Minor augetur ad rabiem vsque: *Facit*, inquit, *magisteria sine detractione, aut additione qualitatis occultæ, manifestæ, vtilis, nocituræ quæ tollit, occultat, diluit, vt sub boni specie VENENVM deuoretur.* R. Negamus propositionem. Ratio est; *Non additionis, aut detractionis opus magisterium tollit, sed EXTRACTIONIS.* Aliud est addere, & detrahere: aliud extrahere. Hoc nondum intellexit Palmarius, & tamen sibi visus est adeo sapientulus? Deinde non, iuxta sensum Palmarianum erat de extractione loquendum, sed iuxta eum; quem artis informator est secutus. Is *segregationes* habebat *plures*, sed quas omnes in *distractiones*, & *extractiones* diuiserat; & extractionum nomine proposuerat *expreßionem, prolectationemque* & hanc in *destillationem, & sublimationem* diuiserat, quanquam vtraque ex accidente etiam aliis inseruiret. *Expreßio* facit extracta crudiuscula, succos, olea, &c. *Destillatio* parit aquas, olea, sales (vt in filtratione, laciniis, &c.) spiritus & alia: *Sublimatio* essentias, & flores, &c. Inseruiunt extractoriæ tamen etiam alia artificia, vt *infusiones, circulationes, putrefactiones, &c.* Nã chymicus adeo dexter est, vt per se per accidens, vniuocè, æquiuocè, analogicè laborare possit. Probatio propositionis ignorat Elenchum. Nam *addere & dimere*, est *augere & deminuere*; Et vtrumque fieri potest sine extractione, vt in compositionibus. Minoris ampliatio est Diabolica calumnia. Nam *Libauii magisteria omnia comparata sunt ad finem vtilem in vita.* Quanquam ergo proponuntur exempla olei scorpionum, buffonum, viperarum, &c. non ideo proponuntur, vt deuorentur, sed vt foris adhibita sint remedio. Et quid est notius, quam oleum scorpionum vulnera scorpionum sanare, vt similiter statuere possimus de viperino, buffonino, canis rabidi, & similium? Venenum deuorare sub boni specie Libauius nunquam iussit. At quis erat ille examinator, *qui nolebat venenum separari, vt in Theriaca?* Vide totum *cap.* 28. de saporibus & *p.* 112. Item *cap.* 17. *p.* 96. maxime *cap.* 12. *pag.* 72. vbi hæc: *Magisteria vera habebis totum purificando, totum perficiendo. Si venenum tollis, quomodo inde summum construes medicamentum?* Cui *dicetur Theriaca, si non affuit venenum? Vbi serpens, vbi basiliscus, vbi buffo, si separetur purum ab impuro? venenum ab alimento? Quid si omnia medicamenta habent aliquid cacoethes?* Ita ille bonus Palmarius ibi delirabat. Hic in contrarium morbum incurrit, Libauium reprehendens, quod oleum scorpionum titulo magisterii proponat & vinum viperinum Galeni, quas tamen res ille venenati putat, & non salutares reddi. Sed iam Lethen bibit Palmarius.

Falsa definitio speciei.

Definitionem speciei: *species est compositio ex essentiis pluribus iam elaboratis, & non ex rudibus rebus confusis & ad vnam formam vno processu elaboratis*: in quibus furnulis, & caminis viderit ipse Plutonicus famulus, cogitet iam in purgatorio. Libauius eam non agnoscit. De *qualitate perniciosa* mirabilem parturit paralogismum: *In magisterio occultæ qualitatis*, inquit, *est ridiculus.* Cur? *Quia dicit perniciosam qualitatem ex toto aboleri.* At o mi spiritus (iam enim non amplius es homo) & tu cum homo esses, dicebas tuo igne naturæ tolli omnem cacoethian? Num ergo & tu ridiculus? Argumentare:

Ridiculus Palmarius.

Si qualitas perniciosa aboletur, nullum fiet magisterium, nec exaltatio.

Atqui fieri debet magisterium. *Ergo non abolenda.*

Palmarius veneficus.

R. Quantum hic Palmarius distat ab illo paulo ante præcedente, qui Libauio impingebat crimen veneficii, vt sub boni specie venenum deuoretur? Si venenum non est abolendum magisterio, sed exaltandum, ibi non potuit culpari Libauius. Verum si Gallorum magistratus hæc bene perpendisset, non Libauium cruce sed Palmarium igne affecisset; quia hic *veneficus* est, vultque *venena non aboleri, sed exaltari debere.* Argumentare iterum:

Si & mala pharmaca suos vsus habent, & sunt in venenis quoque magisteria, ita vt poßint metallica inseruire, non sunt abolenda, sed exaltanda.

Est aut prius: Ergo & posterius.

Hic est doctus ille quondam Palmarius non cruce dignus, sed purgatorio in inferno. Ad connexum dicimus, si vlla magna vtilitas est veneni, qua venenum; nos non negare exaltandum esse, vt sit venenum in summo gradu, sed non arte chymica, quæ non nisi salutaria promittit. Aliæ sunt disciplinæ venenandi: vt cum parantur toxica contra nocentes bestias: contra mures, serpentes, &c. In assumtione est elenchus accidentis, & secundum quid. Nam non qua venenum est quid, ideo inseruit metallicæ. Deinde vsus venenorum est amplissimus apud veneficos, & barbaros: sed eius gratia non instituta est chymia. *Iubeatur ars talis ire ad eos, qui gloria venenandi iam diu male audiunt, & Germanos venenis delibutos domum remittunt.* Germanorum Alchemia minuit, non exaltat venenum.

Quæ attexit de mercurii purgatione, stultitiam hominis detegunt.

CAPVT

Capvt XXXIX.

Lepidus ignis natura Palmariana de auro potabili Cap.24. pag.127.

QVi semper circa seuera occupatus est, non potest diu durare. Voluit ergo Palmarius *fabula de auro potabili* tanquam γελωτοποιὸς quidam nobis delicias creare. Hæ cuiusmodi sint, agite cognoscamus. Primum confundit suaui quodam delirio definitionem auri potabilis cum suis consectariis, *ignorans* miser *essentias definitionum, & consequentia*. Id transeat tanquam in somno visum. 2. Ex Libauii magisteriis lepide arcbitectatur *Iatrochymiam*; quasi iste vnicum saltem vsum spectasset, licet nominarit eum, quem autores exprimunt. 3. Artem Libauii pronunciat *crapulam in summis chymiæ deliciis*. Est autem crapula affectio quædam, aliquando & morbus ex luxuria multi vini. Talisne sit ars Libauii, cui ne micas quidem in chymico apparatu potest tribuere, iudicent quibus liber. 4. Iam argumentatur:

Iatrochymia.

Crapula.

Aurum potabile est delitiæ sapientum & artis decus. Id quod Libauius proponit, non est delitiæ & artis decus.
Ergo non est aurum potabile.

Est tamen potabile: quia liquidum est, quod potari vel à crasso possit. Minor probatur: *quia est sophisma, & venenum; Et si reductum sit, inefficax est, vt & primum, ex quo soluebatur.* R. Maior loquitur de auro potabili arcano: Libauius in præsens magisteria, non arcana describebat. Errat ergo magister Palmarius *æquiuoco, & quatuor terminos* fabricat. Errorem auget *calumnia*; cum in margine scribit, *aurum potabile pro medicamento vniuersali poni*. Si foret arcanum, & non magisterium, non absurdus fuisset Libauius, etiamsi vniuersale vocasset ex autoritate. At arcanum nondum ponebatur. An autem *solutum regia aurum sit sophisma*, quod non veritatem, sed apparentiam duntaxat habeat, iudicent hi, qui sunt cerebro saniore, quam Palmarius. *Sophismata fiunt decipiendi caussa, Aurum potabile per regiam solutum, non fit caussa decipiendi*: Sed est pars magistralis chymiæ. Venenum sit, an non, parum interest ad Palmarium, qui etiam venena in suis magisteriis habet, verumtamen ita elaboratur, itaque circumspecte adhiberi iubetur, vt nocere non possit. Si quis Paracelsicus agyrta ægrotorum ventres inaurauit, ipse viderit. Tertium esse inefficax, vt primum, Palmarii Galenicam offendit. Ista enim recepit *aurum primum inter nobilia roborantia. Si ergo tam efficax est solutum, quam integrum, non erit inefficax.* Veruntamen Libauius ab ea lite est immunis, quia tantum posuit aliena. Quantum autem ipse rei tribuit, *in tertia parte commentarii* legetis. Tunc non suam, sed artificum chymiam meditabatur & proponebat. 5. Audite vero exactum physicum. Aurum negat dissolui posse regia. Argumentum:

Stultitia Palmarii in rebus Physicis.

Naturæ est dissolutio. Ergo non artis, & ex consequente non est magisterium dissoluti
Antecedens probatur: *Eius est dissolutio, cuius est mistio.*
At hæc est naturæ. Ergo & illa.

Aurū num solvatur regia.

R. Negamus sequi. Nam ars via adminiculo naturæ etiam dissoluit naturalia, vt in putrefactione. Hinc *Mesues* olea per solutionem. Aristoteles vellicare poterat aurem Palmario, cum inquit, quædam etiam vi corrumpi, vis autem opponitur naturæ. Aliter:

Fortis regia diuidit metallum in ramenta solum.
Ergo non soluit.

Ratio consequentiæ est; *quia dissolutio est vnitorum diuisio, at regia relinquit vnionem corporis essentialem.* R. Est elenchus æquiuoci in termino *Dissolutio*. Hæc enim non opponitur hîc mistioni naturali, sed compagi corporis solidæ, atq; adeo πῆξις est, quæ Aristotelis συμπήξει aduersatur, vt glaciei concretæ aqua ex glacie soluta. Sic niues soluuntur: Sic sacharum Palmarii; sic metallum à mercurio: Sic Stygia Palmarius soluit argentum, & salem armeniacum: vide *pag.108.109.&c.*

Solutionis explicatio.

Aliter:

Atomi, quæ descendunt adiecto mari (id est aqua salsa) *retinent nomen metalli.*
Ergo non sunt soluta.

R. Iterum peccas Elencho æquiuoci. Deinde *si aurum debet esse potabile, non debet eius mistura destructa esse.* Nam si periit crasis ita, vt aurum sit irreductile, aurum esse non potest. *Vt ergo sit reipsa, quod dicitur, reductile esse debet. Forma dat esse rei. Si periit forma auri, fuit aurum, non est amplius.*

Aliter: *Si solutum esset aurum, non reduceretur.*

R. Negamus sequi ob Elenchum secundum quid. Nam quædam etiam in aquam limpidam soluta reducuntur, vt sales, atramenta; calces metallorum, &c. Quædam duntaxat non reducuntur, quæ scilicet simul sustinuerunt transmutationem in aliud. Aliud:

Aurum destructum nō est amplius aurum. Ergo nec aurū potabile, quia rei non existentis nulla sunt adiuncta: quod argumentum Crollio & similibus Paracelsi gregalibus opponitur.

Ad potabilis conditionem non satis est liquoris specie deuorare: sed debet à calore nostro si non vinci, saltem alterari, vt salubriter hauriatur.

At quamdiu aurum erit in natura metallica, tamdiu eludet caloris nostri conatum; vim inferet naturæ: Spiritus manebit sepultus, vires in magnis affectibus nullæ erunt, &c. *Ergo potabile Libauii non est potabile.*

R. Scilicet ita ludunt logici imperiti. *Potabile est, quod ad potandum est aptum.* Si aurum solutum tale est, vt potari possit, licet non amystim, est potabile. An Palmarius nesciebat Latine? Vinci à calore, commune est omni cibo: Alterari, cibo conuenit; aliqua etiam medicamento propter reactionem. Alias *omne medicamentum alterat magis, quam alteratur.*

Idem iudicium est de veneno & antipharmaco. Quod negatur aurum solutum efficax esse, quia spiritus sit in substantia ligatus: dicimus non totum ligatum esse. Deinde nō semper necesse est, solutionem totalem fieri, vt spiritus agant; argumento est *magnes, vitrum stibii, regulus, argentum*

Spiritus agere etiam non soluto corpore.

viuum

viuum & alia id genus: Tertio. *Si solutio totalis facta est, periit Crasis.* Ergo *aurum totaliter resolutum non amplius habebit spiritus auri*: quod est argumentum Galeniæ. Chymicus tamen id non curat, modo præstantius quid fecerit, & ex natura reseratâ, quod occultum erat, detexerit. Aliud:

Verum aurum potabile deposuit omnem fixiditatem, crassitiem, & ductilitatem materiæ metallicæ, ita vt ne potentialis quidem dispositio reductionis restet:

Libauianum non est tale. Ergo.

R. Maior conceditur de arcano: non autem de magisterio. Illud autem aurum dicitur æquiuoce. Libauii magisterium retinet aurum vniuocum, etiamsi in calcem & liquorem perductum esset. Est hîc prolepsis: *Si enim verum aurum potabile est irreductile, qui sit aurum per ipsum?* Respondet: *Satu est metallicam formam conferri à patiente, quod transmutatur. Elixyr philosophorum, quod est verum aurum potabile, non debet habere metallicam formam, quia est ignis purus.* Verum de hoc non est quæstio. Palmarius philosophatur de pagis Bohemicis in media Gallia, & nescit, quid garriat.

Elixyr ignis purus.

Aliud:

Aurum vulgare non intrat magisterium.

Libauii ergo Potabile non est verum potabile.

Palmarii aurum non aurum.

R. Suaui somno correptus Palmarius somniat. Vnde est aurum potabile, si nullum aurum naturæ ingreditur? Quale tu nobis aurum in lapide minerali cudis, quod tamen nec sit, nec fuerit aurum? *Si Palmarii aurum potabile non est de auro populariter noto, non est verum aurum. Si non verum, quid aliud, quam falsum, & impostorium?* Sed tamen nugas facit. Philosophi negantes vulgare aurum intrare, non negant aurum naturale nullum accedere, sed fabrile, & monetarium, excoctumque iam multis ignibus abnuunt. Deinde etiam purum purum aurum non prius suum dicunt, quâ ad seminale primordium, & fœcunditatem perductum quod & viuum dicunt. Si Palmarius magisterii tam rudis fuit, quæ dementia ipsum ad disputationem pertraxit? *Non metes, nisi quod seminabis. Non facies aurum, nisi semine auri.* Alia verò ratio est auri æquiuoci & Solis astralis de quo patabolice differunt in lapide vegetabili, & animali, tum in cordi appropriatis tincturis confortantibus. Si de hoc sensit Palmarius, lusit ambiguo: quanquam in omni auro potabili sit aurum, siue vniuocum, siue æquiuocum.

Quod aurum Philosophi assumant.

Aliud:

In vero auro potabili soluens & solutum sunt vnius naturæ, & vna manent, conseruantque se mutuo.

In auro potabili Libauii soluens & solutum non sunt vnius generis, & naturæ; nec conseruant, sed destruunt se mutuo. Ergo, &c.

R. Maior loquitur de lapide arcano: minor de magisterio manifesto. Quatuor ergo terminorum sophisma committitur. Aliud:

Si adhibetur materia aliena (menstruum) *non est vera & philosophica solutio*: Ita enim clangor tubæ clangit: *In aqua philosophorum latet spiritus quintæ essentiæ, cuius est magistraliter dissoluere.*

R. Æquiuocatio est in philosophica solutione. Ita nominatim vocant eam, quæ fit per mercurium philosophorum. Sed hæc non pertinet ad nostra magisteria. Sunt & aliæ solutiones philosophicæ, in quibus non est necesse menstruum manere cum soluto, vt cum per acetum, spiritum vini, & alia soluuntur coralia, perlæ, gemmæ, &c. Appellantur & ista aquæ soluentes, nec id ignorabat Palmarius. Calumniandum ipsi erat potius, quam philosophandum.

CAPVT XL.

De sacharo potabili, & puluere sublimati ignis venenatus Palmarii, ex cap. 25.

Venenis enutritum Palmarium putes; adeo pestilentes efflat ignes. Solutum sachari ex quibusdam libellis chymiatricis proposuerat Libauius duplex; *vnum*, quando vel vini, vel Iuniperi spiritus incensus in seminato puluere sacharis crystallini restinguitur, & simul ignis beneficio fit attenuatio succi & vnio, quâ industria Querceranus *in lib. 1. de præpar. medicin. cap. 7. circa finem* Iulepum cinnamomi, quem aquam vocat, aliorumque aromatum concinnabat: vide & *Pharm. cap. 12. p. 256. Alterum* cum oxysachara quædam paratur per spiritum aceti iuxta descriptionem Bulcasis destillati; cui potes addere succum granatorum acidum, aut potius spiritum destillatum, vt parum absit ab oxysachara Nicolai simplici, nisi quis malit limoniorum, vel vitrioli, &c. De illo iustitiam accusat iniustos magister: De hoc dicit ex sua phantasia corruptum esse sacharum, & euasisse acerrimum: quia scilicet acetum stillatitium fit acerrimum. Primum non cogitauit de suo igni, & duorum actium (vt olei tartari, & spiritus vitrioli) commistione, quodque *contrarium fiat mutuus appositione contrarii*. Deinde stultus & imperitus rerum omnium arbitratus, vel potius calumniatus est, acetum radicatum, & soluens imperati, cum scriptum sit simpliciter *stillatitium*, quod sachari est solutiuum, cuiusmodi est spiritus solus, vel spiritus cum phlegmate. Midæ præmium debent manes spiritui Palmariano. Reiicit postea Libauium ad *subsellia sua scholæ*, quasi in magisterio liquorum, & artificio deliquii ignorasset solutionem *salis*, & similium in acetabulis ouorum coctorum: *scamnaque scholæ consulere* debuisset, quid rei? Palmarianis autem nos respondemus, *magisterium liquoris non confundendum fuisse cum præsente* quod solutione fit potabile. Suo in loco sciuisse Libauium *solui deliquio saccharum*. Deinde sciant principem suum non fuisse sanæ mentis in artificio isto sacharino. Cum enim in cortice citri

Ridiculus liquor Palmarii ex sacharo.

condidit. Quorsum porcu margarita?
citri *sub scamnis schola* docet facere magisterium sachari, delirum & fœdum præceptum
Neque enim chymica magisteria inter pedores & pulueres subselliorum schola fiunt. Talibus magisteriis, in quæ
ignes, flatusque subselliorum scholæ balant, parentandum est Palmario. Præterea cum sacharum
potabile deliquio conficit, dicit quidem, id fieri nulla additione, & detractione: sed mentitur. Pri-
mum enim si quæ *sordes calcosa* adhæserunt ea *decedunt*: Deinde vt liquescat, opus est *vapido aere*, qui
se insinuat, & coagulans in aquam soluit sachari, diluitque concretam succaginem, vt fit & in sali-
bus, & calcibus. Ideo cum volumus istos liquores *essentialiter* elaborare, *phlegma* subducimus. Id au-
tem erat magna ex parte ex vapore concreto. Cæterum, ne Libauii solutum solum irrideatur, non
ita pridem *autor Tyrocinii chymici* simile proposuit. *spiritus vini octo vnciis incensis inspergendo trientem sacha-
ri albi crasse tusi, & per spatham continue agitando, donec flamma cesset, quo facto additur aqua rosacea vncia vna:*
vocant *oleum. De hydrargyro* ingens crimen ignorantiæ impingit Libauio, adeo vt etiam asinum, stu- Puluis sublimati cum argento viuo mistus.
pidum, bardum, &c. vocet. Mirus mentis morbus est insania cum calumniandi studio. Nouerat
Libauius, quid sibi artifices pollicerentur ex sublimato argento viuo cum hydrargyro minerali, seu
vulgari agilima manu contrito, deque hoc pridem contulerat cum Dauide Rungio Pomerano. Re-
linque sic puluerem, quid aliud miraculi erit, quam etiam putissimum sublimatum expirare, nares-
que & cerebrum vellicare: deinde nigrescere, & humefieri; in versatione hydrargyrum veluti aco-
nito tacto obtorpescere, & q. cute metallica indui? Quid vero ex ista mistura facere possint magistri
arcanorum, de hoc non opus erat verbis. Iam satis aperte scripserat Quercetanus, quid rei esset, cum
nondum natus foret infelix ille Palmarii partus. Scripserat & Crollius *in sua Basilica pag. 277. de cosmeti-
co:* Erat in Tyrocinio chymico. O grande mysterium, quo sibi isti deliri placeant. Si ignorasset Liba-
uius, potuisset inde discere. Verum non scribebat tunc artem omnibus exemplis instructam. Suffi-
ciebat in methodum redegisse.

Cetera secuta sunt in commentariis. Finge vero Libauium de arrogante quodam Paracelsista,
qui sibi mirifice placeret notitia istius artificii, atq; ideo omnes præ se contemneret, scripsisse, NESCIO
quid miraculi sibi somniet in isto puluere, num falsum scripsisset? Num ideo imperitus operis fuisset?
Quantum quæso est miraculum, contusum sublimatũ miscere cum crudo, iterumq; sublimare, idem-
que repetere, donec purgans medicamentum euaserit purum? Iam erat ademta et malicia præce-
dentibus præparationibus. Mirum est fuisse, qui inexperto medicamento ausus fuit credere. Nesci-
re vero aliquid, philosopho turpe non est, nõ tamen vsque adeo grande est illud arcanum Panacea-
rium, vt ob id Libauius à scutra sit irridendus. Fatetur Libauius, se nondum omnia secreta chymi-
corum euoluisse. Itaque etiamsi adhuc ignoret aliquid, non tamen putat hoc sibi dedecori esse,
quod scit sibi cum *sapientissimis hominum* esse commune. Verum ita *rabire* voluit Palmarius, & suis la-
ctucis beatus esse.

C a p v t XLI.

De igne infernali Palmarii quo adurere conatus est figendi argenti & alia nonnulla magisteria. cap. 26. p. 131.

Inuenta, tentataque ab Alchemistis, & iam pridem non tantum in libris eorum perscripta, verum etiam in publicum cum imperatorum, regum & principum priuilegiis edita, vti exstant apud Gebrum, Lullium, Paracelsum, Mizaldum, Weckerum, I. Baptistam Portam, Cardanum, Isaacum Hollandum, aliosque auctores multos, dum colligit Libauius, & locum in arte eis tribuit; non autem ipse nec inuenit, nec exercet, sed tantum docet *operationis fixatoria*, quam chymiæ deberi nemo peritorum diffitetur, esse: Clamoribus Palmarii *in crucem tollitur*, falsarius audit & impostor nefarius: *incendio* quoque cum suo libro *dignus* iudicatur: *Vtinam periret, & tui & tui libri memoria*, scribit bellus ille Christianus, qui nesciuit tamen, *cuius spiritus filius esse* ex professione *debuerit*. Verum non mouerunt quenquam iniqua ista iudicia, neque etiam mouere debent, cui constat ab omni æuo circa perficienda metalla variè elaboratum esse à professoribus artis chymicæ, qui etiam liberaliter & ingenue philosophando sedulo in naturas singulorum inquisiuerunt, & quæ essent tum imperfectionum, tum perfectionum notæ, & examina, docuerunt, non intermittentes, si quæ excogitari possent, emendationes, quas etiam metallurgi, & aurifices, & excoctores indagare solent. *Geberus*, cum contemplaretur metallorum naturas cogitationes mentis suæ in librum coniecit, quem *de inuestigatione perfectionis inscripsit*, proposita arte *quomodo imperfecta corpora mineralia perfici deberent*. Deinde cum cogitationes exercitatione & experientia confirmasset; *summam perfectionis* & alia scripsit, in quibus *triplicem perficiendi ordinem* per medicinas certas diligenter explicauit. *Primi ordinis medicina est*, inquit, *omnis præparatio mineralium, quæ proiecta super imperfecta corpora imprimit alterationem quidem, sed non adducit complementum sufficiens quia in examine alteratum mutatur, & corrumpitur, veluti cum sublimatione æs vel ferrum citra fixionem dealbatur, aut colore aureo inficitur; quale quid fit in cæmentatione cum ærugine*, &c. *Medicina secundi ordinis est, quæ aliquam perfectionis notam infert constantem quidem, sed alias relinquit imperfectas: vt cum calcinatione inducitur fixio, & color aureus, vel argenteus constans, ast in cæteris manet defectus, & corruptio. Medicina tertii ordinis est præparatio, quæ cum aduenit corporibus, proiectione sua tollit omnem corruptionem, & perficit complete: quæ est vna sola medicina, cuius beneficio effectum est, vt prioribus duabus possimus carere.* Hæc postea Geberus pluribus persecutus est, non studio quenquam fallendi, sed naturas rerum

Ordines medicinæ Gebri.

mineralium declarando, vnde non tantum ex scientia, & contemplatione potentiæ naturalium oblectamentum existit (Est enim desiderabile, & iucundum scire varietatem operum diuinorum in natura) verum etiam in vsu ciuili, & variis fusionum, contemperationumque artificiis experientia, & circumspectio. Nam *magistratus inde accepit docimasticum: Statuaria* magnam varietatem misturarum pro variis ornamentis & vtensilibus, adeo placente ingenio artificum, vt in thesauris regum Persiæ *æs adeo industrie tinctum inuentum sit, vt ab auro nulla nota, nisi odore discerni posset, ipsumque opus etiam summi fani Hierosolymitani gloria dignum existimaretur*: Inde *pictoria* profecit, & omnino varia genera artium mechanicarum. Quippe natura in illis ipsis similiter lusit, & non tantum metalla *mineraliaque* variè mista, perfecta, imperfecta procreauit, verum etiam *gemmas*. Non est impostura vlla, nisi eius, qui fallendi animo eiusmodi res male collocare velit, & illiberaliter mentiendo simplices decipere, atque adeo æs aureum vel argenteum pro auro argentoque perfecto vendere. Hoc etiam est, quod leges damnant: Hoc est, quod redarguunt tam acri inuenta exploratione. Nulla lex prohibuit metallorum misturas, & tincturas pro statuis, campanis, vilibus ornamentis, crepundiis, phaleris, &c.

Leges non artificia damnant sed nequitias per artificia.

Itaque videmus in publico circumgestari impune variam supellectilem ex ære argentato, auratoque: variam ex orichalco, annulos, cultros, manubria, cingula, bullas, salina, cochlearia, fibulas, torques, corollas, imagunculas & alia etiam templorum anathemata, & pictorum, notariorumque aureos, & argenteos colores; nec lex vlla in hæc animaduertit, etiamsi imperitis persuaderi posset vere aureum esse & argenteum, quod aurum, argentumque mentitur, vel aliqua similitudine refert. Philosophis chymicis, & contemplatoribus naturæ deberi ista inuenta, negari non potest. Si quis Alchemiam scribere, & opera eius recensere velit, non potest de illis tacere, interestque rei publicæ nosse tum perfecta, tum imperfecta, posseque examinibus iustis, si quis imperfectum pro perfecto vendere, & circumscribere quemquam velit, refellere, & artis commentum quidem ostendere, sed impostorem siue fallendi proposito miscuerit, siue mistum in fraudem conuerterit, redarguere, & legibus castigandum sistere. Hanc *iustitiam* sciebat Palmarius: nec poterat clam ipso esse in Gallia, Italia, Germania, &c. magisteria istiusmodi publicè tolerari si absque fraude in vsu essent, & vnumquodque quid, & quanti esset, diceretur. Licitam rem, licitam, permissamque artem; magisteria ingeniosa, publicique iuris negotium in Libauio tam acerbe damnauit, vt non potuerit acerbius: nimirum Diabolus ex inferno hunc ignem, in ipsum inspirauit, quem postea tanto cumulo euomuit. Videamus argumenta. Scripserat Libauius chymicos proponere *magisterium fixionis* argenti. Nam hoc quanquam perfectis metallis annumeretur, tamen aliquas imperfectionis, si cum auro, *in quod omne argumentum perfecti metalli congestum est*, conferatur, notas habere constat. Eæ sunt ponderis defectus, color, dilatandi potentia, spissitudo, fixio, &c. quæ vt ad perfectionem adducerentur, studuerunt artifices. Consecuti quidem aliquid sunt particulariter primi & secundi generis medicinis: Sed totaliter non potuerunt nisi vna tantum *vniuersali* ob id dicta, quæ est operis maioris, seu *magni magisterii*. Iam putauit Palmarius, licere quidem argentum artificiose sic mutare, vt nulla prærogatiua auri ipsi desit, atque adeo auri locum pleno iure occupet. Hoc ipsi non erat res cruce, flammis & deletione memoriæ digna, sed immensa gloria, præmiisque maximis compensanda, etiamsi quis publice diceret, istud sic factum argentum, esse aurum, idque melius natiuo. At si magister tantum figere velit medicaminibus fixatoriis argentum, quod postea coloret, & ad auri præstantiam ingeniose perducat, *si possit*; iam nulli laquei, patibula, corui, ignes, aqua ad è mediu tollendum sufficiunt, quanquam nihil machinetur fallendi animo, nec dicat, id aurum verum, & melius natiuo, sed tantum factitium esse eius generis, ex quo *Darius* sibi curauit fieri pocula templis digna, quanquam hæc ex ære & non ex argento essent. Stultum quidem & temerarium, iniustumque & calumniosum fuit iudicium Palmarii: Sed in Libauium eo atrocius peccauit, quo ille syncerius non suum inuentum recensuit, nec pro auro vendendum argentum, aut adulteranda metalla esse scripsit, sed tantum quid machinarentur innoxii finis caussa chymici recitauit. Stulte quærit, *cui bono tot metallorum adulteria, nisi ad fraudem*? Errasti mente Palmari, si rem non intellexisti. Si intellexisti, calumniatorem egisti, cum vocas *adulteria*. Ars liberalis chymia miras naturarum contemperationes, & potestates exponit, quæ primum à Deo in ipsis mineris sunt digestæ, postea ad imitationem naturæ à magistris elaboratæ, atque etiam mirifice auctæ, & in melius perductæ. Si tibi ista artificia sunt adulteria, adulterum omnino animum, & in omne scelus procliuem habuisti: Si autem ignorabas vtilitatem artificiorum talium, cur non discebas ex tabernis tuorum Gallorum? Sed contra fixionem specialem argenti argumentaris:

Si mistura metallorum sunt adulteria natura adultera est quæ variè miscet metalla.

Mistura artificiosa adulteria non sunt nisi apud animũ adulterandi.

Si nulla alia est fixio, nec vlla alia tinctura, præter philosophicam, fixationes argenti, & metallorum tincturæ alia, nihil sunt nisi adulteria cruce digna:

Est autem illud: Ergo & hoc.

Contra fixationem argenti.

Minor illustratur: *Natura est*, inquit, *quæ figit coquendo, & fixando q. maturando tingit. Solus naturæ ignis id potest, adiutus tamen externo igni.* Deinde ille ignis vocatur *Elixyr philosophorum, qui momento possit figere, & tingere. Item vocatur externum agens. Additur consectarium: Ergo quia Libauius ignorat ignem naturæ, vanitas, impostura, & deceptio sunt eius magisteria.* Hæc Palmarius: qui nullibi magis ridiculus, & fatuus apparet, quam cum argumentatur. In cæteris est insanus & furiosus conuitiator.

R. Connexum melius tornari poterat, si sensum suum sanius proposuisset argumentator. Nam si sola Philosophica fixio, & tinctura est artificiosa, quæ aliæ proponuntur, non erunt artis philosophicæ; sed alicuius alterius officinæ illiberalis, & sordidæ; quæ respectu Philosophicæ, etsi per se non sint, tamen haberi possint pro adulteris, & sophisticis in veri speciem compositis, cum veri in se habeat nihil. Interim autem nihil obstat, quin licita esse possint & concessa opera, vt etiam

inanę

inaurata, inargentata, stanno obducta; æs album ex argento viuo fixo, vel talco: æs aureum ex cadmia, vel lapide calaminari: æs coronarium; corinthiacum, campanarium, &c. vnde contrafinium aureum & argenteum, variæque misturæ monetales, & fabiles sunt publici vsus. Sed misso connexo, de assumto videamus. Negamus solam illam fixionem & tincturam artis esse, quam Palmarius vocat *Philosophicam*. Ratio negationis est, quia Pater artis Geber etiam primi, & secundi ordinis medicinas proposuit; quibus artificiose possimus aliquam perfectorum metallorum notam consequi: ideo & tam multa de diuersis spiritibus figendis tradidit, non vt quod aliqua ex parte assequitur perfectum, id statim pro perfecto venderetur; vt adulterandi cupiditate fallendique animo se laborasse suis accusationibus ostendit Palmarius: sed suo saltem ordine æstimaretur, interim ad multa opera vtensilia, & ornamenta non incommodum. Perfectio per lapidem est omnibus quidem numeris consummata; sed ideo non tollit perfectiones inferiores. Illustrationes minoris, sunt plenæ imperitiæ, & fatuitatis. Primo: *Si natura figit & tingit, non ars. Opponuntur enim hæc, estque natura internum, ars externum principium.* Quomodo opus ergo artis erit? Fatuus ille dicere debebat, artificem vti naturæ potestate, cum artificiose disponit, regitque artis opus. Is *natura ignis rectè dicitur ab externo iuuari*: quod cum sit maximi in arte ponderis inde fit, vt effectum magis arti, quam naturæ ascribatur. At hoc non est SOLVS naturæ ignis. Qui enim solus possit, qui sine socio nil potest? Hoc secundum est.

Publice venduntur cingula, salina, cochlearia, variaque supellex alia, qua redimitur auri, argentique impensa, misturis artificiosis, & inductionibus, quas aurificina chymica ingeniose parat. Non est maleficium istorum fuciber, sed qui imponit aliis persuasione veri.

Tertio delirat, cum illum ignem vocat philosophorum Elixyr. *Si Elixyr est ille ignis internus, non potest esse externum agens. At est externum agens. Ergo ignis internus non est philosophorum Elixyr.* Maior patet. Aliud enim est insitum; aliud accessorium, & foris circumstans. Minor est ipsius Palmarii; Et sane ipsa quoque veritas. Nam qua medicina argentum viuum, stannum; plumbum; stibium, æs, ferrum in aurum, vel argentum mutantur, cum fixione, & tinctura certa, ea foris immittitur, nec insita est plumbo, & cæteris.

Quarto attexitur consequens: *Si illud tingens, & figens foris immittitur in momento proiectionis, quomodo verum esse potest, quod solus ignis internus coquendo & maturando figat, & tingat?* En tibi acutum Palmarium; qui si viueret, discere ex Libauio posset, Elixyr illud proiectione quidem tingere; sed hunc tantum vnum modum esse, qui violentiæ, quam naturæ affinis sit magis: Alium modum aliunde existere. Nam *vt tingat & figat Elixyr, prius tingendum, figendumque est ipsum.* Ideo primo sumitur ex natura, & reuocatur ad statum imperfectionis metallaris primæ, in quo erat tanquam *semen*, & *conceptus*. Hinc caloris artificiosi in sua matrice artificiali ope maturatur, coquiturque paulatim, donec igni assuescat, & ex nigro in album, tandemque in rubeum mutetur. Hæc est illa maturatio, & fixatio ex principio interiore quod iuuatur igne artis: Sed nondum tamen potest & alia figere, tingere, & perficere. Ideo fermento certo, certa vi instruitur, & tunc tandem exaltatur, vt non tantum fixum sit, sed & figendi potestatem multiplicem habeat. Ecce Palmari; sic erat philosophandum, cum inter viuos existeres. Quæ de *magisterio ponderis*, & aliis porro in *eo capite* sequuntur, pura puta sunt deliramenta, & furores. Ergo ad Diabolum mittantur.

CAPVT XLII.

De cholera Palmarii in magisterio gemmarum cap. 26. & 27.

IN magisterio ponderis Libauius monuerat id *magisterium non proponi studio, aut animo nocendi*: neque enim ars conditur pro sceleratis: sed viris bonis indicium dari, vt qui vitia ignorarent, hinc discerent, non vt facerent ipsi, sed iudicarent; quomodo Plinius scripsit *in vna arte probatoria vitia, & adulteria monetarum disci.* Qui scit, quibus technis vtantur mali homines, eo facilius sibi cauere potest; Et *vtile est Reip. vitia esse nota.* Quod si philosophus quis est, *illi satis est scientia potestatis naturæ, & artis.* Ad praxin non accedit. Palmarius tam mali fuit genii, vt non crediderit eiusmodi indicia sine studio fraudandi fieri, & scribi posse: non posse fieri, quin inueniantur, qui se istis artificiis patiantur corrumpi. *Nequam certè animus est, qui tam male sibi temperare potest à vitiis, quin lectis statim ad ea prouolet.* Si de ebrietate scripsisset Libauius; si de speciebus furtorum, de modis calumniandi, de hæreticorum pene innumeris gregibus, Palmarianus quispiam lecta scriptione, è vestigio euasisset fur, ebrius, calumniator, hæreticus. Quid enim ni euasisset? Protestatus quidem esset Libauius se bonis, vt cauerent, indicium fecisse; at improbus iste nihilominus artes furandi, & calumniandi, cæterasque arriperet? Bene mortuus es Palmari. Si enim tam male conciliatum animum habuisti, fieri non potuisset, quin in coruos aliquando incidisses. Et quorsum adeo debacchatus es in Libauium, non autem, in eos, qui priores ista dederunt in publicum artificia, quid ars per naturam posset docentes, non autem iubentes tale quid fieri animo fallendi? Quid de Anshelmo illo nobili scriptore sentiendum, si qui artificia describunt, cruce sunt digni? Is fecit præstantes Smaragdos ex crystallo, vitro, silicibus calcinatis & modico minio, ostenditque varia variarum Gemmarum adulteria. *De gemmis rabidissime declamat.* Tincturas artis vocat adulteria. Palmariano sane animo sint adulteria. Chymico sunt iucunda opera artis qualia & in natura inueniuntur. Hæc exhibet *gemmas perfectas: exhibet imperfectas*: Exhibet & *nothas*, atque adeo *simulacra gemmarum*. Si quis vitrarius similia ex naturæ materiis facit; iam est adulter, iam omnibus diris laceratur. Noli furere Palmarii genie improbe. *Ornamenta gemmarum æmula* conflare docet chymicus vno modo, & quidem ea, quæ publici sunt iuris, & recepta etiam in sacrarum vestium, sepulchrorum, cæteræque supellectilis vsum. Alio modo vitrarios informat: alio gemmas medicas facit: alio crepũdia puerilia, & ædium priuatarum, mensarum, grabatorum, &c. decora; qua ratione magnates naturæ nothos quoq; lapil-

Non ars magisterii suo genere & fine boni culpanda; sed animus improbus, & abusus ad fallendum.

los vsurpant. Cui vnquam vendidit Libauius magisteria gemmarum pro orientalibus,& veris naturæ? Nouimus etiam magnos Principes,qui arte ista sibi conflatunt magnos Rubinos & alius generis gemmas.Num & hi improbi?Imo improbus & barbatus erat ille apud Cardanum qui artificiosam gemmam Germanis pro vera obtrusurus, & venditurus erat. An vero tacuit redargutiones, & gemmarum verarum examina?Imò & publicè constant indicia. Sed recense peccata Libauii. 1. ais:*Exhibet gemmas omnis generis,quas velit naturalibus succenturiare.* Finge hoc Libauium fecisse: tametsi non fecit. Nihil enim protulit, nisi quod prius *Thomas*,qui gemmam rubinum maximi precii ex sanguine humano docuit facere : Nihil,nisi quod Liber artis & naturæ pridem editus : Nihil, nisi quod omnes philosophi per suam tincturam perfectam duplicem:Nihil,nisi quod ante Cardanus, *Dornaus, Paracelsus, Iohannes Baptista Porta, Isaacus Hollandus, VVeckerus, Lullius* & alii multi: post etiam Anshelmus de Bood Imperatoris Medicus. At,inquam,ars non tantum æmulatur in his naturam, sed aliquando etiam superat,vt omnes Philosophi scribunt vno ore de *rubinis* & *Smaragdis* ex Elixyre albo, & rubeo, quibus diuersimode temperatis etiam fiunt *adamantes, opali, Carbunculi,granati, Hyacinthi,amethysti*,&c.Omnium enim tincturæ potentia sunt in metallis.2.*Asserit Libauius,pares habere vires cum naturalibus.* Respondeamus pro Libauio;imo minus dixit Libauius, quam res ipsa demonstrat.Nam ars vel vitra ex metallicis aliisque mineralibus facit omni lapide pretioso in medendo efficaciora.Credisne?Consule Lapidis scriptores,& Thomam cum Lullio:Imò *vitrum antimonii* saltem inspice,si non vis id,quod ex plumbo,argento,ære,stanno,ferro,conflatur. Quæ apud *Albertum,Plinium,Democritum,Marbodæum,Encelium,Cardanum,Cæsalpinum* & alios Gemmarum historicos habentur,grandia quidem sunt præconia; sed quæ ab ipsa mundi experientia quotidie refutantur, adeo vt pharmacopoliorum gemmæ pene in contemtum abierint. Aliqua tamen vis inesse deprehenditur solutis,& ad essentiam redactis,verum non illa magica declamatorum.Quidam *hieroglyphemata* in naturales virtutes transmutarunt, cum sæpe in vitris artificialibus maior efficacia sit, quam in istis gemmis.Alios iuuit Phantasia,& fides vti vocant. Sed his etiam artificiale obiectum satisfacit,sicut nobilibus illis, qui ex vario *smaltho* politam gemmam habebant pro *corona serpentina* mille aureorum precio æstimatam,tanquam venenis singulare alexiterium. At erat vitrum Venetiis conflatum,& in mola gemmariorum politum. Si scripsit Libauius, posse arte fieri gemmas illis naturalibus in medendo efficaciores,cum illa præconia non sint ex natura, sed auaritia gemmariorum,& superstitione magica orta,laude digna scripsit,nec debuit a virulentissimo isto calumniatore traduci,qui vt eo magis inuisum reddat opus, fingit, Libauium etiam *puerilia opera*; *& simulacra gemmarum veris substituisse.* Sed mendacii iam pœnas luit.

Vitra artificialia gemmis aliquando præstantiora in medendo.

Amausum Varium politum pro corona serpentis.

(a) *In magicis vanitatibus nihil esse certum est: malorum geniorum ministerium nihil ad naturam. Deus quoque libere per gemmas agit præter naturam. Ex imaginatione & fiducia quod contingit, per se inesse non potest, multo minus id, quod plane fortuitum est. Istis sepositis in natura per se medicas vires inuenias paucas, nisi ars accedat, & aliquas potentias actuet.*

CAPVT XLIII.

Num ignis Gemmarum artificialium sit excellentior igne naturalium: vbi de Palmarianis contra Libauium argumentis p. 136.

TRactemus argumentum de gemmis aliquanto vberius,non vt cum laruis luctemur,sed viuentium vtilitati,& disciplinæ naturali consulamus. Sit prima quæstio, *sintne artificiales gemmæ pro nothis & adulterinis habendæ,naturales autem pro genuinis.*(a)Plinius sane *lib.37.cap.12.veris* gẽmis opponit *falsas*,magna difficultate has ab illis discernendi, quippe cum inuentum sit *ex veris gemmis in alterius generis falsas traducere,& Sardonichas è cerauniis glutinare arte indeprehensa* : Imò ex crystallo, quæ & ipsa inter gemmas est,Smaragdos tingere aliosque tralucentes, quæ est vna ratio gemmas imitandi, quo pertinet illa Democriti apud Senecam,qua inuenit ille sapiens, quo pacto *Ebur molliretur, & calculus decoctus in smaragdum verteretur*, quod *Ludibrium* vocat Scaliger. *De crystalli tincturis* singulare caput conscripsit Iohannes Baptista Porta *lib.6.magiæ cap.7.* Suntque exempla plura, quibus siue arte siue natura gemmas in mutuas transire comprobatur. Alia ratio est apud Plinium *de vitris lib.36.cap.26.* alia *de Succino lib.37.c.3.*Alia *de dupletis*:alia de *amausis* sine smaltis: alia *de crepundiis* gemmas mentientibus,&c.Iohannes Baptista Porta sane pro adulteriis habere non erubuit, vtpote *in præfatione professus multiplex artificium adulterandi gemmas*, quo refert illud Plinii scribentis *nullam fraudem vitæ lucrosiorem esse.* Sed si syncerè æstimare volumus, *fraus & adulterium nec in arte est,nec in natura*, sed in gemmariorum prauitate,& fallendi proposito. Inuenimus in natura gemmas imperfectas; Inuenimus earum simulacra.Innocens per se natura est. Quod si quis falsarius velit fluores, rudimenta, & ludibria gemmarum, nodosque marmorum, & ignobiles lapillos paulò pulcriores pro preciosis vendere,non naturæ adulterium asscribendũ est,sed venditori iniquo. Beryllus, Adamas, crystallus,&c.magnã inter se habent similitudinem. Naturane ergo adultera? Imo is, qui pro cognatis exhibet cognatas studioq; decipit:Sicut & is,cuius Garzias meminit,qui ex *lagena vitrea partibus crassioribus smaragdos finxit*,quas pro veris venderet.Interdum tamẽ hac in parte peccat imperitia: veluti cũ qui *Chrysopatius* vel Topasios est,cũ *Chrysolitum* dicunt; Et Plinius pro *Saphyro* habuit,qui est *Cyanus*. Ita ex occidentalib. regionib. mercatores gẽmas transferunt, venduntq; titulo orientaliũ ipsa natura nõ rea sed negotiatorũ fide mala:de quib. omnibus eruditè & luculentè monuit Anshelmus.Sic ars

facit

facit lapides varios ex naturæ materiis ſimplicibus, vel miſtis, eoſque non alio, quam opertum ſuorum iudicio: vt in vitraria, & officinis chymicis ad ornamenta puerilia, ad anathemata templorum, ad medicinam, & alios vſus. Nam iſta opera ſunt adulteria? Per ſe certè neutiquam; ſed tum, cum ſtudio imponendi aliis, & veras gemmas mentiendi, mentitaſq; pro illis vendendi conflatur. Si vitrum ſuo iudicio & æſtimatione vendis, nec adulter es, nec impoſtor. Es autem adulter, ſi etiam naturæ gemmam ignobilem nobili ſubſtituis. Non poteſt artificiale pro adulterino haberi, naturale autem pro genuino, præſertim cum in multis ars ſuperet naturam. *Gemma artificialis* non quidem eſt naturalis, niſi materia: Sed nec ideo adulterina, licet gemma dicatur: Vox enim hæc vtrique principio eſt communis. Qui artificiale adulterinum vocat, naturale genuinum & germanum, is perinde fit ridiculus, ac ſi vellet ædem, ſedile, ollam & ſimilia artis opera notha & adulterina appellare, ſellas autem ollas, & luſtra naturæ genuina. Errauit Palmarius; cum chymica iſta καλοϑαύματα per ſe innoxia ſpuriorum infamia notare ſtuduit. Ex Sapphiro & amethyſto ignium viadamanti ſimiles adeo faciunt, præſertim ex Amethyſtho, vt ſint indiſcreti aſpectu. Magna quæſtio eſt, ſi ne hoc adulterium & an gemmæ tales alio modo differant, quam colotibus: Nam quæ de interiore forma, efficiente, materiebus, &c. afferunt, debiliter arguunt, nec demonſtrant quicquam ſcientificè. *Altera quæſtio eſt,* quanti tandem ſint æſtimandæ illæ gemmæ naturales, quas tanto ſtudio admirantur, & petunt; vnde tam æſtimationis nata ſit origo; vt ſi argumentum iſtud non inueorum ſit in artificialibus; hæ ſint adulteriis & lege prohibitis operibus accenſendæ. Garzias ab horto *lib. 1. hiſt. arom. cap. 46.* ſcribit, *gemmarum precia aut ex raritate earum aut hominum affectibus & cupiditate intendi.* Nam quæ maioribus facultatibus prædita inueniuntur, vt *magnes* & *Iſchæmos alaqueca* minimo æſtimari precio; quaſi ex diſiuncto argumentatus fuiſſet: *aut raritas, aut affectus hominum, aut virtus precia conſtituit gemmis. Non hoc: Illa itaque duo.* Ita Phoſus docet ab initio paruiſuiſſe æſtimatas; ſed luxuria, & inſolentia principum cupiditateque in immenſum euectas. Adiuuit lucidus ſplendor, color, gratia aſpectus. Acceſſerunt magorum vanitates, & opinio ex ſyderum vi oriri tanquam *ſtellas terreſtres à cœleſtibus efformatas, & donatas virtutibus ſecretis.* In aliquibus deprehenſa eſt quædam vis medica; ſed quæ longe illuſtrior, copioſior, & melior inuenitur in herbis, animalibus, aliiſque mineralibus, & quæ inde fiunt, pane, vino, elixyribus & ſimilibus alexipharmacis, alimentis, catharticis, roborantibus. Et quæ gemma eſt, quæ aſſequi vim cornu monocerotis, vel Rhinocerotis, vel Bezoar, vel auri ſoluti poſſit? Margaritæ quoque & coralia adimunt gloriam iſtis ſtellulis. Si precium eſſet ex virtute medica, quis non vel Rhabarbarum imperatricibus iſtis adamanti, ſmaragdo, carbunculo, præferret? Quis non exiguum poculum maluatici? Laborabat inter gemmarum pondera *Zenobia Syria & Arabia regina* cum ab *Aureliano* caperetur. *Indorum reguli* gemmas in omni corporis penè parte gerunt: *Cleopatræ* luxum deſcripſit *Lucanus*, vt & *Plinius* Caj & *Neronis* Imperatorum. Vbi tunc illæ immenſæ ex aſtris vires, quæ dicuntur omni ferè infortunio aduerſari? Adde ſignacula magica conſtellata; naturalia; Si qua vis apparet, ea vel dæmoniaca eſt, vel phantaſtica. Nouimus gemmas exiſtimationem trahere etiam ex vſu in ſacris. Moſes Orientem commendat onychis nomine, & auri, & margaritarum. In cultu ſacerdotali variæ erant gemmæ. Apocalypſis quoque honorem eis addit ex hieroglyphia. *Apoc. 18.* Romæ, Europææ Babylonis gloria etiam argumento gemmarum illuſtratur, vt *Ezech. 27.* Tyri felicitas: Sed nihil in illis eſt vltra ornamentorum laudem, quæ ab aliis benè, ab aliis malè adhibetur. *Iohannes Langius* quædam ex Elementis deducebat, vt frigiditatem, aſtrictionem & alia, quæ arte poſſunt iuuari; quædam ex commentis magorum, quæ pro fabulis habet, vt & Plinius: nonnulla medicæ experientiæ eſſe dicebat, quæ commendatur, & ex aſtris petidere dicuntur, vt *venenis aduerſari, aciem oculorum roborare* (quod *ſmaragdo* propter virorem ſatutum aſcribitur) *cordis vires*, & *ſpiritus reficere, Palmum coercere: Ventriculi os roborare*, quod *ſmaragdo* ſeu *Iaſpidi* viridi aſcribitur: *Inteſtinorum vlcera, oculorum puſtulas, ſcorpionum ictus*, &c. ſanare; quod *ſapphyro* tribuunt, & alia, quæ cum Galeno ad effluuium tacitum referuntur. Sint iſta omnia vera: At quanto præſtabilior eſt chymiæ labor, qui tum æquipollentes præbet lapillos, tum etiam longè medica facultate pollentiores, & præterea etiam vilioris precii? Quis ex India *Adamantem, quem Garzias negat venenum eſſe, aut quicquam in medicina vtilitatis memorabilis habere*, expectet, aut ſmaragdum optimæ notæ, aut ſapphyrum lectiſſimam & cæteras, vt aliquis inops valetudinem recuperet, præſertim cum illæ gemmæ, niſi ſint omnibus numeris abſolutæ maturitatis; omneque argumentum bonitatis habeant, nequaquam pollere viribus credantur, & ſiht viliores longè frequentiores imò & viribus ſæpe pollentiores optimis? Quis gemmatus ſecurus eſt à morbis, & ſi ægrotet omiſſis gemmis non potius alias medicinas quærit?

Altera quæſtio eſt, Gemmarum æſtimatio.

Lapidum vires aduerſa geſtatores gemmarum plenos occiderent, ſi eſſent alicuius momenti in medicina per influxum ſpiritales.

Eat nunc aliquis Palmarianæ nequitiæ ſucceſſor, & clamet tanquam abſurdum: *Sic erit apud nos oriens:* (quaſi ſolus oriens optimas gemmas haberet) *Iò nauta indico vobis quietem, & qua alia* ſtulta, malitioſaque temeritas homini iſti improbo exeuſſit. Sed argumenta ponderemus: Ita Libauius ſcripſerat *lib. 2. Alch. tract. 1. cap. 34. de gemmis ex miſtura: Miſtura euadunt gemmæ primum adulterina* (nempe ſic dictæ reſpectu genuinarum ad vſum puerilium crepundiorum, &c.) *Seu potius ludicra gemmarum idola, qualia vitrarii ex vitris varie tincta conflant, in quibus eſt vix externæ ſpeciei ſimulacrum quodam*, &c. *Sed nobilior & chymico dignior eſt conflatura ſecunda*; in qua *non tantum facies externa ad viuum tentatur, ſed & virtus interna.*

Argumenta recenſentur hæc: *Metallorum & gemmarum ſeminaria ferè analoga eſſe cognitum eſt: Ergo ex illis gemma per artem elaborata poſſunt naturalibus analogas vires obtinere.* Anteccdens illuſtratur: *1. quia ſæpe in iiſdem inueniuntur mineris. 2. aliqua gemmia in ſe metalla continent. 3. Circa metalla inueniuntur gemmarum rudimenta, ſeu ſimulacra & abortus*, quos flores appellant, qui à gemmis ſæpe ſola fixitate

tate distant, adeo colore & puritate placent. 4. *Eadem crescendi ratio est in gemmis fluoribus, metallis.* Videntur enim rudimentum seminalis virtutis in se habere, quasi plantale quid referrent; quod indicat etiam libera efformatio. 5. *metalla in gemmarum materiam facilè vertuntur, vt & marcasita*; quod probatur auri pyropo, cyano argenti, &c. Ergo compositio talis non habenda est pro impostoria, sed pro proxima naturæ imitatione. Aliud argumentum: *Quorum principia sunt analoga, ea analoga quoque sunt virtutibus. Metallorum & gemmarum principia sunt analoga. Ergo.* Maior illustratur modo analogiæ tali, vt videantur materia esse eadem, sed distare affectionibus. Minor probatur artis industria. Nam ex metallorum calcibus depuratis conflantur gemmæ à naturalibus ferè indiscretæ: quo secedit opinio, *materiam crystalli* esse omnium gemmarum communem: eam autem in metallis inueniri quis nescit? Si ergo ex maturis metallis sumitur forma, & color, seu tinctura; ex crystallo, vel silicibus & quæ alia crystalli vices sustinent, materia, quid ni confletur artificialis gemma, cuius formam sequatur virtus ex natura metalli? Nemo negare potest, calces metallorum sine viribus esse. His tunc argumentis vtebatur Libauius. At non cogitauit aliquem tam imperitum naturæ, & potentiæ artis aduersarium fore, vt ista negaret. Alias non pro ista thesi dixisset, sed pro longe nobiliore. Vt Palmariani ad insaniam redigantur, dicimus:

Artem ostā meliores ad rem medicam gemmas facere, quam naturam.

Si arte fiunt gemmæ naturalibus ad ornatum & medicinam longe præstantiores, pro magno Dei munere ars est habenda, tantoque ei maior honor debetur, quanto per eam Deus maius beneficium confert mortalibus.

Est autem illud. Et hoc ergo.

Minorem probamus testimonio *Thomæ Aquinatis*, quem Catholici quidam negant errare posse. Is in *secretis Alchymiæ cap. 2.* inter alia hæc quoque habet: *Quidam lapides congelantur virtute minerali cooperante natura.* Nam vt Aristot. dicit, *quidam faciunt quandam aquam ex duabus, quam lac virginis appellant, cum qua imbibunt quod coagulare volunt, veluti calcem argenti vel alterius corporis, quod postea in clibano perficiunt. Videmus etiam ex sanguine, ouo, capillo, cerebro, & c. fieri lapides mirabilis efficaciæ, & virtutis, &c.* Vide ibi ex sanguine lapidem clarum, rubeum, valentem stringere fluxum sanguinis, & multas infirmitates expellere. Vide lapides ex cineribus, plantarum efficaces, & alios in omni probatione similes naturalibus, ex crystallo tanquam communi materia. *Separaui,* inquit, *porro à quibusdam corporibus quatuor elementa: Depuraui & depurata coniunxi: venit mihi lapis* TANTÆ EFFICACIÆ *& virtutis, vt esset natura mirabili, contra quem non habebant potestatem Elementa grossa inferiora, de quo* HERMOGENES: *Fuit mihi gaudium, quale nunquam, videnti quintam essentiam; sine elementali natura de virtutibus inferioribus. Propter quod euidenter apparet, quod aliqui lapides aliquid habent de quinta essentia & plenè & manifestè est notum: Ratio est operantis hanc hodiernam artem.* Hæc & alia multa sanctus ille: Argumenta sunt. 1. experientia propria. 2. Quod ars potentior sit in gemmis, arguitur *materia.* Nam natura etsi etiam in animalibus gignat lapides miros, vt est *Bezoar duplex cerui & caprorum orientalium:* Item, *lapis Equi* &c. tamen tam puros non generat, adeoque nobilibus prærogatiuis. Ars etiam ex plantarum cineribus lapides præclaros facit, quod non natura. 3. Ars separatis elementis maxima ex parte quintam essentiam nobilissimam specie & virtute in lapides compingit. 4. Si velis dicere; arti deesse influentiam: respondet Chymicus, quamuis gemmæ à Deo sint factæ ante sydera, vt sic temerarium sit incerta phantasia niti (probo facta esse ante sydera: Nam post sextum diem nihil nouarum specierum fecit Deus: sed perfecti sunt cœli & terræ omnisque ornatus, & exercitus eorum. Ergo iam gemmæ quoque erant. At virtute astrorum vix 1000 annis perficitur aurum, vti sapientes censent: Adamantes non citius quadriennio nascuntur, vt docet Garzias. Quomodo ergo potuerunt generari ab astris biduo? Terra verò à Deo elaborata est tertio die, quo *plantæ* sunt creatæ, & cum his *metalla & alia mineralia*, quæ vno terræ partu comprehenduntur. Antecessit ergo generatio mineralium stellas ita, vt ab his temere petatur eorum origo) tamen si ita sit, vt vult aduersarius, chymicus syderibus sua opera tam benè, vel etiam melius potest accommodare; quam natura bruta. Nam huic naturæ plura impedimenta à turbis elementorum esse possunt, quam eligenti certas positiones & influxus arti. Hæc ex Thomā. *Ex Cratone* aliquid. *Cæsar*, inquit ille *Epist. 121. in Epilepticis hoc remedium pro maximo secreto habuit, quod recipit crystalli præparati* ℥j. *Coral. rub. præpar.* ℈j. *margarit. oriental.* ℈j. *smaragdi orient. prap.* ʒ ß. (addidisset & *adamantem*, ni lethalis esse existimatus fuisset, ne in regina gemmarum desit opinio veneni) *misce.* Dicit Crato, se ex aq. Taraxaci media parte data bis fecisse periculum: ægros liberatos esse paroxysmo Epileptico, sed postea tamen obiisse: *Crystallum* negat vsu tutum: *Smaragdum* vulgarem reiicit, quia non sit verus, sed magni lapidis Peruani, qui *Prasius* sit, fragmentum: quanquam Gemmarii ex oriente allatum dicant, & à Garzia primus gemmarum appelletur *smaragdus*, à Plinio *lib. 37. cap. 5.* tertia gloria, vbi & plures recensentur, & *adulteratio* per *crystallum* indicatur, etsi ista adulteratio in hoc remedio, quod maxima parte crystallum recipit, non sit multum curanda. *Garzias Peruanas smaragdos* negat suspicione adulterii carere; vt & *Indicas ex vitro* mentitas. At tam ambiguas, plenasque suspicionum gemmas ars magni magisterii non facit; sed vitium admirandarum non tantum in *Epilepsia*, verum etiam in omnium aliorum morborum sanabilium generibus. Loquamur ad eos, qui Libauio lapidem philosophicum dogmaticorum, & Galenochymiā opponunt. Auscultate *Arnoldum*, quem vester Palmarius magni fecit. *Lapis noster* (Is est alias forma pulueris, alias olei, alias carbunculi, seu Rubini præstantissimi) *virtutem habet efficacem omnem sanandi infirmitatem super omnes alias medicinas Medicorum, &c. In hoc completur secretum naturæ maximum, quod est super omne precium preciosissimum, Thesaurus incomparabilis, &c.* Addite *clangorem buccinæ* Palmario item notum: Lapis, inquit, *vitrum reddit malleabile, si immisceatur liquato:* Hæc *medicina est conuertibilis in omnem colorem.*

Albertus lib. 2. de rebus metallicis c. 1. tractatu 3.

Lapis mirabilis Thomæ.

Albertus lib. 2. tract. 3. cap. 3. de metallicis. Gemmas factas esse die III. mundi.

Antepilepticum Cratonis.

Adamas natiuus pro lethifero habitus à Paracelsistis, qua de re vide Anshelmi Gemmarium.

Smaragdi iudicium.

Adeste Galenochymici Palmariani, & pro duce Palmario respondete.

Lapis artis preciosissimus.

Hinc

Hinc colligitur: Ars mediante lapide gemmas malleabiles, vtraq; potest efficere: Et quidem si prius tingantur omnib. coloribus plusquam perfecta, & virtutibus vniuersalib, lapidis donata. Hoc Deus naturæ non concessit. In *aurora consurgente c. vltimo* eadem leguntur. *Lapides ignobiles* (inquit) *potest in gemmas quasdam preciosas mutare, & vitrum ductile*, seu malleabile *facere*, quam artē Tiberius princeps, referente Plinio, noluit vulgari, ne auri & argenti precia perirent. Exurgat quidam Palmarianus & ex natura probet similem efficaciam. Eadem autem scribunt plures alii, quos recensere piget. *At, tu*, inquiunt, *non debes ista credere*, vti neque cum aurificium promittunt. Ego, inquam, quid credam aut non credam, non laborandum; aut inquirendum censeo. Nihil enim hoc ad rem. Palmarius vim lapidis commendauit tanquam vniuersale in morbis. Si hoc verum est, ipsum oportet non negare maximam efficaciam lapidis in gemmam conuersi, siue cum, siue absque aliis. *Aurum posse fieri per lapidem tam proclamatum est, & confirmatum exemplis, itemque argumentis comprobatum, vt qui contra sentit, fatuum esse oporteat.* De vi in morbis ea audiuimus, quæ gemmarum totius mundi virtutem naturalem longe superant. *Isaacus Hollandus* ait *Lapides ex vitro conflati & effigiati deceis sunt speciosiores & luci-diores orientalibus.* Vitrum ex metallo simile est corpori glorioso. Penotus: *Est lapis quidam optima virtutis & efficaciæ pro planta viribus, & diuersitate. In libro de veritate & antiquitate artis chemicæ circa finem* hæc leguntur ex Alberto: *Lapis philosophorum lapidum preciosorum ægritudines, seu imperfectiones diminutionesq; perspicuitatis*, coloris, duritiei, pōderis *curat, & perficit, & ad virtutem naturalem, imo perfectionem reducit, ac vnum in alterum transmutat. Arte chemica perfectissime componuntur smaragdus, Carbunculus, Adamas. Berillus, Palagius, Chrysoprasus, chrysolithus & alii*: Lege Lullium in *Theoria, & praxi sui lapidarii.* Plures chymicos non adducimus. Si Palmarius tam bene nouit IGNEM NATVRÆ & vim eius, contra animum suum calumniatus est gemmariam Libauii. Repetamus argumentum à cognatione cum metallis: *Hæmatiten nasci in metallis non tantum Plinius tradit, sed & experientia constat. E ferrariis eruitur tum ipse, tum schisti nodus, & aetites, nec raro magnes quoque* Principi gemmarum *smaragdo Scaliger Exerc.* 108. 4. principia ex ære assignat, argumentis duobus, 1. quia ærugo viridis: 2. quia smaragdus eo indicio certissimo probatur; si Lydio lapidi affricata reddat æris colorē, quo modo mercatores Indorum veritati consulāt. In metallis auri, æris, ferri repertos alicubi *adamantes* esse, Plinius tradit *cap. 4. lib. 37. Plato* auro cognatos fouebat. Vsus docet ex auro resoluto & minera eius pura conflari lapides *Rubinorum & carbunculorum* æmulos, quam tamen artem norunt Philosophi interiores, vulgaribus negantibus sua peritia posse aurum lapidescere, aut vitrescere. *Ex argento alba fit gemma, & cærulea: Ex are viridis, & cælestis, vt & vitriolum: Ex ferreo rubens: Ex stanno alba: Ex plumbo citrina*, quanquàm in his colores varient. *Mater metallorum* creditur *magnesia*, & *bismuthum*. In his omnium colorum principia insunt, quanquam Cæruleus magis enitescat ex Bismutho: & rubet ex stibio: Sic & sulphuri & argento viuo mutabile est ingenium. Fiunt inde lapides non quidem argumenta soliditatis, puritatis, & aliarum dotium semper assecuti: neque enim ars semper id spectat: Veruntamē ad medicinam longe vtiliores, quam vniuersi Indorum regulorum thesauri. Assumit ex natura ars materiam: sed eam coctione perficit, & cæteris partibus industria elaborare amplius potest, quam natura, quanquam non semper eodem scopo, cum ars non tantum, *vt sit lapis*, spectet, sed & vt *medicinæ inseruiat*. Si possumus metallis, auro, argento, ferro, hydrargyro, stibio, &c. eam vim tribuere, q̃ in omni ex medio oriēre, Scythia, Thracia, Aethiopia, Peru, &c. gēma frustra q̃sieris: quid ni artis, naturam ex mineris metallorum, metallisque ipsis eligentis, & tincturam, animamque stellarum elemento analogam extrahentis, & aptiori subiecto immittentis, essentiæ? Resistit autem Palmarius primum hoc argumento: *Si metalla gemmis sunt affinia, quia calcinata abeunt in vitra, omnia, quæ vitrescunt, erunt gemmis affinia. At hoc statuere est alogi philosophi. Ergo*; Minor probatur; quia cum calces non sint sine viribus, omnia sublunaria habebunt vires gemmarum, quod est falsum. R. Negamus connexum. Non enim quiduis abit in quiduis, sed determinatum in determinatum. Deinde calumnia committitur. Non ideo cognatio colligebatur, quia in vitrum conflarentur: Sed ideo, quia in vitrum efficacia etiam maiore, & gemmarum naturæ, si vera sint attributa, minime cedente. Improuidus erat disputator, cum scriberet; *calcinatione omnia in vitrum abire*: Calcinatio calcem facit, non vitrum, eamque non ex omnibus sublunaribus, sed ex aptis. Falsum quoque est *rigore ignis nihil non vitrescere*. Quis enim ex butyro, oleo, aere, aqua, glacie, &c. igni rigido vnquam conflauit vitrum? *Aliud quoque est vitrescere, aliud in vitrum gemmæ æmulum conflari.* Neq; tamen etiam generale argumentum à vitro vsque adeo est alogon, vt visum est Palmario. *Gemmæ* enim lapideæ *translucida, quid aliud sunt, quam vitra quædam à Vulcano natura conflata?* Ex succo vitreo sic prodeunt, vt silices pellucidi, crystalli, Berilli & similes lapides, quasi lachrymæ essent minerarum lapidearum, ad imitationem plantalium, quas *succinum* sane multum refert. Secundo: *Si ex metallis possunt fieri gemmæ, Anaxagoræ sententia omnia erunt in omnibus. At hoc absurdum putauit Palmarius. Ergo.* Verū ille bellus chymicus non intellexit illud principium chymicum, *omnia in vno* (vel ad vnum) *omnia ab vno*: Et tamen multa nobis de igni naturæ, & lapide philosophorum verba fecit. *Panspermian* Anaxagoræ esse Platonis & Aristotelis *primam materiam* aut potentiam eius non negabat Riolanus. In natura minerali etiam propinquioris materiæ conuenientia est, & analogia. Tertio: *Quæ Libauius nugatur de principio seminali, vana sunt omnia.* Ratio est: quia *crescant appositione*, vt possit aliena materia comprehēdi: 2. *non idem habent seminarium* metalla & gemmæ, quia differunt: & in eodem loco, eadem minerali, & formante virtute opus varium emergit. 3. *à materia illecebris emergit varietas*, non à principio seminali.

Gemmæ ex lapide philos.

Vitri ex metallis iudicium.

Smaragdus princeps Gemmarum.

Probatio Smaragdi.

Adamantes.

Metallorum mater.

Lapides artificiosi ex metallis.

Palmarii ridicula effata de vitro.

Resp. Vana esse, quæ de seminali natura in mineris dixit Libauius, nullus concesserit philosophiæ chymicæ peritus: nec dictum erat, eandem esse cum plantis, sed analogam, eiusque eius rei certa documenta data à forma mirifica, quæ non fit fortuita mistura, vt & artificium magnum lapidis docet.

Adamantes à natura effigiati.

Rubini.

Sapphyrus Varia.

Gemmas maturescere instar fructuum plantalium.

Argumentum primum à chymico contra chymicum non debebat proferri. *Principium enim disciplinæ læditur.* Vulgares physici volunt protrudi successu humorum gemmas & metalla, sicque incrementum capere. Sed vnde quæso & qua vi protruduntur, & tam constantes in Adamantibus, crystallis, fluoribus & similibus formæ etiam in liberis cauernis? Refert Garzias in Indiæ rupe veteri inueniri Adamantes à natura ipsa elaboratos, qui ideo, secus ac Lusitani sentiunt, pro optimis habeantur: addit *miraculi instar sibi videri* huiusmodi gemmas, quæ altissime in terræ visceribus inueniri debebant, *in summo fere solo generari*, & duorum, aut trium annorum spacio perfici. De *Rubinis* scribit Carbunculos esse summi coloris: ab eis deficere *Balasios*, inde *Spinellos*: Inueniri & candicantes: ex pura candicantes, seu ceratum maturescens referentes: media parte rubentes, altera candicantes: *Media parte saphyros, & rubinos*: qualia Plinius scribit de *Iaspide*, & aliis. Ita *Sapphyrus* alia est coloris intensi, alia aquei, aliquando vix discreti ab adamante (vnde & arte extincto colore pro adamante se gerit.) Caussam differentiæ affert ipsam *Rubini originem*, vt qui *recens albicat*: *Maturescens ruborem acquirit.* Ideo qui ante maturitatem decerptus est, minus tinctus est: Et quia *Sapphyrus & Rubinus in eadem fodina nasci creduntur, hinc accidere dicitur vt ex vna parte Sapphyrus, ex altera Rubinus oriatur.* De his, qui sic philosophatur, an non concedere cogitur subesse *seminale* quoddam *principium*, quod ex immaturo, agente calore naturali, & spiritu formante, paulatim coquatur, & maturescat, quale quid fit etiã in lapidis absolutione? Oblitus est Palmarius ignis naturæ: alias Libauio tam temere non contradixisset.

Seminarium minerale & plantale analogum.

Auium trãsplantationes.

In ratione secunda *negatur idem seminarium esse gemmis & metallis.* Quid tum postea, modo detur *analogum*? Sunt tamen, qui idem seminarium genere fateantur licet directio specifica non sit eadem. Ita omnia metalla communem habent materiam & corpus genituræ: sed vis formatiua diuersa, quam sulphuream dicunt, affert diuersitatem. Aristoteles simile quid scribit de auibus. *Si enim diuersus mas superuenerit, ante quam ouum absoluatur, fieri genus diuersum asserit*: qua de re *in nostra disputatione de ouo* actum est. Gemmæ arborum, quas lacrymas, & gummi dicimus ex eodem certe humore radicali prodeunt, licet forma arboris non crescant. Quid si & gemmas in metallis ita fieri dicamus? *Tertia ratio varietatem asscribit materiæ dispositioni*; in quam eadem vis formans dum agat, efficiat diuersa. Si hoc verum est, necesse est aut metalla, aut gemmas per accidens nasci, & non habere peculiarem formatiuam. Alterum nascetur per se, & ex suo principio, iuxta similitudinem naturæ prodibit; alterum erit per accidens, sicut *Aegyptia illa vela apud Plinium diuersicolora euadebant vnica tinctura.* Sed
» qui hoc de gemmis credat, vix inuenietur, præsertim in eorum numero, qui earum ortum certis
» stellis asscribunt.

Lib.35.c.11. circa finem.

Nam materiam quidem includunt terræ tam metallorum, quam gemmarum: sed vim efficientem & informantem metallorum à Planetis defluere dicunt, gemmarum à stellis fixis. Ab horum argumentis quomodo se liberent Palmariani videant. Si quid credimus astrologis, & aliquid tribuimus isti opinioni, magnam necesse est cognationem esse metallis & gemmis, quia vix vlla stella fixa est, quæ non participet alicuius Planetarum naturam, maxime solis, & mercurii.

Argumentum hoc:

Calces metallorum non sunt sine viribus

Ergo nec gemma, quæ inde prodierunt:

Contra Palmarium ex Palmario de vi gemmarũ artificialiũ.

Putat multa habere contraria: volens significare, posse ex virtute prædito fieri rẽ virtutis nullius. Sed cogitare debuit homo stolidus, *simile gigni ex simili: & effectum non esse toto genere deterius efficiente*: Et: *determinatum fieri ex determinato*: quin & *in lacte superesse vim cibi*, Et *in cineribus aliquam naturam combusti*, vnde diuersitas salium. Cogitent versifices Palmariani, quanto portento suas musas maculauerint. Sed attendite versifices etiam aliud vestri idoli crimen. *Sit ita*, inquit: *At non facultates similes aut eadem his & illis.* Cur quæso non? *Quia*, inquit, *vitrum antimonii aliquando ad rubinum, aliquando ad Topasium accedit. At non habet illorum vires*: Item. *Si ita esset, viridis smaragdus deberet bilem purgare, quia vitrum stanni viride purgat.* Item *crystallus mineralis deberet saliuam mouere*, quia *crystallus hydrargyri ptyalismũ mouet.* Insuper: *Si vitra ex metallis vires gemmarum haberent, ex vnico metallo possent fieri vitra omnium virium*, quia *pro modo præparationis diuerso ex vnico metallo vitra fiunt æmula omnium: vel vnicum vitrum deberet habere efficaciam gemmarum omnium*, quia *in omnium formas potest transmutari.*

Hæc ille.

Qua ratio tã ti est vt natu ra lapillos gemmas vocari debere persuadeant, non autem artificiosos, cum & arborum nodos primos gemmas dicamus, & elaboratas marmorum particulas & succina, &c.

Accipimus, quod gemmis artificialibus ex metallis vim aliquam donet, quæ nec in smaragdo, nec in rubino, nec cæteris, quæ in precio habentur, inueniatur. Hoc nobis argumento est, Gemmas naturales ob pulcritudinem, puritatem, raritatemq; cum mole parua coniunctam esse quidẽ in precio, & pro ornamentis adhiberi posse: at *nihil aut parum valere in medicina*: Potiores autem ferre factitias ex metallis, licet non semper ex calcibus eorum, nec pro gemma habeatur sublimatum crystallinum.

Deinde Libauius ex vi calcium ad gemmas ex illis argumentum duxerat; sicut quis posset ex vi cinamomi ad extracta eius salem, aquam, & oleum: aut ex vi cineris ad salem. At Palmarius transiluit scopum, & ad naturales lapillos peruolauit satis sophistice.

Tertio cum Libauius non de vitris loqueretur, sed de gemmis, calumniator ille quasi idem esset vtrumque assumit, si vitra purgant etiam gemmas ex calcibus metallorum debere purgare. Non ita Palmari. Genius tuus diabolicus te decepit. Libauius aliud gemmas esse dicit, aliud vitra ex quo genere tamen ars quædam tam affabre elaborat, vt gemmarum gloriam obscuret, quod facile probat Muranum Venetiarum, si ad eius vitra nobilia adhibeas gemmas naturales inferioris notæ. Dictum autem ante est, argumentum per se non esse nullius roboris. Si enim quæ in metallis inueniuntur gemmæ, cognationem habent cum succo essentiali, qui in metallorum materia continetur, &

fupet a ffatione, vel cœlefti extractione fic efflorefcunt, vt lactymæ ex atbotibus, quibus refpondent
quodammodo refinæ factitiæ, & balfama: confequens eft, eas gemmas, quas ars per induftriam ex
materia eadem extrahit, nonnullas virtutes habete, quæ fint naturalibus analogæ. Vetum *non opus eft*
multis ad ftulta fophifmata verbis. Vnum addimus: Fianr vitra ex calcibus metallorum, & filice petfpi-
cuo, vel cryftallo: Si quid veri eft in promiffione lapidis magnificentiffima, quam & Palmarius eft
amplexus, qui *ignem naturæ vocauit Elixyr* illud ipfum, cuius vi putauit fe omnia poffe obtinete, & Me-
dicum *ἰσόθεον* reddere, quandocunque vitra tinguntur, albo lapide, necefle eft fieri gemmas albas,
cæruleas, hyacinthinas, &c. oon rantum præclaras & omnino preciofas: Verum etiam in medicina
efficaces: Quando vero rubro. cõfequens eft nafci carbunculos, rubinos, balafios, fpinellos, gtanatos
naturalibus longe meliores: Quaodo vtroq; tunc optimi euadent medii. Id autem fit, cum cryftal-
lus, arena pura, vel filex præpararus funditur ad purum, & excoquitur ad regulum: Deinde tiogitur,
& tincturæ admifcetut Elixyris portio, quanta opus eft. Hæc res olim inuifa fuit Tiberio principi, vt
annotauit Plinius: Sed hodie inueniret amatores fummos principes, fi vellent attifices vitris tingen-
dis pro deliciis poculotum magis, quam in fanitate defendenda elaborare.

Argumentū quod ars chymica longe perfectiores Gemmas dare poffit quā natura minerarum.

(a) *Vide tractatus feu hiftoriam de gemmis Anshelmi de Bood, vbi multa habentur de hac quæftione, & fimul etiam de artificiofis gẽmis, quarum aliquot rationes declarat. Dum autem naturales aliquot prærogatiuu aliquibus (non omnib.) artificiofis præferre ftudet, fane leue. Conferendæ vero eæ gemmæ funt cum natiuis in medica virtute, quas non oculis, fed fanitati præcipue facere docent chymici, quanquam adiuncta habeant etiam fenfuum quædam oblectamenta. Hic verum eft Garziæ iudicium etiam de naturalibus, fcilicet fere contemni pretiofiffimas & euidentiffimas virtute (magnetem, Lazuli lapidem, armenum, lafpidem fanguineum, Hæmatiten, &c.) In admiratione vero effe illas, quæ nihil poffunt, nifi oculos pafcere, & fuperbiæ fomentum effe, nifi quid fides, vt aiunt, aut caufa metaphyfica efficiat.*

CAPVT LXIV.

De igne Diabolico, quo afflantur tranfmutationes argenti viui, cinabaris, ftibii, capit. 29. pagin. 141.

Lib. 2. *Alchemiæ cap. 21. tractat. 1.* Libauius differebat de tranfmutatione argenti viui in metallum, & addebat artificium cinabaris factitiæ, & ftibii, in quibus item eft argentum viuum. Collegerat autem ex artificum commentariis viam duplicem: *Vnam per Elixyr, quæ eft philofophica: alteram per medicamina alia*, quæ pro Elixyre aliquā effe poffunt, & à Gebro referuntur ad primi & fecuodi ordinis medicinas. Non inuenit iftas artes Libauius: fed inueotas in chymicis recenfuit. Quis enim ignorat plenos iftiufmodi policitationibus circumferri libros, ex quibus Libauius felegit, quæ teponeret, tanquam cæterorum exempla? Idne flagitium eft, atti tribuere ea, quæ ampliffime profitentur artifices? Verum calumniator Palmarius caninum dentem etiam in ifta impegit.

Primum donat, *veram effe tranfmutationem, quæ fit proiectione Elixyris.* Recte. Donat ergo arte aurum, & argentum fieri poffe, quod ram feruentet negabat *Riolanus*, vt *Quercetanum* quoque percelletet, adigeretque, ne vellet pto chryfopœia dicere. Si donat, qua fronte alibi negat aurum, & argentum ingredi Elixyr? An non *id, quod metitur, feminarium eft*? In atte magna fine auro non fit aurum, nec fine argento argentum. Vide *in Denario* Penoti *pag. 92. & pag. 109.* ex Arislao, qui loquitur cum Thoma de Aquino. Licet autem Arislaus aliquoties ex folo mercurio phil. fieri tincturam affetat: tamen non excludit, fed includit aurum non argentum.

Palmarius concedit trāfmutationem metallorum.

2. Fatetur, *Philofophos prifcos veritatem multis falfis citra crimen inuoluiffe.* At erga Libauium tam iniquus eft, vt fecunda artificia adiicientem ptimo ferre nequeat. Quid tum autem poftea? Rumpantur Palmariani. Quæ fcripfit Libauius, non confinxit ipfe, fed ex chymicotum voluminibus tranfcripfit. Hi fiue falfa, fiue vera aliquo confilio pofuerunt, quandoquidem, *iudice Palmario*, in hac arte licet falfis populum abigere, quod illis licuit, Libauio non fuit prohibitum.

3. Negatur Libauius *vel intelligere, vel celare verum.* Refpondemus: nihil intereft fiue intelligat, fiue non. Non enim fua artificia proponebat. Si autem *verum non celat*, quotfum infanis? An in tua officina non licet verum palam dicere? Quæ ifta eft lucifuga veritas? Nec fapientia diuina, nec humana talem agnofcit.

In Palmariana officina veritas odit lucem, amat tenebras.

4. Libauius non celat verum: Et tamen puta mendacia iudicantur, quæ non celat. Ridete *veftrum Deum Palmariani* verfifices. Quo modo puta mendacia funt, quæ fcripfit Libauius, qui verum ooo celauit?

5. Hoc quoque perpendite: *Verum falfitates funt innoxiæ*, inquit: *Libauii errores funt capitales.* Mirum aotem. At Libauius recenfuit vetera. Si funt falfitates: funto fane: fi vero innoxiæ, qui fiant Libauii transfcriptione capitales? Nempe non booi fpiritus iftud eft iudicium.

6. Accufatur Libauius, quod *Elixyr falfum fubftituerit verb*: vel, vt delitat *in margine*, veri loco DEMONSTRAT. Si falfum Elixyr ponit, quo modo poteft VERE dixiffe proiectione fieri tranfmutationem? Quid proiicitur, nifi Elixyr? vera tranfmutatio fine vero Elixyre non conftat.

7, Analoga

7. Analoga quædam medicamina collegerat Libauius ex artificum monumentis, de quibus ipsi promitterent nonnihil simile. Palmarius sine calumnia & mendacio non potest hunc locum transmittere. Ait enim Libauium *pares vires esse affirmare*. Hoc qui potest verum esse, si ne omne quidem Elixyr pares habere docet? Modos *alios* nominauit Libauius non *pares*. Ita fiat illis verum aurum & argentum, an vero simile tunc non curabat.

8. Citabat Libauius autores Mizaldum, Paracelsum, Lagnouerum, Rubeum, Picum, Iohannem Baptistam Portam, Euchyontem, Dornesium & alios, poterantque plurimi vetustissimi inter quos & Geber annumerari. Palmario sunt *autores sine autoritate*. Hoc si verũ est, quicquid illi de vero elixyre vniuersali affirmarunt, itidem carebit autoritate. Quanti vero precii erat Palmarius? Audite scholam omnium doctissimam: *Libellus Palmarii est plenus erroribus, fraudibus, imposturis & mendaciis, quæ scripto publico agnoscat & abiuret: quod ni faxit omnibus scholæ ornamentis & emolumentis priuetur & è Doctorũ regentium catalogo expungatur.* Ecce tibi, qui autores Libauii exautoras.

Palmarii autoritas.

9. Ne parum mentiatur, scribit, Libauium asserere, *Labores Mizaldi valere vbi ignoratur veritas.* Non ita scripsit Libauius, sed tantum paruum operæprecium esse dixit absque fixione. Recensuit opus chymici magistri: & addidit præmonitionem. Quid hic peccati? Ita in Paracelsico: *si non nouisti artificium veræ transmutationis* (& vna adhibes) *mutatio fit in metallicam substantiam, vel in metallum sui generis potius, quam in aurum, vel argentum.* Libauius noluit ista repudiare rigide. Cur? Quia non omnem sententiam, & arcana autorum habet explorata. Itaque maluit modeste ponere, & quid sentiat citra iniuriam dicere, quam furore Palmariano ignota euertere.

Non est temere pronunciandum contra chymicorum praxes.

10. *In margine* citatur Muffettus. Stultitia Palmarii putauit eum adhiberi ad confirmandum mysterium; cum tantum adducatur præmonitionis caussa. *Si enim fixio vera non veniat in magisterium, oleum & operam perdis*, quia etiam vicies sublimatus, & præcipitatus mercurius reduci potest, quanquam Alexio Pedemontano, Paracelso, & aliis nonnullis secus videatur, qui fortasse Enchiresma nouerunt non omnibus obuium. Ideo & chymica arcana suspendunt iudicia censorum, quorum est sedulo cauere, ne quid temere pronuncient. Nam artifices sæpe prætereunt scitu maxime necessarium, estque aliud ad literam laborare & censere: aliud ad sensum. Crollius scribit, vti & ad nos *Rulandus* aliquando, multa se secundum literam frustrà tentasse, quod & Anshelmo in artificio contigit, vt refert *Barnandus*, idque sedulo monent omnes chymici.

Litera chymica seducit

11. Artificium *cinabaris* cuius pene sunt infiniti assertores imperitissimus omnium Palmarius impossibile iudicat, & opera ista *maledicta* pronunciat. Certe satis pro imperio. Cur impossibilia, & maledicta? Num Palmario constat infallibiliter de artis vanitate? Quid isti calumniatori constiterit? *sapientia non intrat in animam malignam.* Qua fiducia ergo damnat? Autotum sine nomine, quos *probatos* vocat. Libauium non puduit producere chymicos; cur idem non factitatum à Palmario? Nesciuit vllos probatos.

Cinabaris chymia. Sap.1.v.4.

Capite 30. imperitiam, & stultitiam prodit conuitiator. Libauius erat admodum concisus *in isto capite*, citabatque tantum Iohannem Baptistam Portam, Paracelsum, & Penotum. Palmarius *Impoßibilem esse metallorum in mercurium reductionem* ait: Et cum per mercurium vulgi suscipitur, vocat *calcinationem* vel *corrosionem*, multisq; vano studio logicis argumentis persuadere annititur, id fieri non posse; autores autem cum de mercurio ex metallis dixerunt, intellexisse *volatilem partem*, & mutationem elementorum, &c. Sed nugatur.

Pag. 143. Negantur metalla in mercurium solui ab imperitissimo rerum Palmario.

Nos exemplo *Diogenis*, ambulatione argumenta *Zenonis* contra motum refutantis, Palmarianũ istud acumen retundere poteramus. Sed sufficiat monstrasse modos verissimos apud indubiæ fidei, atque adeo oculatos testes. *Penotus* de Kellæo narrat ex auro fecisse argentum viuum sine argento viuo per puluerem: Idem vidit *Nicolaus Maius*. Penotus descripsit aquas mercuriales aliquot: Et nos ex vetustis admodum libris plures modos annotauimus. Vidit *Erastus* apud *Stabelinum*, & credere coactus est.

In libro, cui titulus *Eliæ artista*, artificium integrum proponitur, & syncerum esse ostenditur. *Quercetanus* ab illustrissimi Hassiæ principis Medicis accepit artem mercurii veneris, quæ etiam est Heliophili. *Suchten* quidem mercurium ex stibio elicuit per hydrargyrum, nec aliam viam sciuit: Sed bene aliam nouit & descripsit Basilius *Valentinus Monachus*; Docet & *Lullius* ex argenti calce argentum viuum factitare: & sunt in hunc finem *sales resuscitatiui* chymicorum, & *circulati*.

CAPVT XLV.

De mistura metallorum & mineralium, quæ afflatur igni inscitiæ & virulentiæ, cap. 31. Palmariani lapidis pag. 145.

CAput 31. lapidis dogmaticorum Palmarii afflat *caput 31. lib. 2. tractat. 1.* de magisteriis in Alchemia Libauii, præteritis intactisque rabie capitibus multis vt de vitris, lapidibus, calcibus, cineribus, croco, liquorum, solutorumque artificiis, de transmutationibus promiscuis: deque metallis commiscendis. *In capite* quoque 31. nihil habuit, quod diceret de ære Babylonico, Caldario, Orichalco, argyrochalco, speculari mistura: donec ad *chymicorum ingeniosiora* peruenitur, quæ tamen non pro auro, argentoue vero habentur, sed pro mechanematis ex metallis & mineralibus per contemperationem ad similem argenti & auri speciem, qualis erat & in ære Babylonico, Orichalco, argyrochalco, &c

rio,&c. Libauius appellat, *delicias chymicorum*, cuiusmodi proponuntur *Experimenta Gebri*, & *Ludi mercuriales*: Et *tincturæ per medicinas primi*, & *secundi ordinis*. Venerat ad manus nostras liber SECRETORVM veterum & recentium Philosophorum, scriptus manu *Parochi Beiersdorpiani Henrici Erkolizheim* anno Christi 1513. atque adeo ante Paracelsum. Is autem in *calce istius libri* narrat, collectum esse *ab artificibus quinque & triginta veteribus & recentibus*, continentem modos triginta septem auri, & argenti artificiose faciendi, qui liber anno Christi *millesimo trecentesimo primo*, Venetiis in Germaniam venerit, diuque latuerit, donec ante paucos (respectu 1513. anni) annos astute in lucem sit protractus. Addit *se multa in eo comperisse & vera inuenisse*. Opus autem esse *studio diligente & exercitio*, quod quædam nudis verbis *non tota* sint exposita. Hæc ille. Deinde *ex Bibliotheca cuiusdam Episcopi multa volumina ad nos mittebantur* etiam pluribus eiusmodi artibus referta: Multa leguntur in typis expresso *Gebro*: Aliqua apud *Albertum Magnum*. *Iohannes Fr. Picus Mirandula*, & *Concordia Dominus lib. 2. de auro cap. 5.* quinque modos ostendit aurifaciendi, qui & *cap. 10.* nostris temporibus artem faciliorem esse monet, & *cinabarin cum hydrargyro* defendit. *Libro tertio cap. 2. experimenta auri facti plurima* enarrat, partim auribus cognita, partim visa oculis. Meminit cuiusdam *Apollinaris* qui 20 *modos sibi notos professus fuerit*: & alius qui non vno modo *plus sexagies ex rebus metallicis aurum & argentum conflarit*: Vidit quendam, *qui duobus modis ex hydrargyro argentum* auro mistum confecit, & ex cinabari sine auro & argento vtrumque. Legantur ibi & reliqua. Similia inueniuntur apud Ioh. Baptistam Bitellum Italum: Leonhardum Firouantum, Basilium Valentinum qui de lapide igni: Isabellam Cortesiam, Iohannem Isaacum; Carauantē Hispanum, & alios seu scriptos, seu excusos autores, quorum quam plurimi ad nostras manus peruenerant, etiam cum certorum experimentorum sponsione, & precii magni destinatione. His documentis commotus Libauius eum in omnibus commendari videret chymicorum ingenium, scripsit de DELICIIS CHYMICORVM, ob quod verbum hypocrita ille impurissimus Palmarius adeo concitatus est, vt Libauium diris execraretur. Sed bona verba. Mittatur istud tonitru. Mox succedet lepida fatuitatis pluuia.

Liber secretorum antiquorum.

Vt enim modos Libauianos redarguat, attendite quæso Palmariani, quam peritum & sapientem se probet vester patronus. Ita descriptum erat artificium quoddam ad aurum deliciarum, vel si placet æs Darianum & Babylonicum conflandum: *Calx ferri, & cupri* (Martis, & Veneris) *per sulphur facta reuerberetur per octiduum: Reuerberetur cementetur cum duplo Lunæ, stratis mutuis factis. Regulus cementationis soluatur aqua forti. Quod integrum manet, pro auro habetur.* Hæc ibi.

Ridiculum iudicium Palmarii de modis miscendi chymice metalla & mineralia.

Quid de istis Palmarius? Primū falsi crimen committit. Cum enim scriptum esset calx ferri & cupri per sulphur facta: fecit tanquam iuberetur calx ferri PER CVPRVM fieri. Istud certe erat Libauium sapienter refutare. Secundo addit calumniam. Artificium vult, vt *calces illa cum argento alternis disposita cementen tur in suo catino, quo facto argenteum regulum oriturum qui sit tinctus aureo, & aliqua ex parte aurum factus*: re non absurda. Nam & Plinius dicebat in omni argento esse aliquid auri, & vicissim: quod chymici metallici dicunt aliquando *immaturum esse, & posse igni naturæ per artem excitato maturescere*, sicut & Rubini, & aliæ gemmæ ex albo, vel translucido procedunt, paulatimque tincturam natiuam adipiscuntur re satis comperta in fructibus plantarum. Siue iam separetur, siue percoquatur, siue transmutetur, siue tinctura & fixione aureæ affini aurum euadat, siue etiam ex ære & ferro segregatum sit & in argentum translatum aurum, hunc quidem ad rem nihil interest. Palmarius autem tam fatuus fuit, vt putauerit ferri calcem reuerberatam & cæmentatam regulum ponere debere, id quod artificium non requirit, & per se constat isto modo fieri non posse. Itaque ridiculæ sunt rationes quas comminiscitur: *Impossibilem esse redactionem: quia ferro insit humidum paucum, quod reuerberio depopulatur*, &c. Stulte: Ferri calx reuerberata, vti & æris colore exaltatur, & simul attenuatur, fitq; subtilissima & maxime fixa, vt quasi spiritaliter tingere possit argentum, & figere quo modo *Aristoteles* scribebat de stanno & ære absque augmento ponderis quasi formaliter coeuntium, ære se habente vt materia, stanno vt forma. Non necesse est reduci ex calcibus æs, & ferrum. Tinctura inde quæritur, & fixatio cum cæteris auri dotibus. Tertio pueriliter quærit iudex noster: *Quorsum argenti cæmentatio?* Laborat autem phantasia quadam, argentum figi non posse nisi vno solum modo, vti dicebat etiam *cap. 26. pag. 131.* vbi volebat naturam coquendo figere, & fixando quasi maturando tingere, id quod possit *solus natura ignis*: Ita & *pag. 145. Argentum vno solum modo fingitur*, totum coquitur, tingitur, perficitur. Hinc argumentum:

1. de ortu tex. 89. & 90.

Si vno solum modo figitur argentum, non cæmentatione:

Est autem prius: *Ergo posterius.*

Assumtum probatur, quia sola natura & natura ignis id potest.

Blande desipit hic Palmarius. Quid n. si concederemus totum, & diceremus in ista cæmentatione esse illum naturæ ignem ex ferro? An oblitus erat Palmarius qualem ignem nobis ex *Marte Suctenii* fabricauerat? Idem ignis adhuc abundantior est in ære. Est enim *feruentius ferro*. Veruntamen grande postulatum est, argentum vno tantum modo per suam naturam, qua coquitur, & maturescit, figi. Argentum sic fixum nihil habet vltra argenti naturalis dotes. Si ars nihil amplius quærit, frustra laborat.

De fixione argenti.

Si viueret Palmarius, cogeretur confiteri, artem *ex mercurio & argento facere lapidem album*, cuius fixio est longe altior quam naturalis. Ideo & imperfecta corpora cum hydrargyro potest sic figere & mutare, vt & ipsa fiant argentum. Ita præter naturalem fixionem habemus duas artificiales, *vnam lapidis albi, alteram per illum effecti argenti*. Est & tertia, nempe *fixio argenti in aurum per Elixyr auri*. *Quartam* promittit magisterium fixionis *per* varia artificia & *medicinas fixatorias*, quarum quædam recidunt etiam ad magisterium compositionis quod in præsentia tractamus. Hæc si sciuissetis, versifices Palmariani, Poesin vestris insanis versibus non contaminassetis:

Lapis albus.

Fixiones artificiales.

Quarto

Separatio per causticã.

Quarto in separatione partis fixæ à non fixa per aquam fortem (cum vel sine quartatione) iterum mirificus est iudex noster. Dicebatur pro auro haberi quod non soluitur forti caustica seu chrysulca. Palmarius negat, argumento, quia *multa non soluuntur forti: quæ ideo non sunt aurum.* Sed irrideot hunc *Midam* aurifabrorum carbonarii. Quod enim ex argento separatur, cum inesset specie homogenea, id non solutum aqua chrysulca, *primæ censura est aurum.* Neque vero in hoc quiescunt. Addunt eluto fluxus vel plumbum, vel quæ quisque comprobauit medicamina: eliquant, fulminant, cæterisque examinibus subiiciunt. Si iustum inuenitur, & respondet auri probi argumentis, iam aurum pronunciatur artifice censura.

Misochymi volunt sine cura discere.

Quartationis inscitia.

Libauius scripserat quidem *pro auro haberi*: sed non satis est illud *haberi*, si maneat in restitaote portione. Facile est intelligere, examina cætera non debere omitti. Quid si addidisset *repetito sæpius opere totum fieri aurum*, quod Hieron. Rubeus & alii multi per cinabarim effici tradunt? Ringuntur hostes chymicorum, quod artificia describantur quidem, sed non ita, vt omnia præmansa in os iogerãtur, & experimenta vel dormientibus respondeant.

Quartare est argentum au ratũ ad proportionem vnius ad tria perducere, vt fiant partes quatuor toti us, quarum tres sunt argentum vna aurum, quod ab illis per causticam separatur.

Sequitur *Quintum* Palmarii *flagitium* in eodem iudicio. *Multa resistunt quartationi*, inquit, *Crocus, Regulus, Minium, Berillus, talcus certo igne purpuratus.* Mirum vero. Cur non addebas etiam arenam, aquam, silicem, & similia? An vester Patronus, versifices, etiam intellexit quid QUARTATIO? Quis vnquam quartationi subiecit Crocum, Berillum, Talcum, Minium? *Quartatio est cum mistura ex auro & argento, tantum argenti additur vt triplum sit ad aurum.* Hoc deinde aqua chrysulca spectatum, creditur omne argentum deposuisse, & syncerissimum permansisse. Vide *Budelium lib. 1. de re monetaria cap. 12. & capit. 20. lib. 2. docimastica nostra.* Adhibetur tunc cum massa abundat auro, ita vt aqua caustica nil in ipsam operetur. Primum excoquitur per plumbum in *cineraceo*, vt secedant imperfecta cum impuritatibus. Deinde verisimili iudicio tantum illiquatur puri puti argenti, qoantum efficit, vt argentum sit triplum, aurum autem simplum, faciantque hæ partes quartationem. Inde finguntur *granalia* vel *fistulæ* per malleum, & inditur in cucurbitam, affunditur chrysulca vt digito transuerso emineat, idque fit etiam secundo, & tertio. Calx reliqua edulcoratur triplici dulci calida; & exiccata in aurea concha, adiecto borace, vel plumbo recoquitur in massam. Hæc est quartationis procuratio. Crocus Martis, Berillus, Talcus, & similia non misceri possunt ita simpliciter aureæ massæ: non enim ingrediuntur: Imo ne tentatur quidem talis mistura. Itaque censor ille nasutus non habitabat domi, aut delirio Melancholico in diuersum trahebatur, vel potius rabie & furore criminandi præter scientiam vehebatur, cum in isto iudicio versaretur.

Regulus an quartuare resistat.

Est *sextum crimen* in eodem. *Regulum putat in quartatione resistere.* Tametsi non soleat simpliciter regulus in quartationem venire: tamen de qoo regulo sentiret nugator videre debuit, ne inconsulta temeritate ad censendum raptus esse iudicari potuisset. Cum ex venis excoquitur massa auri & argenti fertilis, aliquando vtimur modo Reguli. Et sane quid aliud est aurum argentatum in cineraceo excoctum quam regulus? Si separatum ab auro argentum volumus pure, opus est quartatione. Simile iudicium est de similibus.

Solœcismi Palmarii.

Cuprum per sulphur calcinatum.

Septimum carcinoma Palmarii in iudicio eodem. Atripit iam *cuprum.* Id dicit *annihilari, si semel aut bis iungatur sulphuri: reduci non posse.* Quam stulte ille homo ausus fuit ad iudicandum prouolare, cum ne loqui quidem chymice, & perire possit? Non annihilatur cuprum semel atque iterum iunctum sulphuri: sed si cum eo reuerberatum, crematumve fuerit, vritur, randemque in calcem redigitur. Id vel ex Dioscoride, & Galeno discere potuit, qui de ære vsto præcepta condunt, id *cum sulphure solo, vel sulphure, & sale, aut alumine in fornacibus ad rubrum cinabarinum cremari*: vel clauos æreos aceto respersos etiam tertium vti. Non fit inde nihil. Cogitauit forsille ineptus de examine per antimoonium, sulphur, plumbum, &c, in quibus in fauillam, aut scorias fathiscit. At & aqua forti soluitur: sed nihilominus per ferrum ex hac, ex illis alia industria potest colligi, & restitui in integrum, quanquam cum iactura. Ita & *ex calcantho æris, & ærugine aliqua reducitur.* Sed nostrum illud artificium reductiooem non requirebat.

Palmarius stultitia sua cæteros à iudicandi temeritate debet absterrere.

Istis septem turpitudinibus bellus iste Palmarius prodidit, publiceque restatum reliquit, qua facultate instructus ad iudicandam Libauii Alchemiam accesserit, atque ita cæteros suo exemplo cautiores fecit, ne facile in aliena artificia inuolent, & præcoci quadam temeritate de illis censum agant. Nunc accedamus ad considerationem sophismatis, quod quintum est ab illo primo magisterio. Descriptio eius hæc est:

Iudicium Palmarianũ de sophistica quadam tinctura.

Calcis solis sublimata cum sale ammonio, & reuerberata: calcis Veneris: Croci martis: Colcotaris singula vncia, mista incerentur cum liquore salis ammoniaci sublimati, vt fiat massa (offa) quam siccatam (arefactam) *tere, iterumque eodem liquore incera: quod repete quoad non exiccetur amplius. Solue per deliquium: solutum coagula: puluerem coaguli imbibe liquore salis ammonii vt ante. Solue & coagula denuo, idque quousque libet, repete. Quo sæpius hoc fit, eo nobilior euadit medicina. Huius partem vnam proiice super liquata Luna partes decem, vel pluris prout videbitur. Misce bene, & postea fulmina, Aurum artificiale videbis.*

Palmarius imperite negat calcem auri posse sublimari

Vide Ioh. Isaacum lib. 1. operum mineral. c. 117.

Ita habet magisterium istud. Quid in hoc vidit vindice dignum Palmarius? Libauium imperitiæ conatur conuincere. Quibus quæso argumentis? Attendamus. Primo *negat calcem solarem posse sublimari.* Ridete versificatores vestrum regem. Quod & lippis & tõsorib. chymistis notum est, quodque multi cum suo damno experti sunt, id negat ille vester sapientulus. Herbipoli quidam volebat mercurium figere adhibito auro. Sed cum incautius egisset, pauloque diutius ab opere abfuisset, rupto claustro mercurius aurum in fauillam vertit, & in caminum sustulit: quod ipsum conqueritur & Falloppius cum aliis. Si auri corpus amalgamatum cum argento vino potest in caminum vsque volare, quid ni calx eius per mercurium facta sublimari, si addantur alæ per volaticum salem ammoniacum

niacum

niacum, sæpius ipsi resistenti redunitum, & in sublime compulsum? Tam iners eras, Palmari, vt hoc nescires? Tam imperitus rerum vt etiam per alembicum educi posse non crederes? Quid si *Penotus* cum aliis peritis tibi dicerent calcem per regiam factam & liquore tartarei salis repercussam *exilire cū magno tonitru?*

&121.&122 Vbi præparatio per regiā ad sublimandum. Ita Basilius, Quercetanus & alii.

Ekcrus monet calcem ex separatione per aquam fortem collectam diligenter debere ablui, & resiccari: alioquin fore vt propter salem excuteretur. Sed transeat ista inscitia. Quid præterea? Secunda inscitia est, negare sublimatam *calcem posse reuerberari.* Dicite versifices criminatores Libauii, num Patronus vester (forte cliens dicendus) etiam sciuit quid sit *reuerberare*? Quæ calx attenuata erat per salem ammoniacum eo vsque, vt cum ipso in alembicum consurgeret, mox à sale segregatur per ablutiones diligentes, & prudentes, ne fulminet. Deinde per se exiccatur in aurea concha. Hinc transfertur in pyxidem reuerberio aptam: & per gradus ignis paulatim crematur quousque ad summam rubedinē peruenerit, id quod alii cæmentando consequuntur. Reuerberationis administratio hic potest esse singularis.

Palmarius reuerberationem non intellexit.

Ita Philosophus Hermeticus facit fixum volatile, & versa vice volatile fixum. Putauit fortasse Palmarius aperto igni vrendam esse, quo modo aliqui crocum Martis parant. Sed Elleborum sapientulo erat porrigendum. His flagitiis duobus nobilitauit se censor in sophisticate: neque tamen vult credere fieri aurum sophisticum, vti neque experiri. Fidem remittit ad autorem; apud quem etiam per nos maneat, qui proculdubio porcis & asinis Palmarianis non omnia tam liquida & aperta dedit, vt somniantibus respondeant. Ita nihil interest etiam si homo fatuus repudiet magisterium cinabaris, in quo nouimus multos quidem laborasse, sed propter defectum quorundam Enchiteimatum, & adiumentorum oleum & operam perdidisse. Non est hoc studium pro quibuslibet labris. Malo accepto stultus debet sapere.

Magisteriū cinabarinū requirit peritum hominem.

Caput XLVI.

De igne insano in magisteria commistorum succorum glutinationum, repurgationum, ex capit. 31. pagin. 146.

DEserta commistione mineralium cum metallis prætervolat Palmarii spiritus cinabaris magisterium, & sublimati. Nihil enim habuit in his Harpyia ista fœda quod contaminaret. De gemmis supra exercuit rabiem, & retudit. Omittit & varias mineralium compositiones: In *tract.1. lib.2.cap. cap.36.* laureolam in mustaceo inuenit. Itaque est quod hic cornicetur. Dicebatur chymicos habere etiam *magisteria commistionis LIQVORVM* seu rerum liquidarum, quanquam non sint in illis frequentes, tantumq; studeant suis operibus necessariis. Palmarius vt stercore suo hoc caput pollueret, *negauit chymicum quid hic esse:* quia *nihil non pharmaceuticum, & quia integra omnia.* Argumento vsus est contra seipsum. Nam *cap.17.pag.95.* *Pharmacochymiam* ponebat, *quæ pharmaciæ vulgaris præparationem, & correctionem admitteret probans triturationem, coctionem, lotionem, infusionem, & progrediens vlterius.* Si ergo pharmacochymia in complexum suum recipit pharmaciam, cur magisterium mistionis liquidorū ex chymia expungitur? De magisterio *cap.23.* tumultuabatur, volebatque *integrorum alteratorum esse, fine spagyrica separatione.* Iam clamat integra omnia, non esse magisteria. Quæ intemperiæ agitarunt istum vertumnum? Nolumus tamen cum quoquam rixari. Nostra sententia est, Galenicam & Hippocraticam *pharmacorum*, seu medicinarum præparatarum cum separatione inutilium, *contemperationem artificiosiorem ex chymia acceptam esse.* Nam constat artem in varias officinas, & opificia dispersam tandem olim hæsisse in metallorum metamorphosi, seu vera, seu apparente. Verum nos membra dispersa colligere oportuit, & homogeneis associare iuxta legem *καθ' αὐτό.*

Liquorum mistura fuit chymica.

In *ferruminationis arte* dolet homini, quod veneficorū maleficia sint à Libauio perstricta. In editione prima Alchymiæ Mastiches & Tragacanthæ gummi dicebantur testæ ouorum glutinari, & chartulæ. Id suum vsum habere potest, sicut & bibliopegæ laceras papyros iungunt, idque olim in factitandis ex papyro membranis necessarium erat, licet maltha peculiari. Oua casu rupta sic possunt redintegrari. Verum non deerant, qui ea arte abutebantur ad veneficia, quibus potissimū *Germanorum capitibus, & saluti* insidiantur. Vt notius esset maleficium, illeuerant id chartis, simulque docuerant qua ratione illæsis sigillis literæ possent aperiri, id quod per ceram Hispanicam etiam inobseruando dolo contingit. Scripserat Libauius in præmonitionem suorum Germanorum, neque expresse artem venenandi posuerat; contentus generali mentione, quod interetat etiam medicinæ. Nā in veneficio prima quæstio est de modo infectionis & genere veneni, vt remedium inueniri possit. Palmarius cum furore in Libauium inuehitur, exclamatq; cum *oua intoxicare* cum *Italorum* infamia, *quorum secretum commune fiat cæteris, &c.* Ecce hominem stultum, & extreme insanum. Quod Itali in publicum dederunt, vt legi ab omnibus possit, an id non debebat tangere Libauius? Num hic commune fecit, quod prius aliorum studio erat publicatum? Non lupus scilicet accusatur, sed molossus, qui suo latratu insidias lupi patefacit. Calumniator Palmarius monitionem Libauii & iudicium habet pro intoxicatione. Ita sane omnes docimastas; & vitiorum redargutores in crucem agat, vt eo liberior sit exercitatio veneficorum, & monetas adulterantium ex sententia & præscripto Alexii, & aliorum, quos nullus Palmarius infestauit.

Palmarius dolet veneficia tangi. Vide I. Bapt. P. lib.16. magia. c.4. de charta ouo includenda: & c.11. de epistolis aperiendis: VVeckerum de Secretis lib. 14. c.2. Oua intoxicare dicitur secretum Italorum.

De Quartatione auri argentati.

De aqua regia ad purgandum aurum

Transuolat postea à *cap.37.* ad 40. in quo *modum purgandi aurum per Quartationem* Libauius quamquam mutilarum (debuerat enim massa auri argentati prius cæmento, vel cineritio excuti, vt imperfecta metalla secederent) proposuerat ex sententia cuiusdam artificis sic præcipientis: *Aurum argentatum tribus argenti partibus confusum, AQVA REGIA purgatur. Quicquid in eo est alienum soluitur solo auro resistente.* Hæc erat præceptio. Libauius adiecerat, si regia opus procurari debeat, non oportere esse nimis acrem: alias & aurum corrodi. Nolebat nimirum Libauius in os contradicere artifici: argumento: quia vel regiam pro forti posuerat: vel eam ita attemperare nouerat, vt citrá auri periculum solum argentum corroderet. Scimus regiam seu Imperatoriam dici fortem, & fortem regiam si qua est paulo acrior: qualis est quam *Erkerus* destillat ex aqua forti communi adiecto sale fuso sine ammoniaco. *Neque enim verum est quod illa aqua sola aurum corrodat.* Faciunt idem & aliæ fortes si quæ sunt paulo acriores. De Regia quoque dissentiunt autores. Alius dicit per eam tantum aurum & sublimatum argentum viuum solui: alius aurum & æs tantum, vt in auro fabrili, & monetario: alius omnia: Et est fortasse cuique sua experientia. (*a*) Nam *in graduationibus* ars est mirabilis. Sed finge Regia tantum solui regem solem, seu aurum. Quid diceret Palmarianus quidam versifex, si autor Libauii responderet *suam quartationem alium sensum habere quam vulgarem*, vt quæ aurum in amplum diffusum liberius posset aggredi adhibita regia, quam forti communi? Libauius fateretur se non assecutum esse dictum, neque ideo tamen abnormiter errasset. Sed Palmarius etiam sapientiam ipsam ausus fuisset censere, & iam fortasse in purgatorio omne aurum suo iudicio excoquit: nullo chymico audente vel mussitare. Libauio viuus impegit notam inscitiæ, quasi ignorasset *Regiam dictam, quod SOLVM REGEM vulneret.* Suaue delitamentum. Imo legerat Libauius Erkerum qui tum omnia metalla, tum aurum & æs eius virtuti subiecerat: Idem nouerat alios argentum viuum sublimatum quoque ei obnoxiũ reddere. Ipse vero aurum monetale per regiam totum soluerat. Id autem ex ære simul & auro conflatum erat. Insuper *Regia eneruata vix aqua fortis communis vim assequitur, sicut vicißim chrysulca exasperata non cedit cæsaria.* Hæc cogitate poterat Palmarius, & à temeritate reprehensionis abstinere, si sapere quam criminari maluisset.

De nigredine ex auro in putrefactione physica.

Addiderat Libauius eos, qui tenentur LAPIDIS autifici studio aurum purgare *cæmento*, postea *antimonio*, tandem *Regia* vt calx fiat, qua scilicet vtitur pro *fermento*: Sed prius per alcalisatum vini spiritum præparata, & aquis dulcibus abluta: quanquam etiam satis possit esse antimonium & cineraceum, vnde raptum aurũ ab adhærentibus sordibus, & saulla detergi liquoribus salsis, & ablui porro dulcib. possit. Ita paratum facilius fatiscere in *sulphur nigrum* quod artifices in mystica sua putrefactione & solutione spectant, cuius rei specimen ipse Libauius viderit suis oculis, vtpote qui periculum secundum literam facturus, aurum præparatum in mercurium detersum ex alme, & septies per alembicum traductum immerserit, & calore modico multam nigritiem elicuerit, cum tamen tam aurum, quam argentum viuum studiose essent præparata, & purificata. (b) *Animi gratia id tantum machinabatur*, ita ratiocinatus: *Si quid solidi est in arte: saltem aliqua nota emerget ingenium naturæ, & sui veritatem comprobabit.* Dictum, factum, atque insuper etiam conspectum nigredinem illam erubescere.

Palmarius de lapide sine auro.

Sciebat Libauius *tam crasso apparatu artificium istud non constare: Veruntamen gratum erat etiam illud qualecunque signum.* Quid de hoc Palmarius? Non potest ferre scilicet Libauium id vidisse, quod vidit, cumque non possit efficere vt visum sit non visum, vituperat materiam; & studium circa auri. *Cedo autorem*, inquit, *qui pro materia aurum, pro igne Reuerbitium, pro dissoluente regiam proponat.* Agr dabitur: ita Lullius in claúicula de materia: *Quando argentum nostrum viuum corporale, quod est fixum & calidioris natura quam vulgare* (Ea est descriptio auri naturalis, quod nihil est aliud quam argentum viuum optime coctum in natura.) (c) *est conuersum in argentum viuum currens non tingens digitos, & commistum vulgari* (magno artis studio præparato) *iunguntur, & amplexantur se vinculo amoris vt nunquam separētur, veluti aqua mista cum aqua, &c. Argentum viuum nostrum est calidum siccum actu: vulgare est frigidum humidum paßiue sicut fœmella.*

Vide horum explicationē infra in tractatu AZoothi & Riplai &c.

Fermentum solis.

Aqua sicca est mercurius.

Aqua nigra.

Ignis internus.

Hæc *capite* 1. In 2. modum docet calcinandæ lunæ, & soluendæ per aquam fortem ex vitriolo, & halonitro cœlesti puritate donatam. *Cap.12. Addenda est aqua prima solutionis: qua solutione facta addatur aliquod citrinum, quod est AVRVM per modum coniunctionis cum destillatione totius animæ, &c.* Huius auri purgandi præparandique caussa menstruum descripsit ex colcotare, halonitro & cinabari: Item oleũ Tartari: *quorum omnium sensus filiis doctrina patet*: Et si omnia excussa fuerint, parei tandē ex *natura sumi materiam duplicem, vnam argentum viuum, alteram aurum minerale vel argentum: illud pro rubeo fermento, hoc pro albo: sed argentum viuum vti in natura est & vulgo prostat, nondum esse mercurium: ipsum tamen in suo ventre gerere: sicut & aurum populare nondum est aurum philosophorum: sed tamen est materia.* Quod seminabis illud metes. Metere vis aurum. Ergo. Geber: *Solue aurum in aqua sua coque & prapara*, vt in argento dictum est: *& habebis fermentum solis. Ita dissolue argentum in aqua sua corrosiua, & fac oleum argenti, &c. Stude argētum, vel aurum resoluere in aquam suam siccam quam vulgus vocat mercurium, & hoc vt duodecim portiones contineant partem vnam corporis perfecti. Nam si cum igne lento bene rexeris, inuenies per 40. dies corpus illud in meram aquam conuersum, cuius signum est nigredo, &c.* Omnino Geber medicinam extrahit ex corpore perfecto per mercurium, qui actu substantiam habet, estque corpori perfecto adeo cognatus, vt intime cohæreat, & inseparabiliter, modo duæ superfluitates per sublimationem ab eo sint separatæ. Si de igne q̃ras *interno*, Sedinuogius cum aliis Philosophis expresse scribit esse *in sulphure corporũ perfecti.* In processu *Anshelmi*, recipitur *aurum obrizum & mercurius magno artis studio præparatus decuplus, & vtrumque simul lento Vulcano coquitur donec solutio & coagulatio peracta sint, &c.* Omnino omnes philosophi nullam aliam materiam habent nec nouerunt, nec inuenire potuerunt vnquam, in minerali lapide. In vegetabili quid requiratur, vide *cap.18. lib.2. syntagmatis* ex Lullio.

Non

Non dixit Libauius solum aurum esse materiam. Stolidus iste conuitiator sententiã eius bene potuisset ex aliis colligere, si noluisset turpissimo calumniæ vitio se contaminare. Ridiculum autem est dum exigit vt demonstremus philosophos pro igne reuerberium istud vehemens purgatorium requisiuisse. Quis hoc vnquam dixit? Libauius scripserat quosdam suum aurum ita præparare. Quem ignem in opere adhibeant magistri, potest quidem Reuerberii dici, sed mystici. Neque enim in coctione opus est tanto calore quanto cum aurum repurgatur cæmento. Calor mitis reuerberat in Athannore: Hac ratione reuerberium est: sed cuius calor tantum est insiti prouocatiuus, qua de re alibi. Cum iam fixus lapis est, non negandum est etiam validum reuerberium adhiberi, vt vltimam rubedinem consequamur. Ita delirat miser ille conuitiator de soluente regia. Hæc in præparatione mercurii & auri postquam crebris destillationibus, & circulationibus cœlestem naturam est adepta, à multis vsurpatur: In ipso vero opere locum non inuenit. Alii vero fermentum per argentum viuũ præparare malunt quam antimonio, cæmento, regiis, quia per hæc aliquid peregrini inducitur, & hũmiditas radicalis vitiatur: Imo vis seminaria corrumpitur. Verum de his omnibus alibi prolixe & perspicue tractauimus. Palmarium istum miserum ignoratio rei, & stulta persuasio decepit: Dum ait: *norunt omnes, quam pie talia reiiciant philosophi, & iurent à talibus abstinendum esse:* nescit quid garriat. Philosophi suum habent aurum, suum argentum: suum mercurium, suas aquas, suos ignes: quæ, quo modo à vulgaribus sint distincta, sciunt artis gnari: Et tamen id quo vtuntur est, argentum viuum naturale, aurum, & argentum naturale, ignis naturalis, & opus quod procurant fit naturæ gestu, regimine artis in vasis artificialibus, reuerberio mystico, vt tandem euadat medicina quæ ex hydrargyro, & imperfectis possit facere non tantum aurum natiuo æquipollens; sed & altius graduatum. Cogitate de his amplius vos Sorices Palmariani, & inuectiuis vestris Libauium lacescere abstinete. Iam ad puluerem descensorium.

Reuerberiũ sapientum mite generatiuum nõ destructiuum.

Aqua regia cœlestes ante opus in præparatione locum habere possunt, non in ipso opere.

Capite 46. lib. 2. tract. 1. Alchymiæ docuerat Libauius ex aqua forti posse argentum reduci absq; affusione salsæ aquæ, & destillatione, *iniecto puluere descensorio qui constat ex arsenico & halinitro calcinatis.* Palmarius primum *irridet* artificium. 2. *absurdum putat* esse: quia nec *halonitrum nec arsenicum possit metallum deprimere:* Ratio est: *quia halonitrum iam est in forti aqua, in qua dissoluit, non separat: Arsenicum vero soluit duo luminaria. Deinde talem aquam, qua istum puluerem receperit, negat amplius vtilem esse ad quartationem:* Tandem *videtur artificium admittere quidem, sed non per arsenicum:* Vnde concludit Libauium talia audisse, non fecisse. Hæc ille. Nimirum arrodere potuit artificium: experiri non voluit: Et vtinam id fecisset sobrie, & cum aliqua industria. De Libauio certum est; ipsum non suam artem scripsisse sed sparsam collegisse. Itaque artifici credentem istud artificium proposuisse, quod non tantum in solutionibus per aquam fortem adhibent magistri, sed & in eliquatis, quod Germani vocant im Fluß oder Gußscheiden/ hoc est, separare metalla in ipsa eliquatione, vel fusione, quando scilicet iam fusæ in catinis massæ inicitur puluis segregatorius cuius vi repercutiente & detrahente alterũ ab altero secedit & graue sidit, fitque regulus, leue natat. Vide de hac arte docimastas & metallorũ segregatores, qui etiam aliter artificia sua industrie procurare norunt. Pudor hic vester est, versifices Palmariani. Consulere debuistis vulgares Docimastarum libellos, & in illis circumspicere num vester ille cliens, seu patronus (vtrum vultis eligite) ex arte contra Libauium scriberet, an inertia, ne vestro calamo venenato hominem innocentem læderetis. Quid diceret ille vester si viueret ad artificia longo vsu comperta? Conuocate metaphysicos vestros meteorolesches & logicos iactatores. Quærite ex illis num fieri possit separatio talis: *Puluerem Chelidoniæ maioris* (Quære mineralis sit an vegetalis) *misce cum stibio. Proiice misturam in æs auratum in catino fusorio. Stent tres horas in fluxu. Effunde ad rigulum. Hunc decussum cum plumbo & borace purga.* Quæ hic ratio separationis? Cur stibium non coniungit vires cum ære, & aurum iugulat, inque fauillam vertit, præsertim cum eius sulphur, & mercurius sit rapacissimus? *Cape stibium, sulphur & boracem. Coque ex vrina horis quinque, coagula. Huius pars vna proiecta super decem æris aurati eliquati, præcipitat aurum in regulum:* vel: *æs auratum cum duplo plumbo in cineraceo fulmina, vt spuma abstracta metallum sit purum. Cape salem, sulphur, halonitrum, arsenicum, nempe singulorum trientem: Contusa, mistaque proiice super offam liquefactam. Sidet aurum. Aes poterit per canalem, aut oculum subtracto cono deriuari. Regulus recoquitur cum plumbo. Massæ solis & lunæ sextans addito æris Sicilico, & stibii purgati drachma granulantur. Cum granula humectata commiscetur sulphuris ex lixiuio cocti vncia. Fit cæmentum relicto in apice spiraculo. Datur ignis per gradus. Tandem emerget regulus in quo didrachmum auri, quod per fulmen enitescit, si in fluxu stilo ferreo bene misceatur. Si argentum ex plumbo segregare vultis modo eodem: scobem ferream vel arenam puram cum plumbo argentato alternis disponite. Illata in ventosam eliquate. Miscete bacillo ligneo. Si ferrum deficit; submittite. Argentum colligetur in regulum: ferrum cum plumbo natabit. Si hoc cum elimato ferro & sale excoquetis recipietis plumbum.* Si tam sapitis: agite, expedite singulorum rationes. Id erit ingenio vestro honorificentius quam virulentis satyris in Libauium debacchari.

De indicio pulueris descensorii in soluto argenti per aq fortẽ.

Contra stultos logicos & metaphysicos qui ratiunculis suis phantasticis experimenta conantur euertere.

Aurum & argentum segregare ab imperfectis commistu.

Argentum à plumbo segregare.

Sed & hanc artem omissis inuectiuis excutite: Fuit in Germania, qui disceret separationem argenti ex stanno nobili, quale est Anglicanum, Caballinum, Hubanum. *Liquauit massam, & iniecto medicamine regulum argenteum sidere fecit. Illum excoxit.* Nostri metallurgi ex amplo in angustum sic cogũt aurum, & argentum. Itaque sæpe fit vt ad regulum trium bessium requirantur aliquot centum pondia.

Argentum ex stanno.

Fit fluxus ex arsenico, & sale. Hic infusum stannum argentatum proiectus præcipitat argentum, natante stanno. Vel: *Cape sulphuris libram, salis communis selibram.* Fiat *puluis. Huic adde parem granulam ex stanno aurato, vel argentato, vel etiam duplam. Excoque in anemia pro regulo.*

Alii ex calce tartari & viua colligunt salem, cui addunt parem ferri scobem. Misturam coquunt ex quindecim mensuris lixiuii facti ex cinere clauellato, & calce viua, præmissa maceratione

diurna. Coctam cogunt in alcali, cuius sextantem proiiciunt super librã granulatum stanni, & in ænemia fundunt. Sol & luna est in sedimento, igne desuper adhibito. Aurum aũt ab argento separare in fluxu sulphur alcalisatum (coctum forti lixiuio donec non amplius fumet super prunis) optimum est. Aurum secedit in regulum: Luna est in scoriis, quæ recoquuntur in argentum super testa vel cineráceo addito plumbo.

Alii Tartari triplum ad vnam partem stibii ponunt. Misturæ duplum iniiciunt in metallum. Sulphur cum tertia parte salis separat argentum & aurum monetale in fluxu. *Sulphur, plumbum, sal ammoniacus & argentum viuum mista segregant argentum à plumbo, ferro & stibio.* Quis ista inuenit? Aut quod ingenium est, quod horum queat exactam rationem reddere? Ex aqua forti separare calcem lunæ per aquam dulcem & salem in vase æreo, vel cum lamina æris (*at ad se rapit argentum: plumbum assumit calcẽ auri: ferri lamella allicit cuprum:* aut destillatione abstrahere, vulgaris est artificii, quod Fachsius, Erkerus, Agricola, & alii probatores diligenter describunt. Sed non nihil est in *medicaminib. præcipitatoriis*, quorum aliqua etiam vrinas, murias, diluta, &c. separare possunt.

Nota etiam superiores pulueres posse in liquores solui. Crollius præcipitationem salẽ vocat repercussionem, cuius exempla ex ipso Penoto, Quercetano, &c. proferemus in Alchemia pharmaceutica.

Halonitri & æruginis pares commistas in porphyrio incende vt deflagrent, fiatque puniceus puluis. Hunc solue deliquio. Liquoris inde facti si vnam atque alteram guttam immiseris in solutionem argenti, pessundabitur, & sidet calx eius. Id autem repetitur. Aqua denuo in vsum reuocatur, & si debilitata est, affusa integra, vel noua materia restituitur. Si aurum est in regia, iniectum argentum viuum id colligit. Cum *mercurium vitæ* ex regulo stibii & argento viuo sublimato conficiunt, in ampulla recipiente *liquamen* consistit. Si huius pilulam pisi, vel fabæ instar inieceris in argenti solutionem bessium quatuor: aut auellenæ magnitudinem solutioni bessium octo commiscueris, turbabitur & sidet calx argenti. Repete id donec turbari desinat. Aqua decapulata reficitur noua forti, aut spiritu ex vitrioli cremati *lib.* 2. & salis *lib.* 1. si eius cochlear iniiciatur.

Argentum ex solutionibus repercutere.

Nouumne fuit Palmario medicaminibus turbari, & secedere solutiones? An ille vnquam cremorem sulphuris fecit, & lactis virginei, similiaque multa? Num vnquam vidit *liquorem plumbi spiritu sulphuris repente coagulari, & per acetũ ex lixiuio reduci stibii sulphur?* Abundat ars chymica experimentis; quæ cum Libauius reponit, iam ad rationis deliræ tribunal cogitur, & à stolido Palmario irridetur: à soricibus eius (tanquam Diogenis muribus parasitis) versibus ignominiosis per iniuriam læditur: Belli sane estis Gallorum Basilisci. Ad iudicium quod attinet, indignum quidem id est reuisione: Veruntamen propter artis studiosos nonnihil dicatur.

Reficere aquam repercussionis.

Pecus Palmarii misorum: versifices improbi.

Negat halonitrum efficere vt metallum descendat ex aqua forti: quia insit. Stulte: non inest halonitrum sed eius spiritus. Aliquando & salis spiritus inest: & nihilominus per salem cum aqua dulci præcipitatur metallum. Cum soluitur aceto litbargyros, aqua quidem cogit solutum: sed sal additus melius: Nã *acria agunt in acria & finiunt ea seu determinant, sicut cum decoctum sulphuris ex lixiuio liquore tartari præcipitatur aut aceto.* Multa verba fecit ille blatero de *igne suo naturâ*; multa de *sublimato* per contrariũ venenum iugulando, aut etiam per proprium mercurium domando. Idem inculcauerat Quercetanus. Tam stupidus erat in artificio hoc descensorio? Vt autem acrius esset medicamen, nec nitrum, nec arsenicum integrum iniicitur, sed calx salsa vtriusque. Itaque temere garrit, dum contra arsenicum verba facit, quasi adiecto sale nitroso non possit descendere calcem Lunæ, *quia soluat vtrumque luminare.* Et soluat sane, atque etiam corrumpat, liguriatque, & in fauillam vertat argentum in cineraceo, vel conflatorio: Num ideo calx eius nequeat ex aqua deprimere calcem lunæ? Nõ vult cum arsenico. Sed in Nolle aut velle Palmarii ne γρῦ quidem est, vtpote cuius autoritatem sapientes ne rancida quidem nuce redimendam censeant. Adhuc de hoc indicio.

(a) *Vide Fachsium de probatione chrysulca: Agricolam libr. 7. de re metallica, vbi de quartatione seu ☉ à ☽ separatione: & lib. 10. in principio, vbi quadam fortis etiam salem ammoniacum recipit. &c. si in aquam fortem communem iniicis salem vulgarem, negatur amplius adoriri argentum, sed tantum cuprum. Sin autem salem armeniacum, tunc aurum inuadit. Verum est temperamentum, quo & auro parcit: Est gradus, quo nullum metallum inoffensum relinquit: & tales aqua parari possunt etiam sine ammoniaco. Singulare est, cum argentum viuum sublimatum accedit: & cum paratur ignis gehennæ. Vide quæ Dornheuserus de metallorum resolutionibus prodidit, vbi in argento soluente non omittitur ammoniacus, vt & in sulphure Veneris, &c.*

(b) *Nota, quod hoc experimentum etiam ab aliis fuerit allatratum: sed qui scopum nostrum minime sint assecuti, putantes vmbram rei esse rem ipsam. Quæ vero sit interior sententia, aliis libris aperitur, Ne tædeat inquirere. Quod in vno non inuenis, occurret in alio. Talem vmbraticam nigredinem habes etiam in Suetonianis de antimonio: Vnde discis homonymiam capitis corui.* Quæ *de auro ponuntur, vulgaria sunt: suo loco disces, quodnam aurum sit assumendum.*

(c) *Palmarius c. 30. p. 144. Metalla sunt fixus & congelatus mercurius, supra ex Penoto & Arislao, qui sentit cum Thoma & cæteris, aliquid dictum est: & hoc quidem de minerali lapide. In vegetabili, & animali est quidem aurum sui generis: attamen vt potabile minerale fiat, hic quoque assumi potest de mysterio vero, quod amplius subest istis verbis, inuenies infra in septade termetica. Satis est aurũ natiuum assumi docuisse.*

CAPVT

CAPVT XLVII.

Declaratio & repetitio doctrinæ de Elementis & principiis pro luce veritatis in hac parte Alchymiæ.

ITa contra Libanium de Elementis & principiis disputat, vel potius garrit Palmarius, ac si contra alphabetarium pædotribam, qui præter Elementa Grammatica ad quæ discenda crustulis inuitat pueros, nulla vspiam putaret esse, ageret. Coxit iam sæpius, & recoxit cramben istam Libauius, nec potest à scurrili ista, & vesana Palmarii disciplina expectare aliud, quam quod vltimam nauseam moueat. Legat Aristotelis metaphysica, qui, quoties accipi solear vox Elementum, cognoscere cupit, vbi inueniet *vniuoca, æquiuoca, analoga*, atque adeo in omnibus disciplinis sua Elementa & principia. De physicis communibus constat vetustissimos sic appellasse *quatuor mundi naturas simplices*, & pro igne cœlum posuisse, vel calidum, vt Hippocrates cum Platone, & Poetis, qui in antiquitate iidem erant cum Philosophis vt ex Horatio & Strabone disci potest. Aristoteles *quintam* adiecit incorruptibilem & inalterabilem, cum *Elementa alia quatuor* inter se transmutabilia esse cognosceret. Quintam illam non tantum in locum *ætheris* euexit, verum etiam in *semina nascentium* inclusit, vt videre est, in 2. *de Gen. an.* 3. & *alibi*: quanquam in 1. *phys. text.* 56. *tria* tantum ponat, *Principia sua* isto termino designans, vt & in 12. *metaph. text.* 28. aliter vero in 1. *de cœlo text.* 9 1. c. 8. vbi vnum Elementum cœlum, alterum globus medius, tertium intercedens corpus. In 2. *de part. an.* primam compositionem ex quatuor quidem Elementis, seu primordiis extruir, sed dubitat an melius dicatur *ex virtutibus Elementorum*, dum humiditatem, caliditatem, siccitatem, & frigiditatem vocat materiam corporum compositorum: In meteoris vero à motu, & immobilitate qualitates illas in materiam communem inuehit, eamque ita distingui docet vt sublunaria quatuor exoriantur.

Physica Elementa scholarum veterum.

Natura quinta in cœlo & seminibus viuentium.

Elementa Arist. varie censa.

Ista Aristotelem varie pro suo ingenio differentem non curant hi, *qui quod arcanum in rebus est manifestant*, quos Arabes vocant *Philosophos & sapientes*, quorum est, vt Melues loquitur, *formam à materia separare*, seu *essentiam, quæ est potestatum specificarum in mistis sedes*, primumque subiectum, ab Elemētarib. partibus, quæ p̄ter primas qualitates vix quicquam memorabile in se habēt, segregare. Ex hoc instituto nata est quædam proprietas disciplinæ chymicæ, quæ relinquit quidem Peripato, Academiæ, Galenismo, suum elementarium, sinitque in eis doctos abundare suo sensu: Ipsa vero suo more iudicat, & loquitur, appellando *Elementa matrices & capsas*, seu *inuolucra essentiarum*, non nouo, sed antiquo & Hermetico vsu, qui etiam apud Platonem, & Timæum Locrum inuenitur: *Essentias* vero ipsas, *naturas cœlestes, formas, & quintas substantias*, quandoquidem quæ separantur à proprio potestatum subiecto duo sunt inconspicua, vt igneus & aereus spiritus: duo conspicua, & crassa, videlicet aqua, quæ & phlegma, & terra, quanquam nullum ex his vltima constet simplicitate, quod & Aristoteles in suis agnouit, & illi, qui differunt de resolutione mistorum per putredinem, aut violētam corruptionem, resolutas partes ἐντελάτει accipiunt. Ita quatuor partibus matricis primæ remotis, *quinta natura* est in qua virtus misti, & vt loquuntur quidam crasis essentialis specifica. Verum enimuero quia hæc natura non vna comparet forma, sed diuersa, idque siue per se, siue per singularem elaborationem: vtrumque autem non sine qualitatibus, & affectionibus Elementaribus, quippe cum Deus tam arcte commiscuerit omnia creando, vt penitus diuelli vlla vi mortali nequeant, atq; adeo cum quinta illa natura semper maneat aliqua Elementalis portio, quanquam exaltata pro instituto artis gradibus inferioribus, superioribus: hinc euenit, vt non tantum illa separata acceperint nomina Elementorum, quæ sunt analoga mundanis physicorum: Verum etiam essentiæ diuersæ. *Ignis* enim dicitur, quæ tactilibus qualitatibus igni est affinis: *aer*, quæ aeri, vt spiritus igneus, & oleum aereum: *aqua*, quæ communi aquæ, vt sunt stillatitiæ vulgares: *terra* quæ terræ, vt sales, seu coagulati, seu resoluti. Ex omnibus autem elaboratis, & reunitis fit Elixyr, & variæ plurium compositiones, aliaq; multa pro vt elaborantur, siue tincturæ sint, siue essentiæ, & spiritus cœlestes, flores, fixa coagula & similia.

Chymiæ Elementa & principia.

Essentia.

Essentia Elementorum nominibus appellata.

Elementa chymica triplicia.

Varium enim est ingenium artis. Ita est duplex ratio Elementorum in Alchemia; *vna* essentialis, vel formalis: *altera* excrementitia, & materialis. Accedit *tertia* quæ est rudimentum vtriusque, & vocatur *magistralis*, seu magisteriorum, quando mistum in quatuor partes diuersas dissoluitur, quarum quælibet essentiale quid, & Elementale, quæ postea separantur elaboratione essentiali: quanquam aliquando id, quod vsu rerum, longaque experientia excellere in corpore misto animaduersum est, solum petatur, reliquis neglectis: Interdum duo, quibus valet, spectantur. Est & cum tria: Et tunc coincidit ratio principii & Elementi, diciturque Principium respectu *essentiæ formalis*, quæ triplici vultu in separatione, elaborationeque essentiali exit, nempe *olei, liquoris aquosi, & salis*. Hæc tria cum adhuc sunt cum suis fecibus: nihil sunt amplius quam *magisteria catalyseos*: Cum vero separata & exaltata abiectis fecibus elementaribus, transeunt in familiam essentiarum, fiuntque etiam *quinta* sublimatione artificiosa. Est autem aliquando in arbitrio artificis, velitne totum in quatuor Elementa dissoluere: an in tria principia magistralia, & postea elaborare essentialiter: aliquando trahitur à natura rei. Ita se habet tertia significatio Elementorum apud chymicos. Superest quarta, quam mysticā maximeque philosophicam appellamus, vt quæ non sit diremtio in quatuor partes, sed *vnius per quatuor dispositiones mutatio*, quæ fit in magisterio magno lapidis philosophorum, & his quæ ad similitudinem eius

Quarta significatio Elementi.

nem eius

2. De ortu. c. 3. lex. 23. 1. meteor. c. 3. Terra calida ob ignem contentum. Arist. de mũdo cap. 4. De sensu c. 4. Meteor. c. 3. Hip. in lib. de natura pueri. 1. Met. 4. Item 3. & 7. Nigredo in lapide.

nem eius elaborantur. Hic igne externo in præparata materia vna, eademque industrie procurato in suo *Athanore & tripode, ouoque arcanorum, internus ignis* gradatim facit mutationes, quæ à frigido humido, quæ est dispositio aquæ, paulatim progreditur in siccum calidum grossum, quod est terreum (*Terra* enim in hoc magisterio non est frigida, sed *calida*: qualis est & terra mundi non illa quam fingunt in scholis garrientes philosophi elementales, sed quam sensus docet esse intus plenam igni, idq; fateri coactus est Aristoteles & agnouit Hippocrates cum illis qui ignis potestatem magis valere in terra, quam sub luna indicant, quandoquidem in terra est actu, & potentia: In sublunari regione tantum potentia, nisi quid halituum ibi concrescat, & motu accendatur, quo modo et alias vult Aristoteles inde calorem existere.) E terreo reuocatur ad aqueum, indeque transit in aerium corpus, oleo comparandum. Ex aerio transitus est in igneum fixum, si placet artifici, idque non alio artificio, quam ignis externi continuatione, vt internus plane producatur, seque etiam colore rubro prodat. Terra enim alba est, aer candidus, & splendens: aqua pura, & translucida: quanquam non diu. Nam in principio operis dum calor agit in humidum frigidum, tenebræ ex abysso emergunt, & superaqua diu manent donec lux oriatur. Postquam autem igneum elementum apparuit, id quod fit in solifico tantum, totum opus reuocatur ad carceres iamque addito fermento denuo soluitur, & coagulatur, in quo iterum apparent signa Elementorum, & colores cum dispositionibus, sed modo essentiali. Est & rota quarta. Nam ignis iste per fermentum auctus, resumtis initiis denuo elaboratur, & ad quintam naturam adducitur propius: indeque iterum propius donec ad summum subtilitatis, & nobilitatis in qua ars acquiescit peruenerit.

Elementa temperare.

Solent illi pro optimis conflatorib. haberi qui possunt Elementa temperare in excoquendis venis: hoc est, ignē & flatus accōmodare metallis in fornace rite instructa, iuxta naturam cuiusque mineræ (neque enim est vniformis:) Deinde lutum mistum carbonibus industrie apponere, quæ est terræ adhibendæ solertia: tandem etiam affusis aquis ignes excitare, vel excocta restinguere ne exiliat ex catino offa, &c. Loquuntur nimirum metallurgi de Elementis suo modo, ita & chymici, qui *totam artem nihil aliud esse dicunt quam Elementorum procurationem & mutationem.*

Conuerte Elementa & quod quaris inuenis.

Hoc antem dum sic enunciant, non euertunt artificia superiora: sed ipsi pro se loquuntur in suis mysteriis: aliis nihil præscribunt. Itaque & cæteri magistri habent Elementa sua, & hi qui essentias ex mistis colligunt sua. Ita est & de principiis. Inde factum putamus vt *Michael Sedinvogius in nouo lumine chymico* (vt appellatum est postea) seu *tractatibus 12. de lapide philosophorum*: item *Cornelius Drebelius* Hollandus, & alii magisterium lapidis pene totum sermone de elementis expediuerint, quale quid & *Rosinus ad Sarratantam* Episcopum scribit. Et *Aristoteles chymicus* ait: *Conuerte Elementa, & quod quaris inuenis. Nostra enim compositio est naturarum mutatio, & earum calidi cum frigido, humidi cum sicco admiscibilis connexio: quippe aquæ frigiditas, & ignis caliditas, aeris humiditas, & terra siccitas ad inuicem concorditer ligata integrum primum constituunt generatum, &c.*

Nunc videamus, quibus arietibus, aut machinamentis Palmariarius genius istam, quam Libauius sæpius inculcauit, doctrinam subruere, & euertere sit conatus.

CAPVT XLIIX.

De argumentis Palmarii contra Principia & Elementa chymica ex capit. 32. pagin. 148. Vbi 45. deliramenta Doctoris Parisiani demonstrantur.

Elementa & principia Palmarii vnum.

DE principiis & Elementis Palmarius ad rauim declamauit *capit. 7. pagin. trigesima quinta, & cap. 8. pagin. 41.* quibus conatus est chymicorum assertiones funditus euertere, & conculcare. Ipse vero opposuit *quatuor Elementa mystica* in artificio lapidis. & *quatuor humores Hippocraticos cap 9. pag. 48.* iuxta medicorum mentem: vnde regula: *Est in humoribus quicquid quærunt medici*: quæ tamen euertitur decreto sapientum: *Est in mercurio quicquid quærunt sapientes*, nisi forte probatum fuerit 4. humores Hippocraticorum esse idem cum mercurio Hermeticorum sapientum.

Sal.

Agnouit & *principia mercurium & sulphur*: sed vt Elementa magice exposuit: ita & principia, *quasi vna eademque res aliter, atq; aliter se habens modo hoc, modo illud nomen acciperet*: *salem* ad Paracelsum reiicit, quasi non ante ipsum hunc quoq; agnouerint, & proposuerint chymici, qui & interdum nihil tam requirunt in suo artificio quam salem fusilem, & fixum.

Matrices rerum.

Non autem potest carere resolutionibus & resolutorum partibus. Ideo *pagin. nonagesima sexta*, Reiectanea habet, quæ itidem ponenda sunt, cum extracta laudat, vt *capit. trigesimo tertio*. Est autem aliud *extractum*, aliud *relictum*, *capit. 10. pagin.* 54. disputat *de matricibus communibus omnium*, & Elementis, aqua, terra, sulphure & mercurio, quod & *capit. septimo, pagin. trigesima sexta, & trigesimo septimo, &c.* licet ibi *duo nomina* doceat esse *rem vnam*. *Capit. trigesimo, pagin. centesima quadragesima tertia.* mista simpliciter & artificialia vult redire in sua prima: non autem generata, quæ irresolubilia putat per ariem, vt disputat *pagina centesima vigesima septima, capit. vigesimo quarto*, & *capit. 10. pagin 56. & sexagesima*. Vnde concludit *alia esse natura, alia artis principia & Elementa, pagina quinquagesima septima.*

interim

Intetim *vinum resoluit in 4. Elementa pag. 97. cap. 18.* & insupet etiam *quintam essentiam* mitifice commendat *cap. 13. pag. 76. & cap. 14. pag.* 83. mundum consuit *ex 4. Elem. & quinto cœlo: artig;* itidem tribuit quatuor ista cum quinto. *cap. 15. pag. 87.* essentias minetalium astris comparat, docetque fixas & immutabiles esse, cum fixitas ista retineat latitantem essentiam *cap. 18. pag. 98.* Spiritum soluit à corpote; & modo dissoluit, modo dissolui negat *pag. 108. & 127. mercurium pag. 111. in tria* dirimit, *florem venenatum, mediam substantiam medicam, & caput mortuum impurum:* duas extremas partes repudiat; mediam seruat. Hæc & similia pro libitu ponit, reiicit, laudat essentias quintas, extracta, olea, aquas, sales, &c. & horum gratia spagyrian, seu pharmacochymian comminiscitur. Humanum erat inconstantiam, & contradictionem æstu disputationis actiotis rapto condonare: sed ille non humanitus se gessit. Itaque *mentis quidam morbus est non videre quid agas*, & an non tu ipse ponas quæ in alio ferre non potes: *Sathanicum est furere contumeliis, & maledictis eam ob rem, quam & tu ipse profitearis* non parum similiter. *Primum* accusatur Libauius, quod *capite de principiis & Elementis purè Paracelsica* habeat, atque adeo non possit se liberare à Paracelsismo, quasi medium quid teneat. R. Mirum istum blateronem aulum fuisse vel hiscere qui nunquam quid sit Paracelsicum purè intellexit. Si enim intellexisset, nunquam Paracelsicam Suchenii sinister amplexus, nec vnquam commendasset ea quæ perditissimus quisq; Paracelsistarum *de igni quodam qui*, vt Gramanus loquebatur, *solus omnia optimè peragat*; qui etiam in corpore humano tantum malum seruato bono persequatur, vt tum alii Paracelsistæ scribunt, tum *Ambaldus* omnibus neruis obtinere contendebat. Ita cum Medicos, & medicinam infelicitatis sine chymia accusat, quid aliud facit quam Paracelsistæ? Non obscuræ Paracelsiæ notæ sunt in dedicatione. *Capite 6.* vbi naturā & chymiam comparat *Gramanum ad viuum reducit*, atq; arti etiam vltra naturam facultatem asscribit. *Quæ Libauius bona in Paracelsicis inuenit, ea tanquam gemmas selectas in arte collocauit, sciens non Paracelsica inuenta esse, sed superiorum chymicorum*: quos à se consultos & adhibitos fuisse ne ipse quidem Paracelsus negat. Non ita ptidem Bernhardus à partu Aquitanus *edita Theoria Isaaci Hollandi ad calcem eius* de Paracelso hæc adiecit: *Si extarent opera Isaaci, & in lucem mitterentur, Paracelsi opera sepelirentur, in cuius librum de opere vegetabili* (opus minerale editum est *in tertia parte Theatri chymici* Zetzneri an. 1602.) *cum incidissem, reperi de verbo ad verbum doctrinam de* TRIBVS PRINCIPIIS, *& de separatione IV. Elementorum ab eo desumtam, vt de gradationibus medicinarum ab Arnaldo, a*r*bidoxa à Lullio: de arcanis à Rupescissa* taceam. *Nihil prorsus à se ipso prater vitia & maledicta: Synonyma ab Harlando Anglo tenet: à Trismosino varia. Si quis atiente Arnaldum legerit & Raimundum in arte operatiua, animaduertet Paracelsum istorum virorum scripta truncasse, & sibi vendicasse. Legite Lanfrancum. Animaduertetis ab ipso Paracelsum suam chirurgiam sumsisse. Cur non citat Arnaldum capite de Paralysi, & de Galbaneto, libro de morbis Tartareis?* Hæc Penotus; quorum similia etiam CRATO dixit, & res ipsa docet. Conferat aliquis cum Paracelso Basilium Valentinū: semitam rectā Philosophorum; Nicolai Schartensteteri collectanea circa an. 1442. 1511. &c. Certè *quæ de Elementis & principiis habentur, longe ante Paracelsum in arte fuerunt*, quanquam ab isto agytta nonnihil deprauata. Si Libauius repudiata saliua Paracelsi studuit tersam, nitidamque de elementis chymicis, & principiis doctrinam exhibere, num iure Paracelsista audit? *Secundo*: Scripserat Libauius *alia esse elementa chymicorum ab Aristotelicis & Galenicis*. Id ferre Palmarius non potuit; sed conclusit: *Ergo sunt spuria.* R. Erras Elencho non sequentis. Cuique arti sua sunt principia, & proprietas terminorum. Non fit spurium quod artificiose transfertur. Palmarius ignem naturæ, & astra agnoscit. Num ista sunt spuria, quia non Aristotelicum sensum habent? Num olla chymica norha est, quia nō est culinaria? Imo arti suæ quodq; est proptium & homogeneum, quod & lixis, & calonibus notum. Anno 1525. cum nondum in publicum prodiisset Paracelsus Philippus Vlstadius collegit cœlum Philosophorum seu secreta naturæ ex Iohanne de Rupescissa, Raimundo Lullio, Arnoldo de villanoua, Alberto Magno: quos autores nec Paracelsicos vllus Palmarianus sutex iudicauerit, nec contemnendos Alchemiæ Doctores. Iste quid de quatuor Elementis & ess. Q chymicis sentiat, legere est capite statim primo. *Quintam essentiam* (inquit) *scito esse quintum ESSE rei cuiuslibet habentis formam, speciem, & animam subtilissimam extractam à corpore suo tanquam à materia crassiori & superfluitate IV. Elementorum per subtilissimam & extremam destillationem. Ea res elementaris non est, sed ceu anima quadam à suo corpore secreta ita vt nulla in ea remaneat qualitas frigida, aut calida, humida, vel sicca, qua habent in se IV. Elementa, reliquaque omnia mixta, &c. quanquam aliquando habeat complexionem rei sibi adiuncta, cum cuiq; rei complexionata* (crasin, & temperamentum elementare habenti.) *adiungatur & eius complexionem ad se trahat. Non habet aliquid de Elemento terreo frigido, sicco: Et quanquam non sit Elementum: Est tamen res temperata, per elementa ipsa purificata, & extracta à fecibus IV. Elementorum, quæ sunt corruptionis caussa potissima. Separantur igitur illæ feces, sicut corpus grossissimum à sua forma, tanquam ab anima subtilissima: quæ essentia, vt vocabulū commune omnium rerum, quæ formam habent, & speciem ad extrahendum ab ipsa re, licet potissimum de vino intelligatur: tamen etiam ex metallis omnibus, fructibus, carne, ouis, radicibus, herbis, &c. extrahitur.* Vide *cap. 9.* eius autoris, Item *cap. 10. & seq.* vbi exemplis ars probatur. Ista iam per centum ferè annos potuerunt tolerari, visaq; sunt veritatem naturæ nō læsisse. Iam cum Libauius non scribit ad saliuam Palmarii, exardet violentia Gallorum, ex quibus quidā Basilisci prodierunt, qui virulentissimo halitu, & versibus Diabolicis in ipsum tam Sathanicè inuecti sunt, vt non putemus ex inferno cerberum posse pestilentius. Nimirum Libauius cum vetustis ignorabat igni naturæ absq; omni separatione hic posse coqui integra, vt perinde sit, alimentum, pharmacum, venenum, pottigas: quia ista commeant arte Palmariana: scilicet. Non tamen possunt illi Diaboli negare elementa succorū, & substantiæ. Excerpunt quod vellicent calamoque virulento. Palmarii scribunt Libauium de principiis chymicis delirasse. Sit ergo hoc TERTIVM Palmarianorum flagitium.

Quid sunt principia? Respondet in arte chymica, non in caussis, & actoaterio Aristotelis Libauius: *Principia sunt quibus primū rei in quolibet mistorum genere est facta quæ cum insint, certam quoque materiam*

Vini resolutio.

Palmarius Paracelsista in pluribus culpas Libauium alicubi strenuè rem istius terminis quibus & Paracelsus.

Paracelsi furta.

Proprii artium termini in ipsis nō sunt spurii etiam si aliter quam vulgo vsurpentur.

Separatio in Elementa & V Ess. antiquorum est chymicorum professio.

substratam habent, in qua vigent, & cum qua educi possunt. Ita Libauius qui etiam declarationem adiecit, estque res manifesta. Nam per terminum FACTA EST, intelligitur absolutio, quam cum consecutum est mistum à natura procreatum, perfectum dicitur, & fit artis materia. Per terminum MISTORVM, Paracelsica simplicium dissolutio repudiatur. Per terminum IN QVOLIBET GENERE, remouetur materia communis, & non tantum genus minerale, vegetabile, animale accipitur; sed & genera specialiora, quæ subalterna vocant, vt genus auri, stibii, sulphuris: Rhabarbari, sennæ: vini, frumenti & si quæ sunt huiusmodi: ex quibus ars assumit singularia sensibilia, eaque in principia quoque sensibilia diuidit iuxta Aristotelem: *Sensibilia sunt sensibilium principia: 3. de cœlo tex. 61. cap. 7.* In his dicitur inesse, quod segregatur: in seminibus scilicet & imperfectis potentia remotiore: in perfectis vero vel actu, vel potentia proxima quæ in ipsa segregatione actuatur: quanquam ista omnia sint intelligenda iuxta genus Magisterii. Sunt enim principia quæ hic considerantur magisteria, quæ fiunt materia extractionum, & essentiarum. *Id quod segregatur non est separatim existens forma, anima, qualitas: sed est potestas rei propria in interiore totius essentia materiali per crasin suam quæ Elemento stellarum est analogos, habetque calorem, spiritum & humidum primigenium, consistens.* Ideo sine illa extrahi & separari non potest: sed nec sic explicari ex Elementis, vt horum nihil retineat, ne quidem cum essentialiter elaborata est. In magisterio tamen adhuc retinet grossitiem in partes diuisam: sed in essentia eam exuit maxima ex parte. Hanc explicationem, & sententiam Libauii ex phrontisteriis veritatis interioribus tractam quis non iustam, & sanam appellet? Mures Palmariani, & basilisci nihil bonum probare possunt. Ideo per halitum magistri Palmarii, qui magisterii dignitatem dedisputauit, sic anhelant: *An res facta est chymicè ex his principiis, vt chymicè in eadem redeant?* Quasi sorices isti sic argutarent:

Forma ab Elementis separata.

Si in in principia res facta potest redire chymicè, etiam chymicè ex eis debet esse facta.
At non est chymicè ex eis facta. Ergo.

Minor facile probatur: quia *natura res assumuntur. At hæ ab arte originem non habent, cum natura res suas faciat modis arti incompertis.* Maiorem iam aliquoties voluit probare LATRATOR; Putabat enim *nihil quod natura miscuisset posse ab arte dissolui: Arte composita sola, posse arte reduci.* R. Negatur connexum: Et dicitur ad eius probationem, quod eam nec Aristoteles, nec Galenus concedant: Imo ne sacræ quidem literæ. In terram resoluitur & congenea corpus Palmarii, poteratque etiam ignibus feralibus resolui, & arte computrescere, aut comburi: sed ars id non composuit. Legatur Galenus de lacte, vino, sanguine, &c. Quanta vero etiam malitia fuit Palmarii, qui sibi potestatem segregandi stibium, argentum viuum; vinum aliaque, & extracta faciendi concessit, cum ista omnia non ars sed natura integrauerit? An Palmarius potest soluere, Libauius cum suis autoribus non potest? Neque tamen omnia quæ ars miscuit, potest restituere suæ simplicitati. Nam mercurium philosophorum mistum vulgari, non potest reddere primæ simplicitati: vt ait Lullius: Ita aurum eodem mercurio solutum tam non potest separare quam aquam fontanam à commista fluuiali. Dicant Palmariani sorices, num possint Elixyr, Theriacam & similia ab arte mista restituere: num liquorem tartari commistum cum aqua forti? Mirum si farinam & aquam fermentumque ex pane reduxerint. *Quartum.*

Non sunt Alchemiæ principia, quæ Libauius proponit: Sed Paracelsi. R. Delirabat scriptor. Longè ante Paracelsum posita sunt sal, liquor, oleum, syncera quidem inter essentias; insynceta inter magisteria. *Mercurium vero & sulphur in lapide esse rem vnam dispositionibus discrepantem, aliqua verum est*; aliqua non. Sed inde non sequitur in aliis similiter esse; Et sit sane res vna materialiter: at forma, quæ dat esse rei, re vera sunt duo, etiam sensu. *Oleum vini* sulphur eius est; idque quinta essentia, & spiritu ardente continetur, qui ne fecibus quidem abest. Num illud ipsum etiam sal, & liquor? *Quintum.* Pudorem hic vestrum reponimus Palmariani. Attendite: *Negat* Palmarius *humana membra dissolui in Elementa.* Est quidem hoc Deo in faciem contradicere: Homo enim decreto diuino transgressionis luit pœnam solutione sui cadaueris: Veruntamen ex ipso sic argumentemur:

Sulphur & merc. aliquando tantum ratione differunt.

Palmarius negat membra solui in Elementa.

Solum mixtum dissoluitur:
Membra humana sunt mixta:
Membra ergo humana dissoluuntur.

Maior est Palmarii, qui etiam tanquam dubium probat. Inquit enim: *Quia mixtioni opponitur dissolutio:* Generatum vero corrumpitur; &c. Minorem negabit stultus. Est tamen quod in maiore notandum veniat. Nam quæ hic ponitur, negatur, *pag. 108. 109. 129. 152. Sextum. Non dissolui vult membra humana, sed corrumpi:* Argumento, *quia sunt generata.* Hinc consequens colligitur; *Cum sal, sulphur, mercurius fiunt; tum oleum, sal, aqua non segregari, sed vno corrupto gigni:* Item, *ait fuisse in mistis potestate: de nouo emersisse actuata.* Hoc vt studiosi iudicare possint liquido, in syllogismos compingamus:

Arist. simplex & naturalis generatio est trãsmutatio à Virtutibus Elementorũ primis, &c.

Ei contrariũ maximè cõmune est putrefactio, qua humida primum, post ea sicca fiunt quia ex his sunt primum facta, &c.

I. *Quod generatum est, cum destruitur desinitque esse, non dissoluitur, sed corrumpitur.*
Membra humana sunt generata. Ergo.
Maior probatur: *quia generationi opposita est corruptio, non autem misti dissolutio:*

R. Dicimus ad maiorem concedi eam de simplicibus elementis ratione simplicis corruptionis: non concedi de mistis; quæ simul mista sunt & generata. Ideo corruptio eorum non est simplex transmutatio, sed solutio simul; quæ si est naturalis, ab Aristotele dicta est PVTREDO, quam chymici exactius procurant arte. Apud Aristotelem enim nisi nouum comprehendatur (Nam corruptio aut aliud facit, aut materiam; neque tamen quicquam fit ex toto) partes nobiliores aereæ, igneæ, aqueæ fere totæ pereunt, & remanet vltimo nihil nisi fimus & terra. At chymici elementis analogas partes custodiunt. Sin est violenta, vt cum aliquid comburitur, scimus vim ignis resolutiuam: qua & ipsa chymici vtuntur aliter quam Vulcanus liber. Nam illi partes excipiunt.

4. Meteor. 1. Ecclesiasta 12. v. 7.

II. *Quæ*

II. *Quæ corruptione mistorũ fiunt, non segregantur, sed ex potentia in actum educuntur per transmutationẽ.*
Sal, sulphur vel oleum: mercurius vel aqua corruptione mistorum fiunt (non dissolutione.)
Ergo.

Vide 3. de cœlo tex. 32. & seq. In 1. de ortu cap. 10. tex. 84.

R. Maior falsa est. *Nam mistum, qua mistum, cum corrumpitur, in mistilia resoluitur, qua resolutione fit, vt sublato terminante, & continente, partes discedant.* Solent autem naturali probare maiorem; *quia si segregarentur, actu in eis fuissent. Sed hi naturam habent pro opifice quodam cæmentario aut alio opus tessellatum, aut mures compingente.* Vtamur hac sapientia in hunc modum:

Quicquid per corruptionem non separatur, id non fuit actu in toto. Si enim actu fuisset, separari posset.
Humores quatuor Palmariani, in quibus est, quicquid quærunt Galenochymici, per corruptionem non separantur. Ergo actu non fuerunt in corpore hominis toto.

Finge potentia inesse, & per corruptionem de nouo gigni; Ergo corpus hominis in initio ex istis non est factum; quod Palmarius probare voluit contra eos qui omnia in humoribus quærunt. At damnatus est. Discat ergo ex Aristotele *ea quæ separantur ex misto non necesse esse actu in eo esse*; sed satis est si potentia insint, ita, vt intelligatur res ex iis esse per naturam composita, non quomodo ex puluere & aqua fit lutum: Sed generatione naturali per successiuam ex seminibus perfectionem. Lege Arist. *in 2. de ortu cap. 7. tex. 46 & seq.* Item *in 1. de ortu cap. 10. tex. 83. 84. & seq.* In 4. *meteor. cap.* 1. Vtebatur isto argumento & Riolanus, idq; fiducia disputationis Libauianæ contra Gramanum. Sed bonus ille Riolanus non inspexerat scopum disputantium. Quo modo enim Paracelsici suas segregationes fieri volunt, nempe quo sal aquis solutus inde reducitur, aut vt mel inest aquæ mulsæ, & rursus separatur, confusorum sunt non generatorum. Quæ ex vere mistis naturaliter fiunt solutiones; respectu Paracelsicarum magis sunt generationes ex corrupto. Quod si extra priuatam pertinaciam rem intuearis, aliqua est generatio, aliqua segregatio. Nam segregari dicuntur & ea quæ insunt quidem, at non forma sua, sed aliena, vt terra in homine. Quod non possit ad vltimum simplicitatis perueniri disgregando, nonimus, neque in hoc vel schola, vel Palmario doctoribus indigemus. Ex terra factum est corpus hominis, & in terram post corruptionem redit; sed *neutra est* ita *simplex* vt fingunt potius quam demonstrant, aut persuadent elementarii Philosophi. Quoniam autem mentionem fecimus segregationum secundum opinionem Paracelsi & quorundam eius sectatorum, repudiantium Aristotelis philosophiam de mistione & in ea contentis, hoc quoque subiicimus fuisse olim *Empedoclem*, quem inter chymicos ponunt, qui voluit *non aliter constare mixtionem quam compositione*, ita vt in misto sint elementa saluata quidem, secundum parua autem inter se composita, quasi murum faceret ex lateribus, lapidibus, arena & calce: qua de re vide Aristot. *in 2. de ortu cap. 7. tex. 46.* Hoc *interest inter Empedoclem & Paracelsum*, si quidem illius sententia est recte proposita, quod Empedocles ex atomis elementorum fortuito concursu mista confecerit, vnde & ipsa elementa per putredinem, aut violentam resolutionem eadem numero redirent, quibus affinia sunt ea quæ *Democritus* & *Plato* habent *de atomorum turba prima*, primaque corporum creatione: Paracelsus autem quandam *quintam naturam à Vulcanis cœli factam, per elementa dispergit, quam postea gremio seu matrice sua terra exceptam foueat, & archæo quodam præside digerat*, atque ita misturas faciat certo modo composita cum elementis essentia, quæ successu & continuatione coctionis, naturalis paulatim ad maturitatem perueniat, indeque à chymico excipiatur, & elementis denuo separatis solitariam se sistat artifici. Ita tria principia putant segregari ex misto qui Paracelsum sequuntur, & sic quoque elementa secedere. Sed nos generationes *ex seminibus propriis* fieri non ex astris defluente essentia sed cum ipsis rebus creata dicimus.

Empedoclis mistio.

Paracelsi mistio, cuius semina sunt apud Basilium Valentinum.

Nam cum in principio Deus verbo omnipotentiæ suæ mundum conderet, eumque exornaret, *ipse mistiones peragebat*, & *naturam singulis indebat suam cum proprio seminio in vniuocis*, ex quo postea nascebantur primordiis similia per benedictionem diuinam. Seminium autem illud iudicamus à Deo mistum esse certo modo ex elementis transmutabilibus, & quintæ naturæ principio; ita vt postea in terra matrice facto conceptu, omnibus adminiculis externis confluentibus paulatim ex nõ Ente fieret Ens per naturalem generationem, cuius vis etiam in *æquiuocis* obseruatur. *Alia* sunt quæ *quocunq; modo*, quasi fortuito, *componuntur* vt quæ imperfectè mista dicuntur, & concreta ex sicco & humido; vt cum fit arenarius lapis, aut gleba, aqua glutinante puluerem, & continente. Dicamus liquidius: Empedocles quatuor elementa (cœlum, terram, aerem, aquam) sic commiscuit vt esset compositio secundum parua toto quidem sensibili, sed mistilibus per se non apparentibus ad eum modum quo quis faceret lapidem ex puluere, oleo, resina & aliquo liquore (vino, vrina, aqua, &c.) Huius resolutio plane simplex est, vti fuit etiam compositio: Posses tamen dicere generationem ex toto corrupto, illam ex occulto in manifestum productionem; vt si alumen, sal, nitrum; vel sal, alumen, & atramentum aqua diluisses, & coagulasses; fieret inde lapis, aut concretum quoddam, cuius partes per se non apparerent. Hæc esset mistio Empedoclis. Si iam addito humore resolueres coagulatum, aquea pars (quam inesse facile probat destillatio si velis per eam elicere; sed tunc synceritas solutionis corrumperetur igne aliquam mutationem inferente) aquæ immisceretur: Sal ad fundum concederet (sicut solet fieri in Halonitri confectione) alumen cum chalcantho esset, quod & ipsum norunt separare artifices. Hoc postea vocaretur reductio, dissolutio, & propter latentis manifestationem, extractio, facilè concedente Empedocle etiam Generationem ex corrupto dici; quia totum dissoluendo perit; partes manifestatæ quasi pro recens natis habentur. Sed hoc aduersari veritati naturali facile est videre. Paracelsici supponunt quatuor elementa, tanquam capsas. In ea, simul maxime in terra existentia, ex cœlo vi astrorum conflatas essentias per modum conceptus immittunt; quo modo ferè loquitur etiã Aristoteles de æquiuocorũ generatione (lib;

Vera rerum procreatio.

Diuersitas sententiarũ Empedoclis, Paracelsi, & naturalium de mistione.

Empedoclea.

(*lib.2.Gen.an.c.3.Ignis nullum animal generat, neque quicquam constitui densis, humidis, siccis videtur: At vero solis calor, & animalium non modo quæ semine continentur verum etiam si quid excrements sit, quanquam diuersum à natura, tamen id quoque principium habet vitale*,&c. vide & *cap.11.lib.3.de Gen.an.*) In matricem autem cum veniunt non perfectæ, & absolutæ, sed per modum principii: dicuntur in ea crescere, & augeri Elementis subinde itidem auctis, & se cum essentia contemperantibus agente calore loci & archæo, seu natura primordiali, donec maturitatem assequantur. Tunc si chymicus accipiat, dicunt dispersam, & inconspicuè latentem inter Elementa essentiam teseratis claustris educi, Elementa vero segregari, & aufferri; quæ est *extractio*. Quod si elementares partes ita separentur vt vnaquæque suam ex quinta natura portionem adhuc habeat, tunc tantum est magisterii procuratio, quæ essentiali elaborationi præmittitur. Naturalium sententia est non subinde vi cœli fieri naturas essentiasque singularium in loco generationum; sed eas in principio terræ & aquæ sic insitas esse vt postea simile ex simili existere possit per veram generationem, in qua est *semen vniuocum*, vt in regularibus & ordinatis: vel *æquiuocum* in irregularibus, in quibus principium seminale existit non per modum conceptus ex cœlo, vt aliqui vetustiorum & Aristoteles senserunt, sed per benedictionem adhuc in aqua, & terra, tanquam duobus rerum naturaliter orientium locis, residuam. Constat enim stellas nihil contulisse ad ortum Plantarum & mineralium, quia ante stellas ista sunt creata tali verbo: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*,&c. vide *Gen.1.vers.11. & seq.* Ita neque de animalibus dixit: *cœlum demittat animas & essentias*: neque sic mistionem Deus instituit vt somniauit Empedocles, aut quomodo putant adhuc hodie per mistionem separatorum coalescere ea quæ nascuntur; sed cum Deus simul creando terram & aquas miscuisset pro sua sapientia, in illis postea singulares commistiones iussit existere, quæ se non per nouas mistiones propagarent, sed per modum generationis ex principio seminali. Ideo dixit *vers.20.Producant aquæ reptile*,&c. *vers.21.creauit Deus cete & volatilia*: ver.24.*producat terra animam viuentem*,&c. ver.27.*creauit Deus hominem*,&c. *cap.2.vers.7.Formauit Deus hominem de puluere*,&c. Rursus.cap.1. ver.22.&28.*crescite & multiplicamini*, &c. Hæc sunt vera vniuoce mistorum primordia, vbi essentialia principia & elementa primum erant in seminibus sub forma corporis genituræ; inde vegetatio, attractio familiaris, conuersio, augmentum, percoctio, & maturatio naturaliter vsque ad vltimam perfectionem succedunt; vbi in felici generatione sæpe euenit, vt principiorum vbertas etiam seorsim efflorescat, & coalescat in rimis natorum, vel etiam ruptis corticibus foras prodeant vt fit in arboribus, & lapidibus gemmarum specie succos nobiles emittentibus. Hîc contra Gramanum disputabat Libauius in secretione, seu dissolutione in principia, & elementa non perueniri posse ad vltimum simplicitatis, & separari extrahique quidem naturaliter inexistentia, & in mistis generata; sed cum in vniuocis, & perfectis (exceptis vbi vbertas essentiæ efflorescit, & tam copiosa est vt etiam possit exprimi, sicut oleum ex seminibus) partes segregandæ sint potentia, quæ in actum non potest venire sine abiectione formæ prioris, & successione determinatæ per naturam: hac ratione scripsit, *chymicos etiam ex corruptis producere, non artificialia, sed naturalia, prius à natura generata, & sub alia forma in misto conseruata*: neque tamen posse negari istas esse essentias, & vera principia à natura destinata, & ex seminio simul nata nascente toto, quod ab ipsis & elementis integratur, quia nihil in indefinito regulariter nascitur, sed omnia determinatè & numero, mensuraque sua dispensata. Ideo & ista principia crasin, virtutemque rei repræsentant, aliud vberius, aliquid parcius, pro vt res hoc vel illo excellit. Num hæc schola intellexerit an non, iam non disputamus. Illud certum est nec Riolanum, nec Palmarium saltem potuisse iudicare à se intelligi. Ideo & Riolanus ab Alchymia triumphante redarguebatur, quod nimio peccaret, arbitratus *omnia à chymicis per violentiam fieri, oleaque, aquas, & sales non natura inesse, sed per* corruptionem produci*; in quo maxima ex parte errabat, quanquam non negemus chymicos in aliquibus etiam *violentia* vti, id quod tamen naturam non totam destruit, quia semper fit determinatum ex determinato, & saluti humanæ etiam per vim sunt facienda adminicula conseruantia, quo ipso etiam videmus naturam absque omni arte nobis consulere. Quam multa enim vi corruptionum violentarum generantur, quæ postea cedunt in vsum nobis proficuum? Hæc studiosorum gratia prolixius paulo descripsimus, vt ex collatione sententiarum iudicare possint, quid sentiat Libauius, sitne inconstans, an aliud quid quod illi iniuste ascribunt hi, qui in rerum natura, & dissertationibus philosophicis ferè sunt infantes, meliusque facerent, si digito ori appresso à Libauio discerent, quam ipsum nugis inutilibus onerarent. Nunc ad Palmarium. Is in scurram versus cum nihil habeat solidi quod contra doctrinam de elementis chymicis dicat, nugatur. Libauius distinxerat separationes succorum spontaneas quales fiunt in melle, sanguine, musto & similibus multis, ab illis quæ interiorem misturam soluunt; veluti: *Mustum iam separatum est per se in quatuor analoga elementa*; quod Galenicorum nullus ignorat: Ex eo vna pars vinum euasit. *Ex vino* vero ipse Palmarius *c.18.p.97.noua elementa* quatuor, *ignem ardentẽ, aeremue* ignescentem (Ita enim iudicauit) *aquam* phlegmaticam, & *salem* tartarinum procudit, parte subtiliore, quam alias quintam essentiam vocat, in duo elementa distributa. Num vero ille bellus Galenochymicus abnegauit quæ Galenus scripsit in *2.de elementis*, vbi *quædam communia: quædam propria*; illa calidum, humidum, frigidum, siccum, hæc sanguis, pituita & duplex bilis: vel quæ sunt in *2.simpl.cap.17.de oleo* vbi omnibus plantis *geminum excrementum* tribuit, *crassius* vnum, vt amurcam; *tenuius* alterum, quod & ipsum compositum ex acri essentia & tenui serosa, quæ est coloris ruffi, & ab oleo candido dif-

Secessus partium in succis Elementa analogica parit, alia ab his quæ interius educuntur arte.

Vini segregatio.

De vino in 4.simpl.cap.2. vbi & de oleo, lacte, succis, & excrementis.

Paracelsica Hæc & Paracelsicus Quercetanus in aceto agnouit in defensionis prima cap. 20 pag. 203. qualia tribuuntur & patribus nonnullis, cum caussam reddere volunt pluuiæ raninæ, & ludibriorum Sathanæ quibus creationem imitatur.

Sententia naturalium.

Stellæ iam creatis plantis possunt in subsidium venire, facere vero nullas possunt.

Libauii contra Paracelsicos sententia.

Ecclesiastici 39. Sapient. 11. ver. 21.

Riolani sententia de chymicis dissolutionibus.

**Corruptionem.) Corrumpitur quidem semen Lauri cum ex eo excoquitur & exprimitur oleosa pinguedo, sed de tali corruptioni non sentiebat Riolanus, putans sic ex ro*

VI.

sa aquam stillatitiam fieri, & spiritum cum oleo & sale sicut ex aqua fit aer, ex ligno cinis &c. violenta transmutatione quasi essentia non fuerit aliqua pars rei sub communi misti forma latens.

De octo elementis.

crepat:

crepat: vel quæ de *aceto* & *sanguine*, aliisque ſuccis & tam alimentis, quam medicamentis non vno in loco poſuit: quæ de *lacte cap.16.lib.4.ſimpl.* Num ergo Galenus quatuor communia elementa in ſuccis expreſſis, lacte, aceto, muſto, maſſa ſanguinis, &c. ponens, & quatuor propria, *octo* ſtatuit, vt ideo à Palmario ſit explodendus? Aſſit quis & vinum Palmariano modo diſgreget, iam erunt *duodecim.* Quod ſi reſumat *Tartarum*, quod erat pars vna compoſitionis vini, idque denuo in elementa ſecet, eruntne *ſedecim*? Septimum. Irridet & *mixtionem duplicem*, vnam leuiculam qua lactis & aliorum ſuccorum partes in homogeneo conſiſtunt: Et deinde interiorem, quæ eſt craſis butyri, caſei, ſeri: olei, aquæ, amurcæ, &c. Rideret & naturam Deumque ipſum & omnes eorum interpretes ſi adhuc viueret. Ideo bene in purgatorium detruſus flere diſcit, ſi quidem Romano ſenſu mortuus eſt.

De miſtione duplici.

IIX. *Licet Theologis*, inquit, *animam à corpore, & formam à materia ſeparare. Medicis non licet.* Ridicule. Num ergo Theologis licet homines occidere? Quod ſi alium ſenſum habet, cur non & Philoſophis, & Phyſicis, & medicis? Imo cur non laniis quoque & coquis? Cur Meſuæo & chymicis non licet ſeparare eſſentialem, formalemque partem à materiali ſi id licet officinis?

Num medicis ſit formam à materia ſeparare.

IX. *Homo ſanatur, non corpus, non anima, ſed vtrumque*, &c. Suaue delirium. Num anima ſanatur, cum vlcus, aut vulnus corporis? Cum lentigo detergetur, & vitiligo? Cur medicinam animæ profiteotur Theologi & Ethici, corporis, Medici? Veteres Philoſophiam animæ medicinam dixerunt. Corpus ægrotum medicis curandum commiſerunt, quanquam vt Plato dicebat, anima ſit principium internum ſanationis corporeæ, vt naturæ Hippocrati.

X. *Quaſi cortex* (inquir) *aliam haberet miſturam à nucleo*: &c. His nimirum argumentis voluit præclatus ille magiſter Libauii diuerſa elementa euertere? Si viueret, iuberemus eum paſci putaminibus auellanarum, & nucum iuglandium: nos comederemus nucleos. XI. *Non eſt ex aliis Elementis cortex: ex aliis nucleus.* R. Deliras. Non eſt ex aliis genere: at ex aliis propriis, inquit Galenus, aliamq; habet craſio. XII. *Medicamentum non eſt organicum, ſed ſimilare.* R. Ergone ſaltem organica (ſtulte ponit pro diſſimilaribus) ſunt ex diuerſis Elementis? Si hoc, quid fureris? At de ſimilaribus quoq; melius Galenus.

XIII. *Non laudatur illa mixti ſeparatio in 4. Elementa.* Cur non? *Quia quinta eſſentia certis delectatur, nec promiſcue omnibus ſociatur: Cum vini volatico ſpiritu volat: in ſalis fixitate aceti ſedet.* R. Magiſtri ratio non eſt domi. Nam argumentum caret Elencho, & contrarium potius conuincit. Si enim *quinta natura, quæ iſt potentiarum eſſentialium vehiculum*, in vna parte magis eſt quam in altera, vt in ſucco, oleo, ſale, cæteris ſoblatis iſta eſt ſeruanda, vt faciunt officinæ coctionibus, infuſionibus, expreſſionibus: chymici extractionibus, quas operationes Pharmacochymia Palmarii commendabat.

XIV. *In corpore Phyſico ſimilari vnicum eſt cuſtos totius theſauri. Ergo non tria* R. Illud vnicum eſt eſſentia tota; ſed quæ nihilominus diuerſas partes habet, quæ ſeparari, elaborari, iterumque, ſi placet, coniungi poſſunt. Fit iſtud triplici forma, vti liquet. XV. *Satis eſt de toto corpore vnicum habere totius virtutum potens.* R. At hoc non obſtat ſeparationi. Elementis inanibus ſeparatis fit extractum. Id vel ſponte diſcedit in diuerſas partes, vt Galeni oleum, & lac, aliique ſucci. Hic Galenus amurca, & ſero tenui ſegregatis oleum album, & dulce retinet. At erat oleum totum ex oliuis extractum. Chymici inſuper etiam ſalem ex fecibus colligunt; & omnes partes elaboratas iterum, ſi conſultum putant, coniungere, vt fiat Elixyr, poſſunt. XVI. Accuſatur poſtea Libauius *ſuperfluitatis*, quaſi quod vno capite expediri potuiſſet, ſecuiſſet in plura. R. Errabas Palmari. Nam diuerſitas elaborationum diuidebat operas chymicas in plures, quæ non poterant ſimul, & ſemel confuſe tradi. Quanquam autem contenditur gradatim ad vnum vltimum: tamen via iſta plures formas imperfectionum partim, partim perfectionum quoq; ſubordinatarum iuxta artificis arbitrium exhibet, quarum ſingulæ etiam per ſe poſſunt in vſum venire. XVII. *Si eſſentia ſolitaria non venit, nec naſcitur, nec extrahitur, nec iſt inſeparabilis ab elementis*, &c. quorſum *tot capita tradita ſunt*? R. Propter ſordes & inania corpora, quorum quædam penitus inhærent. Ideo opus eſt etiam pluribus ſegregationibus. Hæ dum peraguntur, elementorum radicales partes ſimul extolluntur, & in eſſentiæ cenſum aſſumuntur. Itaque licet in totum ſecludi non poſſint: craſſamenta tamen ſeparare etiam officinæ eſt vtile. Non intellexit Palmarius artem magni magiſterii. Si vna operatione abſolui poſſet Elixyr, non opus foret pluribus, & quidem in præparatione laborioſiſſimis: Inde in oleo, rubino, puluere aliiſque formis pro artificis placito. Si in officina catharticum vna forma pilularum fieri ſatis foret, quorſum Iulepi, ſyrupi, electuaria, pulueres, ſucci, & formæ aliæ ſatis multæ? XIIX. *Fernelius demonſtrauit in omnibus* (miſtis perfecte) *eſſe aliquid elementis præſtantius, quod neſciat corruptionem.* Ergo (vult inferre) *id ſolum ſatis eſt effeciſſe.* R. Et efficiatur ſane. At id ſine ſeparatione craſſamenti elementaris non poteſt: cumque Fernelio non diſpliceant aquæ, olea, ſales, quibus formis eſſentia iſta ſe manifeſtat pro cuiuſq; natura, quid ni modo Elixyr vnum, modo tria illa principia ars Fernelio aſtipulante ſeorſim expediat?

Olei expreſſi ſeceſſio.

Palmarius methodicam tractationē reprehendit cum tantum de ſcientifica informatione intelligat quantum ἄλογος quiſque.

Vide de his ſeparationibus chymiā Pharmaceuticam de depuratione per circulationes & digeſtum.

XIX. *Si quinta eſſentia facit, vt communia plus poſſint quam ſolitaria, & ea virtute orbata eſſent, fruſtra diſtinguuntur elementa à principiis.* R. Apparet Palmarium omnis informationis artium, & alchemiæ rudem fuiſſe. Quis enim alius ſic argumentaretur quam imperitiſſimus methodi & magiſterii? Ponit elementa virtute orbata. Id de eſſentiali concedimus, quando ſcilicet eſſentia ſeparata eſt à vacuis elementis. At noſtrum magiſterium adhuc eſt cum illis in certas partes pro dominio ſeparatum. Singulas poſtea ſpagyrici elaborant, & ab omni alienitate liberatis eſſentias colligunt; Veruntamen eſt, vt & ſic in vſum veniant. Propter hunc ponitur magiſterium elementorum. Quod ſi miſtum ſiue conſilio, ſiue natura, magis tribus partibus videtur iuxta tria principia elaborandum eſſe: per principiorum operationes (nam differunt non nihil ab elementorum) miſtum in tria principia diuiditur, quorum vnumquodq;, niſi ſic vti volumus, poſtea eſſentialiter elaboratur. Quis vero donet in miſto quintam eſſentiam efficere, vt communia elementa vel totum plus poſſit quam liberatæ ab impedimentis partes?

XX. *Vna*

XX. *Vna essentia est ab astris. Vnum subiectum est ab Elementis. Ergo non est causa vt tam varie enumerentur.* R. Sit illa essentia ab astris. Sed in misto non est pura: Deinde cum extrahitur, non habet vnum modum, nec formam. Hinc diuersitas. Interim *de astris* quod dicit, Paracelsicè dicit, & tamen non vult huius fecis esse. Sic est de elementis modo purè acceptis, modo cum essentiis. Est & illa inepta locutio, subiectum essentiarum esse ab Elementis. An non essentiæ etiam per se subsistunt? Verumtamen id toleretur.

XXI. *Elementa quæ describis, eadem sunt cum principiis alterius capitis. Ergo frustra duo capita ponuntur.* R. Erras. Alia ratio est Elementi, alia principii. Cum misti distractio sic fit, vt magis 4. Elementorum notas habeant partes distractæ, atque adeo in eis elementa dominentur, tunc elementa vocantur. Cũ ita fit, vt magis essentiæ conspiciantur quam Elementa, licet vtrumque adhuc vnà sit, tunc appellamus principia magistralia, quæ facili labore in essentias perducuntur. Quod autem vtroque modo elaboretur mistum, id Libauio non debetur, sed naturæ, & artificum consilio: Non potuit Libauius eam Alchemiam condere, quæ elementis, & principiis careret, quia autores iam pridem de illis præceperant magistraliter, & essentialiter.

Pag. 48. in fine cap. 8. quinta essentia partes sal & oleum negantur fieri igni & aqua ex misto elici, & oleum aeri, sal terra datur.

XXII. *Sal, sulphur, mercurius, corpus habent ex Elementis communibus: Et in ea resoluuntur, vt sal in aquam; sulphur in aërem & ignem: Imo potius sulphur est aëreum, quia est alimentum ignis. Ergo non distant ab Elementis.* R. Antecedens negat ipse Palmarius, qui essentiam, quæ est in principiis magistralibus ex ipso cœlo, quod TOTO GENERE diuersum ab Elementis ponebat, dedocebat. vide *cap. 15. & 13.* vbi magnifica: Ita paulo ante scribebat ex astris essentiam oriri. Putabat autem ea esse vnius rei diuersa nomina, quod in Lapidis causa concedi potest: at non alibi. Si ex cœlo sunt, & non ex Elemẽtis, quomodo corpus habent ex Elementis? Quomodo sulphur est aëreum, sal aqueum? Imperito homine ad calumniandum procliui nihil pestilentius. Magisteria ista, antequam essentialiter elaborentur, sunt cum Elementis: Sed & ab his non penitus liberantur iam exaltata, quanquam exaltatio efficiat vt elementaris portio pro essentia computetur. Peccat præterea argumentum elencho non sequentis. Omne mistum dicitur corpus habere ex elementis: Et tamen aliud sunt Elementa, aliud mistum.

XXIII. *Fingit obiectionem: Sed quam præ stultitia non potest sanis verbis proferre:* quasi Libauius illa principia neget ad mistionem concurrere suo modo. Dum autem non materialia, sed formalia dicuntur, non amplius sunt in censu magisteriorum, istaque nomina habent in arte mystica, ex disciplinæ consuetudine. Logicos, & metaphysicos Phantastas chymicus contemnit, si velint suos Logos eorum arti opponere.

Palmarius: Est in humorib. quod quærunt medici. Humores sunt medicorum elementa. Et quid est id quod eis inesse dicitur? Tantumne qualitates primæ?

XXIV. *Galenus & Aristoteles elementum non dixerunt inefficax cui non sit sua essentia.* R. Garris. Vterque Elementum primis, seu tactilibus qualitatibus definit. Essentias Galenus propriis cuique elementis, vtpote creates singulares, inesse largiri potest, sed tunc aliud quid sunt quam Elementa. Sanguis pro se mistum corpus est, vt & reliqui succi. Elementariter considerati distribuuntur per tactiles affectiones.

XXV. Grandis ille academicus magister quasi cum pueris luderet, ædificando casas, plostello adiungendo mures & equitando in arundine longa temporis fallendi causa fingit obiectionem nouam: *Elementa sunt materialia; principia formalia compositi, vtraque diuersis modis ab arte exhibentur: Ista externa sunt mistionis; hæc interna.* Finge pro lubitu. Quid inde? *Ergo,* inquit, *formæ rerum erunt ex pluribus: non simplices; sed compositæ.* R. Ergo tu ad anticyras ire debebas cum tuis stultis argumentationibus. Notum est aliter de formis disserere logicum, metaphysicum, Theologum: aliter chymicum Mesuen cum sequacibus. Legat quis, quæ ille fabulator *cap. 13.* de quinta essentia narrauit. *Alia sunt formæ extracta, & formalia principia chymicorum: alia est caussa formalis.*

XXVI. Nugas multas præterimus hominis ad miraculum stulti. Illud tamen haud grauate videamus, quo *ex Libauio vult confutare Libauium. Si essentia ista* (quæ principii nomine appellatur, aut sane quinta: Miscet enim homo vanus cœlum terræ) *est simplex & vniformis: est vnica & vnicum principium. At est simplex: quia forma: Forma vero omnis simplex. Ergo:* Et ex *consequente non est principium triplex: Est vnicum tantum elementum.* R. Est vt dicatur simplex, & vniformis: Est vt difformis. In assumto de forma negatur vt ante dictum. Quis vero est ille chymicus qui *vnicum Elementum, & vnicum principium posuit?* Delirus Palmarius fabulam de lapide, quem nunquam intellexit, narrauit, & inde omnia Elementa, mercuriumque & sal in vnum compegit. Sed bene iuit ad purgatorium.

Si essentia est vna & simplex, vnicum tantum est elementum. Non sequitur.

XXVII. *Libauius coactus respondit Riolano, non esse quintam essentiam cœlestem.* R. Mendacium est: vt & illud quod in examine & Triumpho nihil agnoscat cœleste. Quorsum adduxit Hippocratem, si nihil agnouit? Mirum Parisianum aërem, qui scholam doctissimam fouet, impurum istum spiritum, tam impudenter mendacem potuisse tolerare.

Analogum Elemento stellarum corpus.

XXVIII. Dixerat ex Aristotele Libanius *essentiam mistorum referri ad illud de calore, spiritu & insito humido,* de quo corpore toto simul Aristoteles pronunciat, quod sit *analogum elemento stellarum.* Illa analogia quæ sit, explicari aliter non potest, nisi dicas esse singulare corpus quod nec cœlestem essentiam participet, nec elementatem, quod tamen & impossibile est, & multiplicat rerum Entia præter necessitatem. Non est vniuocum; nec æquiuocum; sed analogum, quod necesse est aliquid cœleste esse, & simul elementare in vno. Alias nec superare elementa posset, nec cum eis coire in misturam.

XXIX. *Analogia nõ potest mutare genus, vt nec artificiũ,* inquit. R. Si intellexisses aliud esse genus vniuocũ, aliud æquiuocum, aliud analogum; stultitiam istam non effutiuisses. An autem ars ex vno genere possit quid in aliud cogere, vide Aristotelem, cum ex misto putrefacto facit terram; & ex elementis medium, quod vt natura fit; ita & arte mediante natura. Palmarius sane ex auro faciebat exuberarum

tum aurum potabile vltra sphæram exaltatum : ex stibio vitrum : ex argento viuo medicinam cry-
stallinam, &c. Genus corporis, & si quod est aliud remotum mutari non potest, at ex vino & pane fit
sanguis, ex quo caro, Os, &c. Et hæc quidem sunt trita. In magisterio lapidis præceptum est: Fac cor-
pora spiritus, & spiritus corpora: quod forte perinde esset ac si quis in scholis Physicorum diceret:
Fac ex terra (quæ maximè est corpus) ignem, (qui maximè est formæ, & spiritus) & ex igni ter-
ram. Chymici suo modo corpora vertunt in incorporea, sentientes cum veteribus, qui spiritualia
inuisibilia incorporea dixerunt.

XXX. *Negas quicquam à cœlo deuenire*; inquit: *Ideo rides Riolanum & Fernelium*. R. Ad essentiam quod
spectat, iure negamus, & in hoc nec Riolanum, nec Fernelium, nec vllum alium curamus. Ratio
supra dicta est. Interim tamen à cœlo est calor solis, licet sapientuli Aristotelici comminiscantur
nescimus quem affrictum, ne cœlum elementaribus qualitatibus inficiant. Cœtera sunt nugæ Pal-
mario dignæ, qui in tenebris per ebrietatem aut delirium garrit stulta. Deserta iam quinta essentia,
quam inter principia & elementa interiecit pag.154. redit ad *elementa*, vt se plus quam phrenesi la-
borasse eo tempore quo vomuit stultitias, non scripsit, conuincat.

XXXI. *Reiicit à magisteriis resolutionem misti in elementa*: argumento, quia *solutio pertineat ad separa-
tionem, & non ad magisterium*. R. Palmarius erat in methodo asinus ad lyram. Si magisterium est com-
positionis, cur non & separationis? Contraria vnius sunt generis. Iam compositionem etiam in la-
pide esse scimus, vtpote matrimonium. Eius artem dici magisterium non est vt doceamur à fatuo
Palmario.

XXXII. *Qua analogia succi cum elemento*, inquit stultus. Respondeat Hipp. & Galenus: quæ analo-
gia elementorum cum sanguine, & cæteris humoribus?

XXXIII. *Soles humores reiicere*. R. In chymia non opus est de Hippocraticis humoribus loqui.
Relinquantur in corporum anatomia locali, & medicina, cum ad chymiam ventum est, sunt mate-
ria elaborationis chymicæ. Aliquando tamen ex æquiuoco phlegma, & sanguinem agnoscunt chy- *Pag.152.*
mici. Ridendus est, quod cū salem in aquam solueret, & sulphur aereum corpus esse diceret, hîc non
possit ferre vt partes ex misto eductas elementis comparemus.

XXXIV. *Redit ad scomma octo elementorum*, cumque Libauius dixisset in illa præceptione *chymicos* *Ridicula quæstio.*
habere aliquid singulare, & discedere à Physica vulgari: quærit homo lepidus *quo autore discedatur*? R. Auto- *Cum Physicu scholasticu non loquūtur metallurgi, sutores, coqui, officinæ & omnes opifices. Quo autore discedunt? Propria professionis autoritate.*
reo quo Galenus ab Aristotele, qui cum 4. haberet tantum elementa omnibus communia, adiecit
quatuor propria: Item eo autore quo Lapidis magistri longè alia profitentur elementa quam Ari-
stoteles: Item his, qui ex Chelidonia, & aliis quatuor eliciunt diuerse affecta medicamenta essen-
tialia, atque insuper etiam capita mortua, & feces abiectaneas, elementis inanibus comparatas ha-
bent. Si sapiunt Palmariani, agnoscent autoritatem Libauii.

XXXV. Prosilit iam in arenam alacris ille Pancratiastes. *Cedo* inquit, *in VNICO indiuiduo* 4. *El. &
tria principia*: cumque putet Libauium dare non posse, assumit *vinum* idque secat 1. In *spiritum* puris-
simum: 2 *Phlegma* aquosum. 3. *oleum* aereum. 4. *cinerem* terrestrem. Negat plura pauciora. (*b*) R. Qua-
tuor ergo elementa analoga habemus in vna parte musti. At hoc prius separatum erat in alia qua-
tuor, quæ Galenus humoribus comparat, Nonne? Ecce tibi in vno & eodem simplici octo elemen-
ta. Si ad communia redeundum esset, quodlibet istorum in alia quatuor fatiscerer. Nonne & hoc
verum? Respondete Palmariani? Videte vero num hæc quatuor consentiant cum illis quæ *cap.18.
pag.97.* enarrabantur; quorum primum erat *ignis* ardens, seu aer ignescens: (Estne hic idem cum
purissimo & simplicissimo spiritu? Qua ratione vero ardet, & discessum facit, quin & fuliginem
reddit? Flamma est corpus imperfectè mistum. Sed sit) secundū *aqua* phlegmatica. Tertium *sal* tar-
tarinus, seu portio terrestris. Præterea inopiam vestri magistri, & inscitiam contemplamini. Nam
chymicus cum vinum maturum destillat, primum extrahit partem subtilissimam, cum tenuiore
phlegmate, & oleo. Ideo statim primo opere prodeunt tria, quæ etiam separantur industria. Dein-
de reliquiæ pro consilio possunt tractari. Si enim sinas acescere: separatione excipies spiritum aceti,
phlegma, & acetum radicatum. In fundo erunt feces: Et est nullum horum prioribus idem. Rur-
sus si feces velis arte tractare, igneum oleum vnum, alterum aerium elicies: Vtrumque essentiale.
Sal erit in cineribus, qui à sale separati sunt terra, ex qua forte vitrum confeceris. Insuper si salem
reducas ad artem, quot res inde feceris? Si non libet in acetum mutare, poteris deminuta copia hu-
moris, putrefactionem instituere, quæ rursus diuersa exhibebit. Poteris & crystallos consequi, ex
quibus iterum alia atque alia. Si frigori vinum commiseris, glaciem & essentiam obtinebis. Si absq;
destillatione putrefeceris, alius erit labor. Dicite iam Palmariani quot fuerunt elementa, & prin-
cipia in vino: annumerate vero halitus & vapores qui inter laborandum insensibiliter aufugerunt!
Sit *phlegma* aqueum: *Spiritus cœlestis* per circulationem elaboratus seu quinta natura; *Sal* in tartaro,
cum *terra*; *oleum*: seu sulphur: & vnus *spiritus aëreus*, alter *igneus*. In phlegmate est *mercurius*. Hic habes
tria principia: Habes 4. Elementa: Habes V. Ess. Quæ aliis modis elaborata prodeunt, symbolica
sunt, & transmutationem quoque habere possunt, vt cum fit *acetum*. Ita *Tartarus* & *fex* sunt symbola
terræ & salis ex prædominante; at non sine cæteris principiis, & elementis. Notare iubemus, ela-
borationem non raro institui ex consilio. Ideo fieri potest vt aliquibus neglectis vnum aliquod in-
tendatur: Et si vna operatione ex vna portione non possunt fieri omnia: plures assumtæ diuersimo-
dè elaborantur.

XXXVI. Sed mirum audite ex Palmario iudicium. *Alcalia*, inquit, *ad spiritum, & aquam pertinent:* *Alcalia cui elemento analoga.*
Pinguedo ad oleum. R. Erras magister. Alcalia Aristoteles referebat ad terram; Et sunt reuera princi- *Ar.4.meteor.c.7.*
pia plus materialia quam formalia. Si ex eis spiritus elicitur, separatio est: Si volatilia fiunt, in

flores mutatio; Ita si ex eis ascensu, descensu laterali, deliquio, fiunt spiritus aëres, quos comitantur phlegmata, & sal resolutus, non sunt vnius modi: Si figuntur, aliud nomen accipiunt: Si funduntur, fusiles appellantur: Si separantur, alius sal est volaticus & essentialis: alius fixus qui terrenus, seu cumque habet calcem dulcem, seu terram. Tam vertumnus est natura cum arte tractatur, idque ipse Palmarius fatetur *pag.156. in fine capitu 32.* Ridiculum est dicere: *Pinguedo pertinet ad oleum.* Dormitauit magister. Voluit enim dicere oleum pertinere ad pinguedinem tanquam generaliorem. Mirabilius est quod *in tartaro agnoscit salem spiritum, aquam* (quæ omnino sunt res diuersæ) prætereaque *oleum*; & quærit vbi elementa interna & externa. Non cogitabat melancholicus cum tartaro esse terram: & ex eodem elici phlegma: interim euapotante tenuiore portione. Non quidem dicebat Libauius in omnibus esse interna, & externa elementa; sed tamen non tam imperitus est quin tres octo possit ex fecula elicere. Priora quatuor elementa dederat mustum: Posteriora vinum, & vel so la fex tartatea promet, si velis feras resoluete.

Sales duplices.

XXXVII. *Ridicula sunt principia, inquit, si seipsis habent priora.* R. Palmarii hæc ratio valeret, si chymia de logicis, & omnium vniuersalibus loqueretur. Sunt scientiæ primæ: sunt sequentes, & subalternæ; & vnaquæque tamen habet sua principia. Ita in ipsis est quidam ordo methodicus. Ridiculus foret & Galenus cum suo Hippocrate si humores elementa communia, & omnium prima diceret. *Est primum simpliciter: Est & primum in qualibet scientia, & quolibet genere.*

XXXIIX. *Principia sunt inutilia si nihil diuersum ab elementis habent,* inquit. Assumimus: *At habent aliquid diuersum ab elementis. Ergo non inutilia.* Sane etiam pro se possunt in vsum metallicum, medicum, vel alium venire: possunt & essentiarum materia esse. Additus est vsus etiam in descriptionibus quidnam præstent, si miscere velis, vti natura miscuit, postquam arte sunt elaborata.

XXXIX. Ridet, imò ferè insanit eum scriptum est, *illa principia aliquando dari nomina elementorum,* vt cum sal vocatur terra, mercurius aqua & phlegma. *Deliria non ferenda* appellat. Sed nos bono animo simus. Palmarius tunc laborabat phrenitide. *Stultus est, qui quæ relatè & æquiuocè dicuntur, accipit absolutè & vniuocè.* Quod si facit ex proposito traducendi, etiam calumniator iniurius.

XL. *Principia tandem legibus Aristotelicis tuducat.* Libauius alicubi concedit, principia chymica in chymia quidem esse simplicia, sed non in natura vniuersali, si velis respicere ad omnium prima componentia. Acutus homo Palmarius ita argutat:

Si principia sunt mista, ex mistilium vnione constant: & sunt qualitatibus contraria.
Ergo vniuntur, cum qualitates inter se mutuo pugnant.

Quid tum inquimus postea? Nouimus ita philosophari Peripateticos: Sed *sacra scriptura de primarum creatione de hu nihil nouit.* Nam Dei verbo omnia sic è vestigio constiterunt, vt tunc sunt facta, & postea sui similia procrearunt. Temeraria verba fudit Palmarius.

Mira mistio Palmarii. XLI. Rursus: (Est enim copiosus in delirando) *Mistio non est substantiarum sed qualitatum. Si ergo principia Libauii sunt mista, sunt qualitates* Antecedens probatur: Quia *substantiæ expertes qualitatum tantum vniuntur.* R. Iucundius est hoc delitamentum. Quæ enim sunt illæ naturales substantiæ qualitatum expertes, vt vniri debeant? Num etiā naturaliter vniri possunt non actiua & passiua mutuo? Imò, ibi Palmari, illa vnio est mistilium. Si vnio est substantiarum: Mistilia erunt substantiæ. Deinde mistio est alteratorum mistilium, quæ sunt elementa apud omnes physicos.

Corporibus actu formis potentia. Sunt enim materia misti. » » Miscentur enim ea quæ & per putredinem vicissim separantur, suntque in misto potentia sub generali forma misti Qualitates non alterantur, nec eædem exeunt ex mistione soluta. Non ergo mistio est qualitatum. Vt paucis dicamus, *audisti sonare, sed non consonare.* Cum quæritur de mistione prima corporum, ea quæ miscentur sunt quidem elementa, sed rationes mistionis constant qualitatum conflictu, vnde elementaris crasis emergit. Deinde, cum interrogatur num rota totis misceatur, id quod homogenia absoluta videbatur requirere: respondetur id quidem fieri in qualitatibus ad vnionem crateos: Sed in corporibus non posse, quia deberent in infinitum diuidi, quæ diuisio actu est impossibilis. Ita differebat Arist. *lib. 1. de ortu cap. 10. vide tex. 84. & 86.* maxime *tex. 89. & 2. de ortu tex. 48.* Chymica principia si reuocare velis ad generica physicorum, fanè facilè patientur vt de iis sic philosophetis, tanquam perfunctoriè, & animi gratia. Sin autem respicias ad originem veram, & quintam naturam in ipsis contentam, vide vt te explices. Alia est longè ratio creationis primæ incognitæ omnibus Philosophis ab Ecclesia alienis (Galenus legit Mosen, sed irrisit) & post institutarum secundum naturam generationum, quam Philosophia Aristotelica; & Galenica mistionis.

XLII. *Vnius rei vnà mistio est,* inquit, *non plures. Ergo non potest esse mistio duplex interna & externa.* R. Vna res æquiuocè dicitur. Certè mustum erat res vna. Habebat ergo vti multum vnam mistionem: At cum mistura ista soluta exiret spuma, fex, vinum: horum quoduis suam habebat crasin. An non meminit Palmarius Galenum medicamenta & alimenta ex variis componere, & in ista varietate aliam crasin tribuere rori, aliam extracto succo, aliam crassamento, vt in Rhabarbaro? Si vnd vnius omnino mistio, cur pronunciatur acetum ex parte calidum, ex parte frigidum? An est vlla crasis quæ ex frigido, & calido coaluit? Si tibi venam metallicam, & integrum animal, totamque arborem offerrem, quid hic diceres? Quid de officinæ tuæ electuariis? Quid de Cramatibus? vnum mistum quà vnum habet vnam rationem & formam. At sub vnitate generali potest esse multiplex.

XLIII. *Non est mistio vna substantiæ, altera qualitatum: Sed vnica consummata amborum.* R. At ante paucas lineas mistio minimè erat substantiarum, quia nihil habebant contrarietatis. Morpheus scilicet tunc agebat Palmarium.

XLIV. Con-

XLIV. Concluditur hoc caput Epiphonemate, quod *Libauii principia, & elementa solo nomine differant.* Id quidem Palmarius ipse dicebat *pag.71.* sal non est nisi ignis: non ignis nisi sulphur (*pag.152.* sulphur est aeteum) nec sulphur nisi argentum viuum: At definitiones, explicationes, & labores aliud ostendunt cum autorum iudicio, quanquam interdum nomina permutent. In lapide quoque longe aliud est sulphur, sal, mercurius; aliud elementum.

XLV. Vt seipsum redarguat, concedit *varios labores ostendere varia opera.* Bellè inquam. Ergo & labores, & opera in arte sunt discernenda, si sunt artificiosa. Hæc studiosorum caussa scripsimus, propter Palmarianos, alias ne manum quidem versuri.

(a) *Id corpus diuinum est subiectum facultatis animalis: Ita enim loquitur Philosophus:* πάσης ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων, *&c. 2. de gener. anim. cap.3.*

(b) *Vini anatomia Palmariana Libauianam ex Lullio vide cap.18. lib.2. syntag. Eam describere voluit & Quercetanus cap.6. medicinæ priscæ: sed non integram est persecutus. Vide & Vlstadium de secretis naturæ cap.10.11.24. Item 33.41.42.43. Lullius lib.1. tract. seu parte 2. Nota, nos in manuscripto quodam libro eundem tractatum inuenisse, sed nonnihil mutatum ab impresso. Erat liber vetustæ monachorum scripturæ ex bibliotheca episcopi cuiusdam Neidhardi, &c. de quinta essentia, quæ & lapis vegetabilis philosophorum, vel potius per quam ille paratur ex eiusdem natura & radicis rebus. Spiritus enim vini mercurialis medium est coniunctionis tincturarum. Aurum ibi dicitur tinctura ex fecibus elicita. Ex calce viua seu alba terra extrahitur ignis specie crystallina, &c.*

CAPVT XLIX.

De iudicio extractorum ex cap.33. Palmarii pag.156.

EXtracta Palmarius iudicabat pertinere ad *Spagirian*, alteram scilicet partem Alchemiæ, quam & *Pharmacochymiam* vocabat, recipientem officinarum Hippocraticarum *electionem & præparationem* medicamentariam per *coctiones, infusiones, expreßiones, correctiones, contemperationes, triturationes, lotiones,* &c. quanquam omnia elaboratius promittat. Hinc extracta olea, sales, aquas, succos non repudiat, vt vt integris per ignem naturæ perfectis, totum quod est chymicum, tanquam proprium, & essentiale, quasi extracta sint fœtus supposititii, vendicet. Habemus confitentem hostem; *Extractiorum doctrinam esse secundam partem Alchemiæ, quæ vtilia sanitatis instrumenta gignat medico extractoris solertis ingenio & laboribus*: vnde *spagiriæ* definitio sumi potest, quod sit *altera pars Alchemiæ de extractis.* Capite superiore addebat *separationes*, quas negabat esse magisterii. Sed non intellexit vim vtriusque membri. Neque enim magisterium carere potest vnione, & separatione; si est Hermeticum. Nam in eo iubemur SOLVERE ET COAGVLARE, ita vt omnis vis magni operis sapientum in TVRBA ad hæc duo reuocetur. *Spagiria* vero tales vult distractiones, quæ iterum coniungantur, vt si vim vocis attendere velimus, non sit de extractis, sed *DISTRACTIS*, quæ purificata & ab elementorum inquinamentis liberata, denuo coniungat, & in Elixyr compingat. *Pag.40. cap.7.* *Spagyrian* vocabat eam *præparationem medicamentorum quæ reddit meliora & morbis expugnandis vtiliora*, cuius principia sint artis, quæ pendeat ex pharmacia; cuius principia siue prima opera sint *oleum, sal, essentia*: tametsi extracta, qualia Libauius ex suis chymicis descripsit *pag.70 & seq. cap.12.* reiecerit, & officinarum vulgarium medicinis postposuerit; & *pag.160.* explodere voluerit tam extracta, quam magisteria Libauii, vt sic *totam Alchemiam* quantum in se fuit prosternere sit aggressus. Vidimus de magisteriis. Iam consideremus EXTRACTORVM examen. Primo loco conuellit definitionem. Scripserat Libauius: *Extractum est quod è corporea concretione relicta craßitie elementari extrahitur.* Definitio essentialis est ex coniugatis, quæ essentiam comprehendunt, vt cuilibet logico perito patet. Palmarius quasi cum ἀλόγῳ ageret stultitiam suam egregiè manifestat. Accusat primum generis sumtionem. Quod nam quæso illud esse putauit? TRANSSCENDENS. Vbi vero illud? Libauius posuit nullum, eo quod facilè intelligi posset *extractum esse artificium* vel *opus chymicum.* Id enim in superioribus dictum erat ex operationibus artificiosis existere, vt & in commentatio. In schemate artis *species chymica* (quæ eadem cum opere chymico) erat commune genus magisterii, & extracti. Patet inde vel ignauum, vel obliuiosum, vel calumniosum fuisse Palmarium, cum *Transcendens genus* affingeret Libauio. Esse autem istam definiendi formam vsitatam apud artifices vel cum genus artis deest, vt cum summa genera sunt definienda: vel cum facile ex antepositis patet, aut etiam nomine proprio enunciari nequit, exempla docent: vt: *Genus dicitur cui supponitur species*: *Genus est quod de pluribus specie differentibus in quid est prædicatur*: *Species est quæ ponitur sub genere*: Ita substantiam definiebat Aristoteles: Ita Relata; ita Quale, &c. Sic argumentum Ramus, &c. Si ergo viueret Palmarius, *ferulam logicam* per manus scholasticorum in subselliis triuialibus ei destinaremus. Interim videant eius applausores, & versifices Satyrici, quanto *Beano* astipulati sint. Deinde postquam genus scurriliter irrisit, tanquam relatiuum *QVOD* transcendenter positum esset; *tautologiam* fingit; quasi Libauius scripsisset, *extractum est extractum.* Sed delirat. Tertio cum extractum diceretur extrahi è corporea concretione relicta craßitie elementari: rudissimus omnium iudicauit ista ταυτόλογα esse, quasi concretio corporea nihil distet à craßitie elementari. Discite Palmariani, *concretionis corporeæ nomine designari mistionem cum termino*, in qua humida & sicca coaluerunt ita vt siccum humido termina-

Pag.95. & 113.160.

Spagiria.

De extracti definitione.

Arist.3. de cœlo tex.61: Finis effectiuæ scientiæ est opus.

Doctor Parisianus nescit definire; multo minus definitiones iudicare.

Ad ferulam.

minaretur agentibus actiuis, istaque terminatione comprehenderentur cœlestis natura, & elementa à chymicis sic appellata, hoc est, partes excrementitiæ & potestatibus essentialibus vacuæ, simul. Ita de concretis philosophatus est etiam Philosophus cap. 5. meteor. vbi *coagulationem chymicorum* simul attingit, quæ tamen nobis à concretione elementari & quintæ naturæ in mistione est diuersa. *Crassities elementaris* est ista quam supra Palmarius vocabat *μάγμα*, alii crassamentum quod relinquitur succo elicito; chymici caput *mortuum*, *λείψανα*, sordes, terectanea, elementa vacua, fundalia, &c. An vero hoc nesciebat Palmarius? Imo sciebat: Sed placuit calumniatorem agere. Sis hoc primum de definitione.

Pag. 96. c. 17. Reiectanea sunt infusionũ magmata Inutile excrementosum, &c.

Secundum flagitium est de *Tota substantia, & medulla substantiæ.* Scriptum erat, *quod extractum sit QVASI medulla & pars nobilissima totius substantiæ in elementis producta, & veluti seminata, in quorum sinu quoque sit conseruata, & ad nobilitatis suæ perfectionem innutrita.* Quid hic conuitiator cauillatorque Palmarius? *Dixit Libauius totam substantiam tribus illis principiis, aut elementis designari: nunc aliam habet huius substantiæ medullam. Tota substantia habet indumenta, & partem nobilissimam, &c.* Iudicat autem hoc esse deturpare artem nobilissimam. Argumento: quia *octo superioribus elementis iam adiciuntur alia octo, illis externis hæc interna, &c.* Quis potuisset melius delirum Palmarium depingere, aut sculpere quam ipse seipsum tanta vesania? Sed studiosorum causa placide dicamus, non esse absurdum TERMINVM TOTA SVBSTANTIA diuersimodè accipere, & nunc *totum mistum* cum omnibus partibus facultatibusque sic vocare (Conspirant enim aliquando omnia in idem vno quolibet agente quod suum est) nunc *crasin & formam*, vt Galeno & medicis passim mos est. Chymicus ad istorum imitationem *totam naturam* & substantiam appellaret *totum cinamomum totum Rhabarbarum, &c.* aliquando *tantum interiorem essentiam* in qua vis principalis radicata est, vt succum Rhabarbari purgantem, cinamomi oleum, extractum, aquam, salem, vel ex his elixyr concinnatum. Præterea cum elaborationes gradibus differant, & quod est in magisterus elementum, vel principium segregatione factum, id io essentiis eliciendis sit materia: Et rursus *extractum hoc iterum extrahatur subtilius*, donec ad summum subtilitatis vtilis, & quintam naturam peruentum fuerit, quomodo *vinum septena*, aut etiam frequentiore destillatione elaboratur, & philosophi præparant *argentum viuum* etiam pluribus vicibus: num absonum ab arte est diuerso respectu substantiam diuersam ponere? *De Antimonio Basilii* supra produximus exemplum. Palmarius habet suum *sublimatum, & aurum potabile exuberatum & supra sphæram exaltatum.* In elementorum ratione semper à terra succedens est formalius, & proximum à quo sequitur materialius, vel ipso Aristotele iudice, donec desinatur in igni: In mistis vero, in *corpore illo elementis nobiliore*, quod proportione respondet elemento stellarum. Semper autem his, quæ non sunt summe purgata, aliquæ adhærent feces terectiles, quæ inter *elementa vacua* computantur. Fiat iam septies ista secretio & purgatio: Quot hinc erunt elementa, si stultitiam Palmarii sequi velimus? Narras de cortice externo, & essentia interna. Sane vtrobique sunt elementa: Et nihilominus etiamsi radices, cortices, folia, ramos, medullas, fructus, flores, nodos, succos, resinas, &, quicquid potest in arbore esse enumeres, toties elementa separabis, quoties extrahes; Et tamen quaternarius numerus primus nunquam excedetur, nisi quod affectione differant diuersarum partium, & elaborationum elementa. Videant itaque studiosi quanta fuerit malicia istius Galli. Dum Libauius dicit, *extractum ex crassitie elementari esse quasi medullam & partem nobilissimam totius substantiæ productam in elementis*, seu inter elementa, cum quibus etiam in vnum corpus per naturam coaluit, per totam substantiam intellexit TOTVM MISTVM quod constat ex elementis, & essentia. *Alibi* vero istum terminum vsurpauit formaliter, seu essentialiter de extracto quod elaboratum secretumque præbet oleum, aquam, salem, tincturam, & alia pro modo elaborationis: Et est hæc idem cum extracto: quod rectè comparatur *medullæ*, hoc est, internis *in penetralibus rei contentis*: Nam *medullam* per metaphoram solemus appellare quod in re optimum est, quod Psalmus vocat in frumento ADIPEM. Deinde finge, quod substantiam totam semper appellet essentiam; quia essentiæ inter se nobilitate differunt, adeo vt simplici modo extractus succus sit materia Tincturæ, vel essentiæ quintæ, quæ forma olei, aquæ, salis, potest esse, Libauius nihil peccasset si extractum declarasset nobilissima elaboratissimaque natura. Sed veremur ne dum multis hæc explicamus aliquis cerebrosior dicat, quid isti hirco scabioso respondetis? Cur vesana ista caussa verbis dignamini? At nos *studiorum caussa non dubitamus vel hoc quoque venenum concoquere.* Tertio Libauius scripserat: *Extractum habet quidem radicem quadamtenus ab elementis: Sed principaliter à vi creantis Dei, & per cœli occultos influxus porro etiam in natura conseruantis dependet.* Hic Libauius ordinem caussarum, & media seu subiecta attigit. Extractum dicitur ab elementis radicem habere QVADAMTENVS: quia *Deus elementa in prima creatione sic commiscuit, vt cœlestis essentia in illis esset, nasceretur successiue; & conseruaretur*: Id autem non *καθόλου*, sed *κατά τι*. Ita arbores radices habent in terra: Ita mineralia ex ea oriuntur. Animalia quoque Deus ex terra, & aqua creauit; in eadem reducit eorum corpora, ex eorum prouentibus pascit. Verum ratio mistionis, & distinctionis tam diuersorum generum, & specierum neque ex casu est, vt Democritus & Empedocles disputarunt: neque ex natura bruta. *Deus erat qui verbo potente sic miscebat, & singulis naturam similis procreatricem in sua matrice indebat, vtrobique simul complexus essentiam facultatum & proprium subiectum*; postea etiam externa adminicula corporis, & variorum accidentium causa. Hæc ita esse, quis non pius confiteatur? Impius Galenus negabat Dei istam omnipotentiam, & naturæ vim faciebat superiorem, quasi *Deus ex priori natura potestate tantum optima, quæ fieri possent, eligeret, non autem ipse sit prior creator & Dominus, mutatorque pro libera voluntate naturæ.* Palmarii desipientia quid in tam pius reprehendis?

Extractorũ extracta.

Arist. 4. de cœlo c. 4. tex. 35. Item c. 3. tex. 23. 2. Gen. an. 3.

Vide destillationem Gini apud Lullium, Vlstadium, &c.

De medulla totius substantia.

Vide Palm. Pag. 79. & 13.

Tota vel Substantia est spiritus vnde occulta omnis proprietas, &c.

Ps. 146. 14. Medulla terra Gen. 45. 18. Num. 18. 12. medulla olei, vini, frumenti, Deut. 32. 14. medulla tritici.

Primum per calumniam omittit illud Quadamtenus. Secundo putat elementa cõmunia hausisse facul-

facultates non aliunde quam à Deo, vt sic Libauius inscitiæ sit reus, cum radices quadamtenus in elementa infixit. Si vltimus alphabetariorum esset Libauius, reformidare debuisset ille magnus Parisiensis scholæ Doctor tam pueriliter & cauillatoriè nugari. Num quid ignorabat Libauius ordinem causarum? Discite Palmariani Libauium ex sacris literis SCIRE *somnia esse, & vanitates, quæcunque scholæ vulgares de mistione ex elementis stultissime deblaterant, & inter se ob id digladiantur tanquam de summa salutis ageretur.* Contra istam stultitiam (cur enim non sic appellemus cum S. Paulo *1. Cor. 1.* 20. Et cum Ierem. 10. *cap. vers 3.* vanitatem, quo nomine & Ecclesiastes mundanam subtilitatem indigerat; Paulus iubet cauere ne decipiamur Philosophia, quam & falsi nominis scientiam, si Sophistica sit, vocare non dubitat) Libauius ponebat Deum in initio mistiones instituisse, & aliquo modo elementis essentias illigasse, vt in illis crescerent, & conseruarentur addita facultate cœli, non à priore, sed à posteriore, à qua & post conditam naturam Aristoteles pronunciauit inferiora regi *1. Met. 2. & 3. 2. de Gen. anim. 3. & 3. Gen. an. 11. &c.* Ecce ignarum Libauium: Imò delirantem; & cauillantem vesane Palmarium.

Mistio Galenica.

Quartò auscultate *logicam ratiocinationem*: *Sic delirant*, inquit, *qui à veterum præceptis discedunt.* Nos Libauii nomine concludimus: *Ergo iuxta Deum sapiunt.* Quia scriptum est *Ezech. 20. 18. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere: 1. Cor. 3. 19. Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Coloss. 2. 8. 22. Si Libauius ad Deum retulit quæ Plinius, Galenus, & alii Ethnici ad naturam, aut Parcas, non delirauit, sed sapuit. Retulit autem ad Deum,* idque iuxta modum creationis, & prouidentiæ conseruantis. *Ergo.* Speramus scholam Parisiensem rectius sapere Palmario, quem & iure damnatum esse persuasum habemus.

Qui iuxta veterū Philosophorum abnormes normas delirare iudicatur, Deo sapiunt. Ier. 10. 2. iuxta vias gentiū nolite discere, quia leges populorum vana sunt.

Quintò: *Quasi Deus* (ait) *tuam medullam, tum extractum solum creauit: Elementa sint increata.* R. si viueret rabula fortassis confiteretur cum Platone primam materiam, essentiam, & locum esse Deo coæterna, & sic increata elementa. Cum Plinio, Aristotele, & Galeno poneret æternitatem naturæ, cuius fatalibus decretis ne Deus quidem posset derogare. Num si vult *Thesin seruare de non discedendo ab Hippocraticis, Platonicis, Galenicis, Plinianis,* cum ipsis cogetur sentire. Deinde vbi dixit Libauius, aut saltem principium posuit ex quo logicè sequatur, *Deum essentiam, non autem elementa creasse*? Si habet radicem ab elementis, per Deum creantem habet: Sed elementa non constituerunt ex se mistiones, vti multi de concursu & contemperatione in horas somnia miscent. Potentiæ Dei est hoc præ cæteris admirandum. *Dic quid velis*, inquit ille stultus. Si ergo ignorabat quid vellet Libauius, cur obloquebatur tam proterue?

Sextò. Sequitur medulla sapientiæ Palmarianæ tanquam ex tripode Phœbi. Loquere: *1. Elementa vires suas obtinuerunt à Deo benedicente:* R. Imò & creante. Nam aquam fecit, & terram, primò vacuas & inanes. Postea benedictionem addidit: Verum non tanquam simplicibus, sed mistis, ex quibus plantæ, animalia & mineralia extiterunt non natura, sed Dei verbo. Si de tuis physicis loquendum esset, aqua fuisset frigida humida, terra frigida sicca, aer cal. hum. Ignis cal. sicc. non operante Deo, sed cœlo iuxta motum inde, & motus desertionem. Ita enim Aristoteles philosophatus est. Quid quæso ex istis contemperatis iuxta Galeni naturam fieri potuisset, si Deus nihil vltra naturam valuisset? Nempe vanissimæ istæ crases medicinarum, alimentorum, & aliorum mistorum, nihil habentes interius, quam qualitatum primarum combinationes, & commistiones. Cum ad occultas vires perventum est, quam sudatur in ponte asinorum, & asylo ignorantiæ, vti appellabat Erastus? *2. Paracelsista absolutissime.* Ita vocat Libauium homo nec Paracelsi, nec aliorum sententiam intelligendo assecutus, & nesciens quodnam animal sit Paracelsista, cornutum, an excorne. 3. *Elementa sunt communicata creatis, & generandis omnibus, nomine, & munere elementorum.* R. De elementorum nomine nihil est in creationis historia. *Terra, aqua, spiritus, lux* nominantur. Sed hæc non sunt Aristotelis, & Galeni elementa. Veruntamen sit ita: quid tum postea? *Munus elementorum proprium dicitur esse partem mistilem esse & mistiones conficere qualitatibus actiuis, & passiuis primis,* id quod quadamtenus tantum verum esse patet, quia tertiæ qualitates ab illis primis toto cœlo discedunt. 4. *Obtinuerunt elementa vt ex illis mutuo coeuntibus hoc, & illo modo hæc & illa nascerentur.* R. Si nihil altrius habes, non potest ex illis quicquam aliud nasci quam quod ex aqua & puluere accedente aere, & aqua fieri videmus. Si itē ista vis in ipsis fuisset, quorsum opus fuisset mandare terræ & aquis, addereque benedictionem procreationis iuxta similitudinem substantiæ & virtutum? 5. *Natura, sed Dei fuit imperium, datum his generalibus mundi parentibus.* R. Phy fœtorem stultitiæ. Naturæ nullum fuit imperium: Et si contra distinguitur Deo imperanti, quorsum apponitur affirmare? An vtriusque fuit? Deinde quo autore sciebat Palmarii sapientia, elementa esse mundi parentes? Quo autore sic loqui didicit? Num ex schola audiuit? Non: Sed per febrim malignam delirauit. Nam materiales partes non possunt esse causæ procreantes.

Quomodo Palmarius putauit res creatas esse.

1. Meteor. cap. 3.

Quatuor prima mundi iuxta Theologium. Elementorum officiū.

" "

Elementa mundi parentes.

Sacræ literæ testantur in principio Deum creasse cœlum & terram, quæ fuerit inanis & obscura, super facie abyssi se motitante spiritu. Elementa non pepererunt mundum: neque mundus est elementorum partus. *6. Deus fecit elementa* ἀκίνητα. Mirum. Ergo non potuit moueri aqua, & lux; & ignis sua vi? Attamen Iobi 38. 8. Deus dicit mare erupisse. Interrogandus erat Aristoteles quoque, cuius vi moueretur sursum ignis, terra deorsum. Num alius? At sic violentè mouerentur, non natura. Pingite Palmarii imaginem facie Mydæ. Dignus enim fuit. Nam ne putemus fortuitò dormienti excidisse vocem addit: *vt non agerent nisi concitata: & ab alio impulsa.* Sane si ille alius esset Deus, tolerabilis vox esset. At non ita accipit. *Vult à cœlo agitari.* Quæsumus o Palmariani, vt ignis exiccet, & calefaciat, aqua madefaciat cum frigore, quo cœlo habent opus? Ante cœlum factum erat terra, & aqua. Quid ea mouebat, si Deum creatorem seponas? 7. *Deus cœlum fecit* αὐτοκίνητον. R. Credimus si ita lubet. Sed tamen quid dicendum his qui sphæras mouent per

An elementa vim motus in se habeant.

Cœlum quasi mobile.

intel-

Pag. 47. 8. cap. Cœlum non debet igni substitui, quia differt toto genere.

Forma vnde.

intelligentias? Deinde quid secundum mobile contra motum primi ab occasu in ortum trahit? Tertio qua ratione mouentur astra? Per se, an per orbes? 8. *Ex cœlo & elementis fiunt sublunaria.* R. Mirum. Suprà audiebamus vtraque plus quam genere distare. Quo compactore conglutinantur? Sed concedamus id, quanquam non ex fundamentis Palmarii. Quid præterea? 9. *Ex cœlo & elementis fiunt sublunaria, quorum natura est potens vtriusque* (cœli & elementorum) *pag. 82.* Forma dicebatur esse à cœlo, non ab elementis, quorum nec substantia nec qualitates possent formam producere: Item inferiora regi à superioribus motu, influxu, lumine: Formam ab iis esse quæ semper mouentur: materiam sublunarium ab elementis, &c. Similia & alibi leguntur; ex quibus cognoscimus *FORMAM & Q. Ess. Palmario esse vnam eandemque rem*, quæ & spiritus, & tota substantia appellatur. Nos primum quærere poteramus, num etiam ignis, aeris, aquæ & terræ, vtpote elementorum formæ essent à cœlo, quia sublunaria? Cœlum autem factum est die secundo, illud scilicet in quo sunt stellæ. Terra & aqua in principio ante cœlum illud condebantur. Fortasse iuxta Seuerinum, Paracelsum, Augustinum, &c. *in elementa disseminat essentias immaturas, aut earum rationes.* At hæ non forent formæ elementorum. Intellexerit ergo mistorum genera tria perfecta; quibus adiici possunt & imperfectè per turbam coëuntia.

Forma & Q. Ess. idem.

Secundo non patet quomodo sublunaria ex cœlo & elementis fiant. Num vt mista ex mistilibus alteratis? Nam ex Palmario audiebamus *mistionem esse mistilium* (alteratorum) *vnionem.* Si hic est modus, cœlum erit alterabile, & ex consequente non formam solum dabit, sed & materiam. Illud explicet nobis aliquis Palmarianus seruatis Aristotelis & Galeni placitis.

Tertio. Quæri potest cum iuxta pag. 46. cœlum non moueatur vt elementa, sed in orbem: Est autem omnis motus à forma, quam dicitur cœlum conferre, si inhærendum sit decretis Aristotelis, quæri potest, an non omnia sublunaria debeant in gyrum agi? Sin autem id non est, quæ caussa cur non?

Ignis caussa nascentium.

Quarto cap. 8. pag. 42. legimus: *Ab vno igne omnia sunt nata* (ignis est anima mundi.) Nam Trismegistus ait: *εἶναι πάντα πυρὸς ἐκγεγαῶτα* Si forma dat esse rei: quodcunque est in natura, esse suum habebit ab igni. At cap. eodem pag. 47. non potest cœlum igni substitui. Alibi in chymia omnia potest ignis naturæ. Hæc & similia Palmariana versutia opus habent vt declarentur. Nos Daui sumus, non Oedypi.

Cœlum principium duplex.

Quinto expediendum & hoc est, *quomodo natura sublunarium sit potens cœli, & elementorum*, cum tanta sit varietas? Cœlum autem vnum vniuersale est. Respondebunt de astris Palmariani. Sed non ita erat ante astra, nec postea res nouæ sunt in mineralibus, & vegetalibus conditæ. 10. *Cœlum est principium actiuum, & passiuum motus & quietis.* R. Istud sane erat ex quisquiliis subselliorum scholæ Palmarianæ. Alias schola Parisiensis *cœlum tantum actiuum principium* cum Aristotele ponit. Si & verum est, quod Palmarius suprà disputauit de cœlo formam conferente, elementis materiam, quis videat cœlum posse esse passiuum principium? 11. *Sublunaria nihil habent præter quatuor elementa, & hoc quintum;* cœlum scilicet. R. Ergo habent vtrumque principium & nihil indigent influxu, motu, lumine, quæ supra ponebantur. Quomodo vero si cœlum & elementa habent non habent omnia? Num & in igni, aere, aqua, terra simplicibus sunt 4. El. & cœlum? Nam & hæc sunt sublunaria, ne quid dicamus de animabus qualitatibus, & huiusmodi. Si ista sunt in sublunaribus libenter fatemur à Deo esse: Sed non Palmariano discursu. 12. *Autor naturæ Deus iam non creatione sed generatione singula perpetuat.* R. At & creatione. Alias, Palmarius non fuisset Dei creatura. Deinde conseruat, non perpetuat. Nam & singularia intereunt in elementis, & elementatis; & tandem totus mundus destruetur. Nihil mundanum perpetuum. Sed mittamus nugas pluribus persequi. Septimo: Reperit fatuitatem, quod *vegetabilia non pellant ad extra inutilia nutritionis excrementa.* Geberus cum cæteris chymicis tres superfluitates agnoscunt in mineralibus, vegetalibus, & plantalibus: Quædam excernuntur dum vigent in natura, quanquam magis in vegetalibus & animalibus. Galenus ponebat excrementa vtilia & inutilia: Et hæc vel naturalia, vel præternaturalia. Alterum genus est connatorum, extra radicem mistionis. Ideo paruo labore possunt secerni, qua ratione metalla purgantur excoctionibus, & aliis operibus. Tertiũ est in radice cohærentium, quæ non nisi maximo labore, & industria auferantur. Si quis hîc ignem naturæ verum habeat, possit quidem mala bonis æquare, vt fit in transmutatione. Verumtamen is difficilimus inuentu est, nec in omnibus æquè felix. Vegetalia ex se emittunt multa inutilia quædam etiam vtilia in corticem: multa consumuntur in comas, multa expirant. Connata duo retinent, quæ chymicus separat, & cum exhausta sunt, vocat. *Elementa artis Superuacanea.* (Alia enim sunt adhuc prægnantia) succos vtiles, & lachrymas, (resinas, liquores) etiam reddunt: Sed non sine essentiis. Ita se habet natura rerum. Quod autem dicit Palmarius, terrena obsistere genuinis facultatibus, non est *καθόλου* verum. Nam naturaliter concreta sunt nascentium adminicula, & propugnacula. Ideo *Rhabarbarum integro non minus* purgat quam vulgari decocto, aut extracto: Imò plus efficit in tota substantia datum, quam per officinas extractum. Aliqua tamen, & certo respectu ante legitimam exaltationem possunt rectè dici obsistere: quod Libauio non poterat concedere ignis Palmarianus, qui venenum cum salubri, bonum cum malo, astringens cum purgante seruatum cupiebat. Octauo: *Feces & crassamenta ponit.* R. Bene. Ista erant inania chymicorum elementa, & capita mortua. Quod autem ista naturæ, & artis coctionibus secernantur, de arte concedimus, de natura putamus magna parte hallucinatum Palmarium, qui tunc impurè philosophabatur, quanquam quando purè. Nono: *Non habent alia nobilia, alia ignobilia elementa.* R. Attamen differunt corpora cruditate, coctione, perfectionis gradibus, & exaltationibus. Elementa illa quæ diuelli ab essentiis non possunt, sunt verè nobilia. In spiritu vini destillando, reliquiæ, quæ dicuntur elementa, sunt imparis virtutis. Vah putum philosophari Palmarii. Decimo: *Non habent aliam mistionem.* R. Si de excrementis loque-

Sublunaria ex cœlo & elementis; quod iam contra Rolanũ aliquoties confitetur Palmarius.

Num Deus adhuc creet. Ps. 102. Vers. 19. Ps. 104. 30. Sap. 19. 11.

Superfluitates mistorũ.

Rhabarbarum integrũ purgat efficacius extracto officinarum.

Elementa nobilitate & ignobilitate differre.

loquetis cur non, si modo sunt res mistæ? cogita de resina, lachryma, succo: bile, pituita, lacte, semine, &c. Dicimus terram quæ vltimo restat esse mistam Aristotelice. At suam habet crasin, vt & phlegma suam. Vndecimo: *Vnus & idem est ignis elementaris foris, & intus.* *2. De ortu & 3. tex. 20.*

Resp. Cur non insitus est naturæ, & calidum innatum Fernelii, & spiritus Aristotelis? Veruntamen si de diuersis partibus TOTIVS loqueris, genere potest idem ignis esse corticis, & nuclei, specie non idem. Nam Elementum ignis differt ab igne cœlesti specie. Si vellemus audire Palmarium plus genere distaret. Sed de diuersitate caloris Elementaris & innati, &c. alibi. Duodecimo: *Non est quidem ignis substantia, quidam qualitatu.* Resp. Et tamen calor quoque ignis dicitur: Dicitur spiritus: dicitur calidum insitum: dicitur febris, &c. Alius ignis est flamma, alius vaporosus, alius cœlestis, alius Elementum, &c. *Ignes misti differentes.*

Decimotertio: Postquam miscuit extracta Elementis, aggreditur *Ens primum*. Id negat extrahi. Cur? Quia *est proximum cuisque generationis principium*. Sit ita. At in matrice sua est, nec nude subsistit in natura. Cur non ex vena metallica & aliorum dum adhuc nascuntur, suntque in matrice tanquam conceptus extrahantur? Indigebat Palmarius Elleboro cum de Ente primo cogitaret. *De Ente primo.*

Decimoquarto: *Tractatum de succis extractis reiicit ad pharmaciam*, dicitque purius describi apud autores proprios. R. Nimirum Libauio nihil potest puri tribuere, quanquam non scripserit sua. Est autem telum datum contra Pamarium: *De extractis succis.*

Si pharmacochymia complectitur pharmaciam, excepto, quod omnia solertius elaboret, extracta Libauiana sunt pharmacochymia. *Cap. 17. p. 95 & 160.*

Est autem prius iuxta Palmarium. Ergo.

Decimoquinto: *Omnia reliqua: Ens primum, Arcanum, Essentiam, vno halitu proflat & loco mouet, quia Paracelsica delenda cum memoria sui autoris.* R. Disces in purgatorio leuius insanire. Exempla secus docet. Arcani (occulti secreti) terminum non debemus Paracelso, vti nec reliquos, sed chymicis prioribus. Et quorsum repudias essentias, cum quintas tantopere celebratis? At anteuertis obiectionem: *Habent aliquid boni.* Respondes: Detor id *pharmaciæ.* Imo inquimus *spagyria*, quæ sales, olea, tincturas & alia multa præparat.

(a) *Hac forma alias in modis rerum est vsitata: vt, quid efficiens, procreans? Est causa efficiens procreando. Quid est longitudo recta. Est longitudo (seu qua) recta linea protenditur, &c. Nasus curuus est in situm curuum inflexus: scil. Nasus, seu qui est, &c.*

CAPVT L.

De Alchymia Libauiana abolita Palmariana introducta.

LEx abrogationis his verbis concipitur: *Explosis duobus fundamentis Libauiani artificii* MAGISTERIO *&* EXTRACTO, exempla eorum nihil rectius poterunt: q. d.

Tota Libauis Alchemia constat magisterio & extracto.

Vtrumque est explosum.

Ergo tota est explosa, & ex consequente exempla vtriusque simul sunt damnata. Nihil enim rectius poterunt.

R. *Si explodere sufficit, quiuis nebulo & scurra optimas artes potest damnare.* Sed explosionem Palmarii explosam, damnatam, abrogatamq; vicissim non ab vno homuncione, sed *à tota Schola medica Parisiorum fuisse*, ipsumq; terram momordisse, & in purgatoriũ suum (cũ indignatione forte) descendisse, diploma & euentus contestantur. Est hic quæstio: *Si extractum cum magisterio reiicitur, num nihil est boni in Libauii Alchemia?* Item an ergo Palmarius omne damnat extractum? De priore dictum est præcedente capite: de posteriore respondet: *Chymicum extractum nolim reiicere, si sit chymicum, non adulteratum, non emenitum: quod habeat id quod policetur, & policeatur id quod potest: si demonstretur tale: si sit citum, tutum, iucundum:* cuiusmodi nõ sunt Paracelsica & Libauiana. Cur? *Superant n. cacoethia & immoderata omnis generis qualitate. Pereant ergo illa:* NEC POSTHAC OBSERVENTVR. Dixit Palmarius. *Ite: Declamatum est.* R. Libauius suam Alchemiã extruxit ex Hermete, Auicenna, Gebro, Bulcase, Mesue, aliisque Arabib. Aegyptiis, & Saracenis, &c. apud quos inuenta est, & viguit primum. Deinde deduxit per exempla omnium gentium, Italorum, Gallorum, Germanorum, Asiaticorum, Europæorum, Chinesiorum, &c. Qualem apud hos inuenit: talem dedit. Si de extractis quæstio est, talia fuerunt ab initio quale *extractum Rhabarbari apud Mesuen de simplicib. c. 5.* vbi *Magni reges* Rhabarbarum dicuntur *aqua macerasse, succumq; sic extractum in trochiscos coagulasse.* Istum modum *Andreas Marinus* vocat *Elegantem*, & non tantum in *Rheo* commendat, verum etiam in aliis rebus similis succi, etiamsi siccæ fuerint, testaturq; se sæpissime vsum fuisse. Non autem integrum aquis merisse, sed tusum, & pulueratum, ex quo per modum TINCTVRARVM extraxit essentiam. Hunc modum autem chymicum esse, patet ex descriptione *chymicorum sapientum, qui dicuntur olea facere per dissolutionem, & id quod in rebus occultum est manifestare*, item *formam à materia separare*. Ad extractum a. faciendum Mesues proponit *infusionem*. Hinc ergo vnius artificii extractorii præceptio nascitur, quã præterire Libauius non potuit. Idem Mesues *de succo rosarum* scribit, quod sit à substantia terrestri, & frigida secretus: quod & ipsum est chymici artificii. C. 10. *de rosa, Tincturæ* exemplum habet. *In abscißione rubedinis* (inquit) *non est plus rosa quam homo mortuus.* Vbi recrementum est *caput mortuum* & cadauer: rubedo q. *anima rosa.* Ibidem rosæ tribuit *diuersarum naturarum substantias.* Eas chymici vocant Elementa, & principia, magistralia, essentialia, prout elaborata fuerint. *Alchemia extractoria apud magnos reges.* *Extracta Palmarii.* *Extractum Rosarum.* *Rosa anima.*

Aq. Rosacea vetus extractio. *Ext. & aqua absynthii.* *Tinctura Serici coccini.* *Nitrum artificiale, Borax.*

Habet & aquam rosaceam per sublimationem factam, quæ rursus nouum extrahendæ essentiæ artificium, quod similiter se habet in aliis; proponit. Martinus depinxit σκευασίαν totamque artem scholiis illustrauit. *In absynthio* mentio est *extracti succi* viurpandi cum suo extrahente: item aquæ ex eo sublimatæ: *Cap. 14. de lapide stellato tincturam ex Seta Kermes* extrahit per stillatitiam rosatum & succum pomorum. *cap. 17. Artificiale nitrum* appellatur, quod item est chymicæ tractationis si fiat accuratius: *Cap. 17.* habetur *aqua & succus rutæ: & aqua Enulæ: colocynthidis* & mirobalanorum, quanquam quidam etiam decocta intelligant, ex quibus facile est aquas extillare, vt & ex succis. *Cap. 22. de Mezereo* sunt aquæ alkekengi, solatri, sonchi, Berberum: Extractum *mezerei*: aq. Endiuiæ. Longe manifestius loquitur in tractatu *de oleis* per dissolutionem *à magistris Alchemiæ* factis.

Aqua pro decoctis ex quibus aqua possunt destillari. *Olea Chymica Mesues.*

Hic exempla sunt *oleum ouorum* per *elixationem & expreßionem* è vitellis ad modum olei amygdalini: Item *per destillationem*, quo modo fit oleum philosophorum. Præterea oleum ex fermento per vstionem inter laminas ferreas per expressionem: vel per destillationem: quo modo chymice fit & *oleum sinapis*. *Oleum iuniperium descensorium* ex lignis: vbi *Syluius* annotat eo modo extrahi *oleum ex pineis* nucleis, *Guaiaco, palo sancto*, aliisque lignis, fructibus, & seminibus pinguibus, & succulentis: Ita *fraxininum*, & ex lapide *Gagate* vtrumq; descensorium sicut artificium descriptum est in iunipetino. Est vero alius modus *per sublimationem, seu destillationem* cuius item meminit Mesues, vbi legatur annotatio *Syluii*, qui ista *chymico studio* asscribit, vt & *corporum in Elementa solutionem*. In *oleo philosophorum*, quod & *sapientia*, Palmariana censura inuenit quo erubescere debeat. Bulcasis vocat *oleum de lateribus*, eiusque Encherian & vasa cum dispositione expressis verbis asscribit his *qui occupantur arte ALCHIMIAE*, additque esse de *SECRETIS Philosophorum*.

Ol. Philos. *Secreta Philosoph.*

Interpretes apponunt oleum balsami stillatitium Petri de Apono: Item oleum tartari per deliquium: oleum sulphuris per campanam, vel destillationem: vel solutionem. Apud Auicennam est *Argentum viuum & Arsenicum sublimatum* cum *mentione aquarum per sublimationem seu destillationem*. Bulcasis etiam plura recenset, præsertim præparationes mineralium, quibus vti Alchimistas nemo doctorum ignorat, cuiusmodi sunt *Cerussa calx antimonii, ærugo*, (Ziniar) *auripigmentum sublimatum, arsenicum sublimatum*, cum sale: *argentum viuum sublimatum cum vitriolo septiem vicibus* aut pluribus: *Causticum* sublimatum ex arsenico, calce viua, argento viuo, sale armeniaco: *Cinabrium* (Zinziphur) ex argento viuo & sulphure: calces variæ: *Crocus* martis: Puluis auri, & argenti per frictionem asperi panni: *Extractio aloes, scammonii*: Tithymalli: Tapsiæ: cucumeris asinini: absynthii & aliorum quorum præparatio nomine chymico EXTRACTIO vocatur, licet aliquibus addatur expressio. In scilla meminit *Athannor* furni scilicet philosophorum: Item destillat *aquam ex scilla* per descensum in igne rotæ seu circulari. In destillatione *aceti* Athannorem instruit ad similitudinem *Ergaliæ aquæ rosaceæ*, destillatq; per alembicum *spiritum aceti album*. Eodem modo facit & *vinum destillatum*. Oleum vel *aquam camphoræ* destillat ex lignis pineis cum aqua rosacea: Vbi proculdubio oleum innatans aquæ est colligendum. Ex aqua quoque stillatitium dulcem parat, & describit opus *aquæ rosaceæ* variis modis etiam *regum Auracb*. Sed non est vt plura congeramus.

Quam artem Geber, Lullius, Albertus, Rupescissa, Arnoldus, & alii infiniti sint professi, & quę hodie per totam Europam & Asiam habeatur pro *Alchemia*, & *chymia*, notissimum est non tantum medicis, & medicinæ studiosis: Verum etiam officinis, suntque libri pene infiniti in publicum quoque dati, ex quibus *Philiater*, seu *Euonymus Gesneri* etiam Academiarum quarundam commendationē metuit, scripsitq; Riolanus *medicam scholam non damnare Alchemiam Libauii*, quanquam is generalitate nimia postea peccaret, & *Alchemiæ caußa* simpliciter agi ostenderet, in quo ipsi etiam est obuiam itum.

Alchemia Sophistica.

Augustinus Panrheus nomine *Alchemiæ*, vt & alii *Alchemistarum* notarunt impurissimos istos, & sceleratissimos nebulones, qui titulo isto passim ad fallendum abutuntur, quorum culpam sustinent alii, qui simplicitate quadam & imperitia peccant, vendicantes sibi *artificium lapidis in schedulis* quibusdam descriptum, quas tamen vel non intelligunt, nec opere demonstrare possunt, vel ignorant sophisticas esse, & impostorias, aut quasdam colorationes æris, ferri, argenti, &c. habere, quas ipsi errore quodam credunt veram tincturam, qua simul peragitur transmutatio, policeri. Horum deceptio & infelicitas facit artem apud populum, & imperitos inuisam totam: quo modo consentaneum est Palmarium quantum in ipso fuit, in Gallorum schola Parisiense fecisse. Sed peritorum & prudētum est virtutes à vitiis discernere, & vnumquodque opus sic iudicare, & commendare vti ab artifice vero elaboratum est, & ex natura sui æstimari debet, sicut videmus antiquos æs Babylonicum, Orichalcum, argirochalcum, &c. non pro auro, argentoue proclamari, licet pene ad amussim ista æmulentur.

Auri examina discernunt inter veros & falsos chymistas

Aurum id est, quod examinibus omnibus, maxime acrioribus respondet: argentum quod argenti, siue natura, siue arte sint facta. Ideo Geberus & alii diligenter etiam Docimasticam descripserunt, & medicinas medicataque metalla distinxerunt. Sed quænam est Palmarii chymia, vt inde quid ipsi chymicum & magistrale intelligamus? Dictum de his quidē supra est: sed vt de veritate per collationem constet, non pigeat hic in synopsin conferre.

Alchemia Palmarii.

Palmariana *Galenochymia* est *Hermesia*, & *Spagyria*. Illa tractat magisteria vera: hæc extracta. *Magisteria* vera sunt duorum generum: Vnum *vniuersale*, quod vocatur *Lapis* philosophorum Elixyr, ignis naturæ, &c. ex Mercurio: iuxta axioma: *Est in mercurio quicquid quærunt sapientes*. Id nullum capit aurum naturale: & quanquam mercurio, & sulphure dicatur constare, tamen ista non differunt re ipsa.

Sunt enim vnius aliter dispositi nomina. In eo quoque Elementa habentur, non diuersa alio

modo

modo quam conuersione dispositionum in re vna: de quibus videndum *Cap.7.pagin.35.& sequ.* vbi principiorum & elementorum nominibus materia, & labores intelliguntur. De vniuersali agit *c.15. p.85.* Reliqua magisteria vera sunt integra per ignem naturæ sic mutata, vt omnis sapor malus, & cacoethia discesserit, & venenum cum iuuante sit retentum tam feliciter alteratis omnibus vt cito, tuto & iucunde iuuent, fiatque ex veneno, & pharmaco alimentum: qua de re legendum est *cap.12.p.72.& alibi* per totum libellum. Ita Realgar, arsenicum, sandaraca Græcorum, colocynthis, absynthiũ elleborus & similia in medicinas optimas mutantur nullo addito, aut subtracto. Ita se habet magisterium Palmarii, in quo *vniuersale Elixyr est somnium: reliqua fucus & inanis ostentatio.* Extracta vulgaria, cuiusmodi in omnium chymicorum libris passim leguntur, non agnoscit. Reiicit n. ad Galeni Pharmaciam. Nominat quidem olea, aquas sales. Sed cuiusmodi hæc sint, nemo potest dicere: quia nullam *Encheriam* enarrat, nec vllum exemplum veræ apud ipsum elaborationis. Vnde nescimus putetne ista olea & aquas pharmaciæ esse, an chymiæ. Quædam sunt de quibus dubites quonam referantur in Galeno chymia. Ex hoc genere recenset *vitrũ animonii inexhaustæ virtutis*, quod ipse sic potuit præparare vt non sursum, sed *deorsum tantum* moueret, quamuis Crollius chymicus frustra in hoc desudauerit. *Pag.115.c.21.* vulgo præparatum vitrum non repudiat. Fortasse id ad pharmacian spectat, præsertim cum *syrupum patrus* recenseat, quo adiuti sunt innumeri *constante ex vini albi selibra aqu. ros. sextãte vitri puluerati drachma, cinamomi sesquidrachma, omnibus infusis, colatis, & saccharatis, de quibus semuncia, vel vncia data paralysis imminens coacta sit fugere, & apoplexia etiam solo puluere sumto facessere:* vt mirum sit cur in Palmario non fuerit adhibitus. Verum hoc medicamentum non est chymicum, quia vt scribit *pag. 116. si chymica arte diligenter elaboraretur, ipsissima ederet quæ mercurio* (vniuersali lapidi) *tributa sunt, siue solum daretur, siue cũ sociis.* Ex antimonio parat etiam calcem triplici modo, 1. igne solo, 2. aqua regia (licet fortis possit sufficere) 3. sale petræo, cuius vi vomitiuus spiritus expirare dicitur. Quod si *calx eadem diutius digeratur, sudorem & vrinam fertur mouere* vt *sit diaphoretica & diuretica.* Præterea idem stibium Palmario efficacissimum *oleum* sudat, & *tincturam Panaceam* præbet: id quod infinitis exemplis *Martini Rulandi* probatur, & *Alexandri Suctenii* scriptis; licet non cuiuis pateant fortasse *clauem* tenente Palmario, qui tamen Paracelsista nunquam fuit; si fas est credere.

Syrupus ex vitro stibii.

Antapoplecticum: Antiparalyticum.

Calx stibii Palmariana.

Ol. & tinctura stibii.

Quanquam autem ista sic se habeant narrante Palmario; & *Panaceam* consecutus non debeat quicquam amplius scrutari, ni temere, & animi gratia velit manus fuscare & faciem inquinare, fumosque amaros sorbere: tamen modum sciuit Palmarius *quo totum stibium figi queat, & perfici in medicamentum innocentissimum & πολύχρηστον*, quæ fors ratio sola chymica est, & per ignem naturæ procuratur, vt in magisteriorum censum veniat. Si auro iungatur, sudorificum fit. Sed hoc non est chymicũ magisterium in quo nihil debet addi: Ita cum *hydrargyro adiicitur, & destillatur vt mercurius vitæ* (mortis) euadat, cuius facultates sint *vitales vere* (scilicet ad exemplum spiritus & caloris vitalis) & morbicidæ. Componitur etiam amplius. Nam *ex stibio, hydrargyro, & auro fit pharmacum specie florum, qui mouente calore sint vomitiui quidem: sed si circulentur spiritu vini & mellis, omnem deponunt vehementiam.*

Stibium polychrestum totum fixum.

Circulatio in igni natura. Sp. vini & mellis.

Hæc fortassis est ista ars Ignis Natvræ, quo tota vertuntur in exoptatissimas medicinas. Solum hoc erit magisterium Palmarii. Nam *solam deiiciendi* facultatem retinet, quam alibi *cælestem* vocat, quæ persistat omni cacoethia, & sapore horrifico demto: si fas est credere mendaci homini. In posterum ergo cum volemus medicinas vertere in alimenta, & omne ingratum tollere, non vtamur *sale Elia*, sed *spiritu vini & mellis.*

Ars magistra Palmarii.

Sic enim extrahemus *omnia aduersa*, & cadauer quod caput mortuum appellant chymici, pro medicamento, & alimento porrigemus vt iuuet iucunde, cito, tuto. Ita arsenicum, sublimatum, Realgar & alia venena euadent innoxia: Et est bonum consilium. Nam *spiritus vini & mellis extrahit essentias siue bona sint, siue mala.*

Chymia inuersa.

Cum ergo venenum ex Thora, elleboro, napello, scorpio, vipera, &c. extraxerit, quod reliquũ est, non poterit lædere. Hæc est *chymia inuersa*; quæ vt verisimilis appareat, argumento magno efficitur. *Violentia est à cruditate.* (Suctenius tamen scribebat purgationem sursum, & deorsum esse à corpore non ab essentia, ita vt corpus separandum sit, si quis velit vitrum operari placide.) *Cruditas quo tollitur?* Coctione, & menstruorum nobilium clementia mitescit; inquit. At coctio non est absque igni. Hic ergo *ignis naturæ* Palmarii ex campo Elysio adductus. Num etiam aliud quid ex antimonio suppetit? Imo aliud. Nam ex eo fiunt *crystalli*, qui nulla vacuatione *tertianas*, & *quartanas* expediunt: quod est mirum. Necesse n. est tunc bonum & malum; simul mutari; & medicamentum cum alimento, venenoq; conuerti. Quo modo enim alias materia tertianæ, & quartanæ fieret innocua? Sed hi crystalli sintne Hermetici, an spagyrici; autor non expressit. Est & *Regulus ex stibio.* Qualis iste? *Ouo* cõparatur, Ergo *stibium* erit pro *Gallina.* Verum tamen non perit gallina cũ ouũ ponit: stibium vero in excremẽta ex parte vertitur, nec amplius manet id quod fuit. Num ad Hermesian, an spagyrian istud ouum pertineat, quæri posset, si viueret Palmarius. Quæ *virtus Reguli?* vtilissimus est ad ea quæ cõmendatur mercurius. Num ergo his minus est vtilis? An non in mercurio quicquid quærunt sapientes? Habemus ergo iam tria vniuersalia, *Tincturam* antimonii, *Regulum*, & *Elixyr* ex mercurio sine auro. Nondum sat est. Ex *stibio regulato adiecto sulphure* per sublimationem in *cinabaris* fit rubicundissima, cuius dotes innumeræ. Mirum, si & hoc est chymicum. Dotes a. istas innumeras qua experientia cognouerit Palmarius, extare debuit. Ita est antimonii anatomia. Non solum autem istud oua parit, verum etiam *arsenicum & sandaraca:* Verum quæ neq; Hermesiæ sint, neq; spagyriæ, quia nõ sunt vera magisteria, nec extracta, iuxta Palmarii sensum. Ex *argento viuo* quam multa conflantur? Primum caput & cauda ei amputantur tanquam serpenti: & solus venter seu media substantia commendatur.

Violentia medicamẽtorum vnde.

Crystalli antimonii.

Regulus Palmarii ouum.

Tres panaceæ Palmarii.

Ouum Sandaraca & arsenici.

Argenti viui medicinæ.

Non

Non placet integrum. Sublimatione elaboratur vt *cryſtallus* fiat, ſecedente in capitellum volatico polline, & in fundo ſidente capite mortuo, medias vias obtinente ſolido cryſtallo. Hic *expers eſt veneni*, & ſaporis aduerſi. Fortaſſe ad extracta referetur. Nam vere magiſtrali modo, ſi Palmario credimus, tota ſubſtantia mercurii ſit benefica, vt vorari poſſit ſerpens cum capite & cauda, quia ex ſummo veneno fit omnium morborum alexiterium: Et eſt hoc VNVM & VERVM magiſterium. Aliud eſt quod eadem arte mira ex *ſandaraca Græcorum* elaboratur. Quæ vero ars iſta? compoſitiua eſt. Nam vt ſublimatum fiat, *minimum argentum viuum & atramentum requiritur*. Interdum *ſal* additur. Deinde per eam duæ *ſubſtantiæ mercuriales vnius radicis* (ſublimatum vulgare, & argentum viuũ mercatorum) componuntur.

Quarta panacea.

Ars mira Palmarii.

Serpentis ſeu Baſiliſci occiſio per proprium halitum in liquorem verſum.

Tertio per eandem *mercurius per mercurium extrahitur*, vt faciebat *Sucten*, cum regulum conflaret ex antimonio, eumque argento miſtum amalgamaret cum hydrargyro, poſteaque diceret ſie argentum viuum extrahi ex metallis. Hoc erit exemplum extractum chymici. Extrahitur enim: ſed neque ex auro, neque argento, licet id & ſæpe factum ſit, & præcipiatur fieri à philoſophis: Verum ex *corpore magneſiæ*, i.e. regulo ſtibii, quę *magneſia* eſt *regina minerarum*, ſeu omniũ metallorũ matrix, vt loquitur Quercetan. Hoc ſcilicet eſt medicamentũ chymice præparare, quod eſt in calce curæ Elephanticæ *ex veterum præceptis* præparare. Bene monuiſti Palmari. Ergo *magiſteriũ* erit cum effecerimus, vt ſine additione, & detractione totum corpus ſic alteretur, vt venena & medicamenta mutuo permeent tum vſu, tum præparatione: *Extractum* erit, cum mercurium per mercurium ex ſtibio elicuerimus, vt *Medicus* iſta arte pollens FERE ſit *OMNIPOTENS*, quam omnipotentiam tamen exilem fuiſſe in Palmario cognouimus. Sed ſi mercurium extraximus per mercurium ex magneſia, quid hinc commodi? Tacet de hoc Palmarius. Argentum autem viuum vulgare quod metallurgi (fors & hi ſunt chymici) excoquunt, aut ſaltem ſeparant à ſua vena, aſſumit, & de eo ſcribit grandia. *Omnem chymia laborem recipit, inquit?* Quinam ſunt illi LABORES? Libauii *Enchiria* repudiabatur. Neque enim erat ad ſaliuam Palmarii. *Nouem* recenſentur Palmariani, 1. *putreſcere*, 2. *diſſolui*, 3. *diſtillari*, 4. *calcinari*, 5. *ſublimari*, 6 *figi*. 7. *erubeſcere*, 8 *albeſcere* 9. *ſolui*. Putemus dictum eſſe, putrefacere, diſſoluere & cætera actiue. His laboribus adduntur inſtrumenta *ſtygia* communis, *regalis*, *oleum ſalis*, *oleum vitrioli*, *oleum ſulphuris*. Opera emergunt inde, *aqua mercurii*, *oleum*, *butyrum*, & alia multa.

Argenti viui ex metallis extractio Suctenii.

Medicamenta chymice præparare quid ſit.

Ars Laborãdi chymice.

Menſtrua Palmarii.

Medicina chymica.

Quod ſi chymicus eſt, qui facit ſtygiam, regiam, ſpiritum ſalis, vitrioli, ſulphuris, pluribus eſſentiis ars Palmarii locupletabitur. Imò vt mox addit, argentum viuum *mirabilem habet proprietatem, vt ad VNIVERSALIS naturam aſcendat*, ad quam tamen nec auro, nec argento eſt acceſſus. Facit etiam mentionem plurium *menſtruorum nobilium ex animalibus* (forte ex vrina, lacte, caſeo, carne, ſanguine, &c.) & vegetabilibus (vt ex vino, tartaro, Guaiaco, aliiſque lignis duris quæ nitro abundant) quæ ſi & ipſa ſunt non cerdonum, & olitorum, ſed magiſtrorum Alchymiæ, creſcere magiſteria, & extracta neceſſe eſt.

Menſtrua animalia & vegetalia.

Inſuper *mercurius* aliquando *ſolitarius* in vſum venit, aliquando cum *mineralibus maioribus & minoribus*: aliquando cum *ſemimineralibus* & ſic ea præſtat quæ *omnem fidem* ſuperant. Nam ſublimatur à ſale & vitriolo, fitque *ſublimatum* varie graduatum: Item ab arſenico, & ſulphure, & croco martis, efficiturque *cinabaris*: ſublimatur & cum regulo: Et deſtillatur. Quod ſublimatum eſt porro in alia mirifica transformatur, iterumque ſublimatur cum argento viuo.

Sublimatũ.

Cinabaris.

Sal commune calcinatur (fortaſſis non à chymico, ſed calcario oppidano.) Deinde cũ eo mercurius ſic præparatur, vt nihil moueat ſeu purget, ſi nihil obſtet in viis communibus, vt inteſtinis, pelui cerebri, palato, naribus, oculorum canthis, auribus, veſica, &c. Iſta omnia complectitur Alchemia Palmarii, niſi reiiciantur ad culinam, aut officinas pharmaceuticas, quod veriſimile eſt ipſum feciſſe, quia vt capitis quinti titulus habet: *IGNIS philoſophicus omnium operationum chymicarum eſt autor verus, & SOLVS dominus, ſine quo irrita ſunt omnia.*

Iam autem igne philoſophico multa non fiunt ex commemoratis, vt ſtygia, regia, ſal calcinatus, oleum vitrioli, ſpiritus ſulphuris, liquor ſalis (qui vel ſine igni parari poteſt) & alia. An ſunt parachymiæ, vel metachymiæ, quo modo Ariſtoteles dixit paralogiſmum, & metaphyſicam? *De auro potabili* quid dicemus? In cura Elephanticæ, hoc eſt ſcabie Gallica infectæ, dicit ſe vſurpaſſe *aurum potabile exuberatum, ſupra ſphæram exaltatum, non reductile*. Id erit metachymicum, quia eſt vltra ſphæram. Pag. 127. & 128. *cap.* 24. de eo ſic diſſerebat, *quod aurũ naturæ à ſola natura diſſolui poſſet, & non ab arte*: quod *aurum vulgare non intraret magiſterium*, hoc eſt, *Elixyr, lapidem metaphyſicum* (ſtultorum ideale medicamentum) *verum aurum potabile ſapientum, ignem fere purum, ignem expurgatorium quaſi* FORMAM SEPARATAM.

Metachymia.

Aurum potabile ſine auro vulgari.

Eſt ergo aurum potabile ſine auro, quod ex quo vbere ſit expreſſum dicendum erat Palmario, ne mundus tanto bono careret. Eſt & *aqua philoſophica*, quæ cum eo quod ſoluit, eſt vnius & eiuſdem naturæ (vt hydrargyrus cum argento viuo ſublimato) & conſeruat ſolutum, non deſtruit, quæ eſt *VERA & philoſophica diſſolutio*, licet neget *pagin. centeſima vigeſima ſeptima*, artem poſſe vere ſoluere. In aqua philoſophorum latet ſpiritus quintæ eſſentiæ, cuius eſt *magiſtraliter ſoluere*, inquit ex *clangore Buccinæ*.

Aqua philoſophica.

Magiſtraliter ſoluere.

Ergo magiſterium etiam ſolutionis eſt, quanquam *pag.* 154. ſeparatio à magiſterio diuellebatur. Præter aquam philoſophicam, quam oportet igne naturæ fieri, ſi debet eſſe chymica, citantur etiam *aqua ſalium*, & *aluminum*: Præterea *liquor ſacchari ſub ſcamnis ſcholæ Pariſienſis*: *non vulgare antimonium Alexandri* Suctenii: *Elixyr* Palmario ignotum: *Vera correctio ſublimati* per hydrargyrum: *Exaltatio liquoris ſacchari*: *Quinta eſſentia* miris modis laudata *pag.* 63. & *toto cap.* 13. ex qua *pag.* 63. paratur *vniuerſale*, quo ſufficiente particularia omnia ceſſant: *pag.* 132. habetur *ignis externus* & *internus*, quanquam *pag* 159.

Medicina plures Palmarii.

vnus

Vnus & idem sit foris & intus ignis elementaris, nec differat externus ab interno: quod Palmario est *pure philosophari*. Quid opus multis? Magisteria habet Palmarius, & extracta, nec refert ad chymiam hæc reiicias, an pharmacian, quia vt scribit *pagin.* 160. differunt non specie, sed accidente, secundum magis, & minus.

Dicet aliquis, si talis est descriptio Alchemiæ Palmarianæ, & opera commemorata, quid fuit quod in Libauiana desideraret, cum & ipsa habeat labores, magisteria, extracta, nec desit quicquam eorum quæ posuit Palmarius: sint item veterum præcepta obseruata? Si Libauius nihil operæ posuisset in elaboranda arte, num etiam sciuisset illa Palmarius? *Michelius* nihil chymicum admittebat, nisi *vnicum tantum lapidem* iuxta definitionem Rogerii, cui *alchymia est scientia docens facere & generare quandam medicinam, quæ nuncupatur Elixyr, quæ cùm proiicitur super metalla, perficit ipsa complete in momento proiectionis*: qua habita etiam Palmarius pronunciat cessare particularia. Studeamus schemate proponere mentem Palmarii: (*Elixyr ab ἀλέξω quod est sano.*)

- Medicamenta præparantur aut
  - Pharmacia per *Selectionem, coctionem, expressionem, infusionem & alia artificia officinarum, quæ & chymia commendat.*
  - *Alchemia, quæ solo igne naturæ perficitur, sine quo omnia sunt irrita, & tanto peiora, quanto elaboratoria est*
    - *Hermesia, quæ est integrorum sine additione & subtractione per solam alterationem ab igni natura, quo fiunt magisteria:*
      - *Vniuersale vnius tantum lapidis seu mercurii in V. Essent. redacti & Elixyru inde facti mutatione IV. Elementorum.*
      - *Particularia cum adhibito igne natura medicamenta & alimenta permeant mutuo, & ex arsenico, sublimato, &c. fit cibus, & medicina tuta, cita, iucunda.*
    - *Spagyria, quæ & in specie chymia dicitur, quæ fit separatio, & ex hac*
      - *Essentia quinta regina omnium: quanquam & hæc sit magisterium.*
      - *Extracta*: *Olea, aqua, sales, Tinctura & alia plura particularia, quæ tamẽ sunt pharmaceutica quæque non differẽtia nisi industria elaborationis maioris.*

SI quæras de laboribus, respondet Palmarius, nõ opus esse singulari descriptione, quia suis artificiis sint appositi, vt cũ iubemur destillare, sublimare, &c. At quid est, & quotuplex sublimare, destillare, &c. R. *Disce apud artifices*. Ergo bonus dies. Quorsum referã calces, crocos, sublimata & alia multa chymicorum opera? Fiunt multa compositione. R. Si deest locus, trude in officinam Galeni. Ita absoluti sumus. Si quis est, qui velit interpellare de metallorum iudicio, excoctione, purgatione, metamorphosi, &c. quæ Geberus diligenter descripsit in sua Alchemia: Si quis de *vsifur, Zinjar, ære babylonico, orichalco, ære argenteo, speculis*, & aliis pluribus, iubeatur adire metallurgos, & aurifices. Si de *Principiis & Elementis & Ente primo*; partim rideatur, partim ad Magos, & Platonem aut Aristotelem mittatur. Quid de *liquoribus*?

Relegetur ad subsellia scholæ Palmarianæ, sub quibus tam crassæ sunt quisquiliæ vt pro cella esse possint in qua saccharum liquescat:

Quorsum

Lepra quarta species (Tres enim sunt: Leuitica seu Iudaica, Arabica, & Græca.)

Quorsum autem ista omnia? vt *Elephantiasis* Gallicana curetur, ea cum insolentia, & iactatione, vt omnes Paracelsici procaciter prouocentur ad imitandum, & falsè irrideantur. Præsertim autem Libauius vexetur, qui sapientum magisterium, lapidem philosophorum, Azoth, mercurium, &c. descripsit, & habet (vt Palmario placet) qui est caput Gymnasiii, & propriam professionem in Pædagogiam (sic enim mentiri libuit Palmario: qui optare debuit vt Pædagogus fuisset mortuus) mutauit, quem collegæ tanquam νεκρώσει infectum à medico corpore resecuerunt (ita enim charitas Palmarii Christiana iuxta octauum præceptum dictitat, quanquàm Libauius adhuc medicinam faciat, iamque fecerit per annos triginta apud superiores inferiores, medios, multaque collegerit in sanationibus obseruata) cui proponitur Elephantica Gallicana curanda, cum tamen, vt Palmarius olfecit, semel in anno vnicum fortasse morbillum curaturus non vocetur, quæ Elephantica ex venere, postquam à M. Palmario sanata est, auro potabili scilicet exuberato, hoc est, ex vberib. meretriculæ emulcto, sanguinem habuit admodum purum, & TANTA SOLIDITATE, vt *vix ac ne vix quidem dissolui potuerit*, sicut Plamatius *propriis oculis* vidit & experimento suo comprobauit. O præclarum sanguinem post exuberatum aurum, & stibium Suctenii. Eadem venerea post interiorum sanationem habuit multa & *prægrandia tubercula in partibus nobilibus*, quæ fortasse Elixyri philosophorum, sananda reliquit. Non enim scribit sanasse. *Si decantatum lapidem haberemus Palmarius fieret vel in sepulcro aureus, vt Midas*. Tantum de igne naturæ, & Alchemia Palmarii.

Ecce solidissimum sanguinem.

Deo Soli honor & gloria.

D. O. M. A.

D. O. M. A.

SYNTAGMATIS ARCANORVM CHYMICORVM,

Tomi II.

TRACTATVS SECVNDVS DE Alchymia pharmaceutica.

Præfatio.

DE Alchymia præcepta sen condere, seu colligere res adeo difficilis est, vt etiã ingeniosissimos, peritissimosque possit absterrere. Nam *primum materia*, vtcunq; de forma methodica aliquid explanari, & certi tibi promittas, tantis est immersa, tãque profundis tenebris, vt de luce desperes: tantis item inuoluta est perplexitatibus, vt è labyrintho Cretico citius te expedias quam ex illa. Accedit experimentorum difficultas, vitæq; nostræ breuitas, & adminiculorum, sociorumq; fidelium sæpe defectus. Non est vnius hominis per omnia experimenta scientiam venari, & indubitatam consequi: & si partem quandam studio indefesso, laboreque difficilimo sis adeptus, aut per oracula Delphica cogeris eam concipere, & nulli reuelare, nisi parabolice, & ænigmatice: aut vna tecum in sepulchrum inferre. Negant enim mysteria esse prodenda. *Mysterium* a. vocat & *arcanũ* vnusquisque, quod ipse à se inuentum scit cum nullo esse commune. Et quemadmodum Hesiodus de cantoribus, figulis & fabris narrat, ita vix est Alchymiæ iactator, qui non alterum cum suis formulis contemnat, solusque videri velit arcanorum monarcha esse. Vnde nascitur *secundum difficilima constitutionũ argumentum*, opinionum nimirum diuersitas in materia, & eius elaborandæ describendæq; modo. Quidam *vnam* tantum esse contendunt, in qua tanquam in subiecto proprio elaboret chymicus: Et dum vnam in genere agnoscunt, in specie tamen quænam illa sit, maximus est dissensus, dũ hic *salem* fissilem, ille *aurum* minerale, alius *mercurium*, alius *antimonium*, alius *plumbum*, &c. prehendit, & per capitalia quoque dissidia defendere conatur. Quidam chymiam ducunt per *omnia sublunaria*, atque etiam *in ipsis elementis principia & Elementa quærunt*, quam esse vnicam chymici artem opinantur, posse nimirum *Elementa mutare*, & in illorum complexu formas rerum, essentiasque cœlestes investigare, & tanquam cerberum ex inferno vi Herculea producere, & vt in manifesta luce per vomitum reddat quod aluo recondidit, cogere, vnde *artis essata* nuncupario.

Mesues de veteribus scribit quod *arte magni magisterii*, quam & *philosophiam* per excellentiam appellarunt, quod esset quædam sapientum professio, & exercitatio, *ea qua in rebus occulta sunt, tanquã formas materia immersas, manifestarint*, veluti videre est in exemplis extractorum, aquarum stillatitiarum, oleorum per resolutionem, &c. quibus Auicenna adiicit sublimatum argentum viuum: Bulcasis etiam crocum martis & alia. Apparet hos *Alchymiam medicamentorum causa coluisse, eamq; pharmaceutica adiecisse.*

Aegyptii, & Saraceni in Africa & Hispania, indeq; egressi insulani, & qui per Italiam, aliasque regiones vagati sunt, magis, imo præcipue & vnice *in metallis* elaborarunt: vnde nata est opinio de *Alchymia quod sit ars faciendi medicinam, qua diceretur Elixyr*, cuius proiectione super mercurium & imperfecta metalla aurum melius naturali fieret. Hoc magisterium ab *Hermete* autore ducunt. Geber Saracenus videtur id primus forma artis complexus esse, qui etiam scribit se *sua inuestigatione in notitiam medicinæ transmutatoria incidisse*, quanquam per multas ambages, & studiosissima mineralium indagine, quam etiam describit, & secretiorem Elixyris artem vna inuoluit, pluribus particularib. artificiis adiectis, quæ postea pepererunt *sophisticam quandam Alchemiam*, in qua tam impudenter, & veteratorie versati sunt impostores quidam, vt totum magisterium inceperit male audire; quanquam videantur aliqui simplici credulitate & persuasione potius quam malitia seducti, quod tum Gebrũ & alios qui Gebrum sunt imitati, duces haberent, tum Aegyptiorum, hanc professionem fuisse arbitrarentur, prætereaque maximis formularum præconiis in spem amplissimam erigerentur. Sed damnatum est istud magisterium totum ob promissionem fallacem auri, cui omnes inhiant, quanquã pulcherrimis naturæ variæ in mineralibus exemplis, & artificiis non inutilibus, si suo nomine proderentur, & recte collocarentur, abundet. *Sophistica damnata.*

Adeo inuisum passim factum est nomen *Alchymia*, vt sit in ore & fabulis vulgi, idque etiam odio habent magnates, & qui alias studio sapientiæ sunt dediti. Hinc *Augustinus Panibeus* damnatæ Alchymiæ opposuit *Voarchadumiam, Archimiam, & sophiam*, detestatus nimirum per Alchymiæ iugulum

 & nomen

& nomen impostoriam illam qua aurum sophisticum pro vero exhibetur, nihilominus artificia separatoria, & purificatoria metallorum perfectorium, item transmutatoriam aliis titulis professus. Nã *Archimia* ipsius nihil aliud est quam magnum & perfectum magisterium Gebri per medicinam ordinis tertii complendum, vt & inscriptio operis habet: *Ars & Theoria transmutationis metallicæ, cum Voarchadumia, seu metallorum Cabala, vt appellat, in qua auri per camentationes, & alios modos exaltationes, & resolutiones proponuntur. Alchimia*, ab *Alchimo* dicta, inquit, est *modus quo aurum & argentum per variatincturarũ genera, & sophisticationes finguntur ex imperfectis in sua substantia manentibus. Archimia* est modus *seu professio metallica per elixiria ex variis materiis concinnata & ad summam subtilitatem deducta aurum & argentum facta proiectione efficiendi, id quod diuina gratia quis potest consequi, vt & multi sunt consecuti* qui artem quoq; descripserunt, cuiusmodi recensentur Hermes, Geber, Alphidius, & cæteri, Arabes, Chaldæi, Græci, Hebræi, Indi, Latini, quorum scripta parabolica, & ænigmatica qui inuestigat, laude afficitur, & *naturæ arcanorum indagator appellatur*, in quo studio dum multi fuerunt, quanquam ad veri Elixyris notitiam non peruenerunt, tamen alia præclara opera (vitrorum artem, aurichalcum, &c. inuenerunt. *Voarchadumia est ars auri duarum camentationum perfectarum qua aurum purificatur. Sophia est ars auri argenti cæterorumque metallorum facultatem multiplicandi*, quæ tamen ita describitur vt facile intelligas esse Archimiæ, seu Alchymiæ, sensu vero, partem quandam qua metalla nobilitantur.

Archimia.

Sophia.

Si ergo veterum institutum inspicimus, *duæ sunt factiones Alchimiæ laudatæ: vna medica*: altera *metallurgica*, inter quas illa per omnes materias mistorum, animales, vegetales, minerales decurrit, & occulta manifestare studet: hæc in mineralibus subsistit. Opponitur autem illis *sophistica* quædam & impostoria machinatio, quæ nomen veræ professioni debitum (ita enim expresse nominat *Bulcasis, Suidas* & alii) ad se rapuit, & infame fecit; Sed quod studio recentium suo honori est restitutum. Quod autem in istis professionibus magna sit difficultas facile est demonstrare, nec opus est verbis de Alchymia metallica, quæ solis scientibus, & filiis doctrinæ patere perhibetur, multique putant aut magistri informatione præsente, sensibilique disci artem aut diuina reuelatione, quod impossibile sit ex tanto ænigmatum pelago enatare etiamsi Delia industria sis præditus. *Pharmaceutica* est aliquanto dilucidior, & planioribus verbis descripta apud antiquiores. Sed recentiores eam metallicæ seu iungentes, seu miscentes, seu confundentes perplexitate videntur cum antiquis de Elixyre minerali, seu lapide philosophorum certare voluisse.

Alchymia genuina partes.

Lullius quidem de quinta essentia elicienda ex mistis per modum *affixionis stellarum ad cælum* satis est perspicuus: sed quo modo istud cœlum vegetabile esset præparandum adeo obscure prodidit vt nec Vlstadius, nec Quercetanus, id satis assecuti esse videantur, qui & ipsi non carent obscuritatis obiecto. Paracelsum studio quoq; se immersisse in caliginem notum est, eumq; sequuntur discipuli Seuerinus, Dornæus, Dornheuserus, Quercetanus, Suchtenus & alii. Solus *Crollius* post Andernacũ, Gesnerum, Philiatrum, & paucos quosdam pharmaceuticos, qui de vegetalibus maxime commentati sunt, se candide aperuit, exceptis nonnullis abstrusioribus. De *Rulandina* chymia adhuc inquirũt etiam docti, cum ne precibus quidem, & multis admonitionibus potuerit à iuniore, nuper mortuo, obtineri reuelatio. Multi ex proposito dant operam vt videantur singulares esse, cumq; nullo consentire. Ideo & obloquuntur omnibus, omniaque aliorum scripta dicta, facta damnant. id nobis cõtigisse, & adhuc contingere palam est omnibus. (*a*) Magno studio artificia ex vetustate, & posteriorũ commentariis collegimus, & vt aliquam artis formam haberent dispositione methodica exornauimus data opera ne quid homogeneorum omitteremus. Erant informandi tyrones de Encheireticis, quæ etiam à Gebro, Pantheo & quibusdam aliis exposita videbamus, quibusq; ignoratis nemo posset quicquam in ea arte laude dignum consequi. Opera vero chymica duorum generum esse deprehendebamus. *Quædam* enim *fiebant sine extractione* & separatione essentiali: *quædam puræ erant essentiæ*, eæque aliqua varietate & gradu perfectionum, item simplicitate, & compositione distinctæ. Singulis attribuimus suum locum, & ne essent res sine nominibus, classes titulorum diuisimus, appellauimusque terminis in chymica professione vsitatis, quam commodissime fieri posset vocabula rebus applicantes.

Optassemus quendam ingeniosiorem apparuisse, & in ista methodo feliciorem, peritioremq; rerum. Sed euenit quod vulgo solet. (b) *reprehensus est labor noster à multis, superatus à nemine.* Michelius volebat in tota Alchymia nihil esse, nisi rem vnam, quam lapidem philosophorum appellant, & Elixyr, aut medicinam vniuersalem: cætera in parachymicis habebat, quæ in defectu illius quomodocunq; substitui possent.

Quid *Palmarius* requisiuerit, in præcedente libro diximus, & iudicauimus. *Quercetanus* videbatur aliquid exactius daturus, cum scripsisset olim de *præparationibus spagiricis*, & non ita pridem præter *priscæ medicinæ materiam ex sale fusili*, (vnde cum Crollio Halchymiam appellatam putabat) etiã de *signaturis rerum* (quasi ars Paracelso signata dicta esset chymicæ professionis pars quædam) & dogmaticorum medicamentorum restituta præparatione disseruisset, submissa mox pharmacopœa, in qua, vt & alibi, promittebat quandam *aliam spagyricam contemplationis sublimioris de salibus in olea transmutandis, & è fixis volatilibus reddendis per solam propriæ aquæ mercurialis additionem: de potentissimis remediis ex iisdem ad varios vsus educendis: de admirandis metallicorum salium viribus, è quibus aquæ ardentes eliciantur: de sulphuribus & oleis præstantissimis qua aqua in mineralibus, ac vegetabilibus delitescant: de spiritu vegetante in mineralium corporum interiori parte potentissime vigente, &c.*

Verum ille aut non incepit, aut inchoatum opus non perfecit, vt expectandus fortasse sit *Elias* ille, quem ex Paracelso ARTISTAM vocant, tametsi *Penotus* putauerit eum esse *Isaacum Hollandum* Paracelsi temporibus in obscuro latitantem.

Quid

Quid Seuerinus, & Dornæus, cum Gesnero Philiatro, & Andernaco, aliisque multis in artis cultu præstiterint notum est. *Dornheuserus* magnæ Alchymiæ bullam potius proflauerat, quam solidam scientiam. *Palmarius* Corrector deleta Enchiria spagyriam & chymiam, seu Hermesiam & spagiriam nominat quidem, sed non elaborat, cumque omnia ad finem medicum referat, metallurgicam, & mechanicam partem elidit. Imo cum *Hermeticus* simul & *Galenicus* esse velit, lapidem dogmaticorum, & *Galenochymiam* comminiscitur, sed quam itidem inelaboratam reliquit: nimirum saxum hoc sisyphium mordere tentant multi, sed mouent, permouentque pauci. Maximus numerus est eorum, qui aliorum labores vituperant, sed absolutius quid, & præstantius edere nequeunt, suo exemplo confirmantes id quod vulgo dicitur, facilius esse μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. Nos quicquid in lucem emisimus de arte, vbi non respondendum aduersariis fuit, vel consulrandi proposito, sciscitandique edidimus, vel vt Tyrones, studiososque arcanorum chymicorum iuuaremus.

Nostri labores quid ad tumidissimos istos sapientes, qui Pragæ, Tubingæ, in Saxonia (vbi pestilens quidam scriptor Paracelsicus nescimus quid ingeos parturire fertur) & alibi dicũtur in nos spicula parare, senesque de ponte deiicere velle? Dabimus etiam nunc Alchymiam elaboratam quodã modo, & quidem *pharmaceuticam* tantum seposita illa parte quæ metalla, & alia nonnulla extra vsum medicum tractat, vt illis inseruiamus, qui *chymiatrian* malunt, quam metallurgiam & extranea pharmaciæ.

(a) *Alchymiam sui Professores faciunt inuisam. Qua liquido exposita sunt partim spernuntur, ridenturq; arrogantia nouorum, partim mancipiis officinarum committuntur, à quibus præparantur negligentissime: quæ ambagibus & labyrinthis verborum occultata, toties nouantur, quoties libet, totque accipiunt ex opinione cuiusq; formas, quot sunt ardeliones chymiæ notitiam sibi ampullose vendicantes. Quæ nec aperte sunt tradita, nec perplexe, seruantur in cryptis & moriuntur cum suis autoribus. Quod si aliqua occasione in lucem protrahuntur, nihil sunt nisi fraudum materia. Non igitur nulla causa est Academiis Medicis cur malint in antiquorum constantibus tam præceptis quam medicinis permanere, cum fortuitæ istius & omni imposturæ obnoxiæ professionis nulla possit esse scientia. Riolanus potuit hac in parte laudem mereri, si modum non excessisset, & omnia chymica vno impetu cũ suis Professoribus damnasset.*

(b) *Gratia qua Libauio contigit pro labore fere Herculeo, inuidia, contemptus, vituperium, &c. tũ ab Hippocraticis, quam Paracelsicis & aliis chymiæ supercilio superbientibus: etiam studiosuli, qui vix manũ luto ac fuligine polluerunt, Libauio insultãt, eanquam crassæ Mineruæ, & nullius peritiæ homini. Hassocuidam est culinarius scriptor, qui scilicet popello vendit aquas vomitorias & cacatorias, &c. quali mercimonio suam famam non vult contaminare Libauius. Soli Petro Amelungo videtur methodus Libauiana placuisse, quem tamen alienatum suspicantur Tanchii suasionibus: sed qui nihil melius dedit, & multa promittere visus est, verum pauca præstare meminit Libauius, cum Ramæam Logicam profiteretur, ibi dicit, illud Act. c. 28.* περὶ τῆς αἱρέσεως ταύτης γνωστόν ἐστιν ἡμῖν ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται. *Idem fere contigit circa chymiam.*

Capvt I.

De summaria artis descriptione.

Alchymia pharmaceutica medicinis Hermetico more præparandis addicta, elaboratione ingeniosa, adhibitis artificiose instrumentis *docet efficere* (Est n. ars effectiua operis chymici pharmaceutici) *magisteria*, & *extracta*. *Magisteria* fiunt vel in *substantia*, vel *accidentibus*. Quanquam enim vtrumque sæpe coincidat, nec fieri possit, vt quod in substantia elaboratiooem sustinet, non simul in accidentibus aliquid patiatur: tamen à potiore fine, quem artifex spectat, ita possunt distingui. Parantur a. vel *propter se*, vel *aliorum* vt essentiarum, aut vltimorum magisteriorum, quandoquidem interdum altera alteris sunt subordinata, *gratia*, & quæ substantiam attinent, vel in *manente* consistunt, vel *trãsmutata*. Manenti conuenit repurgatio per detractionem alienitatum foris adhærentium, vt cum per alueolum contritæ venæ eluuntur, &c.

Huius loci sunt quæ à sordib. adhærentib. purificantur, vt fiant q̃ purissima, quamuis generaliore significatu tota chymia dicatur esse impuri à puro secretio. Deinde fit ẽt cum aliis cõferẽtib. coniunctio, quo modo alterum alteri apponitur, agglutinatur, affunditur aut aliis modis vnitur, componiturque, vel vt maneat cum eo, vel ad tempus inseruiat, postea iterum secernatur, cuiusmodi multa inter operandum eueniunt, suntque interdum etiam necessaria. *Transmutatione* magisteria abeunt vel in *aliud genus*, vel genere manente in *aliam speciem*, quod physici dicunt fieri *generatione*, vel *corruptione*: Generatione quidem in *nobilius & formalius*, vt cum ex plumbo, & aliis metallis quæ imperfecta dicuntur, fit aurum aut argentum: ex ferro æs, &c. vbi idem genus metallicum manet: vel ex argento viuo, stibio, bismutho, cadmia argentaria, quæ proprie metalla non sunt, efficitur metallum, vt ex stibio & marcasitha plumbum, stannum, aurum, argentum, &c. vbi genus asciscitur aliud: *Corruptione* vero, (quanquam hæc non artis respectu, vtpote cuius intentio est opus procreare quod naturali ad vsum medicum sit excellentius, sed naturæ communis dicatur) vt cum in cineres, aut calcem violentia ignium repercutientium, aut flammarum quid deducitur, siue fine *primario*, siue *seruili*, vbi tamen non semper ad vltimum gradum proceditur, sed aliquando citra subsistitur, vt in tostionibus, vstulationibus, cumque fiunt carbones. Hoc artificio parantur *croci metallici* varii, *carussa*, *ærugines*, aliiq; colores, & calces mineralium, metallorum, gemmarum, lapidum, vitrorum, &c. Ista vero porro pos-

sunt

sunt esse *materia magisteriorum altiorum*, aut *essentiarum*, veluti cum ex calcibus parantur vitra gemmæ, liquores, &c. Hic fieri non potest quin aliquid discedat vt soluatur simul continuitas quæ erat ab humido continente siccum. Aliquando seruantur diuulsæ partes, vt cum elementa, aut principia non essentialia, sed magistralia tantum facimus, quæ tamen deinceps essentialiter & laborari solent, & abiectis inanibus, inutilibusque ad cœlestem puritatem perduci. Ita separantur succi, vt vinum, mel, & qui exprimuntur ex recentibus. Item vrinæ, muriæ, &c.

Cæterum magistralibus istis modis, vt & sequentibus, sæpe elaborantur etiam *extracta*. Nam tunc integrorum rationem sustinent. *Magisteria secundum accidentia* magnam habent varietatem; & *quædam obiter contingunt* nec fine principali proponuntur, vt: cum quæ soluuntur in tumorem fatiscunt, vel alia vicissim sidunt; cum feruor, & strepitus exoritur quando acria committuntur: cum in fermentatione fit motus, &c. *Quædam* vero *sunt* argumenta *perfectionis*, parantur que intentione primaria, vt *magisteria in quanto & quali*, quæ possunt *magis formalia* dici: Et alia quæ ad *consistentiam* pertinent, suntq; *magis materalia*. In quanto consideramus *pondus* graue vel leue: estque *grauitas* in metallis perfectionis signum, vt in auro: *Leuitas* in pulueribus, crocis & similibus exquisite elaboratis spectatur. *Qualitas* magisteria præbet vel *manifestis sensilibusque* distincta, vel *occultis potestatibus*. In manifestis sunt *magisteria coloris*, vbi simul *perspicuitas*, vel *opacitas*, incidit, estque *colorum vltimus rubedo pura*: intra vltimum cæteri quoque iuxta naturam vniuscuiusque: quorum quidam sunt *constantes* quidam *momentanei*, & euanidi ex quibus tamen magister aliquid catorthomatis colligit, qualis est nigredo, albedo, citrinitas in lapide aurifico. Deinde est *sonus*: vnde argumentum perfectionis in metallis: quorum quædam *tinniunt*, vt æs, argentum, ferrum. Stannum etiam strider. Verum quæ in his sunt notæ perfectionis vnius cuiusq; per se, respectu auri, fiunt imperfectionis documenta.

Tertio sunt *magisteria odoris*, vel eiusdem *exaltati*: vel in alium meliorem *mutati*, & quidam etiam obiter contingunt quidem: Veruntamen etiam perfectionibus accensentur: vt cum violæ odor spiritui vitrioli per circulationem conciliatur: aliis odor moschi, quanquam nihil tale sit additum. *Excellentiam odoris in spiritu* seu quinta essentia *vini* Lullius mirifice deprædicat, quam si non habet, perdit iudicium absolutæ perfectionis.

Quarto est *saporis* itidem eiusdem *seruati* quidem, sed ad gradum altiorem perducti: vel *mutati* ex ingrato in iucundum, aut saltem non molestum, qua de re scribit Quercetanus, quod *maiore digestionum, coctionum fermentationumq; cura & molestia impura defecata reddantur, maligna corrigantur, amara dulcescant*: id, quod immodice in suis magisteriis iactabat Palmarius, contendens id opus esse *ignis natura* etiam in integris materiis sine vlla separatione mali à buno.

Saporum versio.

Quinto *qualitates tactiles* primæ & secundæ etiam augent magisteria. Nam est vt calorem temittamus, vel intendamus, sicca vel humida reddamus. Quin & materialium rationem habentes *magisteria* nostra varie *figuramus*, quædam explanantes (quod *tabulare* vocant) quædam *rotundantes*, vnde pilulæ: Alia excauamus, & sculpimus, quo modo fiunt *amulcra* & *pentacula* certis figuris, quas *constellatas* vocant, exornata. Qui Paracelsiæ magiæ, & astrologiæ multum tribuunt faciunt ita *Gemmahuias, constellata specula, grossos*, aliaque effigiata, ne quid de *homunculis*, & *alueonibus* dicamus. *Magisteria occultarum qualitatum* sunt quando sublata malignitate res fit benefica per alterationis modum, cumq; ex immatura, & cruda per coctiones, & digestiones artificiosos fit medicamentum aut alimentum maturum, vt in succis, maximeque melle, vino, & similibus spectare est. Qui *in lapide* elaborant perfectiuam coctionem vnice commendant.

Condiabolata Paracelsica, qualia inuenire est etiam in Artefio cardani, Arnoldo, Corn. Agrippa & similibus magis vnde translata Paracelsus illustrauit.

Nam *in primam materiam reuocant suum minerale*, indeq; percoquunt donec etiam vltra vim naturæ ascendat, euadatque *plusquam perfectum*, quod possit imperfectioribus dispositis, seu symbolum habentibus perfectionem sui generis conferre: Atque ita se habent magisteria accidentium magis formalium.

Quæ magis respiciunt materiam, & consistentiam, sunt primum *volatilia*, & *fixa*, conuenitq; in medicina magisteria magis volatica esse debere, quam fixa: Et vbi hæc quoq; ponuntur, non intelligi absolutam fixitatē, nisi tale sit vt non debeat à naturali calore solui, cuiusmodi externa esse possunt. Postea habentur ex quanto continuo discreta, vt quæ in *pulueres* & *granula* diducantur: aut rursus in vnum continuum reducuntur, quæ *coagulata* nuncupantur aut *colliquata* vel *reducta* pro commoditate ad vtendum, aut seruandum varia. Huc pertinent *præcipitata* quoque appellata, & *repercussa*, si non sint in numero essentiarum. Præterea mutatur consistentia ex sicca constanteq; in humidā & fluidā; vnde nascuntur *magisteria soluta* (vt cum sulphur oleo soluitur, vel camphora aqua, &c. vbi plærunq; simul fit compositio exceptis paucis quæ calore solis vel simili colliquescunt, quod de *Epate* pinguis piscis cuiusdam, & floribus nonnullis refertur) & deliquio in *liquores* redacta, vt quæ *salis* conditionē sequuntur, aut alias aere vapido mollescunt & diffluunt, vt *myrrha* cum similibus. Ita *sublimatum* argentum viuum, & *calces* reuerberatæ in sudorem abeunt, aliquando *oleorū* titulum adeptæ maxime si quid pinguedinis assit, vt *in oleo tartari*. Ad hoc genus referuntur *potabilia* appellata. Habent n. formā soluti, vel liquoris, vt siue per se, siue cum aliis bibi queant: per se, vt *solutum sachari crystalli*: cum aliis, vt *aurum, argentum, gemmæ* liquefactæ humidi aeris ingressu: quorum quædam prius essentialiter elaborantur vt nō sint amplius id quod in integritate naturali fuerant, & tamen seruent nomen integri, vt *aurum philosophorum potabile*, & *salium, calciumque essentialium liquores*, veluti *crystallus potabilis, sapphyrus potabilis*, &c. qui & liquores crystalli, vel olea sapphyri, &c. Quædā non sunt actu liquida, sed *coagulata*, q̄ ideo pro consistentia possunt ad diuersas magisteriorum classes referri. Multi sunt hic chymici de *sale fusili*, & *medicina* ita *incerata* vt paruo calore soluatur diffluatq; instar ceræ, quæ in magisterio trāsmutationis etiam alia perfectionis argumenta habet: Sed propter elaborationem extractoria inter essentias à corpore elementari separatas reponitur.

Ita se-

Ita fere se habent magisteriorum varietates de quibus si interroges, *num omnia sint pharmaceutica*, idquod debent esse, siquidem sunt chymiæ pharmaceuticæ, cuius vltimus finis est *medicatio salutis humanæ, valetudinisq́ causa*, opera: respondemus vnius rei esse fines multos, & non vnam dispositionem, siue accidentalē, & quæ obiter contingat quidem, sit tamen nota iustæ præparationis, siue primariam. Sunt volatilia, fixa, soluta, liquefacta, &c. etiam in vsu extraneo: Verum nec ex medicinatū generibus exclusa.

Hactenus fuit digestio magisteriorum specialiter dictorum, quæ etsi non inuenitur vsq; adeo exacta, vt plane congruat iudicio secundum leges scientificas, non tamen morose erit reprobanda, sed aliquid coodonandum tum humanæ imbecillitati, & impotentiæ: tum rerum ipsarum variæ naturæ, ob quam modo huic ordini accenseri possunt, modo alii, ne quid de ipsorum artificum peculiari consuetudine, quæ se non patitur alienis regi legibus dicamus. Si Palmarium auscultare vellemus, vnica specie magisteriorum tota expleretur Hermesia, quam appellat. Nam *hic nihil esset aliud quam integrum mistum, absque omni separatione notabili relicto veneno simul cum essentia, ex malo in bonū traductum vnico solo instrumento quod ab ipso ignis natura dicitur.* Ita integra mineralia, vt arsenicum, auripigmentum, sandaracam Græcorum, cadmiam argentariam, marcasitham, stibium, &c. tantum calore ignis naturæ alterata: ita vegetabilia, herbam, sardoam, Thoram, napellum, aconita, elleborum, Esulam, Iridem, Sambucum, Hermodactylum, mala insana, solanum syluaticum, &c. ita animalia aspidas, scorpios, viperas, rubetas, Tarantulas, Salamandras, basiliscos, canes rabientes, feles, &c. in pharmacopœa magisteriorum haberemus nulla ne impura, & venenata abiecta, quod non possit efficax medicamentum esse non seruato veneno, vt in Theriaca. Sed his ad cynosarges ablegatis EXTRACTA videamus.

Hæc *spagiriæ* subiiciunt nonnulli, quanquam hoc artificium, *à solutione, seu distractione, & vnione cum coagulatione appellatum*, singulari extractorum speciei conueniat. In extracto respicimus, requirimusque essentiam specificam, seu formalem ex latibulis materiæ Elementatis, quæ vacua est, caretq; potestatibus essentialibus, protractam, & ab ea diuersorum modorum industria separatam. Hæc *essentia* vel *simplex* est: vel *composita*. *Simplicem* appellamus ex vno simplici naturali collectam, siue forma vnica, siue pro partium diuersitate, diuersa. Quando ad vnicam essentiam fit elaboratio, nascuntur extracta duorum generum. Quædam enim *affinia magis sunt elementis: quædam atherea*, seu cœlesti *natura*. Illa in officinis solent *simpliciter extracta* dici, fiuntque dupliciter: *Defessu & excessu*. *Defessum* intelligimus, cum essentia extracta circa fundum vasis colligitur; qua arte fiunt primum *succi sapales* liquidiores, spissiores, pro vt vtendi ratio, & conseruandi postulat: Secundo *resinæ & gummata*, quorū multa etiam natura sine arte procreat: multa etiam profert solicitata & adiuta terebrationibus, incisionibus, rupturis, &c. Ars vero vel tostionibus, vel menstruis euocat, ad exemplum *gummi Guaiaci*, lauri & aliorum lignorum pinguedine lenta abundantium. Tertium locum obtinent *fecula* dictæ, quas ex cōtritis, vel maceratis, frictisq; farinaceis extrahimus, vt in radicibus Bryoniæ, Ari & frumētis speltæ, tritici, &c. vnde dictum *amylum* paratur; quod & medulla, & flos frumenti. Officinæ vulgares appellant *farinas*, quæ cum alias molarum ope fiant, hic chymico artificio paratæ transeunt ad artificia spagirica. Quarto per defessum concrescunt etiam *lapilli*, & *crystalli* arris ex dilutis, & lixiuiis per modum consistentiæ coagulantis, vel congelantis, vt videre est in speciebus *calcanthi, halonitro, alumine, sacharo*, & quibusdam salibus. Accedit nonnunquam proflario violenta vt in *destillatione argenti viui sublimati*. Variat tamen hic modus & aliquando congelata nascuntur etiam in partibus superioribus, & lateralibus, vt in sublimatis, & *pruinæ, butyriue* forma consistentibus. Quinto in mineralib. sidunt etiam *Reguli*, vt in separatione argenti, auri, aliorumque metallorum per antimonium, & alia medicamina. *Stibium* quoque ipsum *regulum* & *stellam* exhibet: Sic *arsenicum, sandaraca* & alia nonnulla: vbi scoriæ & impuritates, quas spumas, plachmalia, recrementa, &c. nūcupant, enatant, essentia extracta ad fundum concedit. Sextus modus est in *pulueribus* extractis quos & *calces* aliquando vocant. Sic acetum ex lythargyro extrahit essentiam, quæ postea præcipitatur vt sidat: Ita & ex antimonio, &c. *Alia extracta* ad regionem superiorem feruntur, & impuritates ad fundum demittunt: ad quæ referimus etiam ea, quæ spumam quidem impuram in superficie habent, sed illa abstracta nihilominus extant, & infra se feces habent. Id fere fit in succorum digestionibus putrefactionibus, fermentationibus: aliquando & coctionibus, vt in oleo laurino, ebulino, aliisque pinguedine natante constantibus. Nonnunquam *tabulantur essentia* in superficie cum cocta materia & resoluta in liquore frigescit, vt in *cremore tartari*, vbi tamen *grumi* ēt circa latera consistūt: Ita q̄ ex sacharo vel sacharina, aut salsa efflorescentia candisantur, vt *halmiruga* naturalis, *halonitrum* in salice syra: *Sacharum* in nodis arundinum Sacchar præbentium. Sic *aquæ mercuriales* gelascunt. Mirum hic contingere Quercetanus tradit, nempe *glaciem non solum frigoris esse, verum etiam caloris*, vt in argento viuo sublimato, &c. qua de re alibi.

Extractorū tabula.

Essentia simplex.

Extracta per defessum.

Fecula vel potius Amyla.

Lapilli crystalli.

Pruina & butyra chymica.

Pulueres repercussi.

Crustata extracta & glaciata.

Extractis simpliciter dictis opponuntur *essentiæ quintæ* ad cœlum philosophorum relatæ. Modus hic est duplex: Vnus quidem: *cum extractum crassius menstruo cœlesti denuo extrahitur*, vt fiat purius & formalius, hocque iterum & sic tertio vel quarto elaboratum tandem cum spiritu vini æthereo circulatur, totumque spirituale & æthereum redditur. Altero ver modus est, cum vel elaborata prius magisterialiter, vel omnino rudis materia repetitis operationibus *exaltatur*, vt item *quintæ naturæ* argumentum & iudicium sustineat.

Glaciem chymicam fieri etiam in calido aere.

Quinta essentia.

Hac arte parantur *cœlestes spiritus ex vino nobili* & aliis rebus, titulo *spirituum atheriorum*, vt distinguuntur *à spiritibus materialioribus*, quales sunt *vitrioli* non circulatus, *sulphuris, descensorii, &c.* ita vt *spiritibus essentiales* sint *duplices*: alii *perfecte* elaborati: alii *inferiore gradu*, qui tamen & ipse ad medicinam estvulis, relicti. Quædam fiunt *per sublimationes sæpe reiteratas*; vnde nascuntur *flores quintessentiales*, & *sub-*

limata dulcia crystallina, quanquam raro absque compositione. Ita *sales* per se possunt perfici, vt fiant
Sales arcani. lucidi, fulgidi, fusiles, tenerrimi, & volatici: post enim fixi, id quod *ex secretis interiorib. est artificium*, de quo Quercetanus, Penotus, & alii scribunt, fuisse *præcipuum philosophorum propositum*. Sed si ex diuersis fit sublimatio, transit essentia ex classe simplicium in genus compositarum. Quanquam autem dictum sit hoc arcanum fieri ex toto, & continere quoque vim totius misti essentialem: tamen etiam partes separatæ sic elaborari solent, quæ tunc pro totalibus habentur siue sint aquæ, siue olea, siue sales vnius in natura mixti. Ita *assumuntur loco integrorum etiam magisteria & extracta*: & ex vna q. colonia in aliam mittuntur pro vt diuersis legibus astringuntur. Ista est designatio essentiarum quintarum ex totis sine separatione. Eis opponuntur essentiarum partes segregatæ, quæ modo nomine *Elementorum* nuncupantur; modo *principiorum*, quos terminos ex his esse quæ πολλαχῶς dicuntur, iam sæpe est proditum, nec obseruant autores id discrimen exacte, vt qui Elementa *actiua* intelligant principia siue magiste-
Elementa actiua passiua rialiter tantum præparata, siue etiam essentialiter: *Passiua* vero vocent, quæ alias *reiectanea & sterilia* corpora quibus inclusa erant essentialia: cuius generis maxime est *phlegma*, & *terra damnata*, seu inanis, quando Elementum aereum quatenus vacuum est potestatibus, insensiliter euaporet: & ignea pars inutilis diffletur, remanente parte essentiis alligata cum ipsis. Nomina specialia istorũ seu prin-
Mercurius, sal, sulphur. cipiorum, seu Elementorum sunt *mercurius, sal & sulphur*, quæ primum in mineralibus agnita, postea translata sunt ad animalia quoque, & vegetalia: Imo in metallicis tantum duo à vetusti magisterii interpretibus ponuntur, *mercurius* scilicet & *sulphur*, tanquam *fœmineæ & masculæ* naturæ ad generandũ
Principia veterum chymicorum duo. filium artis. *Isaacus Hollandus*, & qui eum sequuti sunt, *salem* adiecerunt quanquam alias non ignotam philosophis, qui & *totum opus in salis fusilis apparatu industrio posuerunt*. Hactenus fuerunt extracta simplicia: sequuntur composita.

Extractorũ compositorũ digestio. Hæc *speciebus* distinguere difficile est. Itaque *modos* tantum proponemus. Quæ componuntur aut homogenea sunt, aut heterogenea. Homogeneorum compositio appellatur *via philosophica*, siue
Elixyria. fit *humida*, siue *sicca*; siue vtraque concurrat. Quæ sic fiunt fere *Elixyria* dicuntur, ex quibus excellit E-
Mercurius sapientum διφυής. *lixyr metallicum vniuersale* ad morbos humanos, & mercurialium imperfectiones tollendas. Hic *omnia sunt ex mercurio qui sapientum* nuncupatur quanquam *duplicis natura, mascula, fœminea: volatilis fixa; humida, sicca*. Si de sulphure quæras, inclusum audies Ita *spiritus, anima, corpus*, quæ tria in fermentatione co-
Incerata & nutrita. incidunt, omnia sunt nihil aliud quam diuersa affectione mercurius. Præter Elixyr illud nobile sunt alia quæ ex vnius simplicis principiis coalescunt per modum *imbibitionis*, *& coagulationis*, vbi *sal* vel *terra cœlestis* (aliquando & succus inspissatus, vel arefactus inque puluerem redactus) Primũ est fundamentum, quod potatus proprio spiritu & oleo, donec coalitio fiat in essentiam formæ lapidis, vel alterius coagulari. Interim elementalia vehicula ex aere, vel igni, vel aqua paulatim discedunt, fitq; terminus humidi à sicco, & contra, agentibus actiuis. In his Elixyribus non semper summam subtilitatem spectamus, quod vsus medicus etiam minus elaborata admittat. Ideo *graduata Elixyria* habentur, sed in quibus sæpe imposturæ, & in aliis, eueniant. Nam pigerrimi & improbissimi, iuxta ac rudissimi *nebulones ex Paracelsia*, quomodocunque conuasata pro summis & elaboratissimis Elixyrib. vendunt, cum non raro sint elixyrium excrementa. Peritus artifex vera agnoscet ex viribus essentialibus, puritate, & aliis prærogatiuis. *Heterogenea* componuntur pluribus modis. Vnus est *sublimatio*, quæ tamen & ipsa gradus habet pro vsu diuerso. Summus est *crystallina puritas* cum essentiam sequentibus coloribus, odoribus, saporibus, in qua tamen finis sit aliquis, ne nimia volatilitate medicinam noxiã faciamus. Sic fit *crystallinus mercurius philosophorum* qui continet quintam essentiam & semen argenti viui magno studio à coniunctis separatum, vna cum proportionali sulphure: Item alius crystallinus medicorum, quem *panaceam* vocant: Ita & *sal armoniacus cum sale vulgari: Arsenicum cum eodem: argentum viuum cum sulphure*, &c. essentificatur: quæ essentiæ postea aliis formis donari, atque etiam elaborari vlterius possunt.

Modus secundus est præcipitationis, seu *repercussionis*, quę tamen etiam fiunt simplicia. Huiusmodi est *tartarum vitriolatum: Mercurius vitæ, &c. Tertius* perficitur per destillationes. Hac ratione *Balsama* artificialia. *aquæ confortantes*, quæ & *Elixyria & aquæ vitæ, carbunculares, cordiales, aureæ*, &c. *Aceta* & *aquæ Bizoardicæ: menstrua cœlestia, soluentia, aquæ fortes, regia liquores alcalizati*, &c. parantur. Est & cum olea facimus sæpe destillato acero, vel vini spiritu, aut similibus à calcibus nonnullis. Nam est in illis insita pinguedo quædam, quæ assumitur à calcibus, quæ sic incerantur & diffluunt in oleum. *Quartum* præbet *infusio, maceratio, digestio, circulatio*, seu *pelicanatio graduata* pro scopo artificiis. Fere a. hic relinquuntur *menstrua*, vt in Lullii stellarum ad cœlum affixione: aliquando ad mediocritatem rediguntur. *Quinto* chymici interdum vtuntur officinarum *coctionibus*, *& compressionibus*, aliisque vulgaribus artificiis cum quibus simul est extractio. Hoc volebat & Palmarius scribens chymiam suam Galenicam laudare Electiones, tusiones, coctiones, infusiones, expressiones, &c.

Iam autem notum est sæpe simul coqui duo vel plura: simul etiam exprimi plura, vt in oleis amygdalinis; vbi *amygdala cum aromatibus strata & fermentata, aut alterata vi eorum* exprimuntur. Sic Quercetanus, & Penotus docent facere *hydromel* simplex, vinosum, & alteratum, &c.

Ad *Sextum* modum referimus *contemperationes extractorum* simplicium plurium: vel essentiarũ quintarum diuersarum, aut ex diuersis generibus magisteriorum, & essentiarum, fitque sæpe, vt mista mistis cumulentur, & liquida liquidis, sicca siccis, vel sicca liquidis, quocunq; ingenio artis iungantur, forma potionum, pilularum, rotularum, tabularum, linctuum, puluerum, &c. Hac arte fiunt balsama ex oleis & manna purgata, vel cera cocta, vel liquamine muscato, &c.

Magi simul & chymici. Chymici constellati, hoc est, *pentacula, amuleta, specula* & similia miris modis contemperant, colliquant, conglutinant, & aliter miscent: Alii *laudana* sua, & *Electuaria*, & *Emplastra*, &c. conficiunt

ciunt, quorum omnium artificia exemplis amplius innotescunt : Atque hæc est tabula chymiæ Pharmaceuticæ, quæ nec abundans, nec deficiens esse videtur. Omnes enim necessariæ formæ operum ista continentur, nec licet mirificissime nonnulla fingi possint, plura inuenimus vsu sapientum, rationeque, & experientia comprobata. Et quid opus est plura excogitare? Abundantia potius suspecta est, quam defectus. Sed vt in medicina vulgata variæ formæ, & elaborationes partim necessariæ sunt, partim arbitrariæ, & in euentum singularium affectionum comparatæ; ita & in Alchymia. Si omnes pilulis purgari possent, non opus esset electuariis purgantibus, & ita si omnes potionibus pulueribus, & similibus. Multitudinem peperit tum natura rerum varia, variæque dispositiones, tum vsus, & affectus eorum qui se singulariter habent. Accessit artificis industria, & libera electio medici: quorum quædam etiam indicationibus medentium inseruiunt: quædam obiter euenientia ob commoditatem in artem recepta sunt: quædam aliunde translata.

Varietas operum chymicorum.

Capvt II.

Digreßio cur quidam chymici vel potius Laborantes artistæ, Paracelsistæ, &c. ægrè includi se septis methodicis patiantur.

ARtem iactant Alchymistæ: iactant scientiam, sapientiam, physicam, philosophiam, magisteria & præterea omnia sublimia, & magnifica verbis ambitiosissimis. *Ars* autem *est præceptorum scientificorum methodica comprehensio ad opus certo fine faciendum, vt sit vtile vitæ humanæ adminiculum.* Propterea enim sunt artes inuentæ, & magno Dei munere miseris mortalibus concessæ vt sint calamitatum, quas per peccatum incurrerant, quoddam leuamen, & afflictis rebus subsidium. Vnde veteres *Promethei* furtum excogitarunt, qui ignem ex solis curru ferula absconditum detulerit, vel ex *Vulcani* & *Mineruæ* officina igneam illius, huius aliam artem ad ciuiliter viuendum, sarciendumque defectus ex Epimethei improuida largitate profectos, rapuerit, vt est apud *Platonem in Protagora*, quanquam in *politico* dicatur à Prometheo ignem (quam *Dialecticam* aliqui vocant, *igneam* nempe *ratiocinandi & bene differendi industriam*) à Vulcano & consorte artes (alias *experientiæ & rationis filias*) inuentas esse. Hæ ex rudibus primordiis progressæ experientia procedente subinde excultæ sunt, & incrementum ceperunt, etiam in sua ruditate non carentes certis terminis, & ambitu suis limitibus incluso, vt constaret semper quid esset *ad regulam, & legitime* factum, quid secus & perperam. Quid ni ergo Alchymia quoque, si quidem est id quod prædicant eius professores, habeat, & habuerit ab initio suas metas, carcereique quibus inclusum, & determinatum quodque artificium incensum iusti, vel iniusti, legitimi vel illegitimi, veniat, præsertim cum velint eam esse *inuentum sapientum, & studium, exercitiumque philosophorum*? Num philosophia, & sapientia sit ἀμέθοδος, tamque vaga & interminata vt nullis claustris coherceatur, nec vllas sibi præscripserit leges, data licentia tam laxa, vt *quod quisque fingit, siue arte, siue fortuna, perite, imperitè, si dicat chymicum esse arcanum, statim sit chymicum?* Antiquissimam eam faciunt. Tantis mundi spaciis nemo fuerit sapiens, qui septis eum circumdederit propriis, & non tantum ab aliis siue artibus, siue scientiis separauerit; verum etiam eius partes sic digesserit vt suis articulis, tanquam in humano corpore membra, distingueretur?

Ars quid.

Alchymiam certis regulis constare, nec vagari in infinito pro lubitu cuiusque.

Sanè qui antiquitatis monumenta consulunt, non nullam fuisse apud eam huius artis descriptionem legibus, præceptisque certis comprehensam animaduertunt, quando & *Auicenna* de Alchymia commentarium edidisse perhibetur, & *Geber* artis formam sequi voluerit, nec desint vestigia apud *Mesuen, Seruitorem* & alios, quanquam non vsque adeo obseruatæ sint *leges scientificæ*, quas ab Aristotele propositas non ita pridem adeo excussit, nudauitque Ramus, vt si eas strictè sequi velis, perplexitates delphicas potius, & fumũ Phœbæi antri caliginem gignant quam mineruæ, vulcaniq; lucidum ignem à Prometheo delatum. Sed chymici posteriores licentia sumta rupetunt vincula, maximeque *Paracelsus* adeo immutare voluit artem, vt prorsus nouæ persuasione *monarchiam* sibi arrogauerit, iusseritque *se sequi omnes veteres & recentes.* Nouam artem Alchymiam vt & medicinam cæterasque condere fuit ausus. Verum adeo non condidit vt potius conditas pridem dissipauerit inuexeritque temeritatem fingendi quiduis quouis modo, quod postea pro chymico, & medico arcano proclamet. Hinc fit vt *vix vllus cum altero consentiat*, singulique videri velint *aliquid noui* peperisse, cuius scientiam & artem sibi soli vendicet, quanquam non desint interdum *furta Promethei* inducto nouo colore. aut additis, subtractisve nonnullis. Componuntur farragines rerum: elaborantur ad libitum, & non ad præscriptum artis. Coniiciuntur artificia illa arbitraria in schedulas. Præfiguntur nomina monstrosa monstrosiorum autorum: interdum & principum, & celebrium medicorum, sed sub titulo arcani, secretique aliquot talentis auri, redemti, aut singulari astutia, & ingenio comparati: cumque multi sint seu repertores, seu immutatores & iactatores talium secretorum, plaustralia conficiuntur commentaria, & aduersaria infinitis penè pagellis implentur: cumque beneficio typographicæ artis longe maior numerus in publicum prodierit, quam requirat hominum salus, aut legere, nedum intelligere & elaborare possit vel diligentissimus: tamen neglectis istis omnibus nouæ receptæ quæruntur. Eo tandem peruenerunt studia chymiatrica, vt in academiam missus adolescens non curet philosophiæ & medicinæ decreta perdiscere, & exercere: Sed *nouitates receptorum inquirat*, sæpeque ab imposteribus magno redimat. Domum reuersus ostendit *indices* ponderosaque monstrat Sympegmata, quæ tamen vix limis inspici à latere patitur; scilicet

Legis axiomatis necessarii malè ad omnia artium præcepta transferri & Ramistice obseruari.

Paracelsus postquam explauit veteres, iubet eos sequi: sed qui asseclarum vicissim expoliant & irrisum vertunt.

Vafricies Pãrachymicorum.

Medicinæ studiosi recepta mirifica aucupantur pro sapientia.

ne collecta peregrè arcana, quispiam auaris oculis surripiat, & cupidè vnico intuitu præcepta vulget, & sic peregrinæ sapientiæ pereat supercilium, *nec sit amplius arcanum, quod arcani titulo emerat.* Liberales autem admodum sunt catalogorum seu indicum titulos miros & inauditos habentium communicatione. In illis videas ingentia nomina, & spes auidissimas, promissionesque plus quam aulicas. Legitur *spiritus Saturni verus. Remedium optimum millies expertum: Crocus martis essentificatus: Crocus metallorum verus: Crocus metallorum Quercetani singularis: Puluis benedictus: Mercurius vitæ optimus: Aquila alba vera: Aquila nigra Hermetis: Aues Hermetis: Aquila cœlestis & Panacea imperialis:* Nitrum *singulari modo fixum ad omnes febres, & hydropem verissimum remedium: Laudanum opiatum sine opio Paracelsi admirabile:* Nepenthes Quercetani verum: *Sulphur vitriolatum verum Quercetani:* Sulphur vitriolatum Hartmanni: *Doctoris Hartmanni* Speywasser/id est, aqua vomitiua: *medicina Del oro* (quæ nobiles facit vomere, & ventrem vacuare plus quam flores & vitrum stibii) *Mercurius dulcis Mauritianus: Oleum Mercurii Diaphoreticum:* Corallinum Paracelsi secretius: *contra cancrum* aliquot comprobata, certissimaque remedia: *Singulare præseruatiuum luis venereæ,* ne quis etiamsi plusquam Hispanicè scortetur, tamen inficiatur: *Contra omnes febres intermittentes generale:* Antimonium Diaphoreticum aureum: *Aurum antimonii:* Mercurius antimonii verissimus, & ex eo præcipitatus fixus: *magnum magisterium sapientum*: Ignis philosophorum: *Ignis naturæ:* Lacerta viridis: *Leo viridis:* Sanguis rubri leonis: *Aquilæ albæ gluten verum:* Vitrum mercurii: *Glaciatum Corneoli alcool Quercetani verum*: Vniuersalis medicina Phædronis ex Tartaro: *Mercurius absque corrosiuis sublimatus:* (a) Processus auri potabilis verissimi, & mercurii philosophorum: *Verum sulphur antimonii:* Vitrum stibii tantum deorsum purgans: *Flores antimonii per spiritum solis fixi:* Theriaca Theriacarum arcana: *Mysterium vrinæ nulli reuelandum:* Singulare arcanum ad vertiginem: *Vera corallorum tinctura:* Q. Essentia ellebori suauissima etiam infantibus, & puerperis tuta: *Rhabarbarum antimonii:* Senna mercurii: *Agaricus reguli martis:* Magnesia Saturnina vera: & quis omnia queat recensere? Vidimus, & collegimus valde multa. Sed nostri tyrones vel plaustris subinde aduehunt plura, eaque noua, vel nouo modo præparata: vel si ex veterum secretis sunt, arcani intellectus sensu illustrata. Vnde scit ille bonus iuuenis etiam qui sint *duo dracones* se mutuo conficientes, & *concordiam ignis cum aqua,* qui tamen nondum didicit quæ sint pilulæ pestilentiales *Ruffi;* aut *Theriaca* Diatessaron: quid possit *polypodium,* quid *senna:* quomodo præparanda *Esula, scammonium* & similia. Hæc artifici experientia longis seculis comprobata ignorat: Ignorat *chymian Auicenna, Mesuæ, Rhasis, Serapionis, Bulcasis,* &c. nouitates illegitimas, & vix heri inter fumos fornacum obiter natas admiratur studiose indagat, discit, laudat. Libauio studium erat *in artis formam redigere totam Alchymiam.* Commota est tota *Paracelsistarum lerna,* & superciliosi nouitatum sectatores nasum crispa-runt irriseruntque operam totam. *Nosne in ordinem redigi, & ad vlla præcepta, legesque constantes, & perpetuas alligari?* Quid? Si hoc fieret, periissent arcana. Nullus esset singularium inuentorum admirator: nullus redemptor. Præterea quid ille Libauius? *Nihil habet suum: nullum scit arcanum, omnia collegit, eaque pridem contempta, & obsoleta. Non est astrologus. Nulla scit, nec curat constellata* Paracelsi, cuius etiam est insectator. *Non intelligit Suctenii arcana de antimonio: De lapide philosophorum somnia narrat sua. Vult eum fieri ex auro, & argento viuo: Caput corui ponit, id quod est impuritatum, & sordium excretio. Creditur de sale velle, cum lapidem interpretatur. Nolo istum autorem. Non est laborator, nec habet laboratorium. Nihil potest præparare. Omnia ex aliis describit, vel audita tantum recenset,* & hæc non vera. Nos non tantum vera, sed & verissima habemus quæ ille nunquam olfecit. *Apage cum ista arte. Hoc artificiosum est quod nos manu nostra parauimus, & vidimus. Nos ex basilisco venenatissimo facimus beneficentissimum remedium secreto nostro magisterio, nulli patefaciendo. Nos arsenicum Realgar, & omne venenum igne nostro natura solo mutamus absque vlla decessione & additione. Ignem illum ignorat Libauius. Ergo nullus est in Alchymia.* Hæc & similia multa oggannunt nostris laboribus, & vt inertissimi sint, repudiant artem longa experientia, & ratione inuentâ, & comprobatam, tantumque fortuitis suis experimentis, quæ plus quam insana audacia, & temeritate explorant, nituntur medicinas petentes ex hominum miserorum suppliciis, & portentis terræ: nec iam satis est serpentes, viperas, rubetas, buffones, lacertas, salamandras & similes bestias in materiam medicinæ, præteritis vetustatis benignis, vertisse: quo peius est minerale, & nocentius, hoc præstantius medicamen inde magno cum periculo, & labore conficiunt, cumque omnem operam consumserunt, *vix Rhabarbari, aut mannæ benignitatem* sunt consecuti, nullo alio argumento quam iucundæ sumtionis in parua dosi. Nam vires æquant benignis vetustis: Et tamen si interrogentur ex quare parent suum medicamentum, non audent disertè dicere, sed monstra vocabulorum proferunt, esse *Rhabarbarum minerale,* quia flauet, & Rhabarbari instar aluum moueat. Si quæras quam pridem est inuentum, & quam diu comprobatum remedium? Antiquum clamant, & ex priscorum Hermetica erutum, non veriti impudentissimè mentiri: Nam nihil præter sua inuenta vix heri fortè fortuna cognita producunt, eaque vel iurant Libauio non reuelare, quia omnia publicet lucifugarum arcana. His de causis potissimum (sunt enim & aliæ plures) odio habent ostentatores chymici legitimam artis descriptionem, maximeque Paracelsici impostores non possunt ferre, *vt alia sint arcana quam sua; vel alius sciat item aliquid singulare, ne ipsorum technæ in nerunm erumpant.* Nos quantum possumus studiosos adhortamur, vt cum se ad medicinam conferre volunt, præ cæteris animum ad discenda præcepta & demonstrationes Physicæ legitimæ adiiciant; & his benè cognitis transeant ad medicinæ theoremata. Ita rectè percepta doctrina naturali, & anatomia humana, quæ est quædam specialis Physica, scient modum & rationem sanæ constitutionis, à qua si decessio facta fuerit, hanc eò facilius deprehendent adiuti sedula cognitione Pathologiæ longo vsu collectæ, & exemplis declaratæ; postquam peruenient ad Therapeuticam, Diæteticam, chirurgicam, pharmaceuticam, in quibus dum leges & historias sanationum peritarum cognoscunt, simul materiæ offerentur, quæ eos adigent ad sensitiuam contemplationem. In præparatione vero remediorum non venanda sunt

Paracelsistæ nolunt scire ex principiis, sed pro arbitratu & fortuitò laborare.

Conuitia in Libauium coniecta.

Mineralium chymici magno periculo & labore student Rhabarb. & mãnam æquare medicamentis. Stulti. Quid opus erat tanta mole Rhabarbari vim quærere, cũ natura dederit sufficiẽtem?

Vbi desinit Physicus ibi incipit Medicus.

ista

ista ambigua agyrtarum & empiricorum arcana, sed cognito Pharmacopœæ communis more, paulatim adeundum *laboratorium chymicum*, & in hoc prius discenda artis præcepta vera, longo vsu, & consensu sapientum confirmata. Ad illa si nouæ præparationes congruant, sane commendati possunt: Sin minus, cauendæ, donec à sapientum concilio explotatæ, & comprobata in artelocum inueniant. Quid quæso noua arcana inquiritis? *Laboramus in vniuersali priscorum intelligendo, & ex tenebris eruendo.* Cur non hunc laborem absoluimus? Quid tamen intermissum est ab *Andernaco, Gesnero, Wolfio, Quercetano, Crollio, Penoto, Cratone, Rulando* & aliis, qui sua inuenta scriptis communicarunt publicè? *Si vnum saltem vniuersale, seu Panaceam veram verè sic dictam & deprehensam haberemus: Si vnum panchymagogum: & pauca quadam particularia, instructa foret officina medica.* At illi plures Panaceas describunt, & magnificentissimè commendant multa ex *auro, argento, gemmis, stibio, ferro, Tartaro, sulphure, vino, mumia, vitriolo, Marcasitha* & aliis. An ne hæc quidem sufficiunt? Nimirum non putas tuum esse, quod scit etiam alius singulares cupimus videri omnes. Scribat Crollius, Penotus, Quercetanus, quid velint. Nos habemus secreta nostra illis longe præclariora, si fas est credere.

Sudinuogius, de hoc argute: Id quod Veteres sciuerunt nescimus, vt sciamus ipsi ignota omnibus neruis contendimus, &c.

Antiqua videtur ista à Paracelsis, & similis fecis iactatoribus vsurpara glotiatio. Legimus in Plauti Pseudulo coquũ gloriosum planè ingenio Paracelsico ptimum contemnere, & exibilare populares escas & ex plantis sumta condimenta, dum inquit:

Non item cœnam condito vt alii coqui
Qui m hi condita prata in patinis proferunt:
Boues, qui conuiuas faciunt, herbasque oggerunt,
Eas herbas herbis porro aliis condiunt.
Indunt Coriandrum, fœniculum, allium, atrum olus,
Apponunt rumicem, brassicam, betum, blitum
Eo laserpitii libram pondo diluunt.
Teritur sinapis scelerata cum illis qui terunt, &c.
Non condimentis condiunt sed strigibus
Viuis conuiuis intestina, quæ exedint
Hoc quidem homines breuem vitam colunt
Cum hasce herbas huiusmodi in suum aluum congerunt:
Formidolosas dictu non esu modo
Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.

Hæc de vituperatis vulgaribus, quæ si ad medicinam transferas, viuam habet imaginem Paracelsistarum improborum, qui penè iisdem conuitiis Galenicarum officinarum medicamenta proscindunt, & venenum dari cum salubri essentia clamant vnde vtentibus breuior vita. Opponunt autem sua plusquam diuina, barbatis vocabulis ita obscurata & magnificentissimis præconiis adeo exornata vt nihil cedant Plautino coquo, qui apud Leonem diuina sua iactat condimenta, quæ vitam pærogare hominibus possint vel in ducenos annos (Ecce Paracelsicam vanitatem) cuiusmodi sint pro piscibus, cicilendrum, macis, san raptis seu sancapsis (pro quo capsicum dicunt piper rubrum) quæ condimenta cum in patinas indantur, efficiant vt ipsæ se feruefaciant illico (non aliter scilicet ac cum ampullosi chymistæ faciunt ol. vitrioli dulce affuso liquore tartari, aut tartarum repercussum, Bezoardica & similia de quibus nos suo loco. Nam hæc confusa incalescunt sine igni, efferuescuntque) Pro bestiis terrestribus dicit se adhibere Cicimandrum, Happalopsin, & cataractriam, quasi Paracelsicus quidam nominaret Cachniam, Hautoch, Boratxi Kipsis, Kabrackel, &c. De promisso longævitæ nemo dubitat qui Paracelsi libros de illa ipsa legit, & caussas longæuitatis patrum ex lapide philosophorum, quem etiam mirificentioribus vocabulis quam coquus sua condimenta nominant, vt in Turba philosophorum, apud Pantheum & alios chymicos de lapide scriptores videre est, cognouit. Eodem tendit & hoc coqui:

Vbi omnis patina feruent, omnes aperio.
Is odos dimissis pedibus in cœlum volat:
Eum odorem cœnat Iupiter cotidie.

Quid enim aliud proferunt isti chymici gloriosi præsertimque Lullius de quinta vini essentia? Cum etiam aurum resolutum aquis regiis repercutitur tartari liquore, feruor fit ingens, surgitque vapor & halitus din issis vel potius promissis pedibus capite manente in imo. Istum halitum si cœlo seu alembico excipias, liquorem ad soluendum Iouem chymicum seu nutriendum collegeris. Aurum vero relictum specie pulueris porro conuertunt in nectar, seu aurum potabile, cui vitæ longissimæ procuratio asscribitur, simulque omnium morborum, præsertim pestis, & venenorum depulsio, vt sit vniuersale illud ambitiosissimè decantatum. Ista igitur suis temporibus non minus quam nostris iactata reposuit in Comœdia Plautus, vanitatem iactantiæ Comicè irrisurus. De renouatione quoque tandem satis Paracelsicè promittit idem coquus cum ait: *Sorbitione faciam ego tè hodie mea.*

Item vt Medea Peliam concoxit senem
Quem medicamento & suis venenis dicitur
Fecisse rursus ex sene adulescentulum.
Item ego te faciam. &c.

Vnde se hominum seruatorem appellat. De suauitate chymicarum medicinarum per ignem naturæ, quam prolixus fuit Palmarius? Ecce tibi coquum Plautinum qui policetur conuiuis cœnam tanta suauitate conditam, vt quisque quicque conditum gustauerit ipsius sibi digitos prærodat suos. Satis palmarianè & paracelsicè. Nam & hæc ex hortidis saporibus fieri dicuntur

suauissi-

suauissimi. Porro, vt coquus iste se cœteris omnibus præfert, eosque vocat sceleratos, ita Paracelsistæ cum Palmario se suamque scientiam omnibus medicis & medicinæ Hippocraticæ anteponunt, seque solos conducei volunt non paruo ære, sed vt coquus iste, magno precio. Locum Plauti in suam Rebeccam transtulit Frischlinus *act. 4. scen. 6.*

(a) Stultus aliquis fors in specu Platonis, audiuit dormiens esse sublimationem sine corrosiuis. Vt primum putat se euigilasse, fingit sublimationes, & postea iactat se veras scire. Cur? Quia sub pulpitis vel in aliqua sordida officina à carbonario audire sibi, aut somniare visus est, sic esse. Ideo nares corrugat, & Libauium cum omnibus arcanis irridet. ô miseram medicinam si huc delabitur.

CAPVT III.

Introductio in Laboratorium.

ALchymiam pharmaceuticam non tractare verba aut characteres, neque etiam adiurare spiritus, vt medico sint præsto, aut ex astologicis commentis petere medicinas, sed circa præparationem Pharmacorum, hoc est, omnis generis medicamentorum ex naturaliter existentibus, nascentibusque *mistis* assumtorum versari non opus est demonstratione. Quanquam enim in adiumentorum naturalium genere sint etiam tum cœli, astrorumque virtutes, tum elementorum corruptibilium potestates: tamen in his elaborare studio chymicus non potest, vt inde salutiferum auxilium arte sua conficiat, cum non obediant, nec subiecta sint eius potentiæ partim propter vagam naturam in spirituali, eaque vacua viribus interioribus substantia partim ob ineptitudinem ad tractandum arte, & simplicitatem interminatam. *Quis enim æthereos spiritus, & effluxus radiorum solarium aut cæterarum stellarum ollis suis, aliisque instrumentis includat*, vt eos à contagio elementari expediat? Quis igneum halitum, & aërium ad essentiam conflandam comprehendere, vel ventos manu capere conetur? In aquis & terris aliquid esse momenti putes. Hæc enim elementa corpulenta sunt, & passiua, videnturque posse exaltari, attenuari, distillari, componi, transfigurari, &c. verum neque simplicissima si sunt, operæ precium reddent, neque si inania formalium cœlestiumque virium potentiis, chymiæ intentiones explebunt. Quæ circa nos aquæ sunt, & terræ, misturam habent, & inquinamenta, à quibus aliquando sunt repurgandæ, sicut &, si crassiores sint, quam pro scopo medendi, attenuantur, inque vsus fertiles veniunt. Non desunt qui etiam *auras ampullis ad magisterium Philosophici lapidis captandas, ventosque includendos cucurbitis vitreis putent*, vt inde consistens humor veniat in vsum artis. (Ridicule *orificia vasorum in altis speculis*, facto per fenestras foramine, inque ortum solis directo *sic adaptant vt Eurus impingat*, ibique coaguletur: alii *supposita ardente pruna suspensam cornutam excandefaciunt; posteaque sublato igni in aëre relinquunt, qui attractus refrigescente vase in eo coaguletur*, atque ita liquorem concretum exhibeat. Paracelsus docuit etiam flammas vasis excipere, & destillare.) Quidam ex antiquis, vt Plinius refert, (de Nicia *lib 37 c. 3.*) *Solis radios circa occasum vehementiores in terram actos pinguem sudorem relinquere, atque in succum euadere, qui succinum, vel electrum dicatur*, voluerunt. Sed noster chymicus in his operam luserit, & vt vt simplicia elementa adoriri velit, & in eorum expolitione vel transmutatione desudare, præter materiales qualitates tamen, & quas tactiles primas vocant, nihil obtinuerit, idque temerè cum natura iis per se abundet. *Triplex mistorum genus est, quod sit artis materia*, nempe *minerale, vegetabile, & animale*, idque omne perfectè mistum, quod, vt Hippocrates tradidit, *cœlestem naturam suo complexu continet*, & facultatibus medicis abundat, quanquam ex istorum resolutionibus nonnihil capiant etiam imperfectè mista nonnulla quæ propterea etiam assumuntur aliquando. Hoc aptum est ad hominem conseruandum, & sanandum, cum eius corpus similiter sit mistum, atque itidem essentialibus potestatibus præditum. Simili conseruatur simile, aiunt vulgo, estque solenne apud Physicos nos nutriri his quibus constamus. Cum itaque medicatio sit species quædam conseruationis, vt quæ ruinosum fulcit, sustentatque, & reficit quod deperditum est, quantum potest; noxium vero abigit opposito instrumento in contrarium ducente: liquet materiam Pharmaceuticam chymiatri ex triplici ista classe rectè peti. Læsio ex simplici non est operosæ depulsionis, si quidem sit à qualitatibus simplicium elementorum citra diuulsionem continui. Ei contrarium autem imparatum opponi potest, sufficiente alteratione. Quod si noxa ex composito est, aut compositioni vim attulit, vt in misti membri adustione, aut solutione continui, propter affectæ partis misturam, non sufficit simplex elementum adhibuisse: sed accommodandum est compositum naturale, vel artificiale, quod cum elementali materia comprehendat cœlestem, hancque magis quam illam, vt subiecto similiter constituto conueniat medicamentum cum efficaci potestate ex analogia cum elemento stellarum, vt loquitur Aristoteles. Quoniam autem non omnia omnibus conueniunt, quanquam non desint generalia quædam, πολύχρηστα dicta; quidam etiam *Panacaas* cudant; natura exhibente variarum rerum insignem farraginem, experientia cognitum est, quæ quibus vsibus possint salutariter adhiberi. *Experientiam dicimus symbolum sensuum & intellectus seu rationis in hominibus*: In bestiis sensus, & æstimatiua, atque etiam naturalis quædam sympathia, vel antipathia, cuius vis occulta appellatur, electionem facit, vnde Galenus naturam αὐτοδίδακτον esse comprobauit. Homines industrii etiam affectiones vegetalium, nedum bestiarum, in argumentum proficui traduxerunt, idque postea vberius excoluerunt sua facultate, vt constaret homini noxium, vel innoxium; nec homini tantum; verum etiam singulis hominum dispositionibus, certisque membris, vnde factum vt quædam sint *cephalica, cordialia, epatica, stomachica*; &c. quædam *vulneraria, solidantia, extergentia, catagmatica*, &c. dicta. Chymici etiam amplius studuerunt in electionis campo desudare

In lib. de carnibus.

dare, quanquam studiosius hoc, quam certius. *Botanici est* legere herbas quo tempore ad vsum destinarum sunt paratissimæ, siue maturas respicias, siue immaturas; in quo etiam est cœli quidam, & aeris, regionumque & naturæ loci respectus. Sed chymicus venari conatur natas quasdam, & signa virturum prædestinatarum. Vnde extruxit *artem* illam quam *signatam* appellant, quasi σημειωτικὴν dicas, & *naturalem* quandam *rerum brutarum chiromantiam*. Multum operæ circa hanc scientiam consumsit Paracelsus cum sequacibus, scripsitque de ea copiosius *Ioh. Baptista Porta*, *Crollius* & alii. Verum nondum ad exquisitam certitudinem est peruentum. *Maculas habet Persicaria pulicaria*, inquit *Paracelsus*: *Ergò facit ad sanguinem sistendum in vulneribus*: sed fallaci argumento. Multa enim sunt maculosa, sed quæ sanguinem nequeant sistere: Multa ἰσχαίμα inueniuntur absque maculis. *Nux moschata capiti confert, inquiunt. Cur? Quia cranii est forma, & cerebri.* Imò inquimus, eadem nux etiam lædit caput, quod cognitum est in ea muliere, quæ comestis aliquot delirauit. Et cur tantum de muscata quærunt, non autem de cæteris similis figuræ, vt iuglandibus, indicis grandibus & aliis, atque adeo omnium partibus quoque? Ex ista signatura caput simiæ esset optimum adiuuandum caput hominis. Verum hæc cura physicis, & medicis relinquatur. Tyro chymicus collectionis debitæ argumenta studeat in explorato habere, ne in vacuo laboret, ignemq; & operam vana spe perdat. Ad materiam elaborandam requiruntur *Enchiremata*, & *Synergasmata*. Enchiremata vocamus *operationes manuales chymicorum* quas alii *claues*, alii *portas*, alii aliter appellant. Per Enchireses enim & notitiam benè laborandi in Alchemia aditus fit non tantum ad essentias, & magisteria, verum etiam intelligenda veterum sapientum præcepta, & experientiam. Operationes quædam sunt propriæ, quædam communes. Propriæ sunt quas *Georgius Riplæus* suis *duodecim portis* ferè est complexus in opere lapidis philosophici, quod est quasi *Idea & exemplar cæterarum elaborationum chymicarum*: nempe *calcinatio*, *dissolutio secreta*, *separatio elementalis*, *coniunctio matrimonialis*, *putrefactio*, *congelatio* seu *coagulatio*, *cibatio*, seu *imbibitio* & *inceratio*: *Sublimatio*: *fermentatio*, *exaltatio*, *multiplicatio*, *proiectio*: quas operas alii sola *coctione*, cuius istæ sunt quasi gradus quidam; & *vsu* comprehendunt: alii *solutione*, & *coagulatione*. Additur *Destillatio*, *Extractio*, *filtratio*, *cæmentatio*, *circulatio*, & alia artificia de quibus nos satis superque in *Enchireticis Alchymiæ*. E communitate petuntur *purgationes*, *tritiones*, *macerationes*, *coctiones*, *assationes*, *Elixationes incinerationes*, *tostiones*, *exiccationes*, *irrigationes*, *colatura*, *euaporationes*, *depletiones*, & similes opellæ. *Synergastica* sunt *quæ ad operationes perficiendas laboranti inseruiunt*, quorum quædam efficaci vi prædita sunt ob id ἐνεργητικὰ dicta; quædam ad σκευασίαν pertinent, σκευαστικῶν appellatione designanda. Illa sunt artificium *temperandi elementa*, & *menstrua* vocata. In temperatione elementorum excellit *regimen ignis*, vnde nata est *Pyrotechnia* seu *Vulcania*, de qua consulat Tyro quæ circa hanc artem in Alchymia connotauimus, vbi etiam de fomentis, & nutrimentis ignium, & calorum industriè legendis, & adhibendis instructionem inueniet. Riplæus in Porta tertia: *Aqua tua debet septies esse sublimata. Quatuor sunt ignium genera*, quæ scire debes: 1. *Naturalis* (Ignis naturæ tertium menstruum, qui naturaliter inest cuique rei, & in nostro opere secretus ignis philosophiæ, oleum nostrum, &c. 2. *Innaturalis* (occasionatus: vt calor balnei, fimi, cinerum) 3. *Contra naturam*: (Draco qui cruciat corpora, & comburit violentè, vt ignis inferni) 4. *Elementalis* (flammeus, qui lignum accendit.) His ignibus vtimur, & non pluribus. Opus est præterea interdum etiam *frigore*, modo gelante, modo simpliciter refrigerante: aliquando & *humectatione vapida*, nonnunquam *siccitate*. Item *aëris flatu tranquillitate*, & similibus, quæ vt metallurgum bonum faciunt, si rectè accommodentur, ita & chymicum peritum, & prudentem. De *menstruis* agemus sequente capite. *Vasa* & descripsimus, & vti potuimus, depinximus variè in Alchymia: Vbi & ædificium certo modo dispositum chymico assignauimus in quo cellæ, & cryptæ: Carbonaria, lignaria, apothecæ materiarum, solarium, laboratorium cum suis instrumentis, ollis, ahenis tripodibus, cucurbitis, alembicis Phiolis, Pelicanis, ampullis, circolis, canalibus, vasis, cupis, calicibus, patinis, alueolis, conchis, pyxidibus, matricibus, &c. Item fornacibus, follibus, pyragris, cineribus, arenis, catinis, &c. Ibi est balneum aquæ, & vaporis; fornax vesicaria, catinaria, acedia quadruplex cum Athannore; Anemiæ, seu ventosa, reuerberium, cæmentatorium cum sua supellectile, descensorium, focus conflatorius, circulatorium, prætereaque argillæ, lutamenta, pastæ, plagulæ, vesicæ, sales, & huiusmodi alia, quorum materiam, & formam debitumque situm, apparatum, & accommodationem discere conuenit chymico discipulo, qui filius doctrinæ & futurus. Idem his quasi initiatur, & paulatim chymicorum disciplinæ, & sermoni assuescit, dum iam *non audit culinaria, & coquinaria vocabula*, sed *sapientum* quasi *oracula* ex adytis, & mysteriis professionis chymicæ, quæ est secreta, depromta, quibus tamen ex vsu populari asciscuntur nonnulla, sed quæ sine studio publicè sunt nota.

Porta Alchymiæ & claues.

Communes operationes. Synergasmata chymica.

Instrumenta seu supellex.

Capvt IV.

De menstruis.

Terminus artis chymicæ *menstruum* est, & significat *liquorem quendam in operarum quarundam subsidium ab artifice assumtum, & per mensem philosophicum in opere detentum*, non illud excrementitium muliercularum *Zenith*, vt appellat Crollius, seu singulis mensibus apparere consuetum in dispositis fluxum. Inuenias tamen per Catachresin etiã ad alia accommodatam appellationem. *Tres sunt mercurii*, inquit Riplæus, *qui sunt claues scientiæ*, quos Raimundus *sua menstrua* vocat, & sine quibus nihil fit rectè. *Duo sunt superficiales: tertius essentialis Solis, & Lunæ*. vbi tamen non est conspicuus visui, nec apparet nisi per effectum. Hoc *menstruum est de natura lapidis*, & paulo post dicitur *ignis naturæ* vnicuique rei insitus: quæ significatio à communi vsu discedit, & nihil seruile habet.

Menstruum. Zenith muliebre.

Tres mercurii menstruales & claues.

Potest tamen fieri vt qood initio inseruiuit operanti magistro, postea concedat in essentiam elaborati artificii, atque ita non re sed ratione differat. *Claues* appellari solent *menstrua*, quia *claustra mistorum aperiunt, & ad interiora viam parant*, quod tamen non est solorum menstruorum, cum aliquan-

aliquando etiam ignibus, & putrefactione attificiosa natutas conclusas, & elementis velnti incarceratas liberemus.

Magna est eorum varietas, sæpeque non tam necessaria, quam arbitraria, adeo vt apud insolentes artis iactatores aliquando sit argumentum magni supercilii, & vanæ gloriolæ. Sunt enim qui sibi *solis verorum menstruorum scientiam* arrogent, *clauesque* penetralium naturæ notas esse glorientur. Si quid proponat alius corrugant nares, nauseantque: *Et est sane non parua gloria vera menstrua, & rebus accommodata in parato habere.* Sunt qui *aurum potabile* efficere conantur, per *spiritum salis* vulgarem, aut *vinum alcoholisatum*, aut *acetum radicatum*, aut prius per sales corrosiuos, postea per *spiritum Terebinthinæ*, vel *olea aromatica*. Verum his se opponit nauseabundus quidem, & quanquam ipse quoque *aquam regiam*, & *oleum salis* doceat adhiberi, tamen *delinamenta appellat*, iracundius fortasse quam iustius, cum in Alchymia constet *non vnius generis, aut modi esse aurum potabile*, & id quod ipse cum aliis quibusdam nimis delicatis censoribus *verum potabile* vocat, hoc nomen ex translato habeat. Nam *oleum illud magisterii secreti ex lapide seu tinctura sapientum non est tam auri, quam mercurii ex duobus mercuriis compositi, & licet aurum accesserit, tamen non amplius est aurum, sed aliquid ex auro, nempe prima eius materia, & mercurius essentialis, per mercurium ex coagulato corpore resolutus.* Verum de hoc alibi. Porro *quædam menstrua sunt generalia, vt cœlum philosophorum* Lullii, quod omnibus stellis est commune, & quasi receptaculum vniuersale, si tamen prius aptæ inseri euaserint, cum non recipiat absque discrimine quoduis. Ea est *aqua vitæ* aliquibus dicta; alias *quinta vini essentia, vinum alcoholisatum* (ad cœlestem puritatem, æthereamque nobilitatem perductum) vel *alcalisatum*, quod proprium ex suis fecibus salem exactè elaboratum assumserit, itaque vniuerit, vt nequeat postliminio separari. Ista vero *generalitas vel simpliciter consideratur, vel respectu certi generis rerum*, quo modo *aquam* dixeris commune menstruum omnium elixabilium: *acetum terebinthinatum* omnium lapidum soluendorum. Quædam sunt *specialia*, vtpote determinata, certisque speciebus addicta, vt cum *aurum* tantum *aquis regiis*, vel harum vim habentibus *calcinari* perhibetur: Et metalla solis mercurialibus in mercurium reduci, ex specialibus quædam sunt *specifica* & *appropriata*. Ita vero appellant cum non tantum materiis elaborandis propriè sunt addicta: vt cum sales suarum herbarum per aquas eliciuntur proprias, & mercurialia per mercurios soluuntur, sicut aqua congelata, seu glacies & nix per aquam solutam: verum etiam simul respiciunt finem & vsum, *vt cum res cephalicas extrahimus per liquores eandem vim habentes*: Epilepticas per aquas item Epilepsiæ aduersas: gemmas, & aurum cordiale non per venenatos latices spiritui vitali, calorique aduersos, sed familiares, quomodo præparatam *auri tincturam sic vt liquescat instar extracti ex croco, quinta vini generosissimi essentia dissoluunt*, aut si hæc propter ægrotantis affectum, vel conditionem morbi locum non habeat, quinta essentia stillatitia melissæ, florum croci, Borraginis, Buglossi, rosarum, pomorum fragrantium suauiter, & similium. Si virtutem respicias, quædam sunt *soluentia* tantum; quædam etiam *extrahentia*: quædam *corrigentia* si quid incommodi assit: quædam *calcinant*; sunt & *corrosiua*, & *non corrosiua*, quo termino sibi interdum mirificè placent Paracelsici iactatores, qui vt aliorum magisteria explodant, quod per corrosiua videantur parata esse, ipsi plenis buccis prostant *non corrosiua*, quæ tamen si iudices, non minus corrodunt quam ista, vt spiritus vitrioli, sulphuris, halonitri, Guaiaci, aliorumque lignorum nitrosorum, atque etiam salis communis, & aceti, quorum vim si in os immittas neutiquam toleres, inque ipsis dentibus maximè animaduertas. Possunt tamen aliqua non corrosiua dici, quia scilicet minore sunt malignitate quam vulgares regiæ, & causticæ, seu fortes quibus metallica calcinantur. *Quæ correctiuam potestatem cum solutoria & extractoria coniunctam habent*, ad pharmaciam sunt præstabiliora; qualis est *succus rosarum* pallidarum, aut sylnestrium *ad scammonium*, quem aliqui vitrioli spiritu exacuunt; ita menstruum cydoniorum ad Diagridium. Talis est & *quinta vini essentia* in multis, quæ aliquando etiam animatur *ambra*, vel aliis. Sic *oleorum ex aromaticis destillatorum aquæ* commoda fiunt menstrua: vt & alia quæ attenuant, exaltant & odores, saporesque corrigunt. Est & *alia differentia*, nempe cœlestium, & elementarium: formalium, & materialium. *Cœlestia* vocantur quæ laborando ad æthereaam præstantiam sunt perducta, quod ferè fit crebris destillationibus, & circulationibus donec omnis feculentia decesserit, & subtilitas cœlestis sit acquisita. Ab hoc gradu quæ declinant, magis sunt *materialia*, seu elementaria. Lullius (a) *cœleste & simul fœtidum menstruum* ponit, quæ duo tamen non possunt vna esse, cum quicquid fœtet, sit impurum, sordidum, & putridum; cœlestia vero vel nullo sint odore, vel suauissimo. Sed ille terminis vtitur parabolicè, & symbolicè de more philosophorum. Proposuit quidem descriptiones materiales in sua clauicula; sed Riplæus interpretatur formaliter & mysticè, vti apparebit suo loco de triplici menstruo in opere secreto. Sunt præterea quædam *pinguia seu sulphurea*, vt olea, & liquamina: quædam *mercurialia*, cuiusmodi sunt aquæ, liquores per deliquium facti, spiritus descensorii, &c. *quædam mediam naturam* habent, vt spiritus cœlestes suntque omnino magis, minusve elaborata. Quædam ministerio peracto separantur ab essentia, aut magisterio, quæ oportet talia esse vt non adhæreant in profundo, nec relinquat post se notabile vestigium, seu qualitatem, quæ essentiam viriet: Et sunt huius generis quædam quæ facile abstrahuntur; quædam opus habent *dulcificatoriis*, & elutoriis submittendis, aut etiam *reuerberio* deleantur, vt fit in acribus, quibus calces fixæ parantur. In quib. multa ordine quodam adhibenda sunt, in illis prima præparant; sequentia perficiunt, & corrigunt si quid inductum est labis operibus primis. Hinc fit vt cum per *soluentia* compagem aperuimus, *digestoria* apponamus; inde *elutoria* crebra, atque insuper etiam *inflammatilia* quæ super calcibus incenduntur. Nonnulla post macerationes destillando sæpe abstrahuntur, mutanturque. Sunt alia tanquam *virtutum vehicula* vt in *imbibitionibus elixyrium*, quæ essentiam concreditam reddunt suæ terræ, sali, calci, &c. deinde solitaria, & vacua abscedunt. *Quædam non separantur*, sed relicta simul veniunt in vsum medicum. Talia sunt quæ vim essentiæ

Auri potabilis menstrua.

Verum potabile auri vnus hoc, alius illud iudicat.

Verissimum aurum potabile habitu.

Menstrua Generalia.

Vinum alcolisatum.

Menstrua specifica & appropriata.

Dilutum tinctura auri.

Non corrosiua menstrua.

a In apertorio cap. 15. menstruale fœteris, & cap. 2. vbi iubet destillare septies & bene rectificare feces seponendo vt totum sit essentiale.

sentiæ etiam in effectu iuuant, suntque & ipsa per se essentialia. *Quædam non tota segregantur*, sed aliquo vsque, vt ad consistentiam syrupi, iulepi, sapæ, mellis, &c. Nonnulla post vsum primum sunt inutilia; alia in vsus seu eosdem, seu alios proficuos reponuntur, siue tota, siue aliquatenus, quomodo aquas, per quas olea atomatica sunt parata, destillant, & *tenuiorem partem eliciunt pro aqua istius aromatis reponunt*, reliquam, vtpote elementarem, & crassam profundunt. Quædam menstrua sunt *commissoria*, quæ rebus destillandis committuntur; quædam *præmissoria* quæ in conceptaculum infunduntur, vt spiritus excipiant, & consistere faciant, vt fit in aquis fortibus, reductione argenti viui, & similibus. Alia discrimina obseruabit lectionis in praxi, & autorum monumentis vbi & hoc notandum *sæpe poni nomen menstrui, sed eius elaborationem, & gradum dissimulari, sicut & apparatum materiæ*. Hoc malè habet quosdam parachymicos. Itaque ni ad literam respondeat magisterium, emittunt rhonchos, & indignantur, statimque accusant descriptionem falsi, & autorem inscitiæ. *Id nobis dicitur Fraga euenisse in auro potabili*, quod cum stulti quidam & supercilio si seu nauseabundi Paracelsistæ ad literam parare studerent absque successu, non nos tantum irriserunt, verum etiam sapientes illos à quibus acceptas formulas reposuetamus. Nescimus an non Crollius quoque in reprehensiones valdè procliuis sibi nimium hac in parte indulserit, non perpendendo artifices gaudere breuitate, & plura in recessu habere, quam fronte proponant; nonnulla etiam omittere, vel inuerso ordine describere. Non facile culpandum est quod non intelligas primo statim aspectu. Multa in mysterio sapientum, ab indignorum oculis sunt remota. Suspendendum potius iudicium est, quam properandum, ne videaris abesse à cœtu filiorum doctrinæ, & sapientum, quibus solis sunt mentis & experientiæ oculi ad introspiciendum, & iudicandum, pronunciandumq;. Atque hæc in genere de menstruis, & eorum varietate. Si quis diuersitatem specierum, & exemplorum desideret, sequentē digestionem incipere potest. *Menstrua sunt vel simplicia, vel composita.* Simplicium quædam dicuntur *elementalia*, quædam *essentialia*. Exempla elementalium, quæ pro integris vt vel in natura, vel populari vsu inueniuntur, habentur, sunt Aqua fontana, pluuia, fluminea, &c. Ros, phlegmata destillationū, acetum varii generis, quod tamen non sit essentialiter elaboratum: vinum; mustum: cereuisia, mulsum, seu hydromeli, œnomeli, *hydromeli vinosum*, seu alteratum sapore vini, qui in doliis remanet: succi pomorum (pomatium) pyrorum (pyratium) & horum aceta; item Lotum: Succus citri, Limonum, betbetum, aquæ effluentes ex vitibus, Berula & aliis arboribus, vel herbis: Serum lactis per lacinias deputatum: interdum & mel, & resina liquida; & oleum oliuatum, aliorumve fructuū, quæ sunt *menstrua sulphureorum*, sicut & adipes eliquati, in quibus coquuntur & expoliuntur nonnulla, vel molliuntur, aut figuntur qua arte veteres *succinum* expoliebant, & *gemmas nitidas* reddebant. Innumera potest esse talium multitudo. Eligat sibi chymicus ex his conuenientissima. Notandum autē *quædam omnino cruda assumi posse*, vt in operibus materialioribus, & quæ crassa minerua præparantur: *quædam puro colari*, attenuatique destillando per alembicum: aut depurari subsidentiis, feruescentia, coctione, laciniis. Inde sæpe pluuiæ, & aquæ aliæ destillatæ assumuntur, aut quæ inter coquendum velleribus, aut aliis instrumentis colliguntur. Quædam alterantur incoctis, aut commaceratis nonnullis. Ideo & decocta, quæ pro integris habentur, nec sunt essentialiter elaborata, vtpote culinaria, huc referri possunt, vt & vrinæ animalium, lac, butyrum, & similia. Medici facilè videbunt quodnam præsenti instituto sit necessarium. Non enim omnia menstrua habent finem vltimum in adiumento elaborationis, sed quædam ad vsum temporaneum asciscuntur, vt lac muliebre, & rores betbatum oculatium ad oculorum mala, &c. Si quis velit istorum classes constituere, potest ea distribuere in animalia (Lactis serum, lac, vrinam, &c.) vegetalia (vinum, succos plantarum) mineralia (argentū viuum, muriam, &c.) Quercetanus *mel, & quæ inde fiunt vegetali, & animali generi simul ascribit. Essentialia menstrua generis simplicis* illa dicuntur, quæ essentialiter sunt elaborata, aut ex essentiarū classe ad vsum scrutinem traducta. Quanquā enim sui gratia parentur essentiæ, tamen interdum etiā seruiunt, & quæ meliores sunt, cætera ad parē nobilitatem perducere sui communicatione iubentur. Sunt autem & hæc magno numero, qui tamen distingui possint in ordines quosdam. Deprehendimus enim *quædam certis materiis esse destinata: quædam cōmuniter, & indiscretim inseruire multis*. Illa *vel eiusdē sunt generis*, seu homogenea: vt cum *sales* mistorum propriis aquis essentialibus ex trahuntur, soluuntur sæpè, atq; etiam vna per alembicum, aut tetottam exire coguntur, de quo artificio aliquoties monet Quercetanus. Eodem modo succi quoq; præparantur: Et ipsi quoq; succi essentiales adhibentur: *vel sunt analogi*, vt quæ *appropriata* appellantur seu materiæ, seu affectui & omnino vsui præsenti quasi propriè dicata: variate vel in vna te possunt pro natura ægrotantis, vel eius qui velit vti, & morbo, aliisque circumstantiis. Ita in *Catholico morbo, quem & Hispanum vel venereum* vocant, aqua, vel spiritus, aut oleum *Guaiacinum*, commodè ad mercurium præparandum admouebitur. Nam alterando simul vim quandam ipsi imprimit, cumque in mercutio & Guiaco sint virtutes essentiales ad profligandum & iugulandum istud venenum, non sine ratione coniunguntur. *Calces metallorum* pro diuerso vsu fiunt variis menstruis. *Aurum* aurifabrili quidem modo argento viuo amalgamatur: Sed philosophi assumunt quintam eius essentiam in qua est principium seminale genericum, quod specialia semina ex singulis extrahere potest. Alia ratio est per spiritum salis. Calx quoque quouis artificioso modo facta, porrò elaboratur acetis, vino alcalisato, &c. Sic *mercurius* metallorum stibii & similium non vno menstruo præcipitatur, sed analogis naturæ, & vsui: Sed nec vno omnino extrahitur, & exaltatur. Qui per solutiones, & filtrationes repurgantur *Sales*, non vini spiritum, aut olea & similia requirunt sed aquas stillatitias. *Sulphuris balsamum* spiritu Terebinthinæ, oleorum, aliorumque stillatitio parameris melius, quanquam solui possit sulphur etiam crassis oleis, & pinguedinibus. Huius loco potest esse *aqua vitæ ex hydromelite, aqua mellis, & spiritus ardentes*, quos sæpe super rebus accendimus, vt super præcipitato, succino, & aliis. *Spiritus aceti, vrina, lactis*, &c. item analogiam habent cum

Aqua aromatum.

Sæpe nomina rerum & menstruorū poni omisso præparationis gradu.

Reprehensores stulti aliorum operum.

Tabula digestorum menstruorum.

Elementa menstrua.

Morbus Catholicus.

Auri amalgama philosophicum.

M certis

Purgantium menstrua. certis materiis. *Purgantia extracta* exaltantur aquis stillatitiis purgantium competentium, equidem si proprii spiritus, aut aquæ alcalisatæ asciscuntur, ad genus homogeneorum pertinent menstrua; sin autem ex genere diuerso, Anologo succedunt; vt cum *senna extrahitur* per aquam cassiæ fistulæ, vel florum Persicorum, aut prunorum syluestrium: cum *succo rosarum* purgante *præparatur scammonium*, &c. Quæ ex communitate petuntur essentialia menstrua promiscui sunt vsus, ita vt electionis arbitrium in his aliquando valeat. Huc referuntur tum superiora aliquando. (Nam & specifica menstrua possunt fieri vsu communia: nec est absurdum vnum idemq; ob diuersas affectiones ad diuersa genera accedere: vt: cum in logicis ignis modo caussa est, modo effectũ, alias subiectum adiunctum, simile, definitum, distributum, &c.) tum generalia, vt vini spiritus, & quinta essentia; aqua pluuia stillatitia; acetum radicatum, spiritus acetorum, vrinæ, vitrioli, nitri salis marini, salis cõmunis, salis ammoniaci, Tartari: ol. Terebinthinæ: ol. commune destillatum: Spiritus lignorum nitrosorum descensorii: & succorum acidorum: sp. mellis: sp. iuniperi ex ligno & baccis, & omnino variæ aquæ: quæ non tantum suis specificis, & analogatis conueniunt: Verum etiam in aliis multiplicem vsum habent, quanquam non indefinitum. *Rhabarbari menstrua.* *Neque enim artificiose exercebit chymiam tyro, si velit acetum radicatum vsurpare in extractione Rhabarbari*, & similium, cum hic prosit potius vini spiritus, vel aqua stillaritia endiuiæ, aut succus rosarum dilutus. &c. *Aloën* si præparare essentialiter cupias, non assumes oleum Terebinthinæ; vt nec *si tincturam sulphuris*, conueniet aqua rosacea. Ita *vbi pluribus opus est menstruis, non præpostere est agendum*, vt in elaborando sulphure, primum spiritum oleosum *Sulphuris menstrua.* accipies; deinde spiritum vini qui ex soluto per oleum stillatitium alliciet tincturam, quæ tandem cum aqua rosacea ambræ vel croci viribus alterata amplius elaborabitur. *Argentum viuum* non præcipitatur vini spiritu, vel aqua rosacea: Sed acribus menstruis, & his variis pro vsu vario, vt *spiritu vitrioli, salis*, succis acidis, ol. descensorius, aciditate sulphuris, &c. ad interiora; sed aqua forti ad chirurgiam; post vero corrigitur aq. dulci stillatitia, spiritu vini, & tandem rosacea. Hæc autem occurrent singulariter in praxi. Hæc de simplicibus menstruis tanquam in Synopsi monuisse sufficiat. *Menstrua composita.* *Composita sunt* quæ secundum naturam materiarum, & vsum variè componuntur, siue id fiat ante præparationem, siue post. Nam quædam statim ex compositis tanquã elementis simul mistis parantur decoquendo, destillando, &c. quædam cum iam sint menstrua, possentq; etiam singula ad vsum accommodari, postea commiscentur confundendo, instillando & aliter temperando. *Compositio* fit vel ex meris vel mixtis, seu coniunctis. *Mera* dicimus sola vel elementalia, vel essentialia: *Elementalia*, vt cum aqua miscetur vino: *Essentialia*; vt spiritus vini alcalisatus: acetum tartarizatum, vel alcalizatum: aquæ stil- *Menstruum purgantium.* latitiæ alteratæ spiritibus, vel succis acidis, vitrioli, sulphuris, limonum, &c Sic *exprimuntur succi expomis redolentibus* suauiter vt *Borsdorpianis*; ex illis destillatione fit aqua fragrans, cui adiicimus nonnihil aciditatis mineralis, atque hoc menstruo postea sennam, Agaricũ, & similia extrahimus, aut eorum extracta digerendo corrigimus. *Spiritum* quoq; vini *spiritu sulphuris* aliquando diluit Quercetanus, vt in extractione *Granorum actes*. In *tinctura florum pæoniæ* vtitur aqua pæoniæ aceto montano diluta. Eodem referas ex compositis aquas, vt *Theriacalem*, qua in *Nepenthe* suo extrahit idem *confectionem de granis Kermes*. *Auri menstruum.* *Ad aurum* parat menstruum *ex crystallis salis marini & oleo eius*: ad alia miscet spiritum aceti ex reliquiis destillati vini: cum spiritu aceti ex hydromelite vinoso, & spiritu vitrioli. De aquis mercurialibus, fortibus, regiis, aceto terebinthinato, aquis Bezoardicis & similibus, testabuntur singularium essentiarum exempla, variantque in his iudicia autorum sæpe ad prodigium vsque; & insolentiam, dum *certant inter se multi inuentione, & prærogatiua menstruorum mirificorum*, quorum formulas legimus apud *Penotum* in chymicis, *Quercetanum, Crollium*. *Miscentur* tandem, componunturque *essentialia, & elementalia* inter se; vt cum *aqua, vel vinum acetis montanis acuuntur*: quidam vinum & acetum inelaborata miscent, sed postea destillant, Huc referri possunt multa decocta, & cremata. *Aquarum ex herbis menstruum.* Item *qui ex herbis aquas eliciunt, affundunt aquam spiritu tartari, vel atramenti alteratam*, & peracta maceratione liquorem prouocant. Penotus miscet *vrinam sale colcotaris ad soluenda coralia, & vniones*. *Solutiuum vnionum & coraliorum.* Miscet autem per modum imbibitionis, qua tertium facta, destillat oleum, cuius vsus est in istis soluendis separato phlegmate. Sunt & *lixiuia* huius loci, & *vrina* ipsæ: Item *phlegma vitrioli suo spiritu remistum: Decoctum tartari ad sennam: Vinum adiecta aqua cinamomi*, aut aquis ex oleorum aromati- *Purgantium menstrua* corum menstruis segregatis ad faciendum extractum ex *Rhabarbaro* & similibus. *Cassia extractiuum.* Vt *cassiam extrahant*, aquam capiunt nonnulli quæ tum foliorum sennæ essentia est perfusa, tum tartari solutione, vt fiant flores cassiæ cum foliis sennæ tartarisati. *Ad soluenda gummi*, non tantum acetum & vinum per se sumi potest, sed & vtrumque mistum, & præterea vinum & aceti spiritus.

Gummata soluere. Tacamahaca. Qui *Tacamahacam, carannam*, & similiter affecta soluere volunt, miscent *ceram spiritu terebinthinæ*: vel Terebinthinam oleo ceræ. Sed hic relinquendum soluens est cum soluto: fitque perinde ac cum *balsamum sulphuris* conficimus soluta caphura Terebinthinæ spiritu, vel oleo omphacino adiecta rosarum essentia. Qui industrius est, cognitamque habet rerum naturam, nec destitutus est experientia, non opus habet enarratione exemplorum. Potest enim ipse commoda menstrua inuenire, præsertim cum electio non sit tam immota quin deflectere alicui liceat, ipsique artifices sibi multum indulgeant, nec raro dissentiant iidem à seipsis. Auget varietatem *patientum palatum*. Sæpè enim cogunt medicum, sacharo, melle, aromatum extractis, acidis succis, &c. condire medicamentorum seu parandorum, seu sumendorũ vehicula, quæ cum & per se sint medicamina, aut eorũ correctiua tanto melius procurantur. *Oxymeli.* Ita *mellitum acetum* facimus addito melle puto ad spiritũ aceti, seu acetũ album (non radicatum) Bulcasis: Sic *spiritum vini* sacharo candi temperamus vt fiat menstruum pro essentia Mechiocanæ, vel pectoralibus. Nã in tali spiritu commodè macerantur semina anisi, fœniculi, flores sulphuris, Hyssopus, Tabacum, &c. fitque expressione liquor vel per se sumendus, vel destil-

destillatione balnei totidi ad linctus consistentiam reducendus, vt aliqua pars menstrui reducata quantitatem relinquat minorem. Hoc modo *expectorans præclarum efficies.* Si in eiusmodi menstruo maceres *radiculas ellebori nigri* prius pomo asso correctas; vel saltem adiicias extractum essentiale ellebori cum essentia croci. Vbi calor est; aut crassities phlegmatis incisionem detersionemque requirit, aceti scillitici spiritus lenior, sacharo candi temperatur, & postea diluitur in eodem extractum tabaci cum aliqua portiuncula essentiæ ellebori. Verum hæc iam perdunt rationem menstrui, transeuntque ad genus medicaminum compositorum. Si *Cylycyrrhizam* extrahas aqua Theriacali mellita, & hanc postea maiore parte separes; nomen & rem menstrui retinebit. Misce *oenomel vini spiritu:* vel in caussa calida hydromel spiritu aceti non radicato; & habebis commodum liquorem ad varia præparanda; & tantum quidem de menstruis. *Expectorans.*

Capvt V.

De magisterio præparatorio purgationis.

AGgredimur iam diagraphes, seu digestionis superioris membra, eaque explicare ordine instituimus. *Magisterii* nomen vnde traductum sit ad certam operum chymicorum classem designandam alibi diximus. *Palmarius volebat id esse integrorum natura vel artis simplicium*, quæ citra omnem separationem mali à bono, per ignem naturæ sic perficerentur vt malefica saltem qualitate mutata maneret, persisteretque benefica, & cœlestis, conuersis saporibus ingratis in iucundos ad citò, tutò, & suauiter sanandum: hanc esse *Hermesian* contra distinctam spagyriæ, &c. Nouimus in natura per modum coctionis naturalis, & maturationis ex crudis, acerbisque fieri poma & alios fructus maturos, & secundum cuiusque naturam affectos, dulces, amaros, acidos; & terminum alibi felicius, alibi minus contingere, eundemque diuersis temporum dispositionibus, & aliis circumstantiis mutari: Ita enim *oleum, vinum;* imò & *gemmæ, aurum, argentum* in mineralibus; & in genere animalium homines & bestiæ variant: Sed in arte chymica *ex pomo colocynthidos integro facere salutare pharmacum, quod omni posita virulentia, & amaritie & iucunde possit comedi, & vel in cibum verti perducta coctione vltra terminum naturæ, nullus adhuc quem nouimus chymicus seu tentauit, seu promisit,* fuitque ista chymia *Elisei* miraculosa 4. Reg. 2. 20. in aquis Hierichuntis, & cap. 4. vers. 41. in colocynthidis fructu, illis per salem, hoc per farinam alteratis, qua virtute *Moses aquas amaras mediante ligno à Deo ostenso* Ex. 15. cap. 5. *mutauit in potulentas dulces*, & Christus Ioh. 2. 8. ex aqua fecit vinum. Nouimus in magno magisterio sapientum præcipi ne quid addatur alieni, neque quicquam subtrahatur, sed totum conuertatur in medicinam! Verum non simplicia naturalis integritatis ista sunt; sed iam elaboratarum essentiarum, quomodo circulatione perficimus, & exaltamus essentias, neque tamen id semper sine separatione, vt cum ex succo ellebori, escula, & similium semper ablatis sedimentis extracta facimus vsus innoxii, & iucundi. Artifices veteres & neoterici, qui latine scripserunt, aut ex alia lingua in latinam sunt translati, *magisterium indiscretè vocant, quicquid chymicus elaborauerit, & absoluerit ad vsum sanitatis, vel transmutationis & correctionis mineralium, præsertim imperfectorum metallorum:* Vbi tamen *magnum magisterium* & perfectum appellarunt medicinam tertii ordinis cum complemento omnium argumentorum perfectionis aurificam & argentificam. *Magisterium vitrioli* Penotus in chymicis scripsit pro oleo, quod etiam arcanum nuncupauit: *Quercetanus.* Extracta dixit eodem vocabulo, vt & Crollius de extracto florum sulphuris loquens. Quercetanus ipse *in Pharmacopœa pag. 614. 617. 618. &c.* Vbi *exemplum, essentia, Arcanum, tinctura, magisterium parui, vel potius nullius sunt discriminis*, quanquam *pag. 619.* artificium repercussionis, seu præcipitationis per liquorem tartari *magisterium* vocetur distinctum à calce, & sale perlarum. Promiscuus autem ille vsus inde est, quia istorum autorum nullus methodo scientifica comprehendere opera chymica, & forma artis excolere, digerereque attentauit, in quo si fuissent; proculdubio cognouissent, vt locis singula genera & species disiungendæ essent, ita & nominibus discerni eas debere; quæ nomina quantum fieri potest homogenea disciplinæ, & propria artificum; filiorumque doctrinæ esse oportet. Hæc necessitas coegit non confundere terminos, sed sapienter distinguere & accommodare, vt vel *sola voce* constaret generum specierumque differentia, & methodica collocatio. Nos non inuidemus cuiquam felicitatem suam, optamusque vt prodeat tandem, qui omnia dexterius, quam nos digerere possit: Sed si quis id attentauerit proposito magno rerum cumulo, experietur, quam arduum sit, suum cuique genus, & titulum proprium assignare. Bellè ordiebatur Palmarius ponendo *Hermesiam circa magisteria, & spagyrian circa extracta*: Sed vbi horum generum species? Diuisimus magisteria in ea, quæ substantiam, ipsumque corpus attinent, & ea, quæ circa accidentia contingunt. Cum corpus alicuius simplicis (Ita vocamus iam materiam vnicam & singularem, etiamsi alio modo sit composita, vt lapidem mineralem, semen, adipem, carnem: item illa artis cereuisiam, panem, massas pilulares, &c.) in manus chymiurgi peruenit, prima consideratio est, quam purgatum sit, aut sordidum; seu foris adhærentibus stipatum: (Impuritates esse duplices (vel etiam triplices, prout subdistinguuntur vel considerantur) adhærentes superficie tenus, & penitus in radice inhærentes pridem docuit Geber.) Neque enim minus ingenii habet, quam plebei opifices & pharmacopœi, cum metallurgis & aurificibus vel etiam coquis, & lanionibus, qui vellera, coria, plumas, excrementa, &c. studiose detrahunt, sicut molitores glumas, Rhizotomi Sabulum lutum & corruptas partes cum membranis & corticibus externis. Cogitur autem nonnunquam

Nomen magisterii.

Colocynthidis chymia.

Magisterii;

alienam operam assumere, & si quid neglectum est à rhizotomo, metallurgo, pharmacopœo, lanio, &c. Curare, & emendare: per se vero etiam suum studium in repurgandis materiis sequitur, propriumque exercet laborem.

Repurgationes chymicæ.

Assumit *Enchiremata separationis*, de quibus in Alchemiæ descriptione prolixius est actum. Segregat, auellit, abstrahit variis modis. Maximè *purgatorius est ignis* modo decenter adhibeatur: Deinde *aqua*: aliquando, & *terrea* conueniunt, & *aër*. *Ignis purgat* vel solus, vel cum medicaminibus; solus quidem, vt in *Asbesto, auro*, & omnino fixis: Exemplo sunt quoque *sales* apud Quercetanum.

Salium purgatio.

Vult enim hos, quos perfusos adhuc aliqua sorditie, quæ exacte albedini obstat, ignium reuerberantium vi purgari debere, *quod tamen non placet*, nec consentaneum est magisterio artificioso. *Neque enim in albedine exquisita summa iudicii est*; sed in virtute secundum cuiusque simplicis naturam, quantum attinet ad genus vegetabile, & animale. In minerali calces, & sales fixos ita purgare nihil prohibet. Sed sæpius *medicamina* adiiciuntur, vt cum aurum & argentum ope plumbi, & fluxuum in cineritio, vel testa, aut catinis aliquando & cementis cum suis offis excoquuntur, vbi sales detersiui, aliaque adiumenta præclaram opem præstant. Ita exuuntur venarum recrementis, & alienitate metallorum commistorum, arsenicalibus halitibus cadmia, & similibus. In his quidem debebant metallurgi desudare quam diligentissimè: Sed illi suum pedem, & modum perfectionis habent, quo non contentus chymicus, si non potest vti aliena opera, ipse aggredi rem debet, atque ideo magisterii repurgationis non ignarus esse: Imò si nolit manu operari, præscribere tamen modum laboranti vt medici solent chirurgis, ipsius est munus. *Chymicus est æstimator operum naturæ, & artis*, seu suæ, seu alienæ. Exemplo sit *aurum*, ex quo tincturam vniuersalem, vel aurum potabile, aut calcem, &c. sit facturus. Si ex natura sumit, perfectumne, an sordidum, & alienis mistum sit, inquirendum est: Et si est impurum, idque ad lapidem asciscitur, cum non omnem purgandi modum sustineat, quo nam debeat *salua virtute seminali* præparari, non est ignorandum. Quod si vel natura vel arte mistum sit plumbo, argento, ære, &c. aurum potabile syncerum non faciet, ni repurgauerit.

Dices, at *chrysoplecta vtuntur mundissimo, & coloratissimo*: etiam mollissimo, inquam, vt eo latius possit extendi. Illam *mollitiem sæpe procurant fumo plumbi, seu spiritu: vel argento viuo sublimato*. Color aureus exaltatur colcotitiorum, & similium viribus. *Chymicus ad rubrum tendit, neglecto colore politico*. Cum idem aurificam facit medicinam, de huius puritate debet esse certus. Alias qua fiducia pollicebitur aurum plusquam perfectum, & vltra.

XXIV. Caractas exaltatum? Simile iudicium est de cæteris in quolibet genere. *Χυμικώτερον* est ab adhærentibus fauillis, & ramentis halitibusque aut concretionibus salsis calces fixas separare, vt fit in calce auri volatica & inflammatili, quæ adiecto sulphure vritur, & sic purificatur. Super præcipitato solent præter expirationem etiam aquas ardentes incendere, & edulcorationibus vti. *Vitra* purgant vitrarii *sale alcali, & magnete*. Si chymicus seu facere, seu iudicare vitra ad medicos pulueres (vt contra vermes, & lapidem; vel vt liquorem ex eis eliciat) velit, & impuritatem deprehendat absente vitrario ipse laborem aggredietur, vti & cum *ex massa siligna, aut crystallina beneficio pulueris aurifici & argentifici adiectis tincturis gemmas* cordiales velit *conflare*. Qui natiuam muriam excoquunt, salesque conficiunt, *sanguine, albuminibus, cereuisia*, &c. ad repurgandum vtuotur. Ista enim viscida sordes attrahunt, quod sciunt etiam pharmacopæi in suis *clarificationibus*, & œnopolæ in *turbato vino defecando*. Si chymico quidam talis necessitas incumbat, ipseque cogatur sales, halonitrum, alumen, chalcanthum purum facere, non erit imperitior. Sed hic purgandi modus non solo constat

Vitriolum purgare.

igni. Crollius cum *vitriolum* vult defecare, soluit id aqua, & digestione lenta, sinit spumam eructare, & limum deponere. Sublata spuma, clatam aquam per colum effundit relicta feculentia. Illam decoquit ad coagulationis potentiam. Ita possumus omnia in humore solubilia emundare. Alias aquis, vel similibus, adhibita simul coctione, aut digestione, purgamus adipes, ceras, tartarū & alios

Ceram purgare.

Aqua purgatoria.

succos, quanquam non semper sine filtratione. Ita cum *Balsamos* instituimus per olea, sales, & tincturas simplicium, sæpe mutata aqua rosacea, aut dulci stillatitia coquimus ceram albam, vt à sordibus liberata non facilè contrahat rancorem. Simile iudicium est similium. Omnino *aqua purgatoria vel communes sunt, vel humores aquea consistentia*.

Metallorum purgatio.

Communibus (fontana, fluminea, pluuia, rorida, &c. integra, vel stillatitia) metallurgi purgant metalla ex specubus cum terra, & lapidibus eruta, admoto artificiose alueolo, cribro, & aliis præmissa tritura. Id attentare & chymicum res ipsa cogit. Non enim semper metallicum habet à latere.

Cutem detergere.

Gummata purgare.

Liquoribus aliis siue essentialibus, siue mistis vtimur ad varia. *Metallurgus facit lixiuia ad detrahendam cutem argenti, & auri ramentis*. Horum locum obtinent etiam aquæ fortes dilutæ, seu debilitatæ sale, & aquis communibus. Vino & acero soluimus *gummata*, filtramus, coagulamus, idque, si opus est, repetimus. Innatantia inutilia, & feces elementales, mortuasque seu damnatas tollendas esse semel sit dictum.

Mannā ad balsama repurganda.

Magmata olei nucis mosch. parare pro balsameis vnguētis.

Aloen purgant aqua endiuiæ, rosacea, sero lactis, aut conuenientibus aliis. Mentionem facit Quercetanus *Balsamorum* pro vnguentis essentialibus *per mannam*. Sed hæc est repurganda à succis glutinosis. Itaque vel coqui, & colari sæpe potest aquis, vel extrahi vini spiritu. Conducit autem annosa, & alba veluti adiposa, vt possit olea & tincturas puras recipere. Volumus balsama eadem cum corpore ex reliquiis *expressi olei nucistæ*. Si quis ita simpliciter procedere velit, actum egerit. Recrementa ista sunt studiosissimè præparanda: Nam & alias si velis vnguentum essatum facere expressum oleum conducet.

Balsami medici corpus est vnguentū à destillatione olei nucistæ remanens, insolatum.

Melior modus est si expressam pinguedinem leni destillatione cogas oleum liquidum fundere, perinde ac cum cereo olenm paramus. Deinde relictum vnguentum elutum pro materia, seu corpore balsami vsurpes. Si te tædet destillationis, cape oleum nucis moschatæ vel macis expressitium inueteratum, quod ferè exhalauit spiritus oleosiores. Laua id sæpius coquendo cum aqua rosacea, vel alia pura sicut ceram solemus, aut pro coctione tantum aqua mediocriter calente mollescat, vt elui possit.

Corpus

Corpus ablutum & iocola tũ dealbatum erit bona materia balsami. Ita & manna est tractanda si cui placet laborare. Alias albaceta cocta sufficiet ad omnes tinctutas & olea assumenda, vt & Seba duriora eluta & purgata. Verum ista sunt in atcanis nulli reuelandis, vt inuidi loquuntur. Est cum *vrinam pro lixiuio* ad repurgandum adhibemus. Quæ purgantur putrefactione sapientum, vel efferuescentia, mustum, cereuisiam & similia pro exemplis habent; *Destillatione per lacinias* purgatur acetum, vbi diligentiæ est tegere conchas, ne spirirus exhalet. *Argentum viuum* acida muria tam nitidum reddimus, quam vix est speculum. Sed est discrepans ratio. Nam vel cum multo sale puro (depurato solutionibus, filtrationibus, & recoagulationibus pluribus) perfricamus & contundimus argentum viuum, postea affuso aceto, tandemq; aquis abluimus, vel vtrumq; simul mistum adhibemus, quæ est ista *oxalme* in chymicis decantata. Qui *metalla* superficialiter purgant, coquunt ea *aquis tartarisatis*, & æneis scopis perfricant. Tyro chymicus remittetur etiam ad aurificum *coloritia* soluta, & famularum loturas, quod euenit non raro etiam pharmacopœorum discipulis in purgandis vasis, & Medicorũ amanuensibus, qui iubentur vitra diluto cinerum, & aquis scopisq; emundare. Tenuia hæc sunt: attamen in artis vsu necessaria. Cum terra, & terrea assumuntur ad purgandum, frictio, vel concussio & agitatio adhibetur, quale quid deprehendimus in his qui nitorem excitant affrictu pannorum laneorum, lineorum, herbarum, cinerum, cretæ, tripolitanæ terræ, punicis, glebę luteæ, & cõsimilium. Seruile hoc est, vt & phiolas intus mundare extergereq; arena arida, & calente sæpe, diuq; circumagitata, & crebro mutata. Arti conuenientior est *hydrargyri à sulphurea nigredine, aliisq; sordibus extersio* per commistionem cum tartaro, & calce viua, à quibus per destillationem reuocatur. Quercetanus putat *summam eius purgationem fieri per sublimationem à sale & chalcantho*: vel sulphure: vel sale, & sulphure, aut etiam arsenico, ex quibus postea reducitur, iterumq; sublimatur quousq; septem, aut nouem ignes sublimatorios, & reductorios sustinuerit. Alii septem sublimatorios, & totidem descensorios, insuperq; septem ablutorios per aquas cœlestes, aut tartarum requirunt. Sed hæc purgatio est essentialis, exceditq; finem magisterii. Geberus à Talco, Gypso, lapide speculari similibusq; fixis quæ sordes in fundo retinent, & humiditatem superfluam discutiunt, integrius sublimat; vt alii caphurã à commista argilla, &c. Incredibile est quid in purgando argento viuo non tentarit industria humana. Nam & sordes stabulorum equilium & bubilium modo arena absit, & saltem lotio animalium saturata terra, colligunt aqua diluunt, destillantq;, vt habeant, quo argentum viuum abluant, quod quater mutata aqua fieri asserunt: melius & compendiosius fortè vsuri soluto halinitri aut salis ammoniaci factitii liquore. *Aër, & halitus ad purgandum* accommodatur ratione motus, aut qualitatum, vt cum cera, mel & similia aeri, radioso solis lumine intento, & rarefacto exponuntur, vbi dum attenuatio fit, & diuaporatio, sordes simul decedunt: sed nihilominus postea etiam ablutio concurrit. Distillatores ab aquositate suas aquas insolatu conantur expedire, sicut pharmacopæi conseruas. Sed potissima vis est in calore, qui disgregat, & concoquit. Si aquæ postea sedimentum accipiunt, filtro separantur, donec omne corruptibile secesserit. Ex dictis potest descriptio omnium repurgationum peti, & modi exemplis pluribus passim in arte occurrentibus declarari. *Cum halonitrum purgatur sulphure per detonationem, ignis medicati purgatorii est exemplum.* Fit inde quem *prunella mineralis lapidem* vel salem appellant. Simili arte purgant *stibium*. Aurifabri & chymici *aquas fortes purgari* dicunt, cum aliqua portio argenti in ea soluitur. Nam sic nimium volatiles spiritus feruescendo discedunt, & impuritas ad fundum trahitur. Quomodo *halinitrum* à coniuncto sale, & fece liberetur, docetur in eius confectione. Passim autem exempla occurrunt in artificiis. Quapropter ad ea tyronem ablegamus. Quod si chymicus paulisper velit laboratorio suo excedere, seque ad communitatem, cui & ipse natus est iuuandæ, conferre, poterit agricolis ostendere modum purgandarum aquarum, vt ex duris, & difficilibus fiant latu faciles concoctilesque, veluti cum minerales, quæ gypsi, aluminis, alabastritæ aut aliorum lapidum. Calces inconspicuas secum vehunt, iubet decoquere adiectis *amaris amygdalis* nonnullis, & postea ad sidendum reponere: quod ipsum Ægyptii in suis lutosis & nitrosis etiam sine coctione (a) assequuntur. Aliquando per glaream puram, & arenas monitu Virgiliano decurrere facit, vt labem omnem inter arenas bibulas exuant: ad quod non deerit inuentio instrumentorum forma colatoriorum, Arenariique. Silicum sane puluis elutus, & stanni granula, item sal, & calx concharum etiam *vina defecata* reddunt. *Aquas marinas* olim cereis vasis demissis à salsedine separabant, vt potus conferret. Chymicus monstrat destillationes, & si alembici desunt, vtitur velleribus, iuncis, foliis, lana cum ahenis.

(a) *Iohan. Helfrich: Nilus nigram terram vehit. Aquam eius vt bibant incolæ in ollas duarum aut circiter amphorarum infundunt: Ibi biduo aut triduo limus sidit. Qui citius puram volunt, aliquot amaras amygdalas cum putaminibus tenuibus suis contritas iniiciunt, & 24. horis aqua fit limpida.*

Capvt VI.

De magisteriis auctæ substantiæ.

Qvod Hippocrates in lib. de flatibus medicinæ ascribit dum inquit: *ἰητρική ἐστι πρόσθεσις τῶν ἐλλειπόντων, καὶ ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων*: Id traducere ad magisteria nostra possumus. Manente enim substantiæ puræ integritate, abstrahuntur aliena paulo ante dictis modis: Conferentia vero siue ad vim medicam, siue cognatos vsus adiiciuntur sequentibus, quos esse pharmaceuticos, nec à chymia alienos, quanquam videantur aliqui accommodatitii esse, & ex publico accersiti, facilè constabit. Est autem *magisterium προσθέσεως duplex*. Nam vel *homogenea* sunt quæ componuntur, vt cum ar- *Magisterii appositionis.*

 gentum

Margin notes: *Purgatio argenti viui.* (beside "circumagitata … extersio")

gentum viuum vnitur argento viuo: *vel heterogenea*; veluti cum aquæ miscentur vinum vel contra. Ita ex vino & melle vulgò paratur *oenomeli*: ex aceto, aqua, & melle *oxymeli*; ex *melle* & aqua *Hydromeli*, quæ & mulsa aqua & mulsum: &c. In quibusdam tamen non fit coalitio *sine medio*, vt: cum Suctenius vult stellã antimonii cum hydrargyro iungere per modum amalgamationis; id non potest sine argenti interuentu. Ita aliqui saccharum, sal, & similia acribus liquoribus, & causticis commiscere non possunt, absq; præmissa per aquas solutione, quandoquidem in forti muria sal non liquescit, nec in dilutis, lixiuiisq; validis & crassis. Fiunt autem multa *serulia* in magisterio additionis, quod non rarò etiam pro arbitratu, nec vlla necessitate adhibetur, modis ferè iisdem quibus etiam extractæ essentiæ solent inter se vniri. Aut enim *superficie tenus tantum committuntur, aut interius per minima*, quantum fieri potest, coniunguntur. Illo modo rarius vtitur chymicus, eumq; in pharmacia sua plerumque foris petit, veluti *cum auro inducit massas suas, & pentaculis*, vel *amuletis*, quæ & Crollius Basilicæ suæ chymiæ inseruit, *gemmas agglutinat* vt vim medicam ad arcendum contagiũ pestilens augeant. Euenit item aliquando vt *integrare diuulsa* habeat necesse, & suas tabulas fractas glutine, mastiche, gummi arabico, Tragacanthæ, &c. iungere, quod si nesciat imperitior vel officinatum famulis habeatur. Magis vtitur *interiore commistione*, quam possis distribuere in *concorporationem*, & *contemperationem*. Illa magis respicit corpulentiam; hęc crasin; illa appositionem; hæc mistionem verã, quanquam vtrobiq; possit esse vnio mistilium alteratorum artificiosa. *Concorporatio* est vel *aridorum* vel *humefactorum*. Arida componuntur forma puluerum, vti solet fieri in officinis dogmaticorum, in quibus *species aromaticas* conficiunt, aut alios puluëres (Tragæas, catagmaticos, catharticos, cordiales, &c.) Chymicus ferè hos in proparasceuasticis habet: aliquando etiam ad arbitriũ medici principali ad medendum scopo concinnatos reponit. Si vult *mercurium vitæ* præparare, vel *aquilam cœlestem*, aut aliud *sublimatum* ex duob. vel pluribus, oportet vt simplicia conterat, & sigillatim contrita committat in mortario, aut tabula lapidea, quod *non semper fit populari modo*, vt in sublimato cõponendo cum regulo, vel stella antimonii. Si bis vtrumq; velis simul in mortario metallico contundere, periculũ sentias. Sed nec *hydrargyrum ad sublimationem* isto modo coniungas, quanquã & tunc puluis requiratur. Nam primum salem & chalcanthum oportet conterere; posteaq; aceto leuiter irrigatis inspergere per modum irrorationis exprimendo ex colatorio, argentum viuum & manu ministri continuè subigere, donec exactè commisceatur, fiatq; massa, quæ resiccata conteritur in puluerem. Addere aliquid humoribus in contundẽdo, conterendoq; etiã officinæ quandoq; solent, vt nouimus cum cornu ceruinum, coralia, gemmas, vniones, &c. præparant. Cum *cinabaris* est facienda, sulphur liquari quodammodo, posteaq; hydrargyru immitti & subigi rotatim satis est. Massa fuge facta postea conteritur. Qui vult *Panacæam mercuriale* facere ex *argento viuo sublimato, & crudo*, illud prius cautè in alcohol terit; deinde celeri manu immiscet hydrargyrum quantum combibere potest, proportione fere sesquialtera. Ista autem vsu & notitia simplicium potius constant quã præceptis. Proponuntur autem Tyroni, vt exempla diuersitatum habeat, ad quæ possit de cæteris æstimare. Alius modus incorporationis est *subactio*, non ad puluerem siccum, sed massam, vbi vinculum vnionis est humiditas aliqua glutinosa. *Malaxationem* appellant officinæ à Græcis accepto, & paulo immutato vocabulo, q. *μάλαγμα ἀ μαλάσσειν* (*τὸ φυρᾶν, ἀναμάσσειν τὰ ἄλευρα, μάττειν, μάζαν ἀναμιγνῦναι*, subigere, mollire, &c.) dicere vellent, ex quo posteà artifici

Malagma. *Amalgama.* tabernæ, aut chymicorum metallicorũ vulgus fecit suum *amalgama*, quod *est pulticula ex metallis & argento viuo*. Fatendũ est quod hoc opus nõ sit admodum nobile in chymicis magisteriis: Veruntamen nec omittendum in integra artis descriptione. Prima rudimẽta disciplinæ Tyroni hîc proponuntur, quibus iubetur miscere pulueres, & liquores varios ad sigilla, & lutamenta vasorũ, tametsi hoc fortasse cõmune habeat cum figulina, liquatoria metallica, & aliis. Singulare est ꝙ non semper aqua subigit suas massas sed aliquando ẽt muria, vrina, ouorũ albumini tribus discussis, &c. Cum iubetur formare *pentacula*, assumit *mucillaginem gummi arabici*, vel *Tragacantha*. In sachatatis, imitatur officinas pharmaceuticas, vt & in *pilulis, electuariis, conseruis, emplastris punctoriis, oppodeltoch* paracelsi, &c. chymici

Succi medicati ex cydoniis, &c. patant etiam *succos inspissatos* purgantes magistraliter; ex quo genere est *Diacydonites*, & alia quorum exempla in pharmacopœia Quercetani, apud Rulandum & alios qui chymica artificia exercuerũt, occurrunt. Non quidem semper integra excipiuntur succis pomorum: sed & extracta cum essentiis ingrediuntur, vt sic magisterium compositionis, & extractum essentiale interdum concurrant: Veruntamen ideo hoc modo concorporationis hæc pars artis non caret. Qui *tabulas* faciunt *ex cremore crystallino tartari*, puluere sennæ & similibus, ex quibus *Diatartarum Rulandi*, vel *Panchymagogum* Quercetani constat; item qui *rotulas ex puluere marchionis* antepileptico cum sacharo appropriatis aquis soluto, possunt etiam officinarum industria, qua sacharum solutum super prunis coquitur, & cum pulueribus miscetur, vti: sed cum facile fieri possit vt pulueres adurantur, vt & cum *placentas pungantes ex massa cogunt*, interque tabulas ferreas percoquunt; Chymicus tyro artificium mutati posse, & *pro coctione exiccationem substitui* iudicabit. *Subactiono* vti cogitur etiam in opere reductorio argenti viui, quando *ex tartaro, farina & puluere sublimati adhibita aqua facit pastillos*: nec raro occurrit eadem in destillationibus vbi luto immiscetur *Sal*, aut alia materia destillanda. In Docimastica tyrones exercentur primum confectione *catillorum* quos *copellas* dicunt, neque id omnino contemnenda pars artis est, vt & in argenti & auri *cineratio* parando, quando sæpè magistri in apparatu materiæ subactæ errant, & refingere opus suum coguntur. Dictum autem de his est tum in Docimastica, tum Alchymia copiosius. Hic vero recensentur; ne putet tyro nihil sibi rei esse cum

Cramata. talibus concorporationibus. Modi *contemperationis ad temperamenti simul mutationem*, (nam hæc maximè in hoc genere spectatur) non sunt pauci. Vnus est *confusio liquidorum* actu, quamuis prius erant sicca.

Chymici hunc esse, conspicitur ex præcepto magni magisterii: *Argentum viuum argento viuo sui generis*

generis iungite, & arcanum habebitis. Hoc quidem suum sensum habet, sed tyroni vltra literam non sapienti subiicit cogitationem contemperari intime homogenea ita vt nequeant separari, sicut cum aqua fontana pluuiæ, vel flumineæ confunditur. Quis vinum maluaticum à Gallico commisto separare ausit? Quis duas cereuisias confusas? Ita sæpe duo liquores acres contemperantur, qui inter se etiam agunt fortiter, tandemque amice acquiescunt. Ita explicatur arcanum artis *indissolubili vinculo debere vniri spiritum, animam & corpus.* Lullius ait. *humidum sicco inconstanter iungitur: sed constanter humidum humido homogeneo* & familiari, quod & Aristoteles in modis mistionũ agnoscebat. Nihil a. refert etsi dũ pet se extra misturam est alterum actu sit siccum, modo statim liquescat cum coniungitur, vt nix atida aquæ calenti addita, vel glacies in ea liquata, quibus similitudinibus vtuntur magistri etiam in declarando suo mysterio. Vt enim butyrum additum pinguedini fusæ colliquescit: & plumbum coagulatum inditum plumbo feruenti: ita debet *aurum colliquescere mercurio philosophorum, eiq; intime iungi.* De *salibus*, & quæ sunt similis naturæ controuersia est inter Paracelsicos, & peripateticos, quo modo & de toto genere mistorum. Illi n. volunt tantum delitescere in Elementis, tanquam in capsulis: hi contendunt veram fieri mistionem. Si vera est sententia Paracelsicorum, *ars cæcata est nudum nomen.* Nam non assurgit vltra magisterium quo integra cõtemperantur. Sed de hoc alibi. Ad pharmaceuticos non spectat Alchemistarum institutum cuius meminit Geber, *quo nimirum in liquores redacta metalla confuderunt, indeque reduxerunt putantes sic per minima commista* perfici posse. Hoc tamen ex illo artificio notasse conueniet, quod & in essentiis, spiritibusq; causticis vsu venit, si eiusmodi commistio etiam medicinæ gratia requireretur, non confundi liquores confertim solere, sed quo sunt acriores, eo prudentius in vase capace & alto, aliquando etiam argilla munito, vel in cineres imposito *constillari* debere, vt guttatim illapsus alter liquor eo minus excitet turbarum.

Sales num vere soluantur & misceantur aquis. Commistio per minima an fit liquorum.

Liquores acres confundere.

Confusione exactior contemperatio censetur ea quæ fit *per modum halituum & fumorum*, qua ratione Aristoteles in fine III. meteorum *fossilia*, & *metallica* censuit nasci: illa quidem exhalatione prædominante (neque enim satis est simplex halitus:) hæc vapore: vt ignea, seu fumosa exhalatio lapides & colores constituat: vaporosa vero (certi nimirum generis) metallica fusilia, & ductilia. Non paucis chymicis (ex quibus est *Michael Sedinuogius* de lapide philosophorum. *Albertus* ait *in metallis esse quatuor Elementa naturaliter, eaq; nihil aliud esse, quam fumos subtilissimos per decoctionem naturalem in suis mineris congelatos, fixos, & in metalli naturam conuersos*, qua de re *alibi*) illud arrisit. Ita n. aiunt mercurium specie fumi passim vagantem, & pro natura locorum varie affectum, consistentemque, à similiter vagante fumo sulphureo metallico, calido, sicco, formam accipere, & euadere pro dispositione hoc vel illud metallum, in quo plurimum valeat vis loci: vt Sedinuogius & Drebellius arbitrantur. Hoc philosophema instruit nostrum Tyronem, vt quod natura, per se facit, arte imitari studeat: Et est sane in halabilibus, & vaporabilibus nonnihil acquisitum, quanquam ex non metallo metallum isto modo efficere hactenus potuerit nullus, vt facile appareat non esse scientificam istam de metallorum generatione opinionem. *Duæ* vero *sunt operationes* quibus talis vnio procurari potest, *sublimatio* scilicet, & *destillatio*, sed quarum vis in essentiis maior est, quam in magisteriis, cum raro tam homogenea sint halabilia, & vapida vt tota resoluantur, fumorumque specie coeant. In *auro & salib.* quæsitum maxime est hoc magisterium. Nam *volatile* certis modis factum *aurum* studuerunt *suo liquori* *vnire* vt in spiritum resolutum, totaliterque commistum cum spiritibus menstrui in alembicum indeque in receptaculum ferretur, idemque fieret in salibus quoq; volaticis. Sed liquor hic plærumque est essentialis, vt magisterium sit mistum. Alias duæ vel plures aquæ itidem iunguntur exacte digestione, & destillatione: Item olea, & quæ soluuntur inuicem, vt *camphora & oleum Terebinthinæ*, vbi adhibenda sunt cohobia.

Metalla quid.

Philosophi in magisterio etiam *coctionis* faciunt mentionem. In magisterio, inquit quidam, *duplex est compositio, vna in humido, altera in sicco: cum prudenter coquuntur, fiunt vnum:* &c. Si hæc ad pharmaceuticam transferuntur late accepta voce coctionis multa possunt isto modo præparari. Ita fiunt *saccharata & mellitæ potiones:* Ita *olea* multa, & *vnguenta* quæ cum coincidant cum officinarum arte, non indigent pluribus, si notes in *balneo*, vel *diplomate* adhibita ante & post *digestione*, alicubi & *fermentatione* vnionem absolui perfectius. Tali arte sæpe opus est in extractionib. per menstrua, sed rudius, vt separari iterum menstruum queat. Penotus solutiones compositas sic docuit fieri exemplo *balsami sulphuris ex oleo seu spiritu Terebinthinæ, caphura, & sulphure mundo* vel *florib. eius.* Est & cum colliquantur nonnulla, vt adipes, medullæ, seba, sulphur, & cera aliquando miscentur colliquefactione ad obturanda vasa, quo modo & pix, bitumen, cera, vernix & alia confunduntur in vsus obturandi, incrustandi & similes. Verum id populare est. Quædam ignibus, vel liquoribus soluuntur, solutis ingeruntur pulueres, succi, & alia, indeq; facta coagulatione exit cõpositum. *Chymiam magis attingit cum vtrumq; per se solutum confunditur*, posteaq; in corpus reducitur. Exempla habentur in *Electro* ad redarguenda venena faciendo ex auro & argento. Vnde postea pocula, patinæ, & cochlearia principũ conflantur, & annuli in annulari digito, vel pollice gestandi. Chymici magici multum tribuunt metallis certa cõstellatione syderum commistis. Sed remittimus Tyronẽ ad Alchymiam, ex qua exempla suppetunt plura. *Cibationem* nominat in magisterio sapientũ Riplæus, quam alii *imbibitionem, nutritionem, inceratationem.* Est *nutritio* (inquit) *nostræ materiæ siccæ lacte & cibo, vtriq; moderate datis, donec reducatur ad tertiũ ordinem* (possit mutare plenis argumentis perfectionis metallicæ ad exemplũ auri & argenti absoluti.) Ter cibandum est (iuxta seriem trium operationum, seu *reuolutionum*, quas & *rotas* vocant.) Nũquam tantum dandum vt suffocetur. *Argumentum perfectionis est si medicina in igni super tabula ferrea candefacta fluit vt cera, absq; fumo, cum ingressu. Iunge humidum* (spiritum) *sicco* (corpori) *& latabitur, &c.* Hæc compositio etiam in aliis magisteriis est artificiosa. Dogmatici medici sic *nutriunt sarcocollam* cadmiam glebosam seu lapidem calaminarem, Thutiam, &c. lacte muliebri: alia aliis quantum possunt combibere donec nihil amplius assumunt.

Obturatoria

Electrum.

Compositio per cibationem.

Medicina aurifica perfecta.

Interdum diuersus est qui combibendus datur humor; quomodo *Hollerius Sarcacollam* prius *aqua rosarum* macerat (succedit aliquando maceratio imbibitioni) triduo: deinde pluribus diebus resiccatam in *succo rubi* detinet: tertio infundit *lacti muliebri*, quæ chymicus exequitur per artificiosam nutritionem, vt & *succum mororum* inspissatum & comminutum primo potaret albuminum discussorum liquore: Deinde resiccatum lacte muliebri pasceret. Modus debet esse vt resiccati possit semper & coagulari interim crescente pondere, mole, & qualitate, quanquam quædam molliore consistentia, quædam duriore requirantur.

Lapis sali comparatus. Halchemia.

Lapis inceratus comparatur sali in igne fusili. Vnde magister artis dicitur *ex metallis facere sales fixos quidem*, sed tamen in igne diffluentes, vt eius artificium à fine appelletur *Halchemia*, q.d. salem fusilem præparandi rationem, παρὰ τὸν ἅλα χέειν, vt aiunt: Et sunt in perfecto magisterio salis commendationes maximæ, quanquam non intelligendus veniat ille sal quem Quercetanus ex armoniaco naturæ, vel artis, aut halinitro fusilem facit, aut quem fundunt ignibus validis ex muria vel metallorum fodinis, aut mari extractum. Sal dicitur mystice per Hermeticum parabolismum.

Caput VII.

De magisteriis substantiæ mutatæ ratione Geneseos.

Chymicus boni medici causa destruens non fit hostis naturæ vt à Riolano ridicule accusabatur.

DAbunt veniam magistro chymico morosiores methodorum sectatores, censoresque nimium rigidi, quod non ὡς ἀκριβέστατα incedamus in scientifica operum chymicorum digestione. Tyronem nostrum παχυλῶς instruxisse, & pingui minerua per operum seriem duxisse sufficiat, modo quo contendimus, perueniamus. Mutatæ substantiæ magisterium in synopsi diximus considerari posse ratione physicæ generationis, vel corruptionis, quanquam finis arti hic propositus non sit, *vt cuius studium est gignere, seu producere opus vtile & bonum, pulchrumque*, in quo dum est, fieri non potest quin aliquando pereat id quod prius in natura fuerat, cum *generatio vnius, sit corruptio alterius*. Sed ita in præsens accommodentur termini, vt doctrinæ cursum sequamur. Cum chymicus ad *Ens artis ex non Ente* aspirat per modum generationis physicæ, poterat animum vertere ad distinctionem peripateticam, qua naturæ fines discernuntur, præsertim cum *principale sit magistro laboranti ad imitationem eius respicere, & cum illa agere ad præstantius naturali*. Est in periparo *generatio simplex: Est secundum quid*. Simplex naturali motu, & violento distinguitur. *Naturaliter quod fit aut transmutatione simplici fit*, vt cum Elementa ex mutuis generantur simpliciter: *aut mixtione* in qua fit vnio mistilium alteratorum: qua vnione iuxta Aristotelem coeunt Elementa, & in his simul natura caloris, spiritus, humidique radicalis, omnino corporis, quod nec Elementum est, nec Elementare quid, sed natura proportione respondēs elemento stellarum, modo non sit rudis appositio, & conglutinatio absque mutatione. Hic simplicibus manentibus secundum potentiam fit mixtum, de quo nos in præcedentibus. Simplex *transmutatio* secundum Genesin, *vniuoca* est, aut *æquiuoca*. In illa *simile nascitur ex simili*: Et *hanc respicere in magno magisterio philosophorum omnes iubent artifices* metallurgi, & irrident, improbant, reprehenduntque eos qui cum aurum aut argentum adiumento artis per naturam sibi proponant, assumunt ona spermata humana, capillos, radices, alumina, sales, hydrargyrum commune, arsenicum, stibium, auripigmentum & similia, in quibus, nisi sint venæ auri per naturam iam in illis effecti, naturæ fundamenta, & semina perfectorum sunt nulla.

Generatio lapidis philosophici.

Gastonis clauæi de lapide sententia.

Explicant generationis huius modum aliquando per *matrimonialem agentis & patientis fumi & aquæ coniunctionem*: aliquando per conuersionem elementorum, quæ apud ipsos est symbolica, seu mystica. *Gasto clauæus arripuit literalem mistionem physicorum, & medicorum*, qui Galeni autoritatem in Elementario sequuntur, putabatque *Palmarius* ille noster, scite istum fecisse: Sed quæ elementorum hic ex separatis mistio intelligitur, non fit in generatione, cum semel vi diuina peracta sit in creatione. Quæ post nascuntur regulariter, omnia *ex semine* prodeunt, si quidem de perfecte mistis loqui volumus. *Semen* illud aut *vniuocum* æqualiter est, aut *analogicum*.

Regulares generationes mistorum perfecte. Generationes vniuoca æquiuoca. Spontaneorū ortus.

Aristoteles συνωνύμως quædam fieri tradit, quædam ὁμωνύμως: Illa ex semine vniuoco oriri scribit: hæc ex æquiuoco per conceptionem ex spiritu viuifico, & principio vitali per vniuersum diffuso in genere animali, & vegetali. Sed *si creationis vim nouisset, potius dixisset ea quæ sponte in aqua & terra generantur, existere virtute primæ iussionis, cuius potentiam non omnino exuit vtraque pars naturæ*, eamque in actū, quātum post maledictionem, & mutationem primam potest, aliquando producit si adiuuetur calore, & humore ad generationem apto, quæ est veterum procreatrix *Venus in Oceano, & Iouis in Iunonā seu aeris, indeq; in gremium terræ descensus*.

Chymici opus imitatio naturæ.

Operatur autem artifex chymicus secundum analogiam naturæ. Ideo & cum medicinam trāsmutatoriam vult efficere, assumit in natura latitans principium seminale, idque studio artis non principaliter efficientis, sed naturam exuscitantis, & dirigentis, sic elaborat, vt dispositam materiā, in quam debito modo proiectum fuerit, perficiat momento, & procreet tale quale ipsum primo, deinde quale fuerat ex quo est sumtum, cuiusque formæ potentiam in fermentatione accepit. *Si semen* sumtum est *ex auro cum mercurio metallico seminali*, fiet tandem aurum: si ex argento, argentum: si ex aliis metallis, existet speciei suæ conforme, quod probant transmutationes.

Aurū quando fiat. Aes facere.

Nam vt æs faciat ex ferro æris principium in aquis ærosis ex chalcantho haberi necesse est. Vin' probare? *Cape aquam fortem soluti æris, eamque reprime affusa aqua per modum descensionis aurifabrorum. Post*

ferra-

ferramenta immitte, & aliquo vsque relinque. In æs transibunt. Quod si non solutum fuit æs in aqua ista, minime fit mutatio, id quod mirabatur aurifaber ille, qui admonitus, in solutione argenti ærosi ferrum cum cupro debere adhiberi, vt ad ferrum se reciperet cupri spiritus & ramenta: ad cuprum vero calx argenti: Ille quidem spe huius sic agebat. Sed eueniebat simul ferri *transmutatio, quæ omisso cupro non contingebat*, adeo vt is cum *Erkero* putaret calcem cupri à ferro tantum receptam esse. Verum ignorabat tandem totum mutari, quod postea coactus est agnoscere, & fateri etiam *Erkerus* ipse. *Sic enim non potest ex regulo stibii plumbum vel stannum efficere, nisi anima alterutrius. Basilius Valentinus vt ex plumbo stannum faciat, salem & sulphur ex stanno prius elicit, idque in plumbum immittit per fusionem.* In istis autem est principium seminale stanni. De his vide nostram Alchymiam cum commentariis partis tertiæ. Quid hęc, inquiet aliquis, ad chymiam pharmaceuticam? *Chirurgiam*, in quam, instruunt & materiam præbent tum magisteriis aliis, tum essentiis. Deinde in aliquibus est etiam copia medicinarum interiorũ, maxime cum fit *Elixyr ex semine mercurii, & auri*: Et *æs ex ferro*; quod æs postea assumitur, fitque materia plurium medicaminum, potissimum autem *vitrioli, & spiritus* hinc parandi. Sed & ideo de modo trãsmutationis hic aliquid dicendum fuit, vt Tyro chymicus intelligeret scopum veterum sapientum in magno magisterio. Is non est alius quam *seminis masculi & fœminei magno artis studio ex corporibus naturalibus extracti, coniunctio & coctio perfectiua, adiecto suis temporibus nutrimento commodo, quo vires & corpus augescit plane ad eum modum quo conceptus in vtero muliebri perficitur.* Si hoc scit discipulus, multos scopulos in hoc mari occurrentes potest vitare Porro huius transmutationis exempla abunde suppeditat natura. In arte quænam excellant, inuenies in lucubrationibus nostris de Alchemia, nec opus est repetere. Imo videtur superuacaneum esse in ferro in æs transmutando medicinæ causa, laboriosam operam sumere. Nam fit vulgo circa Goslariã, & in Hungariæ specubus ærosis: potestq; fieri forte dilutũ ex vitriolo Hungarico, in quo scobs, squamæ, stricturæ, aliaque ramenta, & fragmenta ferri promtæ in æs abeunt, quod ad regulam excoctum fit cuprum. Aliquando ista ferramenta plane *in limum viridem* corroduntur; aliquando etiam sine resolutione integra transmutantur, *spiritu ærii, qui est in aquis chalcanthosis penitus se insinuante per ferri poros.*

Anima metalli opus est in quod fieri transmutatio debet.

Scopus Veterum in aurificio.

Ferri in transitus.

Istud cuprum comparare potes, cum vis ex eo vitriolum pro spiritu chalcanthi facere, quanquam adhuc sub iudice lis sit, *meliusne ex adulterio martis & veneris nata proles assumatur, an natiuum cuprum*, quod ad regulam sit excoctum: item *num maius operæprecium sit ex Vngarico vitriolo, aut cyprio*, in quibus est spiritus, anima, & vis cupri, *spiritum vitrioli elicere, an ex hoc quod laboriose ex ære exculpsimus.* Si verum fatendum est, Paracelsici supercilii istud inuentum est, vt sit aliquid singulare, quo gloriari ostentator Paracelsista possit, & aliorum opera explodere: quasi ipse verissimum faciat spiritum vitrioli, cœteri adulterinum. Cum non tanti sit vitriolum quod natura, aut ars popularis metallurgica dedit ex aquis atramentosis, quanti cum labore, & impendio ex ære, quod ferrum fuerat extractum? Si res ad tribunal veritatis exquisitæ adducenda est, vicerit natura.

Spiritus vitrioli meliusne ex natiui cupri atramento fiat, an ex factitio: ex natiuo chalcantho, an ex artificiali,

Hæc enim (siquidem probatum vitriolum assumatur. Nam est & hoc varium, nec omne omni vsui aptum) seminis ærosi copiam in se ex fundamentis primis habet: ars cogitur quasi abortum naturæ per à natura summum instrumentum corrigere, & in melius refingere. Quicquid chalcanthosi & ærosi habet ferrum transmutatũ, id à vitriolo æroso naturæ habet. Cur non assumimus hoc ipsum, quod & anima, & viribus æris valet? Num a. ferri materia sit melior æris natiui? Policentur tamen sibi aliquid præclari ex martis corpore, in quo dicunt esse, quiddam auro analogum. At idem inquam nobilius est in ære, vnde & sæpe aurum, argentumq; colligitur magis quam ex ferro: Et est multorum opinio æramenta vetera ignibus, aut solibus diuturnis excocta in aurum vi insiti seminis quadamtenus mutari. Aliqui argumentantur ex coctione naturali & artificiali ferri, & æris, qualis non sit in atramento natiuo ex aquis uel dilutis collecto. Verum quid hoc refert, si æs & ferrum ope vitrioli officinarum est reducendum, aut violentis ignibus cremandum vt totam sui formam exuat, & corrũpatur? Sed abrumpimus disputationem.

Aliud exemplum nobile est transmutatio ex vno genere in diuersum, vt cum *ex argento viuo & auro corrupto generatur Elixyr, quod vniuersalem panacæam* esse contendunt, *& materiam veri auri potabilis.* De huius præparatione quantum potuimus ex pluribus scriptis, impressisque atque etiam ex arcanis scriniis studiosissimorum huius magisterii productis: item multis exercitiis inuestigatoriis, & quadamtenus etiam potentiæ naturæ Enchiretica exploratione, consequi, publicæ vtilitati cõmunicauimus Sed malum fatum exercet multos, & occæcat adeo, vt suis somniis plus credant, quam liquidæ aliorum traditioni. Risimus quemdam sciolum sibi perquam in chymicis etiam vltra Crollium, & Quercetanum placeotem, dum legimus, scribentem, *AVT SALEM AVT ROREM videri esse materiam lapidis apud Libauium.*

Belle diuinasti vir acutissime. Aut musca est, aut Elephas: vel quod magis ridiculum; aut asini crepitus, aut pulex. Quomodo potuisset Libauius philosophorum decreta ad salem simul & rorem applicare? Salem tamen sapientum scias Libauio non aduersari, sed quem tu ponis, materiam esse negat. Palmarius quoque valde sapiens erat in sciendo ad lapidem, & aurum potabile accersiri aurum natiuum. Faciunt istiusmodi sapientuli nimium intelligendo vt nihil intelligant. *Libauii materia est duplex mercurius*: quod sic intellige. *In natura est quoddam minerale, quod in se habet semen argenti viui metallici nempe paruum mole in corpere satis grandi.* Id semen laboriose admodum extrahitur, habetq; se vt *fœmina*, quia calidum humidum censetur semen fœmineum.

Notabis idem etiam *metallum* dici, licet actu metallum non sit, sed tantum potentia: Dici etiã *mortuum* dum est in multitudine sui corporis, sicut & granum tritici, semen quasi mortuum paruæ molis habet, antequam in agrum immissum, accedentibus adminiculis vegetationis, viuescat.

Deinde

Deinde, cum non satis sit ad generationem prolis semen fœmineum (quod ad quemuis virum per se periode habet, potestque cuiusuis fœcundi viri semini iunctum in fœtum euadere) sed requiratur etiam *masculum*, idque non indeterminatum, verum *determinatum*, vt generatio procedat secũdum similitudinem substantiæ non *viri* indiscretim; sed *singularis alicuius*: aliud minerale eadem natura dedit, in quo est *semen masculum tam proportionatum*, *& in materiam fœminæ inclinans*, seu affectum ad eum appetitu quodam & familiaritate naturali. Id ex fine colligitur. Homo generat hominem. Si ergo intendis hominem, coniunge mulieri fœcundæ, virum aliquem certum, cuius similem prolem quæris. *Si vis argentum, argenti semen captã: si aurum, auri*, si stannum, stanni, &c. Non autem id est alibi quam *in suo corpore* secundum naturam, vbi iam constitit, & actum habet. Frustra quæris *prima Entia, marcasithas* dispositas ad aurum, sed nondum actu aurum habentes. Millies dissiparetur semen tuum etiamsi inesset antequam extrahi posset. Nondum enim foret maturum, & fixum. Frustra etiam assumis *aurum priuatum naturali sua fœcunditate*, & sterile effectum, vt fit ignibus conflatoriis. Temere affectas elaborare in auro & argento fabrili iam vitiato, & deminuto fœcunditate.

Semina, quibus ars vititur sunt ex fructibus natura colligenda.

Lege ergo id aurum quod vim & potentiam seminalis principii in se habet, quod *viuum*, & *ἄῤῥεν* vocant: *Viuum* quidem, quia *potentia & vitali semine dotatum est*: Et postea quia etiam actu vegetatur cum committitur fœmineo semini *in vtero artis* ad similitudinem vteri naturalis composito: *ἄῤῥεν* vero, quia nondum amisit spiritum vegetantem, qui perit vi ignium. *Aurum excoctum*, & *antimonio* aliisq; medicaminibus *excruciatum* periode est ac *tostum triticum*, vbi corpus seminis est, sed non semen. Corpus sane fixum perstat in ignibus: sed fœmineus spiritus, calor, humidum primigenium & proportio dissipatur. Si velis resuscitare: laborabis: Sed hoc labore potes supersedere, si ex natura leges aurum, *quod viuum est*, loquendi more chymico, licet id non placeat peripateticis, quos finimus iudicio delectari. Nostra sacra non aliter constant. Debes *semina resoluere, vt sint humor quidam volatilis*. Nam alias non potes exuscitare potentiam vegetatricem, & perficere. Id vocant in primam materiã reducere, & ex coagulato solutum, simulque extractum facere. *Materia passiua*, hoc est, *argentum viuũ minerale fœcundum*, primum sic elaboratur per sublimationes à rebus detergentibus, & sine damno impuritates detrahentibus, vt fiat pura, munda, & cœlestis, vacans humiditate superflua, & terreo inquinamento substantia. Dum sic est præparata, abiit in *humorem viscosum*, quem alii vocant *vnctuosum*. (Quidam discernunt. Nam *viscosum* appellant ex quo lapis est: *vnctuosum* ex quo metalla.) Posse vero argentum viuum in talem deduci, probatur artificiosa hydrargyri sublimati destillatione vt fiat *mercurius vita* dictus.

Aurum ad lapidẽ vtile.
Aurum viuum.
Viscosi & vnctuosi discrimen.

Hic *viscosus* humor ad putrefaciendum in balneum roris debite est inferendus, ibique studiose fouendus, vt non redeat in argentom viuum vulgare, sed in liquorem clarum mutetur. Alius modus est per destillationem. Ideo irridet Sedinuogius subtiles illos disputatores qui negant aquam in arte esse, euolantes ad sua somnia sublimia, & non manentes intra naturæ cancellos. Hoc postquam es consecutus, diuide istum liquorem, in duas, vel tres partes pro arbitratu, & coniectura sequentis operis. Vnam coque medico igni magna cum industria. Tunc *lumen clarum mutabitur in tenebras*, fietque primum quasi *crepusculum*, inde nigrescunt omnia magis magisque; vt possit constitutio comparari *mediæ nocti*. Ex hac caligine paulatim fiet mutatio in albedinem, quæ *ortui solis* confertur. Inde si adhuc vna fiat reuolutio, potest transiri ad clarum solis, igneumque iubar, vt sic in *Meridie* fias compos voti, ad quem tamen Meridiem non fit progressus in opere albo: Sed satis est auroram lucidam, puramq; obtinuisse. Ita præparata est fœmina, (a) io qua si calorem legitimum excedis, omnia perdis, oleique, & operæ precium amittis.

Aqua nostra,
Occasus solis
Nox media.
Ortus solis.
Meridies.

Fœmina coniunge virum, *quem etiam fermenti* nomine honestant: sed non coniunge corporaliter, verum spiritualiter. *Mediũ coniunctionis est spiritus, seu mercurius*. Accerse ergo iam in frigore hactenus seruatum *liquorem*, & *eo solue corpus fœmineum*. *Solue & masculinum per modum amalgamationis*. *Coniunge vtrumque sua proportione, qua potest esse trium ad duodecim, seu vnius ad quatuor*. *Spiritus corpori mortuo inuehit animam*. *Solue in clauso ventre seu vtero, qui est phiola Hermetice signata, ibique perfectiue coque, donec ex nigro per album & citrinum exierit puluis ruber, si quidẽ rubeum opus præ manibus habeas. In albo subsistis, si album: Et potes vno eodemq; labore vtrumque tractare diuersis vasis, ita vt album ex Athannore extrahas cum perfectam albedinem obtinuisti.* Ibi videbis *Ecclipsin* seu *caput corui*: videbis *Irin* & *caudam pauonis*: Item *ascensum in cœlum*, seu ambitum *vasis*, & *descensum per modum pluuiæ*, vel potius nebulæ reflexæ super corpus in fundo, donec quod solutum erat, coaguletur.

Nota hanc *tertiam esse rotam* in præparando lapide: quam vel solam describunt aliqui artifices, vel præmittunt cæteris, vel de hac principaliter dicunt, obiter quasi inspersis reliquis. Ita natus est *infans*, qui vt *viribus* & *corpore* crescat, *denuo soluitur*, *& coagulatur*. *Inde inceratur*, seu *nutritur proprio liquore, donec in lamella ignita intret & fluat sine fumo*. Sequitur *multiplicatio & proiectio* quam satis aperte descripserunt artifices, *salem* autem vocant *fusilem* dum incerata est materia, quia proprietatem salis elaborati imitatur.

Infans philosophorum.

Sic enim & halonitrum, & sal ammoniacus potest præparari, verum non est sal vulgaris, sed metallicus. Videat iam ille Hassus scopticus, num Libauius in magisterio sapientum salem, aut rotẽ intelligat, & dum se magistrum magistrorum putat, discat nondum principia veri magisterii cognouisse. Plura specimina huius magisterii omittimus, cum ea alibi proposuerimus: Et si hoc vnum cõsecutus erit discipulus materiam habebit *auri potibilis* philosophorum, quod si nuncupant, tametsi non amplius sit aurum.

(a) *Quæ fœmina dicitur, alias est etiam corpus imperfectum, & sane sic appellatur, si salum accipitur: vt actu sit semen fœmineum, resoluendum est sua aqua spermatica. Deinde fœmina etiam virtualiter de*

dispositione

dispositione calida humida accipi solet, vt mercurius de humida frigida, sulphur de calida sicca: quæ sunt notanda propter magistrorum sermones, qui ad varia respiciunt. Vir est mercurius calidus siccus, qui & sulphur: materialiter auri vel argenti fermentum aqua spermatica solutum. De anima inuestione habes alium sensum in septade Hermetica.

Capvt VIII.

De magisterio Elementorum & principiorum.

ASsciscit chymicus ad magisteria præparanda etiam corruptionem physicam mistorum, ex qua tamen procedit in generationem arti propositam.

Cum corrumpitur quid, inquit Aristoteles, *aut materia fit, aut aliud.* Corrumpitur autem mistum vel naturali dissolutione, quæ *putredo* dicitur, vel violenta destructione. Quæ sine arte fit putredo in naturæ mutationib. indifferens & vaga est, imo negligitur, dissipanturq; partes, & fit quod Ecclesiastes scribit: nempe, *spiritus aggregatur spiritibus, terra terræ additur.* Artifices chymici procurant quidem *putredinem*, quam *putrefactionem suam* dicunt, sed arte sic gubernant, vt partes seruentur, neq; perueniant ad vltimũ corruptionis, neq; etiam contaminentur fœtore, aut transeant in aliud, vt fit in stercorib. & aliis putridis, ex quibus animalia nascuntur vlgo. Finis est vt reseratis claustris naturæ, separentur ex partes in quibus sunt potestates medicæ, ab iis quæ nihil habent vitium, sed in generatione naturali corporis saltem integritatem constituerunt, fueruntq; quasi custodia essentiarum & capsa. *Elementa* vocantur partes separatæ, de quibus multum nobis negocii facessetunt *Sophistæ, qui cogitare in nostra arte nihil possunt quam illa Aristotelis & Galeni*, quæ etiam sunt mundi, vel humores Hippocratis. Sed nos sequimur institutum artis nostræ, vel rumpantur ipsis ilia, & in insaniam vertuntur capita. Palmarius chymicam scientiam sibi vendicans non debuit nostra hæc allatrare. Multum valet odiũ, inuidentia, & religionis dissensus quo putat quilibet sibi liberum esse in quemque impune debacchari, eumque atrocissimis conuitiis vltra omnem modum lacerare. Sed valeant criminatores isti anile, qui pro argumentis calumnias, mendacia, crimina, cruces afferunt. Tyro noster sciat terminum Elementvm in chymia esse æquiuocũ. Mittimus illa Aristotelica, vbi magni mundi simplicia corpora quatuor, vel addito cœlo, quinq; Elementa dicuntur: Mittimus Hippocraticos humores: Elemẽta artiũ & scientiarũ: Elemẽta vocũ: Elemẽta causas, &c. In arte nostra primũ Elementa dicimus *corpora ex mistis segregata expertia virtutum medicarum cœlestium, seu formalium:* vt: cum *cinanomum* resoluitur, quicquid ex eo soluto ꝑdit non sapiens cinamomũ, nec virtutem formalem habens, id dicitur Elementũ. Melius hoc intelligis in *succis*. Cum ex vua exprimis succũ, relinquuntur racemi, & vinacea cũ glumis. Si in cineres hæc redigis, & ex cineribus *salem* elicis: quod residuum est terram simplicem sapit, nec vires habet essentiales. Dicitur ergo Elementum *terra*. Huic accedit quicquid ex fecibus vini, & musti extractis resultat itidem inane virtutibus formalibus. Dum mustum ferueſcit, expirat vapor ex aquositate resolutus. Hunc si chymicus suis instrumentis separatet, aquæ elementari parem deprehendetet, id est Elementum secundum. Duo enim conspicua maxime sunt: *Aqua*, quæ & phlegma vocatur: & *terra*: quæ non sunt simplicia naturæ (vtrumque enim adhuc mistum est) sed artis, atque adeo symbolica. Hæc est vna Elementi significatio.

Elementa.

Stulti Elementorum chymicorum allatratores, qui stulta sua somnia putant regulam esse disciplinarum.

Elementi significationes

Altera est cum partes totius misti inter se quidem separatæ, sed tamen nondum deputatæ à sterilibus accipiuntur. Hæc parit dissolutio in puttefactione nostra. Accensemus hæc magisteriis ideo, quia integrum in ea dissoluitur. Et quia non nullum etiam sic vsum habent, si quis velit acommodare, sicut & *musti spuma, vinum, fex* etiam queunt ad commodum aliquod transferti. Eisdem inhærent etiam essentiæ triplici forma elaborandæ. Cum ergo diuisio fit non in quatuor; sed in tria. (Nam aer & ignis sæpe coincidunt: vel aer & aqua) tunc appellantur *principia* magisterialia, quæ si placet etiam in vsum medicum sine separatione essentiali trahi possunt. Ista est significatio secunda: eaq; fere proparasceuastica, quia essentiarum gratia ista separatio instituitur principaliter.

Tertia est cum ex his partibus segregantur essentiæ seu tres, & vocantur *principia essata:* vel quatuor, quæ sunt *Elementa essentialia*, Lullio, Vlstadio & aliis destillatoribus familiarissima ad exemplũ chelidoniæ, vini & aliorum corpotum mistorum.

Principia Elementa essata.

Quarta significatio est mystica in lapidis attificio, quod dicitur esse *conuersio vel destillatio Elementorum*: soletq; ab Arnoldo, Rupescissa, Lullio, &c. non vt per se est, sed vt in vino, & aliis, quæ destillatione elaborantur, ptoponi, maxime in *lapide vegetabili*, & *animali* vt cum videaris tibi minetalis lapidis disciplinam legere, legas animalis, vel vegetabilis, ad quorum tamen exemplum debet procedi etiã in minerali, sed absq; manuaria opera, totum peragente natura per ignem attificialem recta. Hic *dispositiones* & qualitates monstrant *elementa*, non separatæ partes: vt in *maritatione, cum duo semina sunt cõiuncta, quia totum friget respectiue, & humidum est, dicitur Aqua*, primum Elementum. Huic inclusa est terra potentialiter. Iubent destillate aquam, vt terra prodeat, quasi præ manu haberes vrinam, acetum, vinum, aut similem liquorem. Sed sensus est, *coagulari illam aquam vt ex humido frigido, fiat corpus concretum calidum siccum*, qualis est terra. In hac latet adhuc *aer & ignis*, nec potest separari nisi per aquã propriam. *Solue ergo terram aqua sua. Digere: Destilla: Et exibit aer cum aqua.* Separa vtrumq; si ad literam velis procedere, falleris. Tu pura tibi dictum esse: *Corpus coagulatum resolue in aquam. Hanc digere coctione physica artis, & paulatim abibit iterum in terreum corpus, quod tamen vi caloris interni & externi longe est nobilius priore*, atque adeo *aeris & olei & sulphuris alibi* nomine appellatur.

Lapidis artificium quid.

Aqua

Aqua ab hoc aere separata intelligitur, cum consistentia aquea desiit, & factum est coagulatum. *In aere est ignis.* Sed hic, quia symbolum habet cum aere, estque proxime affectus ad illum, non opus habet noua destillatione, licet eam præcipiant symbolici: Sed *tantum calore aucto, seu perseuerantia in calore externo ex aere fit ignis, rubeum Elixyr* pro rubea medicina. Ita habes elementorum connexionem, quæ vt exaltetur lapis, iterum atque iterum instauranda est, & ingeniose prosequenda. Eant nunc sophistæ & ex suo Aristotele nugas, quibus nostram disciplinam perturbent, afferant. Nostra Elementa non sunt alia. Si alia quæritis, ab arte hac abstinete manus. Quod attinet exempla specialia, præcedente capite Elementa lapidis, liquido posuimus.

Qui Elementa analoga in cœteris concupiscit, adeat nostram chymiam, vbi inueniet Elementa succorum per digestiones secedentium, & alia destillationibus putrefactionibus, &c. paratorum, nec ideo octo, duodecim, aut sedecim Elementa profiteri necesse est, quanquam Palmarius sic delirauerit.

Aqua separatoria Elementorum: & puluis similis Kellai ad metalla in ♀ & sulphur soluenda. Febres: Fœtus mortuus. Vrinam separare. Occulta manifestare in mineralibus.

Apud *Penotum* in tractatu specificarum receptarum sic legimus: R. *mercurii purificati vncias quatuor*: lapidis arenosi lib. ij. primo fundatur Iupiter (stannum) Fuso iniiciatur mercurius mundatus. Fiat amalgama bene commiscendo. Postea diligenter aceto destillato cum aqua feruente laua: exicca. Deinde colloca hoc amalgama in retortam intra cineres in furnello in quo possis ignem administrare, & sit vas bene lutatum lute sapientiæ. Cum videris liquorem destillare in forma aquæ, ignem continue indesinenter, donec tota aqua destillauerit: Et cum ex illa massa habueris trientem, seu vncias quatuor, diligenter custodi. Dicitur *aqua Alkali secreta*. Vsus *ad febres, fœtum mortuum* & alia. Inter hæc est etiam separatio succorum. Nam si tantum vna gutta proiiciatur in vrinam ægroti, *statim fieri dicitur elementorum separatio adeo vt prædominans elementum aperte in conspectum prodeat, & caussam morbificam manifestet.*

Eadem aqua si proiecta fuerit super corpora mineralia, dicitur *manifestare occulta*, & separare aquas minerales, in quibus imperfecta mistio aliquid metallicum cōplectatur, parte minerali ad fundum secedente. Valde commendat hanc aquam Penotus quem dum legimus, recordati sumus factorum *Eduardi Kellai qui puluere quodam asperso aureis numismatibus dato calore, potuit ea momento in sulphur, & mercurium dissoluere*, cuius rei specimen in Bohemia apud Rosembergium edidit, & Rhudolphopoli Thuringorum, quantum nobis est cognitum. Descriptio est sophistica. Quid enim per lapidem arenarium intelligat diuinandum est. Putes alkali seu sodam esse. Fors aqua luxerit ex *aquila cœlesti, & soluto hydrargyri sublimati.* Scimus cum sublimatum suo hydrargyro cōmittitur, quod alterum in alterum sic agat, vt *oleum tartari in spiritum halonitri, vel vitrioli*, & fiat ex duobus inimicis amica medicina. Fac ex stanno liquato, & argento viuo calefacto amalgama. Hoc ablue diligenter. Deinde in tabula ex lapide arenario, compone, & extende; vt fiat quasi lapis deliquii, in quo deliquescunt in aquam puluereres, sales, calces, in loco frigido humido. Esto tibi etiam sublimatum argentum viuum septem vicibus. Hoc pulueratum insperge ad dimidii culmi triticei altitudinem. Colloca in cellam. Supposita vitrea concha liquorem excipe. Si prima vice non accipis sufficientem, repete laborem, donec multum liquoris habeas. Hunc destilla per retortam. Rectifica destillatum, quod tunc dari potest ad *febres materiales.* Imò si ex sublimato per violentum ignem *vnctuosum humorem* elicias, eumque præcipites liquore salis ammoniaci septies sublimati, vel tartari, vt fiat album medicamen, eo potes vti ad metallicum separationem.

Liquor sublimati.

Oleum ex eo dissoluere poterit lac, mustum, *vrinas, murias*, & similia; vt tanto minus dubitandum sit de lapidis philosophici virtute, qua dicunt itidem proiectione *vnius guttæ proportionalem quantitatem muriæ* segregare. Est & hoc inde argumentum, ex eodem fonte tam hanc Penoti aquam exurgere, quam lapidem philosophorum. *Aqua alcali* dicitur, propter sublimatum, quod habet naturam salis, aut si assumtum lapis est ex herba kali, patet ratio nominis ex ingrediente.

Capvt IX.

De magisterio calcium.

Calces effici vi ignium actualium, aut potentialium in genere minerali, vel analogo ex metallis, lapibus, & quæ ad horum naturam accedunt aliis, per reuerberia, cæmenta, infusiones, & similes operationes, in chymicis expositum est. Quanquam autem videantur magis externorum operū caussa, & metallurgicæ gratia quæsitæ initio: tamen postea etiam ad pharmaciam medicorum sunt adhibitæ. In hac *aut per se spectantur, aut aliorum gratia petuntur*, nempe vt per calces obtineamus *sales liquores, vitra* medica, atque etiam *principia, & essentias* extractas: aliquando & *crocos*, ex quibus porro fiunt *tincturæ, flores, olea*, & compositiones variæ.

Excellunt autem *calces metallorum* ad vsus internos, externosue, vt Solis, Lunæ, Martis, Veneris, Iouis, Saturni, Mercurii: Deinde *Gemmarum* pretiosarum, vt: Hyacinthi, smaragdi, sapphiri, &c. quibus adiiciunt quasi mineralia *vniones, coralia*, & lapidi facta alia ex vegetalibus & animalibus: vt: ouorum testas, conchas, lapillos in cauitatibus animalium concretos: Item vitra, crystallos, atque etiam lapides ignobiliores, præsertim saxifragam vim habentes, cuiusmodi est *lapis Iudaicus, Belemnites, Ebur fossile, &c.* Præterea *lapidem specularem, Gypsum, calcarium*, marmora Talcum, concretiones thermarum aliquarum aquarum mineralium, & quæ ex fodinis colliguntur, varias *marcasithas, antimonium,*

pyrites

pyriten, lapidem plumbarium, Galenam, &c. quæque inter conflatutas metallorum fiunt, *pyrimachum, diphryges, scorias, lythargyrum, cadmiam, &c.* Insuper quos colores vocant, *minium natiuum, cretam, ochram, rubricam* cum similibus, quorum omnium calcinatoria præparatio innate potest medicinam, estque hinc magna copia medicaminum; quando ne succis quidem in humore solubilibus parcant. Nam & *vitriolum calcinant, & alumen, & sales, concretosque ex muria inter coquẽdum lapides.* Calces petimus etiam ex ardentibus & pingnibus, vt *terra ampelitide, lithanthrace, lapide thracio, auripigmento, arsenico*, &c. Quas calces quoque prior natura fecit, aut ars opificum, eas assumit chymicus & amplius elaborat, vt fauillas montium ardentium, Aetnæ, vesuuii, &c. quæ resolui etiam per se in agris solent, vt lapides minerales fissiles, vsti & ex quibus crematis excoquunt alumen, aut chalcanthum.

Quoniam a. nõ tantum naturæ istarum rerum differunt, licet generali affectione calcinationis conueniant: verum etiam scopi artificum, & vsus, mediaq; quæ adhibentur varia, variis gradib. præsertim potentialibus ignibus assũtis: tyronem in hoc magisterio circumspecte versari oportet. *Omne calcinatum impressionem violenti agentis sensit, indeque empyreuma contraxit*: aut etiam in potentia latitantes succos acres in actum dedit, qui & separari possunt. Hinc *menstrua* eliguntur & correctiones adduntur. Nonnunquam calcinata amplius reuerberantur vt calx fiat subtilior. Nam non sine gradibus est calcinationis opus. Inde & differentiæ quædam calcium oriuntur, vt sint *alia elementaliores alia essentiales magis: quædam ignium actualium vi facta: quædam causticis* potentialibus: quarum iterum quædam dicuntur *corrosiuis procurata*, quædam *sine corrosiuis*: Quædam calces & ipsæ sunt causticæ, & catharticæ: quædam mites: Correctæ, incorrectæ: reductiles, irreductiles, volaticæ fixę, vsus interni, externi seu chirurgici, qui & ipse varius, dum modo saltem siccare volumus sine morsu, modo corrodere superflua, & mortificare, item absumere & comprimere luxuriantia aliquanto validius: nonnunquam in altum penetrare & incidere calcibus dilutis; de quibus omnibus vsus medicus admonebit. Quod si calces petuntur elementorum, principiorum, liquorum, croci, & aliorum operum vlteriorum causa, processus faciendorum non raro item variant. Quare Tyronem non pigebit artificum præceptiones diligenter scrutari, & quis modus cui calci conueniat animaduertere. Synopsin hanc nostram paucis exemplis illustrasse sufficiat. *Calcem auri* per aquas regias, aut regiarum vim habentes fieri iubent plærumq;. Nam actualibus ignibus resistit eius compages propter humidum tenacissime fixum. Sed quæ regiis conficitur non est ad omnem vsum apta. Quidam *auri potabilis causa*, quanquam etiam per se dari possit in medicinis, ita parant: *Fac regiam ex aqua forti & sale ammoniaco*: (pro qua liquorem istius salis sublimati capere potes, vel alium causticum auri solutiuum, vt suo loco docetur.) *In eam immitte auri folia*, vel lamellas, vel ramenta aut fistulas more aurifabrorum ex dilutato auro factas, aut granulam. *Fiat solutio de more, donec totum corpus ab aqua sit absumtum*, quæ inde flauescit colore auri. *Separa aquam à calce* per descẽsionem, aut diuapotationem, vel destillationem. *Si oleum tartari guttatim immiseris, propter salis ammoniaci potentiam ingentem feruorem excitabis.* Itaque tunc vas capax debet esse, & circumspecta irroratio. *Calx sidit*, seu ad fundum concedit: aqua recuperat suam albedinem, quæ si non rediret, nondum satis descensum est, si quidem velis vti *oleo descensorio*, aut simili medicina acri secessum facere, aut per aquam salsam præcipitare. Ideo adhuc tincto menstruo plus medicaminis descensorii adiicitur. Cum recepit aqua suam puritatem, & calx descendit, collectaque est circa fundum vitri, separa menstruum per lacinias, vel depletionem, aut alium modum ex segregatoriis. *Si vsus es descensione per oleum tartari, caute tracta calcem.* Nam est *fulminea* postquam aruit. Abluitur primum aqua stillatitia calida sæpius donec acrimonia sublata dulcescat. Caue inter decapulandum ne frigefactæ aquæ innatet, & simul profundatur. Si fulminea est, quidam vtuntur ea *ad florem medicum* comparandum, de quo nos in hypomnematibus. Prius tamen exiccanda est circumspecte in concha lapidea, vel vitrea lenissimo calore per se in hypocausto. Deinde spatula lignea colligitur, & in vitrea capsa aut aurea reponitur ad vsum medicum. Non est periculum in siccãdo vel colligendo, si descensionem peregisti per *aquam salsam*, & non per *oleum tartari*. Quantum a. sit, si hoc fuisti vsus, leges apud *Crollium*. Ideo & tunc solet *misceri sulphuri, & cremari*. Nam quia in aqua regia, *salis ammoniaci* corpus fuit, & *in oleo tartari solutio salis eiusdem*, duo salia inter se agentia impulsu facto impetum in aurum vertetunt, sicut *antimonium relicto argento in ferrum impressionem facit*. Ita vero se infixerunt eorum spiritus vt ne crebrioribus quidem ablutionibus, & coctionibus ex aqua pluuia stillatitia possint tolli: cumq; sint actu primo, seu potentia proxima inflammatiles, vel solo motu per instrumentum ferreum accenduntur efferunturq;, & secum excutiunt omne aurum cum magno fragore. Cogita tamen *nonnihil esse etiam in ferri contactu.* Si enim solus motus inflammaret, nõ tuta esset per ligneam spatham collectio. Ferrum autem vt primum sentit ille salsus spiritus ex ammoniaco, & tartareo concretus, quia dispositum est ad patiendũ, statim feruor oritur perinde ac fit, si ei affundas aquam fortem: cumque omnia sint sicca, halitus fulmineus efficitur. Idem *ferrum quam prompte patiatur ab acribus*, alii quoque sales ostendunt, & in primis argentum viuum sublimatum. Veruntamen quia accensio non fit tantum à potentiali calore, vt in calce & similiter affectis: verum etiam ab actuali: *eadem excussio contingit si in exiccando modum excessisti.* Suas rationes attulit Crollius in *Basilica*, quem videre potes. Cæterum *calx ista per se in medicinam venit, sumendo grana duo ex maluatico, vel aq. cinamomi, aut simili liquore*, etiam cum decoctis caponum, vel aliis, longeque rectius adderetur cordialibus speciebus, confectioni alkermes, de hyacintho & similibus, quam folia auri. Aliquando tãtum est materia aliorum arcanorum.

Calx folii.

Calx ceraunobolos.

Flos medicus calcis fulminantis.

Causa fragoris ex fulminifico puluere.

Nam *solui potest spiritu salis, & Elaborari vt in spiritu vini liquescat*: vel *in oleum abeat*: vel *tincturã reddat*, de quibus alibi præcipitur, nosque aliquid ponemus in collatione *varii auri potabilis*. Summa magisterii est: *aurum finum attenuatum aqua regia solue: solutum descende, seu præcipita aliquo ex descendendi modo*, attendendo tamen ad eum qui fit per oleum halonitri aut tartari, vel spiritus eorum.

Calcis aureæ vsus in medicina.

Liquorem à calce per lacinias auffer. Calcem edulcora aqua pluuia stillatitia calente crebriore, Et si places, vna coque in phiola, aut cucurbita calentibus cineribus imposita. Cum resedit decapula aquam, & opus repete ad perfectam dulcedinem. Dulcoratam arefacito in concha margaritarum, aut vitrea patella (aurea quoque argentea, marmorea ex ophite, maiolica vel simili) aduertendo ad *fulminatum* ne exardescat. Resiccatam collige spatha eburna, aut è ligno solido & læui: Tandem repone. Hæc

Calx auri essentialis.

calx magis est materialis ꝑ 9tq; reduci. Sed *essentialis fit elaboratione per sulphur*, quo soluitur eius corpus vt in tumore fathiscat, fiatq; ꝑlus volatile, & tam imbecillū vt vini spiritu alcalisato facile obsequatur, & se victam præbeat: quin & educi per alembicum possit, & in oleum mutari irreductile. *Calx Lunæ* quot modis fiat, dictum est in Alchemia. Argentum fulminatum solue aqua fortri communi. Solutionem descende per aquam sale mistam. Liquorem decapula, vel laciniis abstrahe, calcem pluuia

Calx Lunæ.

stillatitia edulcora: Deinde arefactam sale puro quadruplo permisce, & in reuerberio crema. Ablue salem, & reuerberationem, si calx nondum sat attenuata est repete.

Calx martis vel crocus.

Calx martis: Ferri scobem diligenter ablutam (conuenit sumere limaturam, aut stricturas chalybis) misce floribus sulphuris. Reuerbera dum sulphur sit combustum. Adde nouum, & repete crematuram. Hinc in pyxidem aut patinam ferream impone, iterumque solam vre per horas 24. vt fathiscat in læuorem volaticum: quem edulcoratum, & resiccatum recondere potes. Solet aliis plurib. modis fieri, & propter colorem croceum, *crocus martis* dici. *Quercetanus iubet* crocum elicere igne re-

Not a perfecti croci martis.

uerberante ex limatura chalybis *argumento perfectionis si leuissimus sit*, & dum cultello versatur non stridеat, neque palpando tactum offendat, & rubore florido placeat. *Parat item cum sulphure* per colliquefactionis, & reuerberationis modum. *Calx Iouis* fit in patella fictili igne reuerberii sine additamentis. Ea amplius elaboratur attenuatione per *acetum stillatitium*, per modum extractionis. Edulcorata calx, & resiccata seruatur ad vsum *in vteri strangulatu* de quo vide Crollium in Basilica. *Calx saturni* ex

Calx saturni

Lithargyro paratur per acetum. Pro ea est *cerussa, & cremor lactis virginei*: aut cinis per sulphur crematі plumbi. Fit *liquoris* causa, & chirurgiæ. Magnum enim vsum habet in vlceribus corrodentibus, tu-

Calx veneris

moribus, phlegmonis, &c. Pro *calce mercurii* est *præcipitatus* eius puluis, quanquam variis præterea modis in cinerem redigi possit. *Calx veneris* fit ex squamis, vel flore metallico cupri dum ad tegulam coquitur per mutua strata cum puluere sulphuris in olla vel vase cæmentatorio fictili disposito. Olla in

Calx martis & Veneris pro vitriolo.

focum circularem imponitur, & circum accenso igni paulatim crematur in ea contenta materia, sulphure flammam corripiente, & secum inuoluente strata cupri. Cum deflagrauit, infertur in reuerberium, ibiq; penitus vritur, cauendo ne colliquescat. *Crollius*, qui vitrioli gratia calcinat, mittit in ollā orificii satis patentis, non vitratam: quam in latus stratam imponit compositis in formam fornaculæ latereulis, & subiecta pruna cremat, semper versando æreo versorio, vt citra fusionem sulphur abscedat penitus. Cum adhærere instrumento incipit, desinit, materiamq; frigefactam in puluerem redi-

Calx stibii.

git, quem nouo sulphure miscet, crematq; denuo ad sextam vel septimam vsq; vicem. Eodem modo ferrum tractat assumto versorio ferreo. Inde elicit *vitriolum* per aquam. Id a. est loco *salis*. Calces n.

Calx vitrioli

sicut cineres, si perfectæ sunt, salem, vel quod est pro sale reddunt. *Calx antimonii* conficitur simplici modo per cremationem super tabella marginata imposita furnello ventoso, continue versando: Et si concrescat, extra ignem terendo, reddendoque igni donec non amplius fumet, aut fœteat. Pro ta-

Atramentorum purgationes: supra 289.

bella potest esse olla in latus strata.

Lege de hac *Matthiolū* in vitro antimonii. Venit quidē in vsum et per se siue ipsa, siue infusum eius daturq; ꝑ diaphoretico: Sed plærunq; paratur vitri caussa. Ex regulo item fit calx, quæ porro elaboratur, vt per destillationem in oleum abeat. Assumitur & vena stibii pro calce. Plura alibi. Eadem est ratio calcinandi cæteras *marcasithas, scorias, panes metallicos*, seu *diphryges*, & similia, quæ abluta foris adhibentur ad siccandum per se, aut in emplastris, vel aliis medicaminum formis. *Vitrioli calx rubra* dicitur *colcotar*. Sed amplius elaboratur per acetum, & alia menstrua. Est a. cū eo sal qui ablutione decedit, aut in peculiares vsus studiose extrahitur. *Vitrioli album* solutū aqua pluuia filtratur (solent omnia chalcāthi genera repurgari per solutiones in aqua, & digestiones donec spuma sordida ad superficiē, fex ad fundum decedat. Spuma ablata, purus liquor extrahitur laciniis, vel caute effunditur per filtrum, siniturq; consistere, & densari, coagulatur, crematur, fitq; puluis albus: quem si igne moderatiore calcines, potes ter, quaterue soluere, filtrare, & calcinare, tandemq; ter aqua rosacea rectificare,

Vomitorium lene.

quem modum *Penotus* descripsit in chymicis, & *Crollius* in Basilica. Vtuntur pro leni *vomitorio*. Penotus dari posse ait *dimidiam drachmam solutam aqua Betonica sacharo candi diluta.*

Calces omnium *lapidum* artificio chymico *fiunt per reuerberium* primū, postea per *acetum*, iterūq; reuerberium, & ablutionem. Sed ꝑparatio in plærisq; est adhibenda. Silices, crystalli, vitra, hyacinthi,

Calces lapidum & lapideorum, quæ si elaborantur vt liquescant sales dicuntur.

rubini, granati, topasii, amethysti, &c. postquam in puluerem sunt detriti, miscentur sulphure, & igne circulari in catino operto per gradus calcinantur ita vt vltimo catinus prunis sit obrutus, & sulphur totum conflagrauerit. Frigefacto opere halitus sulphurei abluuntur (potest & in aquā frigidam adhuc feruens materia præcipitari, vt lucta qualitatum & feruentium spirituum cum aqua eo magis frangat lapides) additurq; calci par halonitrum, & in catino tecto redditur igni circulari, crematurq; donec materia colliquescat. Sale abluto affunditur acetum terebinthinatum, ꝙ nomine *Huseri in basilica proponit Crollius: Sed extat etiam apud Penotum inter aquas mercuriales*, quas adiunxit suo denario. Aceto affuso mouenda est materia ne lapidescat. Ita corroditur penitus in calcem, quæ abstracto per destillationem aceto edulcoratur. *Fit liquorum gratia*, licet & per se vsurpetur. *Penotus* in læuorem redigit super marmore lapides crematos: quos etiam potes ignire, & in *acetum* immergere, vt eo facilius pulуerentur: (pro aceto *muria* esse potest, vel etiam vrina hominis, aut hirci, si velis ad lapidem frangendum parare.) Læuorem miscet halonitro, & sulphure (quod Crollius separatim non coniunctim intellexit) misturam in catinum illatam comburit. Deinde in reuerberio calcinat horis 24. Tandem ablutam, calcem infundit aceto terebinthinaco in cucurbita, quam obturatam in calidis cineribus te-, inquit per noctem vt soluatur puluis. Quod solutum est, cum menstruo effundit.

Reliquiis apponit nouum, itemque soluit, repetendo operam donec totum corpus sit resolutum. Solutiones filtratæ in cucurbitam inferuntur, & in balneo acetum à calce abstrahitur. Hæc *sal* vocatur propter liquescendi potentiam. In descriptione medicinæ contra calculum *Crollius omnes lapides vitream naturam habentes iubet calcinare cum sulphure* primum, postea cum halonitro, indeq; per acetum terebinthinatum resoluere. Quercetano tamen in gemmis placuit flos sulphuris, pro sulphure simplici: sed non nobis. Sulphur n. integrum impressionem facit firmiorem, nec opus est sumtus perdere in floribus. Eodem modo & Iudaicus lapis, Lyncis, spongiarum, aquilinus & similes præparantur. *Lapilli cancrorum*, testæ ouorum, & qui lapides ex animalibus sumuntur, calcinantur aceto, vel spiritu vitrioli, sulphurisue, aut purissimis succis limonum, Berberumq; : vel descensoriis spiritib. lignorum nitrosorum, aut spiritu halonitri, vel salis, &c. *Calx perlarum* spiritu vitrioli fit, aut *aceto destillato*, Menstruo abstracto puluis dulcoratur. Quercetanus perlas integras ignitas aqua vitæ valida extinguit: Et hanc vocat ipsarum calcinationem: Sed hæc calx subtilior redditur per succum limonum in quo aliquandiu maceretur, posteaq; separetur, & edulcoretur. Ita tractantur & coralia prius per attritionem comminuta. Crollius coralia, perlas, conchas margaritiferas, lapides cancrorum aliorumque crustaceorum in vnum confert, omniaque eodem aceto calcinat. Abluit a. aqua stillatitia pluuiali, vel rore maio destillato, aut super tritico collecto. Quidam prius coralia cum halinitro reuerberant: Alii aliud excogitant, præsertimq; qui tincturam venantur studiose cauent ne eam perdãt. Putant autẽ à pumice seruari si vna calcinetur. De *calce marmorum*, lapidis calcarii, gypsi, specularis, & silicum, vt & concharum marinarum, molarum & cæterorum non solicitus est multum chymicus, cum eam à vulgatis opificibus petere possit. In conchis & testis, crustisq; aquatilium notatur, quod quibus crusta sordida est, ea prius aceto debeant macerari, vt decedat. Aliquando tamen coquuntur lixiuio crustaq; mollefacta abraditur, aut lima deteritur. Purgata concha postea reuerberatur ad albedinem putam. *Alumen* calcinare vel barbitonsores possunt. *Talcum* inferunt in fornaces vitrariorũ, ibique per mensem relinquunt. Est n. fixum, nec facile humidum eius soluitur, vt & asbesti, seu amianthi, cui Talcum est cognatum. Quidam sæpius vrunt cum halonitro, & sulphure. Aliter fit per vaporem aquæ in qua sal vrinæ, & ammoniacus soluti, de qua vide tertiam partem Theatri chymici *p. 80. in libello perfecti magisterii ad Aristotelem relato.* Aliter *infra p. 354.* Verum huc vsq; de calcibus. Qui de vsu singularum plenius quid scire desiderat consulat Crollium, Quercetanum, Penotum, qui sedulo de eo sunt locuti, nec est nostrum in Epitomen omnia coniicere.

Sal gemmarum.

Calx perlarũm & coraliorum qua & magisteri um vocatur.

Capvt X.

De imperfecte calcinatis.

PErfecta calcinatione fieri calcem perfectam: imperfecta vero tum imperfectam, tum aliquid aliud, quod nomine *vsti*, vel *cremati* appellatur, vulgare est. id autem non in calcinabilib. tantum locum habet, verum etiam in aliis nonnullis, vt salibus (vnde *sal tostus*) terris, luto, argilla (vnde *lutum vstum*, quod detrahitur fornacibus hypocaustorum, & clibanis pistorum) & aliis, sylua quædam horum est apud Discoridem, Galenum, & sequaces, qui de medicamentorum materia libros condiderunt. Neque tamen vnus est seu omnium, seu eiusdem modus. *Phrygius lapis* vino maceratus cremabatur: inde iterum potabatur vino, & reuerberio reddebatur, idque etiam tertio repetebatur. Aliquando viua pruna sepultus sine potu vini molliebatur: nonnunquam in foco follib. perflabatur donec erubesceret. Inde veniebat in medicum vsum lotus, illotus prout conferebat. Nonnunquam isti modi ordine seruabantur. 1. *nutriebatur optimo vino*: 2. *sub carbone viuo vrebatur*: 3. *in foco exercebatur folliũ flatu donec igniretur*; 4. *immergebatur vino vt restingueretur. Hinc reducebatur ad reuerberium, iterumq; ad vinum repetito tertium labore. Pyriten* cremabant simili arte, sed non vino, verum melle satiatum. Finis vrendi sub molli pruna cum aspiratu follium erat rubedo. Quidam iterabant opus, donec perustus posset friari. *Hæmatites, & magnes* absque illitione per se vrebantur. *Alabastrites, terra Eretria*, & similes propius calci elaborabantur. *Ochram* vrebant donec rubrica fieret. *Lapidem calaminarem* nostri quoq; cãdefaciunt, moxq; oculati aqua vel vino, aut conueniente liquore restinguunt, donec fatiscat, possitque in exactum læuorem pro collyriis redigi. Sic tractatur *Thutia Alexandrina*, & *cadmia* nonnullę fornacariæ ex focis æris, & argenti. Olim & *nitrum* vsserunt. Nos hodie *halonitrum* figimus ignibus, & fundimus sicut & *salem communem*, quem veteres melle mistum ollis tectis, ne exiliret, includebant & torrebant, qua de re Dioscorides est consulendus. *Pumicem* flagrantissimis carbonibus ignitum in vinum præcipitant; idque ter repetunt bis cum vino, tertio sine. De *diphryge* & *panibus metallicis* ex lapide æroso *æreque vsto* vsq; in cinabaris colorem cum additamentis sulphuris, & salis, cum quibus mutuis stratis componitur, tametsi aliquando alumen substituatur, aliquando solum in ignes inferatur, lege autores vetustos, qui etiam de *chalcitide* torrenda, & *ærugine*, & *cerussa*, & *minio natiuo* nonnihil commemorant. *Plumbum* vt combusserint Dioscorides monet *c. 48. lib. 5.* vbi, quod hodie quoq; factitamus, sulphur adiectũ fuisse docet, quo vel plenius, vel minus vri potest. In chymia nostra animaduertet Tyro esse quoddam artificium *plachmaliorum*, vti vocant officinæ, seu scoriarum, quæ aliorum gratia instituuntur, suntq; huius magisterii.

Lapis phrygius tostus.

Pyrites vstus

Ochra.

Lapis calaminaris.

Halonitrum vstum.

Sal tostus.

Æs vstum.

Plumbum vstum.

Neque enim sordes tantum in *spumam metallicam* inter coquendum abeunt, sed & tota corpora. *Scoriæ* sunt diuersorum generum. Quædam natant leuitate: quædam sidunt: quædam medium seruant. Primæ *spumarum* nomine ab excoctoribus appellantur, siquidem ex venis maioribus fornacibus fit excoctio. Nam in cineratio non spuma tantum, sed & lythargyros natat, & per canalem de-

ducitur. In catillis cinereis, seu cupellis absistunt partim partim irrepunt in cineres, quod fit & in fulminatione maiore. Media recrementa nuncupant, *lapidem, panem aerosum, pyrimachum, diphryges*, imo *Enneaphryges* aut *decaphryges* iustius apud nostrates conflatores diceres. Sidunt reguli dictis seu lucci, apud veteres diphrygis nomine comprehensi, idque in fornacibus (a) Dum ferrum conflatur, aut repurgatur iridem pumicosa absistunt recrementa. Chymicus assumit spumosa æris, & ferri: & ex his facit medicamina, qualia & ex panibus ærosis poterant, solentq; fieri & ex lithargyro, & plūbagine. Exemplo sit illud Crollianum. Elige *scorias chalybis ex officinis* laminariorum: (Ita n. leuaris opere seruili) vel conflatoriis venæ martis. Pulueratis affunde acetum acerrimum, vt cottodantur in fatioam, reddantq; tincturam, qua à menstruo separata, & abluta sæpius, aut etiam reuerberata nonnihil & eluta vtetur medicus ad *fluxiones ventris, hæmorrhagias, albos mulierum menses* & alia. Si non vis foris petere scoriam ipse facito. *Squamas chalybis optimi*, vel stricturas misce puluere stibii, & in catino ante folles colliquatas effunde in conom, seu calicem pro regulo. Adiicere potes facilioris fusionis causa halonitrum, aut boracem. Est quidem hæc scoria coniuncta cum spuma antimonii: sed non minoris vtilitatis, si eam cremes, vt stibii volatilitas decedat, ferriq; calx solitaria maneat. Inde vero aurū medicum, & liquorem conficere solēt, rem magnæ gloriæ in Paracelsi chymiatria. Si vis panes ærosos similiter præparare: tritis misce tartarum calcinatum, & halonitrum. Habebis materiam pro calce & oleo veneris. *Regulus stibii* totus abit in spumam beneficio adiecti tartari: sed non simul. Semper enim effusio regulum ponit, donec totum corpus sit absumtum. Ideo toties mistio est repetenda, quo ad nullus supersit regulus. Adiiciunt & hic aliqui squamam chalybeam, aut fragmenta laminarū, vel loricarum annulos. In ferro enim sese exercent spiritus stibii, atque ideo eructant spumas. Spumæ hæ porro elaborantur donec in oleum diffluant, aut essentias, aliaue magisteria præbeant.

Scoria martia chymica.

Scoria stibii ferrosa.

Epar antimonii de quo vide in Hypomnematibus.

Nihil est aliud quam stibium cum halonitro vstum.

Huius loci est & *Epar antimonii* quod Basilius, Valentinus, & Quercetanus ope halonitri parāt, vel ex ipso crudo stibio, vel vitro cum pari sale petræo remisto, & pruna, vel ignito ferro in catino vel olla ampla incenso, donec deflagret, & detonet halonitrum. Epar contritum abluitur & per se in substantia in vino, vel tabulis sacharatis datur, vel infusum eius *ad purgandum pro aqua benedicta Rulādi*. Solui tamen & in oleum potest, & *amplius elaborari pro tinctura*. *Oleum plumbi* vt absque magno sumtu cōsequaris, *saturnum*, vel *Galenam* pulueratam misce cum triplo tartari, & colliquatum vtrumq; effunde in calicem. Scoria natabit: regulus sidet: quem repetito labore totum in spumam diduces. Hanc tritam ablues, vt tartarum secedat. Inde reuerberabis in calcem, quæ in humore salis modo diffluat. Qui properant, salem tartari assumunt, & relictum cum scoria simul deliquio soluunt. Ex scoriis talibus facies *crocos & tincturas* per menstruum, quod fit *ex halinitri lib. 3. calcis vitrioli lib. 1. quibus contritis affunditur acetum stillatitium optime rectificatum, vt tribus digitis, seu vnciis excedat. Digestione in loco frigido per horas 12. facta destillantur ex retorta.* Hoc menstruo scoriæ attenuantur in crocum. Sed Crollius, vt *supra* dictum, aceto stillatitio absque illis medicaminibus contentus erat.

Scoria saturni pro oleo.

Crocus plūbi

E *scoriis, Epate, tostis, vstulatis* & similiter præparatis, si quis velit ad vltimum calcis procedere illi via est aperta. Calces autem aliquam latitudinem habere, & plus minus attenuari, item suo fine, aut aliorum gratia fieri, *superiore capite* monuimus, quandoquidem in *liquores*, seu *olea* (vt appellant nonnulli, præsertim si pinguedinem habeant) Plinio *sudores*, deliquescere possunt elaboratiores; aliquæ præbent *mercurios*, vt metallicæ: aliquæ *crocos*, vt cum ex calce plumbi, vel plumbagine, aut cerussa fit minium seu sandyx: ex ferrugine martis & recrementis crocus eiusdem; ex ochra combusta rubrica, &c. quædam *salium*, & extractorum causa parantur: aliæ vitrorum, gemmarum, metallorum repurgandorum, aut miscendorum sunt præparationes de quibus omnibus vberius cognoscet tyro si per chymicum laboratorium non oscitanter ibit, & in eo sedulo attenteque versabitur. Iam non expectabit peculiarem de mercuriis, liquoribus, crocis, coloribusque commentationem, vti nec de essentiis, floribus, tincturis, elixyribus, spiritibus, aliisque extractis per calces obtinendis. Occurrent illa suis in locis, sæpeque continget vt etiam obiter describantur, & nos de illis in Alchemia disseruimus, in qua si quid deerit ad pleniorem cognitionem, id vel alii magistri (scripserunt enim plures de iisdem) suppeditabunt, vel labor industrius, modo ne pigeat laborare, & eandem rem sæpe ad incudem, donec respondeat, reuocare, & experientia commonstrabit.

Illud tandem monendus quoque est discipulus noster, *vt in lectione autorum sit circumspectus, & non tam vocabula æstimet quam rem ipsam.* Calx fit calcinatione vera & vniuoca, vel analoga, vel æquiuoca. Si per vniuocam calcinationem opus paratum est, *proprie calcem dictam* intelliget. Sin æquiuoce, quod sæpe fit, (nam indifferenter loquuntur aliquando autores, præsertimque sophistæ non patiuntur se ad leges astringi) proprium nomen occultari sciet, vt cum calx dicitur per argentum viuū factus *auri puluis*, qualis etiam ex foliis auri, & argenti per *mel* aut similes succos paratur: Quercetanus calcinationem nominat pro cinefactione in puluere serpentino. Analogismos, symbolismos, & parabolas sequuntur Hermetici, apud quos *calx viua, cinis terra*, & similes termini sunt promiscui. Agnoscet hinc etiam *catachreses*, & *inscitiam* nonnullorum, *qui quod calcem appellare debuerant, essentiam, extractum, sulphur, &c.* esse mentiuntur nullius commodi, sed tantum ostentationis causa.

(a) *In conflatoriis æris fiunt etiam Thutia, & spados seu cinis, climia Arabum, quæ versa est in καδμείαν corrupta voce. Thutia est fuligo caminaria, aliis Pompholyx dicta: sed nō omnino illa, quæ gignitur in orichalci coctura ex ære regulari & lapide calaminari, vel cadmia fornacum. Illa est alba, viridis, rubescens, citrina: crassa alia: alia subtilis. Oritur Auicēnæ ex climia, quæ residet in imo: Tutia vero sublimia petit, ibiq; concrescit.*

Plinio cadmia est ærosus lapis, & simul recrementum in officinis ærariis & argentariis variū: Vide li. 34. c. 10. Dioscor. lib. 5. c. 46. 47. Gal. li. 9. simp. Alia cadmia est apud Agricolam li. 11. de re metallica

si pur-

si purgamentum, quod detrabit ærarius ex ære, dum coquitur, ex quo postea panes æros os facit, quorum panum fragmenta etiam sunt cadmia. Est & cadmia glebosa, lapis scilicet calaminaris, &c. Est cobalsum argentarium.

CAPVT XI.

De cineribus quos vel facit vel vsurpat chymicus.

ETiam cineres (qui incinerationis Enchiria efficiuntur: Quercetano, qui calcinatione, fieri tradit, vocabulo abutere) sunt magisterium corruptione, quanquam non causa corrumpendi, sed perficiendi, natum Terminus ipse non semper est vnius vsus. *Cinerem ne vilipendas* inquit arcanorum Doctor. *Est enim corona capitis tui*, &c. At ille cinis non est is, quem populus nouit ex cremiis per combustionem ignis actualis ortum. *Cinis de cineribus* tum in lapide minerali, tum vegetabili, & animali auditur: Etsi ane in his propius accedit ad cineris synonymian. Metallicus chymicus aliquando vocat *cineres plumbi, & fauillas* aliorum metallorum: sed & officinæ *cadmias fornacum*, Thutias & similia ita nuncupant, sicut Græci σποδὸν vnde *spodium metallicum*, aut *vegetabile*. Ex quibus patet non carere Alchymiam suis cineribus, quanquam non omnes parat artifex chymicus, sed quosdam foris petat, quos tamen si aliunde non suppetant, ipse quoque conficere dextre nouerit.

Materia vniuoci cineris maxime est combustile cum flamma concepta, quod abundat in vegetabili & animali genere. Sunt & aliqua mineralia, & mista huiusmodi: vt: sulphura, bitumina, realgaria, dorsenæ, terræ ampelitides, lithanthraces, succina, cum affinibus. Consistentiam quod attinet, vt *non omnis calx in atoma statim fatiscit*, vt lapis calcarius recens, marmor, gypsum, conchæ, &c. quæ sæpe tritionem, quædam etiam humidi ingressum, vt lapides fissiles, aluminosi, calcanthosi, calcarii similesq; cremati expectant: ita *nec omnis cinis statim est dissoluta consistentia.*

Excellunt autem in Alchymia pharmaceutica illi cineres ex quibus *sales essentiales* extrahimus, quos chymicus non ita fortuito parat, vt famula in suo foco, quanquam & hæc studio cauet ne nimis comburantur. Hoc enim si factum fuerit, sal spiritualis dissipatur, & relinquitur elmeratis quædam terra. *Chymicus suas herbas*, spissamenta, feces, ligna, ossa, cornua, coria, & quæcunq; cinerari possunt, *includit ollis, hisq; tectis, & in* calcinatorium *furnum*, reuerberium, aut olibanum *illatis adhibito viuo igni, cineres procurat*; qui si non vna combustione fiunt, plures adhibet. Sic præparatur *cranium hominis, cerui & vituli*, aliorumque: Sic *cerui cornua, alcis, platycerotis, Rangiferi, &c.* Item *dentes apri, castoris, &c. mandibulæ equorum, Lucii piscis*, &c. officula piscium & lapilli: *Pili leporum & pelles*: Ita *Erinacei toti, talpæ, lepusculi, viperæ*, scorpionum, buffonum, lacertorum, ranarum, asellorum, cicadarum, locustarum, &c. *Spongiæ* quoque in cinerem rediguntur. *Seruitor* chymicus pharmaceuticus in sua officina habet cinerem secum vini, & aceti. *Cineres medicati & ossa cornuaque vsta.* *Diosc. lib. 5. c. 79.*

Alias *tartarum calcinatum vocant cinerem tartari*, qui non vno modo parari solet, vt est in Alchymia. Cineres *alkali*, & *sodæ* sunt frequentissimi, vt & quos *clauellatos* appellant ex cōbusta abiete, vel quercu, vel fago in syluis super scrobibus, quibus cineribus tamen implicant etiam terras, & lapillos. In alcali quod Bulcasis ex kali fieri docet, & soda, abundat sal. Ideo non tam inter cineres refertur, quam inter sales, quasi combustionis recrementum, quanquam impurum. Quapropter & modum repurgandi, seu dealbandi proposuit, sicut in libro ipsius videre potes, vbi ex huiusmodi salibus combustis etiam amplius quid facit, quod possis seu ad cineres seu calces, aut tosta referre. *In tractatu tertio suæ pharmacopœiæ* tam calces, quam cineres describit ex testis *conchylium, corticibus ouorum, cornu ceruorum, seta*, seu serico, aut folliculis sericis, qui tamen *assantur* duntaxat, vt loquitur: *Lana* quoque, & *cancrorum* ad morsus canum rabientium cinis proponitur, prætereaque scorpionum *ad lapides frangendos: Serpentum* pro Theriaca, vbi non completur incineratio: *Capitum viperinorum* Salitorum: *Leporum, Ericiorum, ranularum, hirundinum*, & similium, vt picarum, ciconiarum, regulorum, &c. de quibus & Galenus lib. 8. simpl. vbi calcem cinerem quendam esse dicit, definitq; τέφραν λείψανον τῶν κεκαυμένων ξύλων σύνθετον ὑπάρχον ἐξ ἐναντίων οὐσιῶν τε καὶ ποιοτήτων ἔχον ἐν αὐτῷ τι γεῶδες, καὶ αἰθαλῶδες, ἢ λιγνυῶδες, fuliginosum cuius partes tenues aqua diluta abscedant, relicta parte terrea: aqua vero cum separata parte *lixiuium* est. Addit non omnem cinerem habere eandem crasin, seu temperamentum quia variet iuxta combustæ materiæ differentiam: quæ sunt veluti *chymicorum principiorum hypotheses physica* tyroni nostro nō aspernandæ. Alia crasis est cineris sarmentitii, alia Tithymalli: alia ficulni ligni, &c. Et tamen si pars tenuis separata fuerit, in omnibus relinquitur *terra Elementalis*, cuius vnica facultas dicitur esse siue morsu siccatio, nisi receperit vires tempore, vt fit cum halonitrum instauratur, quod notandum. Nā sicut in metallis cumuli crematorum lapidum: vt chalcanthi, aluminis, bismuthi & similium fauillæ, scoriæ, & recrementa longo tempore sub dio seruata, & compluta recipiunt vires, & veluti reuiuiscunt: (qualis natura est & antimonio, & chalcantho. Item ferri metallis, &c.) ita cineres quoque nitrosi ex solidis lignis, fagi, quercus, coryli, &c. qui miscentur vsualibus, fimis animalium, terris, salsuginosis, & calce viua, aut resuscitata. Fimi animalium feruentiores pares reddunt cineres, potissimū columbarum, anserum, & aliarum auium, quæ lapillos & arenas liguriunt, & calore ventriculorum consumunt. *Cinis clauellatus.* *Cinis Galeni* *Crases cinerum diuersæ.* *Cinerum sales resuscitabiles.*

Apud Arabes est spodos, vel antispodium ex crematis arundinibus, quas tradunt collisu per ventos incendi. Dioscorides etiam ex aliis conficit quem vide *lib. 5. c. 46.* Ex dictis patet *vsum cinerum* *Auicen. li. 2. tract. 2. cap. 617.*

præstantem esse in eliciendis *salibus* ex materiis diuersis, qui sales naturam suorum integrorum respiant, quo ipso docemur, *vi ignium non totas crases dissipari, destruique, & sales esse aliquam partem totius in qua iisdem potestas medica resideat*, quanquam si in coagulando peruranrur, spiritualis pars, quæ volatica est, abscedat maneatque terrestris. E cineribus lixiuia medica parari multa, quorum quædam etiã bibuntur vt ab hydropicis lixiuium cineris iuniperini per vinum factum: Item Ebulini, Sambucini, &c. officinis non est incognitum nec raro ad tumores, vlcera, vulneraq; petit lixiuia apta chirurgus. Alias etiam integri cineres in vsum veniunt medicũ, vt cornu cerui vstum, Ebur vstum, & similia. Extra medicinam docimastæ. & fulminatores suos catinos cinerarios, quæ *cineraria* dicuntur, item *cupellas & lauorem* formare: vitrarios vitreæ materiæ immiscere: chymicos lutamenta, & ignes cinerum cõficere: & ad smegmata cineres fecum vini assumi, aut pro oleo fieri, &c. alibi exponitur, vnde constat non temerarium esse magisterium, quod et *infecturis* commodare potest. In præparatione notandum est quod Galenus monet de *confectione salis viperini*, nempe, *fumo exitum permitti debere vbi venenati spiritus rei cremandæ sunt coniuncti*. In cæteris claudere ollam solent peritiores: vulgus a.lusq; deq; operatur etiam apertis focis, ollis, scrobib. vt constat de *clauellato cinere, alkali* & similibus. Medicæ obseruationis est, si cineres proprietate aliqua & virtute singulari affectos volumus, aut etiam auctos potentia, nos posse res cremandas prius præparare infusionibus: vt si cornu cerui vstum aut cranii, aut ossiũ humanorum, vel ventriculorum ciconiæ, &c. de quib. habes apud Crollium, medicamen efficacius ad Epilepsian requiris, præmacera ea *spiritu vitrioli temperato aqua pæonia, aut succo antepileptico*: si contra vermes: *dilue spiritum sulphuris acidum aq. hyperici, & cornu immitte vt satis bibat*, quanquam hæc corroboratio, & directio virtutis possit fieri etiam inter vrendum, aut postquam iam vstum est, si scilic. adhuc ferueus os, vel cornu in illis liquoribus extinguatur, & aliquandiu relinquatur: post exemtum exiccetur. Olim *qui salsiorem cinerem petebant, in ardentes rogos infundebant murias*. Hoc medicus ad medicam virtutem augendam potest imitari. Dum *iuniperi* vruntur, affundi, vel aspergi *decoctum eorum* potest: sicut qui *salem Guaiaci efficaciorem* petit, itidem *irrorabit decoctum siue eiusdem, siue buxi*, & aliorum. Quercetanus vt cranii vstio sit ad institutum efficacior, prius selecta ossa vino exterget, deinde bis aut ter vino aromatico, seu herbarum infusarũ macerat ad satietatẽ: postea catinis, aut ollis fictilib. nõ vitratis inter prunas flagrãtes absq; fumo in Athannore reuerberante vrit: quod ratio in multis põt obseruari: meliusque fuerit si et extinctio, & nutritio post vstionem accedat. Nã priorum vis igni labefactatur. Si quis *coralia* aut *vniones* velit comburere (calcem siue cinerem dicas quod inde fit, non refert) aut *mumiam* transmarinam, vel quodcunq; tale: præmacerare ea poterit conuenientibus liquoribus, & decoctis, infusisue, & præterea etiam istarum rerum ex quibus decocta fuerunt facta sales dum vruntur inspergere, ad quam rem vas cinerarium apertum esse debet, aut mobili operculo tectum. Hæc est quædam species tum correctionis, tum cõpositionis, qualis fieri potest etiam cum res variæ simul cremantur, aut variorum cineres miscentur. *Stercus canis*, quod *album Græcum* vocant, officinæ impatatum seruant: quidam contritum salrẽ, & in marmore læuigatum reponunt. *Rectius vreretur, vt ossa attenuarentur, & vim melius redderent. Vstum contereretur cum oxymelite scillitico, inq; pastillos diuisum reponeretur. Inter cremandum sæpius aceto scillitico posset restingui, quod solemus alias tentare in lapidib. & vitru frangendu.* Eadem præparatio conuenit lupino stercori, & fimo columbino lapidoso. Succurrit et hic alius cinerum vsus. Nam qui silices, crystallos, vitra, & similia contra calculum præparant, in promtu habent *vas quoddam cinere saxifrago* (vt ex ononide, iunipero, &c.) plenum. *In hoc candefactum lapidem aut vitrum nouies, deciesue immittunt, sinuntq; refrigescere, iterumq; candefactum intrudunt donec placeat compagis infirmitas, & friabilitas.* Placeret hic fimum columbinum combustum sumi. Qui *cinerem cancrorum ad morsus canum* expetunt, suffocauerint eos prius aceto infusionis Gentianæ, & inter vrendum paulatim idem acetum inspersetint. Martini Rulandi iunioris ad morsum canis rabidi antidotus hæc fuit: ℞. *cinerum cãcri Sole existente in cancro factorum: cinerum talpæ: buffonum ana pares.* Misce. Morsum ablue vrina hominis œnopotæ, in qua æquales æris & ferri elimatorum triduo vel quatriduo sint maceratæ: postea inspergere puluerem. Similia excogitanerit ingeniosus multa.

Vide Galen. de Theriaca ad Pisonem c.18. vbi apologia est combustorum. Aetius serm. 13. cap 97.

In tetrade pag. 131. Cranii præparatio ad Epilepsiam.

Stercus canis album.

Alius vsus cinerum ad saxifraga. Antidotus contra morsum canis rabidi.

Non a.vanum, & temerarium esse hunc laborem, patet ex Galeni argumento *Si enim non quiuis cinis fit ex quouis cremio, sed determinatus: Determinatio vero est à principio insito, vel foris inducto: consequens est alteratum, & penitus satiatam medicatis liquoribus materiam comburendam itidem vires diuersas cineribus suis communicaturam.* Sic picibus, resinis, sulphure, bitumine oblita ligna, & vna combusta vim inde aliquam trahunt, & cineribus tradunt. Idem melle, cera, propoli fieri potest: potest & pastis variis. Cum animus est ex spissamentis, magmatibus, seu fecibus succorum, & herbis cinerem facere, has arefactas in foco incendemus, particulatimq; submittemus succos, vt vno eodemq; labore comburatur vtrumque. Qui *picarum, hirundinum, ciconiarũ, &c. cineres contra Epilepsian*, vt inde fiant cũ reliquis aquæ Epilepticæ, faciunt, earumdem auium stercora non inepte submitterent, aut dum vruntur colaturã aspergerent. Quod si quid aduersæ potestatis subest, vt in *scorpiis, rubetis, cryllis, cicadis*, &c. quanquam ignis per se est correctiuus, tamen vt maior fides sit medicamini, instillabimus inter flammas Theriacales aquas, aut Theriacæ dilutum, vel antidotos ipsas nisi placeat salium extractorum ex ipsis nutritio & sublimatio, de qua *infra*. Cæterorum dum cremantur incinerant urque materiæ *fuligines* oriuntur partim tenues, pinguesque vt è succino, caphura, thure, &c. partim spissæ, vt caminaria, cuius etiam liquor, seu acidus, salsusque spiritus, tanquam *cedria* quædam qualis dum *carbones* fiunt, excipitur vt medicis prosit exedatq; *verrucas*, quod facit & *liquor ex tela aranea* combusta. Quin ne carbones quidem & titiones negliguntur à medico, quamuis ista sint tam publicæ officinæ quam laboratorii chymici. E *fuligine caminaria* adiectis cæteris chymicum facere *salem suum armoniacum* constat. Medici iubent medicamenta ex illis externa parare contra *bubones pestilentes*, & *notum est Emplastrum nigrum de fuliginibus.*

Cineres antiepileptici.

Inter cinerandum nata, fuligines cedria, carbones. Carbones & Titiones.

Titiones

Titiones extincti aquis fluuiatilibus in cupis, aut labtis, eas alterant, vt *scabiosis* vtilia præbeant *balnea*: præsertim autem tunc conducunt lignea pinea, & nitrosa, vt betulacea, Guaiacina, saligna, fagina, querna, &c. Chymicus facit carbones aliquando obiter artificio descensorio, cum ex ligneis olea & spiritus elicit. Illos medico præbete potest ad suffumigia, emplastta, &c. Igniario ad puluerem pyrium, aut fomitem, &c. *Prunas* quernas commodant *lienosis*. Ideo infundunt eas *vino chalybeato*. Sed nec contemnenda est *extinctio titionum in vino* tum *ad lienes*, tum alios morbos, quomodo consueuimus *ardens succinum*, *Gagaten*, *caphuram*, &c. *maluatico restinguere*, *& postea vinum ad palpitationem cordis propinare*. Præterea cum non placet ad finem cinetationis procedere, sed citrà subsistere, tostorum pulueres, quos aliqui etiam *sales*, si sal adiectus fuerit, vt in *sale Theriacali seu viperino* Galeni, appellant, conficimus. Apud dogmaticos sic placet tum memoratus *sal Theriacalis ex viperis in olla cum sale tostis*: tum *reguli*; Item *puluis asellorum* ad calculum, *sericum tostum* (quod tamen torrere non conuenit, cum id nullam aliam ob causam fiat, quam vt teri possit: hoc autem assequi possimus *calidis mortario*, *& pistillo*, vel *extracta materia serici ex ventribus bombycum iam satiatorum*, & se condere volentium, quæ materia arefacta ad sententiam potest comminui; aliqui laboriosè terunt cum margaritis & similibus asperis) *Rhabarbarum tostum* & similla. Quercetanus in sui *opii* præparatione quam & aliqua Martinus Rulandus in suo laudano imitatus est, insolationi substituit rostionem *pag. 554. pharmacopœa*, vbi sub camino segmenta eius in lamina super prunis cogit sulphur maleficum exudare, & expirare, quod facit etiam *pag. 559. in opio & hyoscyami succis simul mistis*: quanquam ista correctio nun careat suspicione depravationis nec arrideat omnibus, cum sulphur illud maleficum debeat tolli alio modo, nempe solutione opii in liquore competente, & digestione, donec spuma enatet, quæ tollitur cochleari; pura vero pars à fecibus abstrahitur laciniis. Quod si opium ipsi ex succo liquido faceremus, ante coagulationem eadem separatione vteremur, quam in Hyoscyamo facilius præstamus.

Tosta.

Sericum tostum.

Opii correctio per tostionem.

Talis tostio in patellis, tabulisve fictilibus, aut metallicis fieri potest; aliquando & ollis, & veruculis, super foco. Bulcasis in serico vtitur olla, & foco prunarum, vel clibano pistorum post extractum panem, qui modus etiam nostris placet in multis. *Scillam* assat Dioscorides incinsam crustæ ex massa frumentracea vel luto. Chymicus sæpe suum *tartarum* panno inuolutum argilla incrustat, & inter prunas torret. *Theriacam* torrent super patella vt puluerari possit ad inspergendum morsibus. *Leporem* vrunt in olla, suffocatum aceto. *Capillos* leporinos & pannos hactenus vstulasse sufficit, vt item in puluerem abeant, quod & *sanguini* contingit, & *croco* & *spongiis betula, cerasi, nucis*, &c. cum *ischæmum* medicamentum desideramus. Natura rerum docebit quænam magis, minusve torteri debeant, cùm quædam (vt coria, lintea, panni, &c.) non vincantur, nisi in carbonem redacta. *Lanam* Bulcasis incinerat vt setam, posteaque lauat, apud quem vide & de lepote, scorpiis, canctis, ericiis, rauis: nec male quis etiam scincos, & lacertos sic præparauerit.

Capvt VII.

De viperis & colubris tractatio quadam Parodica, & primum de caussa virium veneni & antipharmaci in eis.

Vipetam Andromachus in vsus medicos ad Theriacam (παρὰ τῦ θηρίυ, hoc est, *bestia*, vocatam à *Critone*, quo vocabulo quasi κατ᾽ ἐξοχὴν, quod videatur basis esse compositionis istius, *vipera* intelligitur, Bulcasis *Thiros* appellat: vnde viderut nata opinio quæ & Paracelsi fuit, *Thirum* esse nomen proprium serpentis tanquam dipsadis, ob feruentissimum, seu igneum venenum, quale & habebant serpentes deserti *Num. 21. vers. 6.* quod genus volunt esse in lacu *asphaltitide*: & apud Lucanum *in desertu Lybiæ*, quæ Cato perambulauit cum exercitu; fors etiam circa *turrim Babylonicam Nimrodi*, vbi *Rhauvvolfius* scribit esse multa venenata, inter quæ & *triceps bestia* lacerta maior virulentissima: alii Aegyptios *aspidas* substituunt, putantes eò fortius alexipharmacum inesse, quo veneuum præsentius, *cum viuere bestiæ ipsa non possent nisi veneni sui remedium secum haberent*, argumento scorpii, qui se suo ictu perimit, innoxia citra ictum virulentia, quod tamen etiam aliter disputari potest. Non enim mori debebat etiam à suo vulnere si tanti esset latitans in ipso antidotus: Venenum à *sanguine* seu naturali succo qui est vice sanguinis, naturali vi per suos canales in sua receptacula secretum ibi fit nocentius: Et si postliminio denuo misceatur succo vitali, membrisque principalibus communicetur, deleterium est etiam suo animali) adhibnisse legitur. In aliis etiam antiquiorem fuisse ex eadem, & similibus medicinam, ex *Nicandro* patet arguitque *Galenus* ex fortuito euentu vini, in quo vipera suffocata perierat (dicuntur *vini* auidæ esse viperæ præsertim *Græci*; quod in Italia tentatum ab aliquibus non respondit, cum inclusæ ne attigerint quidem vinum: quod tamen experimentum fallit accidente. Nam neque cibum admodum gustant captæ, imò & alias serpentum genus diu abstinet cibo, Arist. 8. *hist. c. 4.* Plin. *lib. 10. c. 72.* solentque ferocia animalia excessum committere, vel omnia obiecta vorando, quod in aquilis, aue Moluccana *Eme* apud *Clusium*, *struthio*, *vulturibus*, &c. patuit, vel nihil, quasi consternatione ob captiuitatem vel parce aliquid gustando. Vipera Galeni liberta vinum liguriuit, quod etiam in Italia compertum teste Baldo Angelo Abbatio.) contra *Elephantiasin*, atq; cognatos morbos eximiam vim habere: Audaciores fuisse necesse est *ophiophagos*, psillos marmaridas, marsos, Arist. *lib. 8. hist. c. 29.* & Buffonivoros, qui ista, nobis venenata, etiam in cibum vsualem verterunt. Quidam contendunt non vbiuis locorum istas bestias esse venenatas: Sicut nec scorpii: quod quidem non difficile est creditu. Sed & aliam rationem habet. Quam nocentes morsu sint viperæ experientia cognitum est.

De serpente sacro Arist. in 8. hist. c. 29 qui videtur seps esse, licet & aspides sint septici, vnde medicamentum septicum. Ibidem aliud Indicum paranus narratur contra quem incolæ remedium habeãt nullum.

Plin. lib. 10. cap. 72. Gal. lib. 11. simpl. & de antidotis: Quercet. in phar. pag. 480 Arist. 8. hist. c. 4. idem de serpentibus dicit.

At separatis bilioso veneno, ichotibus excrementitiis, & excrementorum vasis, carne tosta impune vescuntur aliqui, qui etiam affirmant esse cibum gratum, quod verisimile est cum vsu tuto quoque esse coniunctum, nisi affectus, & valida alienatio aliquid mutet; vt in illo, qui cum *serpentem pro anguilla* comedisset, nihil passus est ante quam cognouisset colubrum fuisse, quo comperto adeo animo commotus est vt in morbum illapsus obierit: alius *felem assam pro lepore edit* inscius sine damno; sed indicio facto tota natura eius cohortuit, ita vt omnia ingesta vomitu redderet, sicque euaderet. Angues in cibo sumi contra lendes anguillarum modo Plinius docet *lib.29.c.6.* Aristot. *in mirab. sect.23.* Gal. *lib.3. de aliment. facul.* Plin. *lib.7.c.2.* Volumus chymicum pharmaceuticum non tantum genera medicaminum, & eorum præparationes perspectas habere, verum etiam liberali caussarum scientia instructum esse, posseque philosophari, vt titulum *philosophorum*, qui hermeticis ab antiquo, vt & honoratium nomen *sophorum* seu sapientum, tributus est, iure aliquo sibi possit applicare. Quæritur ergo *vnde serpentibus, viperisque sit illa facultas alexipharmaca, & quam ob caussam senectam exuant autumno & vere potissimum*, quam quæstionem mouet Quercetanus *in pharmac. pag. 470. & seq.* Cur venenati sint, & alexiteriam vim contra venena simul habeant, *duo fundamenta, tanquam principia*, proponi possunt. Natura scilicet, & *assuetudo ex victu.* Natura, si quidem eam respicimus quæ à prima creatione ante lapsum fuit, non videntur venenati esse vlli serpentes: Imo familiares homini extitisse, atque etiam collusisse. Cum vero postea maledicto ob peccatum omnia deteriora euaserint, consentaneum est serpentes hoc maximè passos esse, vt quibus etiam in specie est maledictum, & posita ipsis, hominique inimicitia spiritualis & corporalis; vnde fugiunt se mutuo, nisi quid audacia, & præsumti alexipharmaci conscientia mutet. Illam accessoriam maliciam auget *victus.* Deus quidem serpenti iubet *terra vesci*; sed experientia testatur esse etiam *carniuorum.* Arist. ait: *Serpentes accipiunt vndelibet quod datur, siue auis, siue belua est, oua etiam deuorant. Succum exugunt. Reliquum per membrum sui secessus emittunt.* Magnos Africæ serpentes etiam boues & homines venari pridem didicimus. *Viperæ* comedunt quoque *scorpios*; vnde virulentiores dicuntur euadere. Quod ergo ad venenum attinet, id *partim est ex maledicto* & degeneratione, versioneque in contrarium homini naturæ, *partim ex victu venenato*, quod comprobatur etiam *Rege calecuthico* apud Ludouicum Batthemam, & *puella Indica*, quæ Alexandro ad intoxicandum missa scribitur. Plus autem videtur esse in victu quam natura; quia dum cibus alteratur, simul alterat, efficiturque vt minus malum sit, quod bono cibo nutritur, *quæ potest esse caussa vt scorpii, & angues non in omni loco sint virulenti*, possintque serpentes impune in cibum verti, quod de Indis quibusdam etiam recentibus historiis narratur. Virtus alexipharmaca & aduersa veneno serpentino etiam per naturam non deesse homini videtur, quando *sputum eius pluribus serpentum aduersatur*, vt inquit Arist. *lib.8. hist.c.29.* Plin. *lib.28. cap.4. & lib.7. cap.2.* vbi ait, *omnibus hominibus contra serpentes inesse venenum qui dicantur saliua icti, vt feruentis aquæ contactu fugere, & mori si in fauces penetrauerit; vel si masticata anchusa rubri floris sputum iniiciatur.* Refert idem Plinius lib.29. cap.4. ex Marco Varrone *aspidum ictus efficacissime curari, si morsus bibat suam ipsius vrinam, quam necesse est aut natura veneno resistere, aut aduentitia immutatione ex veneno accepto*: Et sane idem sibi ipsi posse esse quadamtenus remedio discimus (*a*) natura *argenti viui sublimati.* Si enim hoc poteretur hydrargyro ex quo est factum, & postea sublimetur denuo, omne venenum ponit, adeo vt hinc argumentum capi possit remedii dandi aduersus assumtum sublimatum, quanquam alias lac, decoctum maluæ, althææ & similia item corrosiuis opponantur. Idem probant *scorpiis, rubetis, phalangiis* & similibus suo vulneri impositis. De *psyllis, marsis, ophiophagis* supra dictum; Et apud Plinium alicubi *indigenis non nocent serpentes, sed tantum peregrinis*, quod secus in *Cariæ* monte scribitur à scorpionibus fieri. De *Mithridate* diuersæ sunt sententiæ. Quidam volunt vsu mithridatii effectum ne perire posset veneno: Alii contendunt sæpius epoto veneno, quod verisimile est historiis eorum qui consuetudine veneni comesti nihil ab eo passi sunt iuxta principium physicum: *à consueto nulla passio: &: actio est inter contraria specie.* Ita multæ bestiæ venena concoquunt, præsertim aues (ibides, ciconiæ, gallinæ, anates, &c.) & pisces, quod & de viperis dictum. Verum hic quæritur potius vnde vim illam accipiant serpentes, qua carnes eorum perhibentur homini sic prodesse, vt venenum non tantum serpentinum, sed & aliud quoduis minerale, plantale, animale assumtum vetent nocere, atque etiam præseruent à læsione venenatorum, quandoquidem negant eum, qui serpentes comedit, ab illis morderi, aut si iciatur, periculose habere. Nulla est in victu, & assuetudine ratio. Neque enim antidotis viuunt viperæ, & scorpii quos Plinius scribit *lib.10.c.72. terra victitare*, vt scriptura sacra serpentes. Confugiendum ergo ad argumentum *proprietatis ex crasi*, aut ad quandam duorum venenorum pugnam quam caussam paulo ante attigimus, eaq; illustratur etiã *amuleto arsenicali, & buffonino.* Prius dogmatici plærique accipiunt, & ad totam rei substantiam referunt: Posterius chymici declarant suis experimentis Nam *multa habent, quæ singula sunt venena, sed coniuncta se mutuo sic afficiunt, vt venenositas in salutare adiumentum transeat.* Num ergo vt paulisper de crasi sententiam seponamus, statuimus carnes, & quæ alia ex viperis, colubris, rubetis, lacertis. (Nam hæ bestiæ eundem habent vsum) assumuntur, tum præparatione, tum alteratione siue per correctoria addita, siue calorem nostrum immutari vt repugnaodi suæ bestiæ ichori, & bili venenatæ, in qua Plinius scribit: venenum esse, principium acquirant? Etenim id non videtur fieri posse simplici modo. Nam *omne tale additum tali, facit vt magis sit tale*, & arsenicum arsenico simpliciter additum non agit in ipsum. Actiua & passiua effici debent si duo eiusdem speciei se mutuo destruere volumus, quod etiam fit in analogis: vt *sublimato & regulo stibii: oleo tartari, & spiritu sulphuris*, &c. de quibus alibi. Verum hanc rationem statim eneruat diuersitas præparationis, & tamen vis eadem. Nobis crasis arridet, qua immutatur homo qui edit serpentum carnes, vt veneno eorum aduersam vim accipiat. Quercetanus nuper *singularem* produxit *opinionem in pharmacopœa pag. 470. 474.* &c. vbi *de viperinis Trochiscis* agit. Ponit

intet

Vnde venenum viperis, & senectæ abiectio.

Arist lib.8. hist.c.29. Pli. lib.10. c.72.

omnia in genere serpentum magis exitialia, sũt si suũ genus edere antequã noceãt. Vide Angelum Abbatium de vipera natura cap.26. & 30. sed & indica.

Saliua hominis aduersa veneno serpẽtum: quod alii non inesse omnibus volunt, sed tantum his qui similes sunt Psyllorum, aut viperinas carnes comedorunt. Quidã ieiunis eam vim tribuũt, cum & aranea consputa malè habeãt.

Vrina morsi sanat morsum.

Venena retundi seipsis aut propriis succis.

Plin lib.7. cap 2. & lib. 8.c.59. nat. hist cap 30. Galenus de Theriaca ad pis. narrat. trifolii hyacintho simile morsibus viperæ illatum vos sanare; integris impositum nocere.

Arist. in mirab. narratione 22. de ciconiis: De Ibide Plin. lib.10. cap. 28. Pierius lib.17.

Lib.29.c.6.

inter serpentes tantum duos, *colubrum* (qui aliis est aquaticus Plin. *lib.* 32. 4. Virg. *lib.* 3. *Georg.* de Calabro pisciuoro) & *viperam* exuuias statis temporibus, verè, & autumno, ponere: Deinde istis temporibus mutationem fieri in terra, exurgente calore, & spiritibus balsamicis fœcundis sese ad plantarum radices extollente, easq; nouo succo induente vt vegescere queant; idq; prouocante calore solis, & naturæ sulphur exuscitante, qua interior sinus terræ irrigetur preciosæ, & viuificæ aquæ vitæ, & nectaris naturalis saluberrimo liquore, quæ sublimatio fiat etiam æquinoctio autumnali, sed calore paulatim decrescente ob solis digressionem, & balsamicis spiritibus retrocedentibus in suum chaos, seu matricem. Hinc postea colligit bestias istas isto balsamico spiritu, sulphure, liquore vitali, & quibus aliis nominibus pro sua grandiloquentia vocat, pastas cutem exuere, & tincturam antipharmacum accipere. *Naturali quodam instinctu* (ait) *exugunt, & in alimentum alliciunt cibum æthereum, qui tam insigni viuifica, & specifica facultate pollet aduersus venenatam, & deleteriam ipsorum naturam, vt si eo satis reficiantur, & instaurentur, non solum vim acquirant spolia sua vtroq; tempore exuendi, & se renouandi, sed ob exuberans illud balsamum instar medicinæ vniuersalis sunt ad omnem cutem leprosam vel quauis alia labe fœdatam. Itaq; fiunt eiusdem balsami virtute alexiterium summum contra omnia venena lethifera & præsentissima.* Argumenta ducit *ab effectu*, quasi alia de causa exuere senectam, & lepram sanare, fierique antidotus non possint, quam ex radicibus & principiis *magnæ istius*, & *vniuersalis medicinæ*, cum qua participent; (Alludit ad *lapidem philosophicum ex metallis* tractum, seu primordiis seminalibus corporum perfectorum & argenti viui; quasi ex analogia argumentaretur; *Vbi paria effecta, ibi pares caussæ. In elixyre sapientum & antidoto serpentum sunt paria effecta: Vtrumq; enim vniuersale ad medendum vim habet: Ergo & pares caussæ sunt.*) Aut *scientia naturali* vult bestias istas attrahere terræ balsamum; aut hunc dum tendit ad radices, eatum corpora peruadere, & tingere, vt tum sibi ipsis contra suum venenum sint remedio, tum aliis contra quæuis, si obiicias *idem debere euenire etiam cæteris sub terra viuentibus* (serpentibus, talpis, muribus, cuniculis, formicis, lacertis, buffonibus, &c. de quibus vide Agricolam in libro peculiari de animantibus subterraneis.) Respondet proprietatem hanc viperis, & colubris solis à natura inditam esse, vt *toræ*, iuxta quam nascens *antitora* spiritus alexipharmacos trahit, illa nullos assumente. Ita apim solam dicit *mellificam* esse, licet plures muscæ eundem rorem lingant. Si obiicias rursus: *At debebat omne venenum serpentibus isto balsamo tolli:* respondet negare, exemplo apum, quæ mel sugunt optimum, licet interim venenum maneat in aculeo, cui veneno cœlestis & balsamicus liquor in cætero corpore aptissimum sit remedium. Illustrat rem *fabula horti Hesperidum*, vbi fingitur *Draco aurea poma custodire*, vt discamus *medinam vniuersalem quærendam esse in rebus extrinsecus venenatis, & arcanum eruendum ex nucleo interiore*: sicut in dentibus serpentum est venenum, sed in interiore corpore alexipharmacum. Concludit locum admiranda Dei prouidentia, quod est argumentum generale: *Ideo sic esse, quia Deus sic fecerit, & conseruet*: quod elucescat etiam in aliis, vt Dracone marino, cuius spina in dorso venenata, &c. (Posset adiici pastinaca cuius radius item virulentus: imò & homines, aliaque animalia quorum morsus virulenti sunt, carnium esu salubri, &c.) Hæc Quercetanus: Cuius sententiam non aliter possumus intelligere, quam non naturæ proprietate & crasi substantiali inesse serpentibus alexiterium, sed acquisita, & foris superueniente virtute. Non autem repetitur à Paradiso quæstio, qui factum sit vt serpēs homini ab initio familiaris, euaserit ei perniciosus veneno, quod ex accidente maledicto, & mutatione vtriusque naturæ in deterius esse, libenter concedimus: Sed de facultate, quæ iam inesse deprehenditur toti generi noxiorum, agitur. Hæc itaque quæ Quercetanus statuit, amplius sunt consideranda.

Natrix, hydrus, chersydrus in aqua, & terra viuit.

Arist lib. 8. hist. cap. 14. 15. & seq.

Vniuersalis medicina inter venena quærenda.

Primum, quod aduersatur, argumentum, est quæstio de loco latibuli viperarum, quas Aristot. *lib.* 8. *hist. cap.* 15. scribit *non subire terras*, sed *sub saxis condi*. Hoc si est (asserit autem etiam Agricola, & Matthiolus, qui Plinium non Aristotelem lapsum esse scribit) debet ille balsamus non terras tantum, sed & saxa penetrare. Plinius quidem *lib* 8. *hist. nat. c.* 39. *solas terram subire narrat*; atque ideo contradicit Aristoteli: Sed *Angelus Abbatius & terras & saxa pro latibulo habere asserit* (*b*) obseruatumque esse sub terra latere. Hæc dissensio saltem incertum facit argumentum Quercetani. *De colubris aquaticis* maius est dubium. Nostri Germani quosvis serpentes pro puluere viperino petunt, non curantes etsi quidam eligant *sub corylis latitantes*, quidam venenatissimos. Quidam serpentes, inquit *Agricola*, in eas arbores secedunt, qui & saxorum cauernas subeunt: imò & in muris latitant inter rimas, vbi non tam sunt balsamici illi halitus, quam fetales quidam vapores, vt habet & historia turris Nimrodicæ, circa quam magna sterilitas est, & solitudo, vt nullum sit indicium viuificorum spirituum à Sole qui perpetuo incumbit interdiu locis extra tectum. Sint ergo colubri non hydri, sed angues terrestres qui vbivis ponunt senectam, at cum non appareat ille balsamus, leuiculum esse fundamentum elucescit. Alterum argumentum suppeditat experientia. Licuit Quercetano à simili effectu, eandemque ad similem causam argumentari. Eo argumento & nos vtemur. *Si coluber & vipera vi balsami istius exuunt senectam, etiam scytale, stellio, eruca bombycum, blatta, culex, scarabæi, cicada, locusta, Gammari, astaci, cancri* (qui & sæpius anno crustam mutant) *lacertus*, &c. quorum nonnulla item latitant hyeme. *At hæc non exuunt vi balsami*: ipso Quercetano asserente. *Neque ergo illa.* Quod si vi balsami hausti non exuunt, neque inde alexipharmacam sibi & aliis potestatem capiunt, ex hypothesi *vtrumque ex eadem caussa esse*. Tertium sumi potest ex auctore de Theriaca ad Pisonem, *qui cap.* 13. sic scribit: *Capies viperas pro pondere totius compositionis, non quolibet tempore sed veris initio captas, quando desertis latibulis suis foras sub dium prorepunt, neq; venenum, sicut prius* (dum scilicet latebant, & nuper etiam progressæ sunt) *habent. Secessus enim tempore cum nihil veneni per occulta spiracula digeritur, perniciale continent virus; quo tempore omnis serpens senecta vestitur: hæc est spississima membrana* (Aristoteli cutis vltima & primi ortus operculum *lib.* 8. *hist. c.* 17.), *quæ latibulis, non ætati accepta refertur. Propterea non oportet statim insidias ipsis tendi, sed permittere, vt ad tempus aura vescantur, & naturales pastus capessant, nempe buprestas, canthárides, pinorum erucas,*

Senecta quid.

aliasque huius generis escas. Hæc enim sunt accommoda ipsis cibaria, &c. Plures rationes habet hæc sententia: 1. adeo non excipi balsamum illum viuificum à serpentibus, & viperis, ex terra, vt potius venenum in illis fiat auctius, quia tunc sunt venenatissimæ; & ideo prohibentur tum extrahi ex latibulis, tum statim ab apparitione assumi. At tunc debebant esse plenissimæ balsami alexipharmaci: 2. Senecta non exuitur vi istius sulphuris, sed sordium in latitando contractarum, & æstiui pastus. Fiunt autem concretiones etiã remedium contra vim frigoris. Frigore albescendente, & natura se resuscitãte abiicitur id quo non amplius animal indiget: Et est etiã vis quædam insita carnibus serpentum, qua ad superficiem pulsæ impuritates præter naturales separantur. Ita nimirum euenit etiã in non latentibus, vt ouibus, ceruis, auibus nonnullis, &c. quæ calore veris abiiciunt veteramenta, pilorum, lanarũ, plu-

Captura Viperarum. marum, vt aquilæ aquarum frigidarum lauacris. 3. Non istos halitus familiaritate naturæ liguriunt, sed alios cibos quibus delectantur, & mutant simul torporem hybernum; Imò *quarto quoque loco*, dum cutem abiiciunt, quid ni exhalent simul illum spiritum conceptum? *Quinto*: citius prodeunt quam vt satiari possint isto balsamo: diutius sinuntur, quam vt idem non diuaporet, & exudet. Addimus *sextum*, quod rustici viperas æstate quoque captent, positis in orbitis, aut fissuris agrorum quibusdam fistulis ex arborum corticibus obstructo altero foramine. Has disponunt non ita procul à conspecta vipera priore aditu patente. Viperam postea paulatim propellunt vt per orbitam, vel fissuram procedat. Hæc cum ad fistulam peruenit, irrepit periculum effugitura; sed captator statim etiam hoc foramen occludit, & sic viperam captam ad pharmacopolas deportat, qui eam etiam diu-

Vnguentum Viperinum. rius seruant. Vbi tunc iste fictitius balsamus? *Iohannes Anglicus* ad tineam, pustulas, morphæam & alia mala facit *vnguentum viperinum* non ex istis balsamo terrestri turgentibus, sed diutius nutritis loco sicco. *Angelus cap. 12. de viperis* vult venandas esse eo potissimum tempore, quo exuunt senectam, vel paulo ante: quod propius accedit ad sententiam Quercetani, sed longius abscedit à Galeni. *Marantha cap. 9. de Theriaca tam stupidas in cauernis esse scribit vt vix se moueant*. Nequeunt ergo animali facultate ligurire balsamum. Si de naturali contendas, & subeuntibus halitibus, Galenus potius venenum, quam balsamum antipharmacum tunc concipi, & inualescere tradit, quia latitantia intus excrementa mora fiunt malitiosiora. Lege illud caput Marantæ qui nihil aliud affirmat quam Galenus ad Pisonem, & *lib. 1. de antidotis*, quæ Quercetani opinioni aduersantur. Tantos autem autores reiicere, & vnico singulari adhærere non facile quis sapiens velit: Et est Italis istis potior fides in re patria quam peregrino. Si circa finem veris, ante initium æstatis ad Theriacam sunt commodissimæ: Initium autem hoc incidit in tempus Iunii: Intelligitur in Maio esse legendas, quo tempore in calidis regionibus pridem fuerunt extra cauernas, vt interim omne balsamum haustum simul cum vetere cute exuerint, & exudauerint. *Famelicæ* sunt *venenosiores*, quod probat *Maranta* morsu hominis ieiuni. Quæ venenosiores sunt, minorem habent vim balsami, suntque biliosiores, ichorosiores, & excrementosiores, *Critonis* iudicio venandæ sunt & in autumno. Si & tunc bonæ sunt, vnde hauserunt istud sulphur balsameum antipharmacum? Ita quas *Andromachus* vindemiæ tempore, (medium autumnum esse vult Abbatius) iussit comprehendere, non possunt se illo halitu vinifico imprægnasse. Verum in per se imbecilli causa non opus est plura argumenta comportare. *Hypotheses Quercetani* consideremus. *Prima* de exuuiis sane historica est, sed non solis viperis competens, vt si senectæ defectio serpentibus sit ex halituum illorum susceptione, debeat ea magis competere animalibus aliis itidem latitantibus, atque etiam vrsis, qui non minus sunt spirituum capaces quam serpentes. 2. mutationem fieri sole ariete, & librã perente concedimus; sed non ea caussa quam adducit Quercetanus. Viuifici illi halitus sunt primum in plantis. Hæ ex terra niuibus solutis (imo & nondum solutis vt in genere arborum apparet, & herbis quibusdam veluti Elleboro nigro nostrate, Elleborastro, narcisso, &c.) & pluuiis irrigua extrahunt sibi conuenientem succum, qui per coctionem immutatur in naturam plantarum quibus se accommodat. *Falsum est solem ex imis terræ balsamum vitalem extrahere*, cum eius radii istis temporibus non tam altè penetrare possint, nec tam validè agere vt dissoluere internam pigritiam queant. Quid quod bestiæ prius procedunt quam tam profundè incalescat à Sole terra? Autumno coagulatum istum balsamum iterum descendere, figmentum est. Et si descenderet, non tamen consisteret, quia terræ interiora hyeme & autumno frigido sunt calida. Si autem foris est calor, non congelat balsamus. Si item in Italia vindemiæ tempore eruuntur viperæ, non possunt satiatæ balsamo esse. Quid de nostris dicemus, qui serpentes ex fimetis captant, & rimis murorum? Non semper latitant viperæ sub locis frugiferis, vbi balsamus ille fictitius efferatur; sed sæpe sub sterilibus, vbi necesse est nihil viuifici liquoris esse. Quæ ergo ex hypothesibus istis extruuntur, sunt parui momenti. Quod aliam ob caussam non possint sanare viperæ, falsum est. *Congenita est cuique vis sua, quam aliunde non accipit*. Ideo & viperæ iuniores æquè petuntur, ac senes, licet hæ plus carnis reddant. Est aliquid in victu: Sed insitam naturam & crasin in viperis fundamentum esse certum est sicut & in vrtica vt vrat. Si vno genere alimenti vterentur serpentes Germani, Galli, Itali, Lusitani, & aliorum locorum, esset aliqua vis in illa ratiuncula: Item si vno eodemque halitu in suis cauernis vaporarentur. At quantum est discrimen spirituum subterraneorum? In metallicis adeo non sunt balsamei, vt etiam arborum succum vitalem corrumpant, & marcorem inducant. In *Campania Italia, Paduano* & similiter affectis possunt quidem halitus sulphurei, nitrosique exurgere: Sed quid de non sulphureis Germanis, Gallis, Scythis, &c. dicemus? Quam multa vero sunt quibus alexipharmaca vis itidem, & quidem etiam potentior inest, num & his exhalationes tales conferemus? Si nulla alia caussa potest esse, vnde hæc vim hauserunt, quæ tamen non dormierunt sub terra? Ex principiis *elixyris philosophici* dicere istam virtutem esse, fortè concederemus Quercetano, si vel ostendere liquido potuisset ista principia, vel elixyr illud habuisset, & vini experimento comprobasset. Quæ ex Ecclesiastico proferuntur de medicina ex terra producta friuolum habent petiti principii

æqui-

æquiuoci, & ignorationis elenchum, de quo alibi. *Palmarius* gloriatur de lepra per aurum potabile, & antimonium à se sanata, si credimus. Principia auri adeo ni natura non sunt medica vt etiam in- terimant, vitamque destruant, ni arte præparentur. Et quid est ille *lapis Philosophorum initio aliud, quam venenum vitæ?* Argentum viuum est radix eius prima. Hoc vbi halat copiose, ibi nulla est vitæ ratio: oecest sub terra magister chymicus, qui elaborare possit, & aurum admiscere, reddereque plus- quam perfectum, *Bestias attrahere spiritum scientia*, id est, familiaritate naturæ falsum est. Debet enim simile esse quod attrahitur. At quæ similitudo tam variorum halituum ex tam variis locis, vbi lati- tant bestiæ, exurgentium? Si etiam solis data est ista proprietas vt *Thora, & Antithora*, debent alimen- tum commune attrahere idque intra se conficere, & in sui naturam mutare, vt euenit etiam in illis. At hoc non est balsamum in terra natum figurire, sed intra se gignere. Scimus quid de succis terræ scribat Hippocrates. Sed is non potest exponi nisi de potentia. Serpentes latitantes media inter mor- tem, & vitam sunt constitutione, & nec mortui sunt, nec dormiunt, adeoq; nihil attrahunt vt etiam detrimentum patiantur, vnde laxatum corium fathiscit, & decedit de corpore subnascente noua cute. Reliqua sunt indigna, vt operose confutentur. Quæ diximus non in ignominiam. Quercetani, cuius ingenium & experientiam admiramur, sed pro veritate protulimus, quæ etiam amicitiæ, quæ non est in opinionum verum animorum consensu, est anteferenda, parati redargui & redarguere in- genue.

(a) *Est & contra, vt idem suo generi sit perniciosum. Nam viperina carnes si viperis viuis aut aliis ser- pentibus dentur, eos interimunt, atque ideo etiam hominibus dicuntur virtutem aduersam talibus conferre. Mures fugiunt murium occisorum & putrefactorum etiam halitus. Lumbricorum puluere lumbrici occiduntur aut ex corporibus puerorum expelluntur.*

(b) *Cap. 13. de Vipera: Maranta sentit cum Plinio in libro de Theriaca. Abbatii verba: Nos scimus ex rusticorum obseruatione, terra etiam condi, & cum hyeme altius effodiunt, stupidas glomerata terra circumamplecti.*

Capvt XIII.

De modis conficiendi pulueris ex viperis & serpentibus.

NIcander in descriptione *antidoti sua* iubet immiscere *viperam*: quod videtur de carne, carneisque intellexisse. Cum *de ranis* differit, Schedio cum vino etiam *Epar* temperat, & *malum caput bestia*, quæ verba aliqui item de vipera accipiunt: Sed interpres de rana, quæ iure, iecore cum vino, & capi- te ex vino vel aqua dicitur prodesse. Andromachum probasse *carnes*, iam tot seculorum consensu post Galenum constat, mitumq; abiecisse *epar* & *cor*. Eas dupliciter parantur, coctione pro *trochiscis*, & tostione pro *sale Theriacali*, quanquam admistis pluribus. Plinius lib. 29. cap. 6. scribit: *Viperã viuam in fictili nouo comburere, addito fœniculi succo ad cyathum vnum, & Thuris manna vnà, atq; ita suffusiones oculorũ, & caligines inungere vtilissimum est*: qui & collyrium describit ex *vermiculis viperæ* in olla putrefactæ cum croco tritis, & illitis. *Salem* quoque *viperinum* habet ex *Echide* cum sale in olla cremata, qui lingatur ad claritatem oculorum, & pro antidotis *contra serpentes*. Quidam & viperis vtuntur in cibis, quos ita præparari docet: *Primum omnium vipera occisa salem in os addunt donec colliquescat in humorem: Deinde qua- tuor digitorum mensura vtrinq; collum & caudam absendunt, & interaneis exemtis discoquunt in aqua & oleo, sale, anetho*: qua mistura vel statim vescuntur, vel in pastillos redactam cum pane seruant ad vsus cre- briores. *Ius decoctionis pediculos è toto corpore expellit, & summæ cutis pruritum tollit.* Effectum ostendit per se *capitis viperini cinis, quo oculos vtilissime* inungunt; item *adeps viperinus*. Hæc ibi Plinius. Noster Tyro tan- tum ad hunc locum excerpat *puluerem ex carne, & capite tostis*: Et si velit etiam *ad cinerem* pergat, quo vel per se vtatur in medicinis, vel ad salem extrahendum. Idem autor *cap. 4. lib. 29.* meminit etiam *pa- stillorum ex viperis*, & quomodo *caput morsibus impositum eos sanet*, vt & combustæ cinis illitus. Adiicit *eos qui aliquando* viperæ *iecur coctum ederint, nunquam postea feriri à serpente*: Item *omnium serpentum exta au- xiliari contra omnium ictus* quamuis insanabiles iudicatos. *Anguem* negat esse venenatum nisi per mensem lunæ instigatum: Si momorderit, viuum comprehendendum esse & in aqua contusum morsui imponendum: *Aesculapio* esse sacrum propter vim medicum. Commendat & *Hydri* nulli ser- pentium veneno inferioris *iecur* aduersum percussos. *Lib. 30. c. 3.* ad *strumas* remedium proponit ex vi- pera: *circa canis ortum* (aduersus Quercetani rationes) *viperam circumcidunt* (capite & cauda ad tres di- gitos.) *Deinde mediam* (quod est inter caput & caudam) *comburunt. Cinerem dant bibendum septenis diebus, quantum prehenditur ternis digitis*. Ibidem vipera, porcelli modo, inassata *iecoris doloribus* præberi traditur, & cremata cum sale in olla noua *podagras* iuuare. *Cerebrum, & dentes* adalligati *cap. 5. lib. 30.* perhibentur *dentitionem* promouere: Cinis senectæ præsentissimè *alopeciis* succurrit, referente eodem Plin. *lib. 29. c. 6.* plura legere potes apud ipsum: nos ista recensemus vt postea causæ perspiciantur qui factum sit vt tam studiose serpentum pulueres præparentur. *Bulcasis* proponit item modum comburendi *Thiros*, seu *viperas Theriacales*, & alios serpentes. *Capit serpentes Thirias fœminas rubei coloris capite extento hyeme in locis prope aquas & arbores* inuentas; (ex latibulis scilicet extractas) *easq; includit noua olla, quam argilla pilis mista armatam, obturatamq; in furnum imponit, & per noctem, vt in cinerem abeant, cremat.* Vsus ad *strofulas*. Capur quoque viperæ ad eundem modum præparat. Statim ac abscissa sunt capita absque sale fictili vitrato immittit, & tectum operculo inuoluit pasta. Postea super prunis vstulat, donec carbonum in- star fiant. Neq; enim perficit combustionem, sed aliquid humiditatis relinquit, contentus hactenus torruisse vt teri queant. Externi vsus duntaxat fuisse istos pulueres apud medicos verisimile est. Audaciores etiam in corpora ingesserunt. *Salem* mirificè commendat *Aetius Antiochenus ser- mon. 13. capit. 97.* idque ex *Martiano*. In eo capite mentionem facit integrarum quoque viperarum com-

Rana medicina.

Carnes viperina.

Collyrium ex vermibus viperinis.

Cibus ex viperis.

Pediculos tollere.

Oculos iuuare.

Ad ictus serpentum.

Anguis veneni experi.

Struma.

Iecur dolens.

Caput viperæ vstum.

De sale quã Aëtius habet transscripsit Abbatius cap. 25. de nat. vipera.

combustarum, quæ vstione deponant intensionem, & vim malignam. Addit quosdam viperas totas extendere, siccare, tritasque in potu contra *arthritin* exhibere. Galenus ait se non ipsas bestias exurere (Quercetanus vocat calcinationem *pag. 467. pharm.*) sed pastillos ex ipsis reliquis, quæ sali addun-tur, admiscere, & semel exurere vt vstione amaricies abeat. Quantitas pastillorum est ad modum salis viperarum. Non contemnenda hæc præparatio est, si modo sapientiæ & experientiæ priscæ aliquid tribuimus, quanquam Aëtius theriacam præferat salibus. Sed omissis veteribus, recentiorum medicamina excutiamus. *Baldus Angelus Abbatius Eugubinus* diligenter scripsit de admirabili viperæ natura adductis vndiquaque ex tota vetustate historiis, consiliis, sententiisque. Inter alia cap. 28. ponit etiam *puluerem ex carnibus viperinis* in clibano post percoctum, extractumque panem tostis, qui autore Gabriele Zerbo possit dari *senibus* in electuario, aut antidoto instauratiuo, quo modo possint etiam Trochisci in vsum venire, si quidem cum accommodatis porrigantur, vt & carnes in veru, vel crate ferrea torrefactas, quanquam tunc minus sint *instauratiua* propter siccitatem, quam habent etiam in sale viperino. In præfatione dedicatoria ait *carne viperina ab omnibus grauioribus morbis & venenis homines curari, & continuato vsu etiam præseruari.* Verum de cocta potius intelligit, quam tosta, nec videtur imbutus fuisse opinione vulgari nostratium, quibus persuasum est, puluere ex carbone viperino semel sumto omnem metum morborum abigi, ita vt nisi gradi mutatione facta non opus sit repetitione. Hinc colligitur Baldum istum pulueris de more nostro parandi rationem ignorasse. Osvvaldus Crollius in sua basilica chymica (ne forte putes alienum esse à chymia medicamentum) tam θεραπευτικὸν scribit esse, quam φυλακτικὸν *contra omnia venena* Alcahol serpentum, præcipuè viperarum. Abiectis intestinis, ablatoque capite, cauda, & pelle, pinguedinem pro ophthalmico seruat: carnem, cor, & iecur abluit, lenteque arefacta, seu resiccata siue per se, siue in B. M. in *alcohol* redigit, atque ita præparatum puluerem arbitratur venenum ex corpore ad cutem propellere abigendo nimirum quemadmodum Theamedes ferrum à se auertit, de quo nos *infra.* Dosin præscribit à ℥ß. ad ℥j. ex maluatico, aut alio vino generoso. Ideo vero alexiterium esse putat, quia *natura ita sit comparatum, vt vbi summum venenum est, ibi etiam sit summum alexipharmacum, & mala maiori bono copulata inueniantur.* Quæ sit ratio per balneum maris alcohol efficiendi diuinent sapientuli illi qui halitu suo venenato commentaria nostra afflant, quibusque nihil probatur, nisi quod ipsi vomunt. Nostram sententiam si quis postulet, quia à chymico magistro, & non ab homine imperito id scriptum est, arbitramur duplex Alcohol intelligi, vnum siccum, alterum humidum: siccum quidem, quando tostæ carneæ partes in puluerem conteruntur: humidum autem, quando optimo vini spiritu affuso in balneo digeruntur, donec tanquam ex mumia, serpentina extracta sit essentia, seu tinctura, quæ postea ad consistentiam sapæ, vel succi inspissati eodem balneo redigi possit, & si quis velit, arefieri, & puluerari. *Alcohol* tamen etiam ipsa extractio appellatur, tum quia vini spiritus exsiccatus, hoc est, ab omni aquositate phlegmatica exutus, id nomen habet; tum quia atomorum inuisibilium modo essentia in spiritu latet. Ista de Crolliano modo, quem ideo transcripsimus, quod vt nos calumniantur alastores quidam viperini, nostrum studium sit nihil scire, aut laborare (putant enim stulti Libanium nescire enchiremata, & tantum ex aliis referre magisteria) sed omnia ex pridem editis, tanquam cramben coctam, recoctamque reponere; verum vt iudicemus & cum aliorum artificiis collata artificia ad vsum conuenientem accommodemus. Liberalissimum illum Quercetanum (quales sunt omnes liberaliter, & sine inuidentia vt Deum, qui solem suum malis, & bonis immittit, & nullo liuore tactus mundum condidit, quia vt Plato ait, BONVS erat, quam proxime referant, philosophantes & scientes quod sapientia non intret in animam malignam) item audiamus, & cum liberali Crollio conferamus. *Tres ille descriptiones proposuit compositionis viperinæ,* mirabili subtilitate excogitatas. *Prima* legit viperas quatuor recens captas; quo ipso repudiantur diu asseruatæ, quas quidam inermes fieri putant, alii venenosiores, ambiguitate oriente ex cibo & abstinentia, &c. *Abiicit capita, caudas, viscera:* quod mirum. Crollius cor & epar retinet, tanquam principia vitalia, & naturalia, vnde potissima vis alexipharmaca. *Lauat vino. Concisis addit aromata* ibi descripta: quod temerarium alicui videatur duas ob caussas vel etiam plures. Nam si verum est quod Baldus Angelus Abbatius aliquoties scribit, & historiæ veterum, recentiumque confirmant, carnes esse innoxias, quorsum additamenta aromatica? Deinde quanta farrago eorum est in Theriaca, siquidem pro Theriaca parantur? Præterea methodo veterum ea res obstat, cumque Theriaca à Nicandri, Critonis, & Andromachi temporibus satis fuerit valida ad destinatos vsus, non debuit experimenti temperamentum temeraria augmentatione mutari. Ad compositionem insuper per se multiplicem, pene simplex quærebatur basis. Composita simplicem mutare, videtur inconueniens esse. Nam virtus simplicis mistura desinit. Hæc posset aliquis de Quercetanæa farragine dicere, etiam negando venenatissimum esse animal viperam, quod scribit ille *pag. 489. cum nihil veneni habeat nisi in excremento ichoroso ex bile circa dentes, & gingiuas collecto, quod abiectum est.* Armauit quidem se autor *pag. 493.* putans *ne momum quidem aliquid dicere posse contra confectiones priores:* Sed benè ille contra momum: at non contra amicos; qui amicitiam non in opinionum consensu ponunt, sed in animorum amicè affectorum concordia, harmonicaque conspiratione. Quod si velit irasci, dicet Aristoteles 1. *Moral. c. 6. rectius esse & oportere videri; vt pro veritatis salute vnusquisque, & præsertim philosophi sua quoque propria refutent. Nam licet amici ambo sint, sanctum est tamen veritatem ipsis in honore anteponere.* Sed mista sint aromata quid præterea? *In vitro capace affunditur excellens aqua cinamomi, vinum canariæ, vel hydromel vinosum*, quantum ad coquendum suffecerit, quanquam istis postea substitui posse dicat *elixyr vitæ magnum* pag. 50. descriptum. Hæsitet etiam hic aliquis acutior rerum æstimator. Quorsum enim hoc, nisi vt vis viperina plane exolescat? *Quod fortius est, imbecillius in sui naturam conuertit.* Desinet esse extractum viperinum toties mutatum. Iam *affusis menstruis vas clauditur ne possit* quic-

Venena omnia soluens.

Puluis serpentinus Crollii.

Accusationes sciolorum.

Viperina compositiones Quercetani.

Aromata an viperis addenda in præparatione

Vipera venenum vbi sit.

Quercetanus nimium sibi confisus.

quicquam expirare. Coctio fit in balneo luculentissimo per trientem diei naturalis: vel quo ad resoluta videantur carnes. Effusa ossa in patinam vitream aut fictilem vitratam à cartilaginea spina segregatur. Crolllus hanc non videtur neglexisse. *Semota spina reliquum colatur cum expressione: Deinde cum iusculo per setaceum transmittitur:* in quo est obscuritas quædam. Quorsum enim attinet per colum exprimere si per setaceum ius cum spissamento est traducendum? Potestne setaceum densius esse colo? Alias decocta carneorum per cribra setacea fricando traiicimus: deinde colamus: ni defessu vti placet. Quod *traiectum est essentia vocatur. Ab ea per destillationem separatur liquor*, de quo scribitur, quod sit *summum alexiterium & præstantissima aqua Theriacalis.* Fit autem separatio in vaporoso balneo. Vide quid sumseris. Si elixyr magnum, aliquid audis. Si cœtera, dubites. Sed mos est Quercetano grande loqui, & res suas verbis ambitiosis ornate, vitio tracto ex Paracelsi officina cui nimium adhæsit.

Spina viperæ non abiicienda vt sit pro cinere.

Alexiterium summum.

Quid si coquerentur viperæ purgatæ menstruo olei Caryophyllorum, aut simili; & reuocato post colaturam liquore, extractus succus vini spiritu seu alcohole ad essentiam redigeretur? Inde faceremus postea puluerem, trochiscos, electuarium, sapam, &c. aut statim inderemus eam Theriacæ. Hæc est prima Quercetani; quam tamen nolumus iudicatam; sed tantum cũ Crolliana, & aliis collatam, data ansa peritioribus ad exactè iudicandum. *Secunda* adhuc est mirabilior. *Carnes selectæ in patina argentea coquuntur igne æthereo ex vini spiritu puro ad 4. vel 5. digitos affuso, accensoque & aliquoties mutato donec carnes sint percocta; quo facto tota aqua vitæ deflagrare sinitur.* Quid hic non momus, sed amicus adnisus diceret? Nempe extractoriam esse aquam ardentem, non fixatoriam isto modo. Ignem talem haurire, & conflagratione sui dissipare spiritus in quibus hæret proprietas alexipharmaca: meliorem esse assationem, & coctionem. Nam *illa facit vt res assa suum humidum essentiale reassumat*: hæc cogit in liquorem effundere: Imò melior est Crollii arefactio, & extractio per alcohol vini: de quo quidem nos itidem indicate nolumus, sed hanc facultatem peritis, & ingeniosis relinquimus. *Cocta carnes à spinis separantur: tunduntur in marmoreo mortario; affuso paulatim proprio liquore, qui ideo prius per colum debet esse abstractus: tandem puls facta per cibrum traiicitur, quæ leni igni inspissatur.* Si cupis rotulas; gummi tragacanthæ addito malaxabis, fingesque, & siccabis. Indicat Quercetanus gummi istud aqua cinamomi soluendum esse in mucillaginem. Fors dicet quis, meliorem esse aquam propriam. Verum ille etiam olea nucistæ & caryophyllorum addit. Ingeniosi hominis ingeniosum inuentum, licet forsasse omnes malint antiquum obtinere.

II. Præparatio viperina. Estne assatio, an coctio, an vtrumq; illa spiritus vini super carnibus incensio? Videtur neutrũ.

Tertius modus. Caro viperina condiatur sale marino, vel spiritu eius, aut spiritu halonitri, quem pag. 532. commendare creditur: *Concisa inferatur in cribrum sericum, quod tegatur operculo non transmittente halitum, quale est ex linteo cerato, aut ligno. Crebrum accommodetur Thuribulo, vt fumum ex iuniperi baccis, laurique, myrrho, caryophyllis, &c. apte recipiat. Fumo isto durantur carnes ter quaterve diebus singulis recepto vsque in diem quintum donec odor probet perfectionem. Exemta inde includuntur globo fictili bipartito seu biualui vitrato: Hic argilla inductus ne possit perspirare in clibanum post coctum ad regulam panem immittitur, ibique relinquitur donec caro cum spina tosta in puluerem possit comminui.* Preciosissimus vocatur & vel ad Theriacam adhiberi idoneus, vel per se aduersus venena, dosi scrupulari. Ex hoc puluere *Bezoardicum animale* facit *pag. 532. per menstruum, sulphur, & ignem naturæ seu spiritum halonitri* per quem etiam calcinauit viperas. Putat sic in *infinitam virium potestatem* excrescere: Sed non satis probato fundamento, & citra experientiam, vt fatetur *pag. 490.* Ex magisterio Bezoardico porro extrahit *tincturam pag. 536.* assumto spiritu ex baccis iuniperi. *pag. 504.* longissimo ad eam tempore opus esse ait, & affirmat se illam *vidisse: minime vero parasse.* Arbitratur illum puluerem esse minimè contemnendum argumento *primo*, quia viperæ in suis latibulis balsamum naturæ assumant: *quod tamen non credunt plærique.* Secundo à minore: *Si Trochisci vulgares virtute substantifica* (vti opinatur) *per coctionem fere orbati habent eximios effectus: magis essentia Quercetanai modi:* Tertio: *Ex solo communi serpente puluis absque additamento incredibilia*, & tamen certa specimina *edidit*, testibus *Anhaltino illustri*, & aliis quos pag. 491. commemorat, inter quos est *Ioh. Hartmannus Mathematicus*, qui se oculatum magni alexipharmaci *contra OMNIA cuiuscunque generis venena* (recenset napellum, arsenicum, sublimatum) assumta, & cum *admiratione admirabili astantium* paulo post sine noxa expulsa, adeo vt nullum venenum tam graue sit, quin statim abigatur, &c. testem sistit. Hæc si necesse est credere; credantur. Nos de magnalibus istis suo loco. Defendit autem istum puluerem iuniperinũ *autoritate salis viperini veterum*, de quo *pag. 494.* &c. Ita se habent Quercetani cogitationes: in quibus *cor & epar* desideramus. Cæteri scientia, arte & experientia pulueris certant, mirumque est quanto cum supercilio alteri despiciant, & suggillent alteros, præsertim illi qui sibi videntur totam sapientiam cum ipsa vipera (ophitæ hæretici, ex qua fece fuit etiã Paracelsus, vt colligitur ex libro de mysteriis vermium *Tomo* VII. sapientiam, & discrimen bonorũ & malorum primo serpenti, & adhuc aliis acceptum per se, non per accidens ferunt) deuorasse. Etiam in aulis contentio est de medicamine. Quidam enim volunt *viperas* capiendas esse: quidam *serpentes nigros*: alii *ferotissimos*, argumento, quia hi habeant plus alexipharmaci, secus ac prisci cum Baldo Angelo sentiebant: nonnulli *inuentos sub corylo, albosq;* eligunt. Agyrtæ *quoslibet* venantur, in muris antiquis, fimetis, cauernis, & vbicunq; inuenire possunt hos, quos angues & colubros dicimus. Erat èques in terra aduocatorum, qui quosvis obuios collo, caudaque comprehendebat: Interdum collum pede premebat: nonnunquam colludebat. Tanta erat deuorati pulueris fiducia. Inde excoriabat truncatos vtrinq;: mox exenteratos in olla super prunis assabat, donec ferè carbo euaderent. Hunc tritum offerebat omnibus, contra omnia venena quam audacissimè. Relatum nobis est inueniri qui præter carnem, & cor cum epate assumant & linguam viperæ: alios adiicere spinam. Quidam flagellant serpentes vt exudent, expirentq; ichores noxios: alii concisos stringunt, vt omnis sanguis decedat. *Pinguedinem, caput, & pellem* in alios vsus seruant. *Abbatius* facilè persuaserit *bilem* quoque reponendam esse, quia recens data canib⁹ rarò eos occidat; sicca nunquã: Imo imposita morsibus viperæ venenum

III. Præparatio. Puluis viperinus.

Bezoardicum animale.

Tinctura viperina.

IV. Præparatio Serpentini pulueris. Grandia ingentia.

Aliorum de puluere serpentino opiniones.

Lis de genere serpentum assumendo.

Vulgaris apparatus pulueris.

Bilis viperina nõ venenum.

familiaritate naturæ euocet. Plinius quidem & alii, inter quos videtur esse etiam Spiritus sanctus *Deuter. 32. vers. 33.* damnant fel virulentiæ detestandæ: sed iste tantum materiam, aut vehiculum veneni, quod circa dentes gingiuasque in vesiculis, inque ipsis dentibus formam acquirat, fiatque spirituosum, esse contendit. *Vidimus pulueres varios, nigros, fuscos, flauos, epaticos, cinereos* : Et sane fit varius pro gradu assationis, & mistura. *Pro summo secreto descriptionem talem accepimus*, titulo: TINCTVRA HVMANA: *Plena luna inter D. Iohannis Baptistæ & Iacobi effode magistrantiam syluestrem, non hortensem, in summis alpibus inueniendam*: Item *radicem saniculæ rubræ*, quæ raro occurrit, estque inter multas plantas quærenda, vt aiunt. *Cape & viperæ cor, cum iecinore ex viua extracta, posteaque dimissa.* Nemo autem viuæ demere cor, & epar potest ni prius viperino puluere alretatus, ne eum mordere possit bestia. *Cor & epar leni calore super prunis in sartagine munda torre*, vt in puluerem deteri queant. *Radices arefacere debes, & conterere. De radice vtraque tantum cape, quantum de corde & epate. Misce: serua, & caue ne humescant. Non potes in sole exiccare. Nam spoliarentur humido insito cum virtute alexipharmaca. Dosis quantum apice cultri potest prehendi.* Ita immutari hominem vnica dosi dicunt, vt totus per omnem vitam à venenis sit tutus. *Est secretum secretorum.* Probatum contra *serpentes*, & *araneas*, quibus & plantago aduersatur. Qui schedam descriptionis communicabat Natrices scripserat. Natricem autem esse hydrum, vel etiam chersydrum, serpentem in aqua ranas venantem, & in terra alios cibos, notum est. Quidam *lacertarum carnes, corda* & *epata* eodem modo præparant, & prædicant. Alii sectantur *Buffones*, & epar cum ossibus in medicamentum admirabile assumunt. Ita dum alter alterum scientia & arte vult vincere, *portenta terrarum vertuntur in medicinas*, quo ipso necesse est per mortes agi experimenta dubio medicamine imo naturæ humanæ horribilibus monstris in vitæ aleam quæsitis.

Tinctura humana.

Puluis lacertarum. Buffoninus.

Capvt XIV.

De viribus & vsu pulueris serpentini.

PErtexenda est hæc tela, & medicamentum illud Theriodes etiam ad vsum transferendum. Plærique agyrtarum nostri temporis (Est enim ille puluis à plebeis hominibus, & empiricis, mirabilium mysteriorum iactatoribus in vsum introductus & ne à Paracelsicis quidẽ, quamuis hi ingentia ex Paracelso ophite de vermiũ miraculis proferre soleant, & suum album in Germania serpentem immodicè deprædicare *a*) persuaserunt hominibus, *puluerem serpentinum vel semel duntaxat in vita exigua dosi sumtum, totos sic immutare, & tingere vt de cætero non tantum à nullo serpente sibi metuere debeant*, quandoquidẽ à nullo etiam virulentissimo seu morderi, seu lædi perniciose, atq; ita omnes securè tractare queant: *verum etiam à veneno nullo siue illud sit animale, siue minerale, siue plantale*, à quibus transitum est ad aereum quoq;, & *pestem*, qua dum ante annos non multos montana, vbi est *Biruthum Marchionis*, infestarentur, non defuit qui puluerẽ anguium vulgarium omnibus offerret, & sumto arsenico, argentoque viuo sublimato vim antipharmacam in se ipso, & canibus comprobatam reddere studeret. Peruasit eius rei fama celebres vrbes, & aulas nobilium principumq;, adeo vt quidã ex nobilitate, quod nobis à fide dignis relatum est, atq; etiam ab ipso Nobili commemoratum, non dubitaret illustrissimo Georgio Friderico, qui in beatis, tanquam preciosissimum alexiterium offerre, licet ab eo repelleretur, iubereturq; suo puluere beatus esse. Horruerunt tamen etiam priuati porrectum potare. Itaq; serpentis nomen fuit supprimendum, & aliud medicamini vocabulum prætexendum. Nos re maturè cognita interrogati de vsu & materia, respondebamus tunc *satius esse ignoratum puluerẽ cum fiducia, seu firma salutis persuasione bibere, quam soliciè, quid esset, scrutari*; *quandoquidem in simplici ista inscitia cum credulitate tantum esset, vt vel sola multum valeret, & rei notitia plus nocere posset, quam prodesse.* Narrabat eques ille grandia, quo modo tum ipse in inuiso sibi cane vim medicinæ explorasset, cumq; postea vellet veneno aucto sine puluere eum è medio tollere, non potuerit: tum quam promptè & innoxiè in pharmacopolio publico circulator, à quo notitiam centum florenis redemerat, arsenicum album, deuorasset, ita vt paulo post venenum cum breui tormine decesserit: præterea etiam ipse ab assumto posset serpentes impune capere, & pro libitu tractare. Interim infectione aerea serpente, & altero alteri medicamen cõmunicante, potissimumq; captatoribus bestiarum mercem vulgantibus, effectum est vt *doliola serpentum* in celebria emporia inferrentur, venumq; ea merx exponeretur, quã alias homines natura abhorrent, confluentibus ad rem nouam pueris, qui à mercatoribus istis bestialibus animari discebant, audebantq; cum anguibus, tanquam Heraclidæ, aut psylli, marsorumq; progenies essent, colludere. Multi re perspecta tunc arbitrabantur serpentes Germanorum non esse venenatos, & erant sane illi de genere domesticorum, ex ædium cauernis, & sterquilinio extractorum, quales in ferinis circa *Burgbernhemium* abundare, & nonnunquam lauantibus arrepere, & tanquam mures Diogenis parasiti esse solent, & quales *Matthiolus* in Italia quoq; *domorum incolas mitiores* esse scribit. Addebant aliqui aliquid ad carbonem serpentinum, aliqui nihil, incipiebatq; vt fieri solet, res abire in factiones diuersas, & *quo quis impensius lucro inhiabat eo fortius sibi VERVM puluerem esse attestabatur*, & audacius venena gluriebat. Non opus est verbis multis. Quid tributum sit medicamini in *Bohemia, Germania, Gallia*, habemus *Crollium*, & *Quercetanum* cum suis testibus. Crollius quanquã aduersus omnia venenorũ genera Mumiæ extractum, mox etiã arcanum ex sanguine ciconiæ, potissimum contra mercurium sublimatum, arsenicum, napellum, puluerem *adamantis* (quem teste Garzia immerito venenis ascribit) virus aranearum buffonũ, phthoræ, cerebri felium, *menstruorum* muliebrium (quæ & ipsa extra cacochymiam negantur venenata esse, nisi corruptionis gradum deleterium & pestilentem quodammodo sint consecuta) proponat: tamen & viperinum seu serpen-

Alexipharmacum vnices duntaxat vsus.

Serpentum dolia venalia.

Serpentes domestici minus venenati: adde foetia animalia capta plerq; quæ esse blandiora.

Agyrtarum certamen & ter verum habeat puluerem.

Vis antipharmaca pulueris serpentini.

pentinum alcohol *contra omnia* describit, vt præcedente capite relatum est, quanquam vt medicamenti vim commendet non satis firmum argumentum *à populari carnis viperinæ in cibo vsu* producat, quasi necesse sit eximiam vim medicam habere id quo impune vescuntur populi, quo modo quidam etiam suas *Panaceas, terras sigillatas*, & similia prædicant, quia vel inter pocula securè bibi cum vino queant. At *non potest multum potens contra abnormia venena esse id quod cum cibo, aut potu vsuali etiam toto sumtum hominem vti est relinquit, & non valide immutat*, quale debet esse quod exigere ex corpore venena proprietate antipathias iugulata debet. Paracelsici tamen putant argumenti vim solidam esse, quia *medicinis scientiam asscribunt, & prædestinationem singularem*, quasi non agant, nisi in homine inueniant inimicum, sicut nec magnes trahit vbi non est ferrum; & stibium peculiariter ferrum adoritur.

Non sunt magnarum virtutum medicina quæ indiscretim sine noxa comeduntur.

Sententia medicinarum apud Paracelsistas.

Verum non esse huic ratiunculæ confidendum eadem monent exempla. *Magnes* enim assumtus non quidem ea vi agit qua ferrum attrahit: at interim alia corpus fatigat: *Stibium* si ferrum non inuenit, inuadit argentum & aurum: *Aqua caustica* efferuescit iniectis metallicis, & *spiritus halonitri* soluto metallico, aut oleo tartari commissus ebullit, quod non fit si scobi ligneæ addantur, & ossibus: interim autem nec his parcitur. *Ignis* non consumit aurum, sed argentum & imperfecta, comburitque cremia; non asbestum & lapides firmiores: at quæ vis illi sit in calcaria saxa, inque hominum, bestiarum, plantarumque & plurima mineralium corpora, scimus. Quod si & amianthum, aurum, magnetin seu talcum, adamantem, aliasque gemmas solidas non destruit, sed integra compage relinquit; non tamen omnino immunia ista dimittit.

Sympathia quorundam.

Quod *Quercetanus cum suo Hartmanno anguino meditamini plus quam hyperbolica attribuat*, ex magnificentia ampullarum in pharmacopœia est cognoscere, quanquam bonus ille Quercetanus amore potius peccet, quam per experientiam propriam, syncereque iudicatam verum profiteatur. Nobis Hartmanni exempla valde sunt suspecta. Scimus enim esse quoddam hominum genus audacissimum, quod nulla naturæ vi, sed tantum audacia, & fortissima imaginatione naturam cohibet, vt calor natiuus, virtusque ventriculi non leuiter saltem in medicamentum agat, idque ad actum non admodum promoueat, quo modo nouimus etiam purgantia assumta, imaginatione vel cohiberi, vel promoueri. Horum audaciam nemo temere imitetur.

Hartmanni historiola suspecta.

Est *aliud genus* quod *vsu quodam venenorum surdum callosumque reddidit ventriculum*, vt veluti Turcæ suum Maslac, ita ipsi venena pati possint, & sane ea quibus adiunctum est alimentum (sunt enim mista ex partibus diuersis) facilius tolerant, etiam crebrius ingesta: Sed mineralia, (arsenicum, auripigmentum, sandaracam Græcorum, &c. quibus mures occidimus: Cadmiam venenosam, quæ muscas, canes, hominesque interimit; argentum viuum à calcantho sublimatum, Misy, sory, &c.) incorrecta, nulloq; prægustato antipharmaco, aut liquore præmisso, crebrius, & maiore copia neutiquam possunt ferre. Est & *genus quoddam impostorium, quod butyrum, lac, cereuisiam butyratam, oleum & similia in ventrem demisit*, vt submissum medicamentum diluatur, nec possit vim in partes corporis exercere. Canes, gallos, feles, & sues aliasque bestias in experimentum producere patum facit ad securitatem. Aliter istæ sunt affectæ ac homines; & vt singuli horum, ita & istorum magnam habent differentiam, vt concludi non possit, si aliqui singulariter dispositi sine læsione euaserint, omnes euasuros.

Venenum in bestiis probare dubia est fides.

Baldus Angelus Abbatius in descriptione viperæ Palmarianum repræsentat ingenium. Vt enim contra nos scribebat Palmarius de igne naturæ, huius ope effici vt venena & alimenta mutuo commeent, possitque fieri ex præsentissimo veneno (realgare, arsenico, sublimato, cadmia muscaria, &c.) absque vlla notabili additione & subtractione salutare medicamentum, atque etiam nutrimentum: ita *Baldus de vipera disserit, ea sanari morbos in intemperie occulta, manifesta: cum vel sine materia; organicos, communes: ea nutriri corpus humanum & non tantum pasci, verum etiam recuperare statum, & calorem, coloremque iuuenilem & in longum æuum conseruari*, cui optes vt nihil edat nisi viperas, præsertim cum harum carnes ab omni nocumento absoluat, & naturæ id tribuat, quod Palmarius arti per ignem naturæ. *Ista si vera essent, quorsum opus foret tantos aceruos vniuersalium medicamentorum cum magno sumtu molestia maiore, clamoribusque & iactantia maxima comminisci, & parare?* In vna vipera habemus vim omnem nutritiuam, præseruatiuam, sanatiuam, si iactatoribus credimus. Temere tota pene vetustas *Elixyr* suum per multos menses præparauit, & studiosissime occultauit, si in vipera sunt omnia. Quorsum Quercetani *Panacea ex stibio*? Quorsum *Aquila cœlestis, altera ex sublimato Panacea*? Quorsum *spiritus ille plumbi Catholicus*? Quorsum gloria *auri potabilis*? Quorsum *mumia microcosmi*? Quorsum tot *compositiones alexipharmacæ* vniuersales apud Crollium, Quercetanum & similes? Quorsum *vniuersale ex vitriolo*? Ex *tartaro*? Ex *tartari oleo cum spiritu sulphuris*? Ex *chelidonia* apud Quercetanum? Ex *oleo auri* apud Penotum? Ex *oleo salis* contra infinitos morbos apud eundem? Ex *quinta essentia marcasithæ saturni*? Ex *vino & tartaro* per lapidem vegetabilem? Ex *sanguine hominis* per lapidem animalem? Ex tot *gemmis*? Imò & ex monstris naturæ? Qui fit vt non respondeat euentus, vel in sola vipera? Plærumque vero istos *gloriatores propria confundit experientia. Nullum* enim *iuuentuti* restituit, & *ab omni morbo defendit suum medicamentum*. Plærique non attingunt annum septuagesimũ, terminum illum Mosaicum; *pauci* etiam *quinquagesimum transeunt*.

Omnia vniuersalia Paracelsica per vnam Viperam abrogari si vera sunt attributa.

Cumulus Catholicorũ apud gloriatores.

Vniuersalitis iactatores ferè non sunt diuturna vita.

Deinde Baldus ille, & quicunque alius immodicarum laudum ferè oblitus, suis dictis fidem *diuersa scribendo* demolitur; quod facile probare possemus Abbatii libello, in quo sunt multa inscitè, incauteque scripta. Crollius tanquam arietinũ, aut adamantinum eo auctore reposuit: *Admirandum, serpentis astum in orbem terrarum intrasse: & mirum ex vipera nece, eiusque carne ab omnibus grauioribus* (multo magis leuioribus) *morbis atque venenis curari, & in pristinum restitui: Et continuato viperinæ carnis esu, ab OMNIBVS morbis præseruari, quod etiam omnem admirationem superat.* Ita ille. Quis quæso Theologus non istam comparationem irrideat? Quis vel vulgari mundi experientia non conspuat, & mendacium vocet? Quis logicorum ferat? Serpens non suo astu, verum Diaboli, decepit Euam: at vipera dicitur sua vi morbos tollere. Num & hic Diabolicum

Argumenta logica de vi pulueris viperei.

 licum

licum quid subest? Deinde serpentis, hoc est, Diaboli insidiis in mundum intrauit mors duplex, maximeque spiritualis: Vipera facit contra morbos, vt aiunt: Sed non contra mortem, & sic neque contra omnes morbos, neque semper, nisi fortè adhuc in seculo superesse putamus viperarum heluones priscos. Præterea quis curatur nece viperæ? Alius est qui nos sua morte à nece liberauit, de quo legimus Ioh. 3. cuius typus fuit non vipera, sed ænea serpentis in deserto suspensa imago. Omnino analogia ista est alogia. Neque enim par ratio est peccati, & per hoc mortis duplicis introductæ, & carnis viperinæ ad morbos corporeos. Apud Plinium plurima antiquitatis remedia leguntur contra morsus serpentum: o imperitam antiquitatem si carnes viperinæ sanant non morsus tantum sed omnes omnino morbos. Stultitia ista in Paracelsi deliramentis legitur, non in sanorum hominum commentariis sanis. Ecce vero incedentem superciliose illum pomposum? *Magnum polichrestum alexipharmacum contra OMNIA cuiuscunque generis venena.* Mirum. Num etiam contra dipsadem, serpentem sactum, & Indicum illum apud Aristotelem? Quid si tu ne nosses quidem omnia venena, nedum expertus esses? Nimium facilius est polliceri quam præstare. *Vidi*, inquis, *contra grauissima venena, arsenici, sublimati, napelli tribus diebus continue ab experto medico assumtorum intra corpus, sed paulo post sine omni noxa ab adhibito puluere expulsorum, cum magna & admirabili admiratione astantium*, δοκιμασίαν.

Mendacia iactatoris cuiusdam de puluere serpentino, si ille Vorator syncere non pragustate antidote egit, aut alia Vsus est techna.

Legimus sane hoc cum magna & admirabili admiratione in vulgus editum. Quis credat *continue* assumta? Non est ista continuitas neque Physica, neque mathematica neque medica: neque philosophica aut Ethica, imò vix Grammatica. Fors enim continuis voluit scribere iactator. Deinde si expertus fuit medicus qui assumsit, vide ne assuetudine venenorum callum contraxit, aut aliquid tacitè præmisit. Vulgares agyrtæ aiunt, si quis semel vsus est serpentino puluere, eum postea impassibilem à venenis esse. Cur non periculum factum in ægroto? Cur non in eo qui ante non sumsit neque venena, neque serpentinum remedium? Egesta dicis à puluere paulo post ista venena. Nimirum & hoc suspectum. Nam serpentum puluis non purgat ventris sordes, & camarinam, per aluum; sed mouet à centro ad superficiem, quod veterum experientia in viperis probat. Deinde alexipharmaca iugulant saltem non expurgant venenum excepta ad cutem profligatione. Imo *si quis bonam Theriacam prabeat, inbiberi debet purgantis assumti effectum.* Qui suum ventriculum prius butyro, vel oleo vel lacte, aut similibus obleuit, in eum non potest erosiuum venenum agere; sed natat, læuoreque vasorum adiuta natura facilè secedit. Alias cogita, si nudum ventriculum contingeret sublimatum non correctum, aut arsenicum, quam firmiter se infigere, & hærere possit adeo vt à puluere non iam breui queat liberari, & exigi. Qui sapiunt magis, dicunt *spiritum spiritui obuiam ire*, & postea corpora mortua non posse noxia esse, sicut fit cum sublimatum occiditur hydrargyro, & liquor ex antimonio & sublimato stillatitius, vel deliquio factus, spiritu halonitri, vel simili. Illa vero occisa corpora si à natura non abiguntur debere cathartico euacuari. Hoc vero similius. Incircumspectè ergo scriptum est à pollicitatore. *Nullum CERTE tam graue venenum EST, quin eo STATIM abigatur. Quid temerè iurasti non omnia tentasti?* Tua illa δοκιμασία ex quibus profluxit principiis? Num vniua medici adamantinus, aut affectus medicamine, vel vi naturali, aut imaginatione valida ventriculus satis est ad decretum vniuersale? Philosophus ex accidente euenire vult, si quid non καθόλου, aut ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Vnum oppidum non potest omnibus in toto mundo cauere. Antidotorum excessus æquipollent venenis. Num & tuus puluis anguinus?

Quæstiones tres de puluere.

Quæsitum à nobis est quid sentiamus de popularibus circumforaneorum, & plebis variæ promissionibus: 1. quod semel sumtum puluere per totã vitam securos à venenis reddere perhibeant: 2. quod dicant non tantum contra assumta venena, verum etiã pestem ex aere & æthere, aquis, locis, &c. item morsus, ictusq; venenatorum seu animalium, seu telorum facere: 3. quod asserant nullum præterea medicamentum in eo efficax esse qui semel serpentinum comederit. Respondimus *vanas iactantias esse, & vbi FIDES illa Paracelsica deest, imo ne præsente quidẽ aliquid memorabile contingere.*

An semel sumtus pulnis serpentinus semper caueat de venenationis metu.

Primæ quæstionis assertio iugulatur adhærentibus. Si enim ita tingitur & firmatũ corpus, spiritus, humoresq; hominis vt in totam vitam impassibilitas à venenis redundet: debere etiam firmari contra omnes alios morbos, morborumq; caussas iuxta Catholici prædicationem. Ita enim argumẽtantur: si maiora depellit pericula, magis minora. At hoc refutat experientia. Hoc: *Si à maximo malo, custodit, magis à minoribus*: inuertitur. Ille puluis non potest arcere mala ex errore diætæ, & non efficere quin corpus cibis, potibus, aere, affectibusque & obstructionibus, integrique solutionibus lædatur: quid poterit in magnis? Si qua securitas est, ex persuasione, & fiducia aut prægustatis, præfirmataque natura est, nõ ex vi medicaminis, quod cum & ipsum alterabile, & concoctile imò & putredine corruptibile sit, à validiorib⁹ pati cogetur. Quæ vero stultitia est affirmare à tantilla particula assumta tãtam, tamq; firmam esse immutationem? *Alteratum sequitur naturam alterantis.* Ergo comestor ille viperinus vipeream induet crasin. *Viperas viuas vipera mortua carnibus interfici tradit Baldus.* Benè tibi à secundo vsu pulueris cauisti, ne intereas vt vipera, modo etiam ab humano sputo, & aliis serpentum deleteriis possis esse tutus. Veruntamen si tam innoxia est caro serpentum vt scribit Abbatius de vipera, non reformidandus erit repetitus esus. Aliqui concidunt effatũ istud genericum, & dicunt *singulis mensibus repetendum esse*: aut facta grandi mutatione; vt si vir aliquis strenuè potauerit, aut excanduerit, aut inhorruerit: vel in coitu fuerit: Si mulier passa sit menses, *quos tamen pati non debuit; si, vt Crollius dicit, sunt venenati.* Nam serpentinus puluis venena interimit. Sed neq; in istis est aliquid momenti, debentque illi iactatores prius sua enunciata conciliare, & inter se conuenire. *Secundam quæstionem discussit experientia. Falsum enim est non interire peste eum qui puluere serpentino est pratinctus.* Imò tam fortiter experientia refutauit istud mendacium, vt magnum pondus detractum sit *dicto OMNI.* Etenim naturalium animaduersores, & synceri experimentorum indices deprehenderunt *contra aëreã & spiritalia venena nec præseruando, nec curando quicquam proficere.* Ergo nec contra contagia. (b) Si non præstantius munimentum principum aulis & regum decernis, actum erit cum illis in peste. Bonus ille Quercetanus, qui laboriosissime in pharmacopœam & alexicacum, quicquid vspiam esset cor-

Serpentinus puluis pestẽ ex aëre & cõtagio nec arcet nec curat.

corrasit (pepercisset labori fiducia vnius serpentini si non dubitasset) alexipharmacorum, & aliorum medicaminum quæ pro probatis habuit, simplici credulitate, cum nullam ipse haberet experientiam, pro sua grandiloquentia scripsit *vnicum serpentis puluerem.* (Ita loquitur in alexicaco pag. 38e. sicut Baldo sæpe particula SOLA excidit) *esse præstantissimum OMNIBVS ALIIS postpositis* (Ac nondum vllus pharmacopola clausit suum pharmacopolium) *alexiterium, & vere regium remedium,* (At Marchio nolebat tale regium) *siue res sit cum venenis assumtis quibusvis, siue cum pestibus & omnibus epidemicis, & pestilentialibus ad vindicandum, & præseruandum.* Hæc Quercetanus: qui si vita diutius frui potuisset, proculdubio hoc magnificum correxisset, aut etiam ex suis libris expunxisset, detestatus fidem nimis citam. In Gallia sane Quercetano defuit experientia. In Germania nihil præter auditum habet. Germani vero falsum experti sunt alexiterium. Quamuis mirè prædicent aliqui (scribit amicus quidam noster medicinæ peritissimus) corda serpentum & puluerem, non tamen facilè fidam, cum nuper apud nos qui innoxiè araneos deuorarat sæpius, febre pestilente correptus interierit biduo: alii duo à serpentibus læsi decubuerint lethaliter, periissentque nisi alexipharmacis eis subuentum fuisset, &c. Hæc historica multum detogant prædicationibus istis ingentibusq; promissis. Nos substituere voluimus sæpe Trochiscos viperinos ex Italia recens petitos, idq; etiam amicis suasimus, si fortè in his foret maior fiducia. Sed neque in his, neque in Theriaca est totum. Vide ergo cui fidas. Nos, qui consulimur in eiusmodi morbis, multa respicere oportet, & in primis veneni morem, seu crasin diligenter explorare. Non possumus omnia vnico isto & solo puluere amoliri. Illud ipsum suboluit proculdubio etiam Quercetano, qui ideo viperis suis tantum cumulum aliorum antipharmacorum addidit, quod absurdum & temerarium est, si serpentis sola caro omnia potest. Imo sub iudice lis est, sitne caro viperina venenum, an non.

Cardanus, Palmarius, Paracelsus (*c*) & asseclæ contendunt venenum esse, & inde trahi Theriacæ vim principalem: quo ipso exemplo etiam se tuentur, cum volunt in lapide Philosophorum ex atrocissimo veneno facto esse simul vim summam alexiteriam. Ideo alii tot Bezoardica pro correctione addunt: alii putant magistrali præparatione per ignem naturæ fieri alterationem. Baldus scit & nescit omnia. *Sola vipera* (inquit) *est amuletum omnium venenorum; eamq; 12. modis venire in vsum asserit, nempe toto corpore: carne: pelle: oleo: ossibus: pinguedine: puluere seu cinere: laqueis: pastillis: antidotis: vino: salibus.* Idem, vt dictum est, *nutrimentum, & medicamentum vniuersale lex sola* facit. *Venenum* vbi ponat, vix inuenit. Modo enim est *in dentibus* per se, adeo vt etiam extracti è vipera, si quis eis pungatur, possint mortem afferre. Modo in *gingiuis & vesiculis. Bilis* dicitur esse non venenum, sed materia, & tamen ea imposita morsui viperæ creditur venenum ad se trahere similitudine naturæ. Iohannes iuueois scholio in c. 9. Gal. de Ther. ad Pis. scribit in capite quidem confici venenum; at in cauda eius per conuolutiones & contorsiones plurimum cumulari, quod Galenus dicebat τὸ ῥυπαρώτερον τῆς οὐσίας. Aliis *sanguis & sudor* cum halitibus est suspectus. *Spirituale venenum dentibus; corporale gingiuis & vesiculis ascribitur;* Qui tutissimè agunt stringunt serpentes, intestinis spoliant & cute: abluunt carnem, assant, coquuntque vt ne mica quidem veneni possit subesse: Imò ne sic quidem acquiescunt. Nam corrigentia addunt, præsertimq; antipharmaca, non cogitantes fieri posse, *vt duo antipharmaca se perimant, pereatque salutaris essentia.* Si non venenum subesse putarent, in quod alexicaca illa agant, non apponerent quicquam. Si carnes sunt venenum esu non sunt tutæ, vt nec aspides contra sententiam Plinii *lib. 29. c. 4.* & aliorum experimenta. *In capite tantum residet venenum*, inquit, Baldus. Si hoc verum est, frustra accusatur cauda, cutis, intestina, &c. Gal. *de Theriaca ad Pisonem cap 9.* ait in capite elaborati venenum vt in parastatis semen, & lac in mammis. Caudam, quia excarnis, abiici volunt, non quia venenata. At hæc ratio petit apud eos qui etiã ossa legunt pro medicamine. Paracelsus scripsit ad Theriacã legi Thirũ, quia minus rabificæ potestatis habeat: Alii putant in venenatiore esse plus alexipharmaci. Vnde assumi aiunt viperas, quia harum venenum satis est atrox. Lege argumenta Abbarii cap. 11. de natura viperæ. Sit non venenum: Ergo aut nutrimentum aut medicamentum, aut mistum. Nihil magni faciet seu nutrimentum sit seu medicamentum alimentosum. Medicamentum ergo purum, & quidẽ antipharmacum. Si hoc, temerè assumtum tam lædet quam venenum. Istis dissensionibus nonne fit res incerta? Si venenum ideo tollitur à viperæ & serpentum carnibus, quia contraria genere conueniunt & sunt ipsæ venenatæ: vnde & vipera à sui generis carne interficitur: inscitè negantur veneno delibutæ esse. Deinde si sunt venenatæ, quis credat earum crasin, quæ est singularis, & potest fieri vt etiã in singulis, ætate, sexu, cibo, locis, &c. sit discrimen, omnibus simpliciter venenis oppositam esse? *Massaria temperamentum viperis attribuit frigidum siccum:* vetustas *calidum siccum.* Vtrum sit, *quomodo potest iuxta Baldum esse optimum nutrimentum, & simul summum contra pestem, aliaq; venena præsidium?* An etiam sapiunt qui tam delira hominibus persuadere conantur? Maiorẽ vim Scorzoneræ, contrayeruæ, Rhinocerotis ossibus, Bezoari, &c. inesse & credi & tuto comperiri potest, quam istis ambiguis carnibus quas oportet etiam in Theriaca pluribus alexipharmacis stipare vt sint vtile antidotum. *Quæstio tertia affirmata nihil habet veri.* Ex hypothesi sanè si puluis serpentinus adeo mutat corpus vt contra omnes morbos, pestẽ, venena & alias caussas morbificas sit quasi adamantinum, καὶ ἀπαθὲς; nihil debent in id posse purgantia, & alia valida actiua. Sed hoc falsum esse docet euentus. *Nam etiam sæpè comesta viperina carnes, & serpenteum Germanorum puluis non potuerunt inanem reddere vim etiam leuiter purgantium.* Nos ipsi vidimus febre, scabie & aliis malis laborare eum, qui gloriæ sibi ducebat comedisse serpentinum. Eundem purgauimus & aliis medicinis restituimus. Mortuus tandem est peste patria. Præterea variant præcones in hoc quoq;. Etenim quibusdam asserentibus nihil posse post sumtum puluerẽ alias medicinas, se opponunt qui statuunt, non esse sumenda alia illo præmisso: argumento, *quia vis eius tunc euanesceret.* Habeto tibi lector, ex his πόρισμα; *non vtendum omnino esse serpentino; quia si necessitas aliqua te in morbum coniiceret* (id quod fieri posse experientia cognitum est) *nihil tibi prodesset ex aliis medicatio, nec iuuaret etiam resumtus puluis.* Præterea. *Si vis eius euanescit alio sumto antidoto, falsum erit quod omnibus venenis*

& pesti poßit resistere. Si item affectu, mẽstruis, ebrietate, magna cõsternatione &c. virtus abolescit, quãto magis contagio, & pestilentia? An vero nullo morbo moriuntur viperæ? Debent nullo mori quia

De vetustatis attributis.

in se habent antidorum. At qui fit vt torpescant frigore? Atqui vetustas tamen viperarum vsum egregium esse annotauit. Egregium inquam, sed non hyperbolicum si quidem eorum verba ex principiis æstimes, & non dilates in ampla vltra cancellos veritatis. Auicenna, Galenus & Aëtius, &c. monuerunt non temere vorandas esse carnes viperinas, quia *Phthiriasin* (d) inducant, quod Dioscorides tamen absurdum iudicat. Illi vero rationem addunt, quia *excrementitiam materiam ad superficiem pellunt, ex qua in cute nascantur vermes: Inde euenire vt cutis quoque deglubatur vtentibus, sicut viperis detrahitur senecta.* Si quis ergo velit salubriter vsurpare serpentes, eum oportet ab impuritatum lerna expurga-

Purgationes præmittendæ vsui viperino.

tum esse. Ad *Lepram* valdè prædicant: Et quia pellem deiicit illud edulium cum sordibus, ideo *renouare* asseritur. Magniloqui id extenderunt ad vitæ mitandam prorogationem, & iuuentæ conseruationem, confortationem, & robur sensuum abutentes verbis Auicennæ ad maxima quæque. Hinc illa Paracelsicorum commenta. *Fernelius* negauit sanatam esse vsu viperino aut Theriacali lepram: neque id immerito, si *Elephantiasin*, quam morbum calidum siccum esse dicunt, & ob id *argento viuo frigido humido* sanandum, intellexit. *Plinius* refert *Antonium Musam insanabilia visa vlcera isto medicamine curasse*: Vnde Cardanus argumentum sumsit ad *phthisin*, & *tabem* ex pulmonis vlcere curandam. Si

Lepra: Morphaa, &c. per serpentis melanoti confectionẽ curanda. Gallina medicata. Cutis à cibo serpentino mutatio. Vinum defæcato.

hoc ita est, non citra rationem ad *lepram* & *cancrum*, & *elephanticam* traductum est. Ita Iohannes Anglicus vt lepram, morphæam, aliasque cutis impuritates tollat *serpentem nigri dorsi è loco sicco capit, & caput, caudamque abscissa in fictili nouo comburit pro locis depilatis crine vestiendis* inuncto melle, puluereque inseminato: quod etiam de *cinere capitis murini* legimus apud Galenum *cap. 9. de Theriaca: medium flagellat donec sanguine exoneretur: Deinde decorticatum lauat aqua calente salsa; hinc vino calido; tandem coquit cũ vino, nuce moschata, zingibere, tormentilla, & cinamomo, atque ita carnes abiectis intestinis laboranti præbet.* Aliquando præsectas partes butyro incoquit, & linimentum facit ad *tineam, pustulam, morphaeam.* Serpentem coquit cum hordeo, vel tritico, hisque pascit *gallinas* donec plumas abiiciant. Post has assatas offert *leproso* comedendas quousque vertiginem incurrat. Addit aliquando *Theriacam* ad cutem, & carnem *renouandam.* Pinguedine inter assandum exeunte linit cutem, & faciem, eaque omnia, vere & autumno præmissis vniuersalibus, idq; iuste. Nam quod *ille cibus cutem mutet*, non tantum apparet ex serpentum puluere comesto, & auibus (gallinis, falconibus, &c.) pastis, verum etiam *vino viperino poto*, cui creditur quoque si feculentum sit puritatem & diuturnam durationem afferre, vt obseruatum scribit Abbatius. Cutis & pennæ ideo defluunt, quia proprium est huic medicamini, superfluitates ad pellem protrudere seu vt Aetius loquitur sudorem, ex quo consistente circa cutem pediculi nascuntur in his qui sunt impuriores, donec tota camatina propulsa simul cessent & pediculi, efficaciter mouere, (de salibus potissimum ei sermo est) vnde necesse est pilos, plumas & epidermida separari. Si foris imponitur, attrahit, vt in depilatis. Alias promittunt veteres etiã *claritatem oculorum, arthritidis dolorumque podagricorũ solatium*, remedium ad *strumas*, & *scrofulas*, item *neruorum vitia, otalgiam, odontalgiã, morsus viperinos* externo appositu, &c. de quibus vide Auicennam, Galenum, Dioscoridẽ, Aetium,

Synalismus à sale viperino: alias etiam ab antimonio. Pestis prophylacticũ. Salis viperini vsus quotidianus. Theriacæ Encomia nõ respondere experientias nostras, vt videantur veteres quoque immodici fuisse in laudandis medicinis, quod patet & ex myrepso.

Plinium & alios qui etiam *quartanas* appensu capitis, & vsu salis tollere posse confidunt, estque in laude salis prolixus Aetius sermone XIII. cap. 97. vbi vsum salis viperini commendat propriè in affectionibus cutis, *Leuce, Lepra, impetigine fera, elephantiasi, alpho, scabie fera, defluuio capillorum.* Addit quosdam *sputa pituitosa reiectare pro pediculis*: quod est argumento cum hydrargyro quandam affinitatem habere viperas. Idem præbet salem ad *suffusiones* incipientes, *menses nimios, venena, & ictus venenatorum*, tanquam prophylacticum, & alexiterium exemplo Mithridatis: cum myrica herba sales istos opponit *constitutioni* pestilenti: Item *morbis omnibus*, maximè *renum*, vt *calculo, tabi*: &c. Item *cephalea, vertigini, epilepsia, arquato chronico, spleneticis, colicis, hydropi, bulimiæ, tussibus, rigoribus, tabidis, resolutis* seu *paralyticis, podagricis*, &c. Non est profusior ex veteribus quantum cognouimus, in salium Theriacalium præconiis autor, vt videantur recentiores ex Auicenna & Aetio sumsisse encomiorum materiam. Verum is diuturnum admodum, & *quotidianum, ad prandium, & cænam, vsum præscribit*, iubetq; liberatos à podagra continuè eos vsurpare adeo vt liceat vsque ad XIII. cochlearia per diem sumere. Quæ de quotidiano vsu salis, qui est cõposita quædam medicina & nõ immerito suspecta tali vsu, Aetius commentatus est, ea à nostris trahuntur ad carnes, easq; non continuatas esu, sed vix semel atq; iterum sumtas parua dosi per totã vitam, *ad omnia omnino mala*: cum veteres ne Theriacæ quidẽ tantam vim ascripserint, multo minus comprobauerint indubiis experimentis, vt vt etiam huic legimus *diuina, & quæ nec fidei nec experientiæ satisfactam* attributa esse. Quantum confisum sit ei ab Antonino Imperatore, & Cæsaribus, indicat Galenus; verum id non semper ratione viperarum, nec opinione catholici medicamenti. Etenim compositio illa *aduersus venena tantum* ab initio sine viperis fuit parata. Habuit ergo vim antipharmacã ante receptas, quæ procul dubio etiam fuit comprobata experimẽ-

Veteres modestiores Theriacam tantum venenis opposuerunt, nõ omnibus omnino morbis. Interpretum additamenta gloriosa, ex quibus postea catholici opinio.

tis fontium. Si euasit *vniuersalis medicina* post admistas imitatione Nicandri ab Andromacho, qui temporibus Neronis vixit, cur id nõ fuit nec agnitũ ab autoribus, nec compertũ exemplis, neq; etiã contra omnia mala proclamatũ? Imò cur apud posteros, atq; etiã gloriosos nostros iactatores votius verborum ampullatione, quã experientia affetitur? *Interpres Latinus* Galenici ad Pisonẽ libelli *hyperbolicus est* contra fidẽ translatoris. Vbi enim Galenus Græcè scripsit: ἐπ' ἄλλων ζώων πολλὰ τῶν μερῶν οὐκ ὀλίγα τῶν παθῶν ἀγωνιστικῶς θεραπεύεσθαι, οἴδαμεν: Item τῶν μερῶν πολλάκις μόνα τὰ μόρια τινα τῶν παθῶν ἰᾶσθαι δύνανται; ipse transtulit: *neq; ignoramus aliarũ animantiũ cõplures partes nõ paucis morbis imprimis opitulari: Sæpe numero partium ipsarũ momenta quædã contra infinitos morbos pollent*, &c. Hęc si quis nõ cõsulto Gręco idiomate legat, possit induci, vt autoritate loci catholicum medicamentũ ex Theriaca, atq; etiã particularis membrorum quorundam in animalibus constituat. Sed hyperbolismo interpretis non autoritate principis medicinæ peccauerit. Ita sentiendũ est de his qui Auicẽnæ & Aetii encomia viperina nobis opponunt, nempe verba latius extendi ipso sensu, & experimentis, principiisq; artis medicæ. *Vtram autem*

autem possit esse vniuersale contra omnia mala medicamentum naturale, alibi disputatum est, & fortasse infra nobis occasionē dabit Crolliana affirmatio. Est aliquid in vsu artifice, & fiducia ægroti præsertim adhuc nouo, & ignoto medicamento: Sed fama cito exolescit non constante medicinæ virtute.

Produci potest etiam *cap. 15. de Theriaca ad Pisonem*, vbi Latinus interpres scribit: *Præterquā quod serpentum plagis, cæterisq; venenis aduersatur, etiam aliis pluribus pro præsentaneo remedio accommodari experientia docet.* (οὐ μόνον πρὸς τὰ θηρίων δήγματα, καὶ τὰ δηλητήρια φάρμακα βοηθεῖν ἡ ἀντίδοτος πέφυκεν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ μέγιστα τῶν ἄλλων παθῶν ἀλεξητήριον φάρμακον ἐκ τῆς ἐν πείρᾳ χρήσεως ὑφ' ὑμῶν ὅσα εὑρέθη.) Andromachus eam in suis versibus *Galenen* vocauit, ἐπειδὴ ὥσπερ ἔκ τινος τοῦ κατὰ τὰ πάθη χειμῶνος καὶ ἅπερ τινὰ γαλήνην τὴν ὑγείαν τοῖς σώμασιν ἐργάζεται. Imo tandem Theriaca appellatur πῦρ καθάρσιον ἐν τῇ λοιμικῇ καταστάσει, &c. Ita vt tam sanis præseruandis commendetur, fiducia scilicet viperarum, (e) vt est *capit. 17.* (διὰ τὴν τοσαύτην δύναμιν τῶν θηρίων) quam curandis ægrotis, *exceptis pueris, qui abstinere in totum iubentur & æstatis tempore, & his qui ætate florent, quibus parcus vsus permittitur*, &c. Si cum salibus Theriacalib. cōpares, Galenus & Aetius inferiores his vires ascribunt; at si percenseas illa magnifica, quæ salibus tribuuntur, facile à minore argumenteris, *Si salibus imbecillioribus tanta est potestas, quanta Theriacæ ex viperis potentiori?* Quid ni ergo sit Catholicum medicamentum, præsertim cum vix vllum morbum grauiorem in Catalogo adiumenti prætereat Galenus? *Etiam animum sanare traditur.* Vide Aetium serm. 13. cap. 96. vbi Galenica ista transcripta ex Pisoniano libello inueniuntur. Si transcripta, cur non & credita, & posteris commendata? Verum nos dicimus *etiam veteres interdum hyperbolis vsos esse*, vt patet ex Nicolao qui recenset *athanasias* multas, cum satis esset vna: Item *Eclogas, pleresarchonticas, mirabiles, soteras magnas, Theodoretas, Panchrestas, Panacæas, Zoarchias, Sanitates, Panaretas, Acharistas, Pantagathas Isotheas, Aphrastas, Argyrophoras, Desmoterias Soterias, Philanthropas, Mysteria, Zoopyrias* & alias summis titulis exornatas antidotos: sed tituli non faciunt ad virtutem, sæpeq; minime inuehitur in re, quod inscriptio promittit. Superciliosi Theriacæ propter bestiam admiratores legant Plinium *lib. 29. cap. 1.* vbi luxuriosam compositionem vocat ex rebus externis, cum tot remedia dederit natura, & perfidiam appellat congeriem Mithridatii, quod non minoribus foliis ornatur quam Theriaca & tamen bestias non habet, vt & Antiochi medicina contra omnia venena *li. 20. c. 24 Plinii.* Deinde aliud est loqui *de veterū Theriaca*, aliud *de posterorum*: Et si veterum prædicationes Auicēnæ fuerunt suspectæ adeo vt *Galenicas laudes multum circumciderit* in antidotario vbi de theriaca agit, (Notent hoc capnrilli qui serpētes *Napello* (f) tam fortiter opponunt. Auicenna parum valere contra hunc arbitratur Theriacam) quid de nostris temporibus sentiendum, quibus astipulatur experientia ipsa? Frustra accusatur defectus aliorum ingredientium, si modo *veras viperas* habemus. Nam his totum tribuitur. At habemus Leoniceni iudicio, quod ab omnibus est receptum. Cur ergo ægrotamus? Cur morimur peste, hydrophobia, quartanis & aliis morbis? Sapite tandem o gloriatores stulti. Solent ampullatores etiam ex micis vetustatis, & reliquiis inanibus nominum extruere magnas cœnas, & ex vnica musca mille facere Elephantos. Quorsum? Non scilicet rationis & experientiæ firmæ argumentis, sed mercimonii, admirationis, & auræ popularis causa. Plin. *libr. 29. capit.* 1. ostentatio artis & portentosa scientiæ venditatio manifesta est: ac ne ipsi quidem illa nouere, &c. Vt cæteri chymici nihil videantur scire, ille aulicus subsannator omnia suo sputo conspergit, & naso contorto rider etiam Crolliana: Sic Paracelsus monarcha est, sic Sucten, Dornheuserus, Dornæus, Seuerinus, Palmarius, &c. sunt omnia. Cæteri sunt vmbræ. Sed ad magisteria nostra redeamus.

Galene.

Ignis purgatorius.

(a) *Magi, quos Paracelsus est secutus, quærunt in syluis corylum cum visco colurno, quo tempore potissimum viret. In hoc diligenter explorant num habeat ambesa folia, quod est indicium serpentem album sub corylo stabulari, & meridianis horis eius folia pasci. Animaduerso qui ibi sit, assumtis sociis, quod debeant esse participes remedii, aliis a. nullis, quia omnia debent summo silentio peragi, nihilq; proferri, ne in cassum cadat labor, incipiunt per instrumenta fodere aream circulo inclusam, ita vt in medio eius sit corylus, terraq; ad genua circum circa effossa, satisq; amplus circulus, terra procul abiecta. Hoc facto excitator rem aggreditur dicitq;: Ego N. (nomen n. exprimi debet) præcipio tibi Ossy Ossy Ossy albe serpens & vipera, &c. vt omnem virtutē tibi per creationem concessam tecum retineas, & vna efferas, Ossy ossy, ossy: quod mando tibi, &c. (Horrenda hic nominis diuini additur abusio) vt in hoc circulo compareas, &c. Adiuro te ossy ossy ossy, per &c. & per stellam cados cados cados vnde vim, robur, & potestatem habes. Cape rastrum, & quære tellurem in circulo quam celerrime, dicens ossy, ossy, ossy, præcipio tibi vt prodeas cum reuelatione omniū creaturarum sub cœlo, &c. omnium thesaurorum absconditorum, omnium herbarum, omnium vocum auium, omnium creaturarum virium, quas tua sapientia intelligis, nec harum virtutū & sapientiarum vllam post te relinquas, & nobis aperias omnes occultos thesauros omnium herbarum vires, omnium auium cantus, vt nobis omnia mysteria sub cœlo & in terra pateant, & his fruantur omnes deputati. Deinde prope latibulum fode vt conspiciatur, & dic: Albe serpens ego N. præcipio tibi, vt sis mihi subiectus, &c. Tunc veniet q. supplex & humilis. Cape eum manu dextra, & duc sub dextrum pedem, ter traiiciendo. Sine in circulo currat. Age eum huc illuc bis terue, & euomet aliquid albi. Tunc caput abscinde & caudam spithamæ longitudine. Exentera munde, & venam cæruleam extrahe. Reliquum seca in partes. Cape herbam & radicem serpentariæ. Coque ex aqua. Decocto laua partes, vt bene purgentur, atque etiam eodem feruente vstula semel atq; iterum. Deinde coque ad libitum. Est sine noxa. Cum ederis, intelliges omnia mysteria, sciesq; vbi thesauri sint, quid galli & aues cantillent, &c. Si super foramen albi serpentis in circulo posueris coronam ex foliis Bethonicæ; manet in eo, & seipsum occidit. Hoc dicitur probatum per nobilem quendam. Credat Paracelsus ineptus. Non ego. Notabis fabulam. Dicitur nobilis famulus liguriisse reponendum ferculum serpentinum, & cum aliquādo cum ipso proficisceretur, quæsiuisse cur non eo in loco absconditū thesaurum absportaret: tunc herum interrogasse vnde isti scientia, coegisseq; minis vt fateretur factum, tandemq; gladio confodisse.*

Hac fabula redarguitur virtus medicaminis. Si enim ex eo comesto est omnium secretorum scientia, debuit tum nobilis pracognouisse seruum liguriturum esse ferculum, atque etiam postea liguriisse, ne opus fuisset expressa vi veritate, tum seruus cognito se interemtum iri ab hero, non vna proficisci, quo argumento Mossolamus Iudaus apud Iosophum lib. 1. contra Appionem, augures irrisit. Si enim auis superuolans euentuum conscia fuisset, etiam sciuisset se occidendam sagitta Iudai, nec in illum locum venisset, &c.

(b) *Meminimus aliquot contagiosos morbos & pestilentes annis proximis. Medici libros & pharmacopolia non serpentibus & viperis impleuerunt, sed longe aliis antidotis, vt Quercetanus. Debuit saltē & Zuingerus noster isto puluere seruari.*

(c) *Paracelsus D. in lib. de morbis Tartaricis, c. 17. Tirus in theriaca est venenum, non vt curet, sed vt penetret, & deducat reliquorum vires. Alibi tamen ideo vult adhiberi, quia innocentior ceteris serpentib. Vtitur carne, adipe, senecta & lingua, quam viuis detractam vult gestanti esse amuletum contagii per oculos immissi.*

(d) *Plinius li. 7. c. 2. scribit, Anthimontis incolas viperinis carnibus viuentes, nequi capiti neque vestibus innata sentire corpori noxia animalia. Alibi contra lendes deri narrat. Nempe cognoscimus ex accidente in impuris corporib. gigni pediculos propulsa materia: Expurgato vero corpore, eos nec nasci, nec immorari posse. At vulgus ista non considerat.*

(e) *Nota: Est quidem aliquid occulti in vsu medico, quod est causa, cur omnibus similiter adhibitis quoq; tamen non semper respondeat euentus, siue id sit fides patientis, siue Dei voluntas: Veruntamen medici noua sua inuenta etiam vltra fidem commendant, & inter se certant amulatione.*

(f) *Theriaca parum ad napellum verum, qua debebat facere plus, quam serpentes Germania, cum quibus pueri ludunt. Matthiolus in 6. Dioscor. c. 40. multum tribuit bene parata theriaca, sed contra venena, pestem, sublimatum fluxus, &c. non contra omnia, nec solis viperis asscribit.*

CAPVT XV.

De magisteriis accidentium secundum rei corpulentiam.

DVo sunt insignia rerum materiatarum accidentia, quantum, & quale. Non sit inconueniens iuxta hęc magisterium accidentium digerere. Quod in quanto est consideratur in physicis magno, paruo, aucto, deminuto, continuo, discreto: Sed nos oportet respicere ad hæc, quæ arti nostræ subiacent, quæ quidem ad corpulentiam referri possunt, non qua corpus est longum, latum, profundū, solidum, cauum, &c. vti id Geometræ considerant: Sed vt est *Fixum, volaticum: Graue, leue: Fusile, non fusile: concretum, solutum*, in quo genere & *potabilia* sunt, & *liquores*: Insuper *continuum, ductile, dilatabile, molle, durum, &c.* Nam qualitates materiales hic coincidunt: Tandem *discretum*, vbi sunt *pulueres* per comminutionem & tritionem variam: Item *pracipitata* quæ ex liquidis, aut resolutis nascuntur. *Fixum* & *volatile* esse chymicæ contemplationis in magisterio, notum est his qui vtramque affectionem *argento viuo* accidere norunt, sicut & his quæ ex illo generantur. *Fac volatile fixum, & fixum volatile per conuersionem Elementorum*, solenne est philosophorum, professorumque perfecti magisterii oraculum. In nostra Alchymia ad hanc classem reiecimus *Turpetha mineralia, Arcanum corallinum, aurum vita* & similia, quibus cognatæ sunt variæ argenti viui indurationes. An autem ad pharmaceuticam pertineat hoc magisterium, dubitari potest. Nam *quod omnino fixum est, à calore nostro natiuo in actum duci non potest, nec resolui*. At oportet solubilia & volatica esse medicamenta, quod & Crollius scripsit. *Fixa varia.* Sed gradus, & respectus sunt fixitatis. Quædam sunt fixa secundum quid; vt aurum, quod ignibus externis *Purgantia perennia.* non cedit, at ventriculorum virtute domatur, quod deprehensum est in eo qui numisma aureum deuoratum post aliquot menses reddidit adesum, & detritum. Quædam sunt vsus externi. Quædam fixa sunt *corporibus*, sed non *spiritibus*, & virtute medica, vt *calx auri, talci, adamantis, martis*, & similia po- *Aurum cor iuuans.* tissimum cum fixitate relata; vt cum *globuli purgatorii fiunt ex regulis & vitris, quorum corpora in vsu non consumuntur, & tamen vires operantur non segniter*. Sic integrum aurum spiritali & magnetica virtute prodest in corde à fumis mercurii & sulphuris tuendis: Ita *Gemma* appensu quoque robotant præcordia. *Aurum posse per alembicū aduci.* *Volatilis artificii & simul fixi*, diuerso scilicet respectu, non melius exemplum habes quam *Elixyris*, & *olei philosophorum*, quod verum aurum potabile vocatur, & ad medicinam summe prædicatur. Non credidit Palmarius *aurum posse in alembicum eleuari*, aut inde porro in receptaculum deduci. Sed autem descriptam sæpius habemus, nec eam ignorauit Crollius, quem in Basilica vide *pa. 215*. Et Penotus in *Magisterii margaritarum.* chymicis *p. 151. & seq.* Fit & volaticum cū vehiculis, pręsertim florib. salis armoniaci. Vin' *margaritas ex alembico? Lotas diligenter aceto terebinthinato, aut alio menstruo perfunde, & repone in triduum. Tunc depleto aceto, aliud substitue, donec totas solueris. Solutiones duc per alembicum. Si quid remanet in cucurbita, ei cōtrito adde nouum soluens. Destilla iterum, atq; ita repete laborem donec totū earū corpus volatile reddideris.* Penotus ad destillati mensuram adiicit semunciam *caphura*, & vna per alembicum agit. Nam camphora essentiam secum euehit.

Vltimo calore leni sinitur diuaporare acetum, donec vicesima tantum pars restet, quæ denuo per alembicum destillatur ita vt pura limpidaque pars primum excipiatur: flauescens postea seorsim atque sic *tota essentia* eliciatur. quæ miris modis ad varia mala commendatur: potissimum autem ad *exolutionem virium cordis in constitutionibus Epidemicis*.

Hic

Hic incidit simul magisterium solutionis, ad quod si post acetum assumeres *spiritū vitrioli* sub-tilissimum, & per circulationem ita rectificatū, vt violam oleret, nostra opinione rectius faceres. Po-res & substituere caphurę vini quintam essentiam. Iam enim solutum corpus est aceto, & præparatū ad volatilitatem. Igitur eo facilius à vini essentia assumetur. Sed caphura in pestilitate melior est, vt & spiritus vitrioli circulatus. *Soluta gemmarum & lapidum* facies eo artificio quod Penotos in chymicis describit *pag.* 167. & reposuit Crollius *in Basilica pag. item* 167. *Totum tartarum* calcinatum in solutum transferes hoc modo: *Tartarum calcinatum solue deliquio super marmore. Quod resistit, nec in sudorem abit, calcina denuo. Calcem priore liquore perfunde. Digere in phiola clausa, aut cucurbita. Mox destilla in balneo. Quod elicuisti repone super feces tritas & à vase liberatas, Pone ad digestionem. Destilla. Si quid non exit ex alembico, id reuerbera in calcem. Hac deliquescat fac in porphyrite. Liquorem coniunge cum priore destillato. Si quid nondum traductum est per alembicum: id calcina de nouo. Calci adde liquores. Redde digestioni. Destilla vsque ad oleitatem abstracta aquositate. Si nondum solueretur, feces contumaces in calcinatorium reducere debes, & calcem miscere suo liquore, digerereq; donec totum in oleum facessat.*

Syncope & virium cordis exolutio.

Pestis.

Solutum Tartari.

Liquor crystalli ad calculum. 1. in catino reuerberatur sex horis. 2. conteritur. 3. pari halinitro miscetur. 4. crematur horis 18. 5. Igne valido funditur, 6. proiicitur in aquam pluuiam. 7 Quod non solutum est, exiccatur, teriturq; in farinam. 8. coquitur cum eadem aqua ad pultis consistentiam. 9. Hęc in offas digesta exiccatur, tenturque in læuorem, qui deliquio soluitur. Quod non liquitur denuo calcinatur per salem petræ, & tractatur vt ante. *Alii crystallum candefactum aceto restinguunt*: postea cremant cum halonitro. Sale eluto terunt in læuorem, quem spiritu vini amplius attenuant digerendo horis 14. Destillant ex retorta: quod non exit calcinant denuo donec totum prodeat. Tandem separato spiritu, calcem soluunt.

Hac diligentia potes vti in aliis pluribus donec voti compos fias. Neq; enim vnica opella dissoluuntur rerum omnium compages, quaquam artifices interdum tantū vnicam ponant, quo ipso stulti decipiuntur, putantes cos mendacia narrare. Fit a. hoc *solutum essentiale* per crebras calcinationes, digestiones & destillationes. Quæ calcinata non facile in liquorem abeunt, sæpe reducenda sunt ad carceres, donec liquescant ex parte. Volatica coges fixam item solui. Est enim illi familiaris. Alias despiciendum tibi est de menstruis competentibus. Verum cum hæc difficultet separentur, proprius liquor est melior. *Per menstruum solutionis exemplum est in sole. Aurum* fulminatum, & antimonio repurgatum, inq; granalium, aut fistulas redactum, vel aliter comminutum, (optimus esset puluis auri puri puri ex chrysoplysis) perfundatur regia, donec totum liquescat. Solutio præcipitetur oleo tartari. Calx colligatur exicceturq; caute, ne inflammetur. Deinde spiritu salis calx perfusa in aquam abibit, quæ est auri solutum, & aliqua *aurum potabile*, quanquam Crollius id præ philosophico altero repudiet non satis circumspecto iudicio. Neq; enim *illud philosophicum, vti appellant, est syncerum aurum, sed Elixyr, idque iam non aurum, sed ex auro meditina*. Auri potabilis appellatio aurum in sua essentia requirit, sed quod accidente soliditatis mutatum sit, possitq; in potibus dari: vbi gradus sunt quidam resolutionum quatum vna subtilior est aliis. Cæterum *pro salis spiritu aliquando rectius acceperis Elixyr vegetabile ex vino*, eiusque tartaro, aut soluto salis, quod habes apud *Penotum in chymicis pag.* 192. & Querceran. *in pharm p.* 625. *& de prisc. med. c.* 6. *p.* 38. aut *animale ex mumia microcosmi*. Interdum conducunt *gemmarum liquores*. Delectum præscribet medicus, modo *sic sit praparatum aurum, vt liquescat in humoribus congruis*, in quo ipso peccant stelliones Paracelsici, putantes, cum scribitur, *aurum in liquores immissum solus debere*, id de quouis modo, atque etiam integro ex officina fabrorum intelligendum esse.

Solutum auri per menstruum.

Aurum potabile. Vide Penotum in chymicis p. 91. *& sequ. præsertim* 96 *Vbi auri Diaphoretici vera descriptionem proponit, simulq; eius solutionem solis.*

Argenti seu *Luna liquorem* consequeris calce eius ad naturam salis perducta per solutiones in aquis soluentib. & reuerberationes crebras cum salibus. Ita fiet *solutum* quoq; assumta calce subtili, & potata liquore tartari puro, totiesque reficcata donec nihil amplius cōbibit. Inde facile resoluetur. Qua arte Penotus vratur vide in chymicis p. 105. *Talcum* Scaliger (*a*) in oleum sine alembico se deducere posse iactabat. Eius descriptionem alibi dedimus, & modo calcem veram babeas, facile liquorē efficies. *Penotus oleo caphura calcinatum talcum diluit*. Oleum a. illud non vno paratur modo. De destillatione quidem alibi locuti sumus: aliqui *solutum faciunt adiecta aqua caustica*, sed non ad quemuis vsum, Dentibus dolentibus & putridis solet bene adhiberi: verum quos simul corrodat. *Aliter includitur vasi sublimatorio* quod verti queat, & igne leuissimo sæpe sublimatur, donec p se diffluat. *Nonnunquam toties ab ea spiritus vini abstrahitur*, donec liquescat, in qua destillatione ne vna scandat accurate videndum: Et si etiam ascenderit, (Est n. materia valde spirituosa & volatilis) reddenda est his quæ manserūt, donec figatur quodam modo olei specie. *Solutum sulphuris* fit per oleum, vel spiritum terebinthinæ: liquando el. rosaceo, aut conuenienti alio. Ex eo extractum, seu *rubinos sulphuris* parate potes: Vide Penotum *in chymicis p.* 176. 178. *Solutum mercurii*: Fac amalgama ex hydrargyri per oxalmē bene purgati sextante, & stanni sescuncia. Vtromq; a. calefactum melius coniungitur, io stanum liquatum scil. calefactum argentum viuum immiscendo. Pulticulam inde natam aceto ablue frequenter, vt tota nigrities abscedat. Mitte in acetabulum, seu concham auream, aut argenteam auro oblitam. Colloca hanc in patinam aceto plenam, ita vt conchæ marginem acetum attingat. Affunde aquam ardentem ex vino optimam. Accende per chartam ardentem. Sine deflagrare. Repete hoc septies, vel donec argentum viuum in oleum fuerit solutum, cuius vsus est *in morbo venereo, podagra* & simılib. exhibendo guttam vnam, atq; alteram, vel granum aut sesqui *ad sudandum*. In hypomnematibus nostris *solutum argenti viui sublimati* attingemus, quod huc referri potest. Interim videat acutus chymicus, quod sibi voluerit *Penotus in chymicis p.* 51. *vbi totum salis corpus in oleum reducturus iubet sumere corticem maris*, & non alterius, inque vitrum cum nostro aceto ponere per dies 15. in ventre equi sepultum: quo facto oleū destillare, idque repetere donec *Leo viridis* fiat, quo arcano *podagra radicitus* tolli queat.

Solutio Luna.

Talci solutū.

Solutum caphora.

Solutum sulphuris.

Solutum argenti viui, quod oleum vocant.

Totum salis corpus in oleum.

Vide oleum salis viride in auro potabili Andrea à Plauena, pud Matthiolum, quod & Heroldi dicitur.

Loquitur

Loquitur ille in præcedentibus de brodio salis communis, & coniunctione salis præparati cũ suo agente incombustibili: Item de *sale fusili per se penetrante, cuius totum corpus in Leonem viridem, & oleum permanens conuertatur*, cuiusque spiritus omnia soluat corpora. Si verba respicimus, sal marinus solutus, repurgatusque filtrationibus & coagulationibus repetitis erit acero stillaritio diluendus, & in fimo per dimidium mensem digerendus. Inde destillabitur cum cohobiis donec totum eius corpus in conceptaculum exeat. Separato postea aceto remanebit *oleum salis viride*, quod videtur *Leonem viridem*, translata ex perfecto magisterio voce appellare. Inde fit etiam *sal fusile*, non minus ac ex *halonitro & sale ammoniaco*, imo ex *vini fecula*, aliisque omnibus salibus per sublimationem & alia artificia, de quibus legi potest Crollius, & Quercetanus. Adhibent autem ad *podagram* istud ex sale marino oleum. Varie fieri solet *oleum & spiritus* etiam ad aurum, gemmasque soluendas. *Quidam aceto saltem imbibunt salem*, & postea mistum argilla, vel silicibus, vel glumis aut puluere frumentorum (Nam sine additamentis non facile reddit spiritus nisi exactissimo ignis regimine, & præmissa putrefactione) destillant, de quibus modis nos *alibi*. Si *sensum mysticum* in Penoti præscripto sequimur, per acetum nostrum accipimus liquorem quendam mercurialem, &c. Aliter exponi potest de sublimato cum sale. Sed non est nostrum diuinare.

Crol. in Bas. p. 149.

Soluta saliũ.

Quorumuis salium soluta industrie præparabis, si deliquio solutis affuderis spiritum vini, & postquam digesseris in loco calido, eundem abstraxeris per destillationem lenem, vt sal coagulet, quem iterum solues, & affuso vini spiritu digeres; spirituque elicito coagulabis, repetendo laborem hunc, donec non amplius sal concrescat. Ita se *oleum vini immiscet salium essentiæ*, prohibetque coagulationem. Eodem modo *gemmas, vniones, & coralia* spiritu salis resoluta elaborare poteris affuso vini spiritu, fiuntq; adeo *volatica* vt etiam per alembicũ propelli queant. Qua arte *sales* elaborentur vt fiant *fusiles*, nempe crebris solutionibus, filtrationibus, coagulationibus, tostionibus adiecta aliquando calce, item sublimationibus, vt fiant essentiales, alibi exponitur.

Fusilia.

Luna fusilis.

In mineris inuenitur aliquando *argentum rude quod ad candelam liquescit*, cuiusmodi fit etiam cũ argentum viuum sæpius ab eo destillatur. Calx quoque eius cum halinitro iuncta, vel ex aqua forti extracta per præcipitationẽ facilis est fusionis. Crollius indicat ea liquata *cornu formam exprimi*, quod ad candelam facile fundi queat. Metallici habent suos *fluxus* de quibus alibi.

Non autem fusilia per se spectat pharmaceuticus, sed aliorum gratia. Interdum & vna inter elaborandum alio fine contingunt, coinciduntq;. *De pulueribus siccorum, vel humidorum* abunde disseruimus in chymia, ex qua patet quædam facile conteri, & in læuorem duci, vt ossa, cornuaque combusta, calx viua, &c. quædam menstruis corrosiuis opus habere aut aliis additamentis: quædam fatiscere candefactionibus & restinctionibus, vt Tutia, lapis calaminaris; & similia cum ad collyria parantur, candefacta in catinis solent in aquam rosaceam, fœniculi & similium præcipitati: ad alios vsus etiam vino, aceto, lotio, &c. Quomodo item docuimus sericum crudum, nempe per mortarium & pistillum calefactum, in puluerem conterere; ita comminuitur & talcum, quod aliqui calcinationem vocant.

Puluerare res humidas.

Qua arte præcipitetur argentum viuũ, notum est etiam officinis barbitonsorum. Sed chymicus noster peculiaria habet secreta, quibus non tantum *in puluerem* redigere potest argentum viuum, verum etiam artificiose & eum delectu singulari ad singulares vsus internos, externos, vbi etiam correctiones ingeniosas adhibet. Potest cum, vel sine medicamine præcipitare, vt *infra in Hypomnematibus* videbit. Solent interdum & *soluta præcipitari*, vt enim *solutum tartari* descenditur per spiritum halonitri: *solutum plumbi* per spiritum sulphuris, aut vrinæ: Liquor sublimati vnctuosus aqua puluerescit: Sic soluta metallica alia, & salium. Præcipitata ista si non sunt pinguia, exiccari possunt, inque subtilissimum alcohol duci, vt videre est in *cremore lactis virginei ex lithargyro per acetum facto*, & præcipitato aqua salsa.

Pulueres resinarum.

Resinæ torrentur, & postea friantur, inq; farinam rediguntur. Exemplo est *Terebinthina*, quam aliqui super lamella vrunt: aliqui rectius destillatione oleum subducunt, & colophoniam exuccam instar picis aridæ terunt. Aetius *sermone* 13. *cap.* 99. terebinthinæ in ollam coniectæ affundit triplum, aut amplius aquæ. Postea coquit ad huius consumtionem, eoque tandem fracta tenacitate redigit, vt digitis confringi possit, & friari.

Terebinthina tostio.

De *alumine, vitriolo* & similibus dictum est in calcibus: Et fortasse quæri potest an non terebinthina ista fricta debeat accenseri cineribus imperfectis ad exemplum adipis tosti, succini, sulphuris, & similium. Respondendum censemus annumerari istis posse, si mero igne fiat frixio: Sin autem addita aqua vt compagis saltem tenacitas soluatur, huc pertinere, quanquam nihil obstet quin vnum idemque ad diuersa genera ponatur propter affectiones diuersas, nec in his scrupulose versandum.

(a) *Scaliger. exerc.* 104. *sect.* 7. *ex Talk oleum extrahendi artem habemus nos sine alembico, scil. per calcinationem, & deliquium vel emulsionem, &c.*

CAPVT

Capvt XVI.

De magisteriis circa qualitates manifestas.

Quæ sint manifestæ qualitates Tyto noster ex physicis, aut etiam ex Categoria Aristotelis afferre debet, vt sciat discrimina magisteriorũ suorum, nec vt vagabundi impostores solent, omnia cõfundat. Neque tamen ratione pharmaceutices multum solicitus est de omnibus. *Graue, Leue*, coinciduntaliquando cum magisteriis fixis & volatieis, vt eum ex grauissimo auro, argento viuo, plumbo, &c. calces volaticas, aut flores efficit, vna est leuitas: sed in glaciato mercurio simul grauitas apparet, etiamsi sit pene vsque ad summum eleuatus. Calidum, frigidum, humidum, siccum, rarum, densum, subtile, spissum, asperum glabrum, &c. raro fiunt principali fine. Cum *ex frigido humido argento viuo factu calidum siccum*, vertit quidem naturas & quod intus, h.e. in potentia erat, trahit in cutem seu actu donat, quæ est etiam *Elementorum in magno magisterio conuersio*: Sed ille contendit ad *Elixyr catholicum*, quod licet calidum siccum, sulphureumq; ex aqueo euaserit, tamen non his potissimum qualitatib. operatur, sed virtute astrali, seu cœlesti, & occulta. Ita iudicant etiam de quinta essentia vini, & aliarũ rerum. Ex siccis fiunt humida per resolutiones: sed & hoc accidenter. Aliæ qualitates manifestæ aliis occurrunt sensibus, vt color, odor, sapor, sonus. In *colore* sæpe argumentum perfectionis est ex comita tu. Alias quanquam visum oblectet si gratus sit, tamen medicæ potestatis per se nihil habet. *Andreas Gallus* in fasciculo quinto de peste vt sulphur sit ad vsum bene preparatum, ex rubedine argumentum capit. *Soluit id duplo cera citrina. Solutionem in aquam frigidam immittit. Natante cera crystalli sulphuris sidunt. Hos collectos exiccatosque denuo liquat adiecta cera, agitq; vt prius quoad rubescat.* Id porro miscetur *cornu cerui-no & rad. Dictam ni parte vna ad horum binas quibus additur aliquando myrrha, crocus, sanguis taxi, &c. Mistura datur cum Theriaca ante somnũ.* Chymicus rubedinem ex sulphure, oleo Terebinthinæ soluto, per spiritum vini extrahit, & vel ad siccum coagulat, vel crebris spiritus digestionib. & destillationib. oleum parat. Sed talia pertinẽt ad essentias. Alias extractorũ succorũ *colores* mutantur circulationib. diuturnis, & putrificatiooib. *Spiritus vitrioli illitus florib. rosarum* rubrarũ, runicis, pœoniæ, papaueris Rhœadis, &c. colorẽ exaltat & simul odorem suauem prolicit. Hinc postea fiunt bonæ *tinctura pro balsamis*. Ita conseruas, succosq; eorum florum colorat altius. Violas, fl. cichorii cæruleos & similes mutat in *rubrũ*. Apud *Bulcasim* habes modũ *de albandi sales* per solutionẽ in aqua pura, destillationẽ per lacinias & coagulationẽ, quod est repetendum. Alii alcalia dealbant solutionib. filtrationib. per chartam, coagulationibus, & vltimo reuerberio. Quercetanus post crebras solutiones in aqua communi destillata filtrationes, & coagulationes in catino vrit donec rubeo colore, vel puniceo effulgeãt, à quo frigefacti redeunt ad albedinẽ, sed cũ iactura virium. Aliter sales soluuntur deliqo. Liquor colatura purgatur: posteaq; reducitur in salẽ. *Tartari cremor coctura* & colatura frequẽte candidissimus efficitur. *Acetũ* dealbat Bulcasis destillatione, qua Impuritas segregatur: *Oleum* oliuatũ mistum aqua insolat, vel agitatũ cum aqua calida abluit. De *cera* & similib. alibi dictum est. Coctionibus & maturationib. mutati colores, odores & sapores ex natura cõstat. Vbi ergo in his aliqua pfectio est seu per se, seu cõcomitanter, chymici erit nihil negligenter agere. Rõe *saporis* chymici exempla proponunt in tollendis ingratis. Palmarius sibi hic Palmarium putabat esse in *igni natura*, quod vel rusticis notũ est, & coquis, & cellariis. Poma, pyra, mespila, grana halicacabi vesicarii, sorba, &c. fieri mitia spatiis suæ asseruationis: quædam ẽt cum *mustea* euaserunt, certum est apud matres familias. Videbit chymicus quando ista ꝑ essentias gratiorib. sint legenda. Coctio, vaporario, tostio & similia artificia item conferunt saporib. *Chymicus digestionibus, & circulationib.* gaudet. Vulgus misturis quoq; vtitur. Vbi id opus erit in chymia, non minus perspicax erit noster. Omnia *acria & corrosiua* metallicam seu mineralẽ naturam habentia *oleo plumbi dulcescunt.* Ideo hoc additum solutionibus ex aerib. reddit mites. Solue sublimatum, arsenicum, realgar & similia in liquores. Adde eis liquorem plumbi, aut tartari: Dulcia omnia efficies. Id consequimur ẽt aliis nonnullis. *Oleum vitrioli dulcescit* tum aliis modis, tum oleo tartari addito. *Sublimatum* ponit suam acuitatem per argentum viuum admistum, aut substratum puluerato in amalgamate cum stanno. *Liquor tartari & arsenici se iugulant mutuo*, & ex acrib. balsamea reddunt. Ex *sale elicitur oleum dulce* destillationib. putrefactionibusq; cum aceto, argilla & similib. Quid de dulcorationib. per elutiones dicamus? Verum vsus horũ copiam monstrabit. Penotus scribit *de secreta Alcali aqua in Denario pagin.* 70. quod si eius gutta vna proiecta fuerit in vini mensuram *acetum acerrimum* efficiat vno die. Alias multi sunt secretorum scriptores de aceto quo chymici carere nõ possunt ex vino, cereuisia, pyratio, pomatio, œnomelite, hydromelite, apomelite, pluuia & antimonio, &c. parato, ne quid dicamus de *acetu montanis* ex chalcantho, sulphure, salib. &c. *Odoris magisterium* elucescit in fœtoribus tollendis per ablutiones, rectificatorias destillationes, & alterationes per additamenta, & similia artificia. *Spiritus vitrioli* post primã rectificationem circulatus *viola odorem* accipit, quo qui gaudet in destillatis aquis sicubi id conuenit, is põt dum fiunt aut rectificantur *radicẽ Ireos* imponere cucurbitæ, aut alẽbico addere, sicut solemus moschum, ambrã, crocum, &c. quib. ẽt colores mutantur (vt in alembico triũ vel quatuor rostrorũ: si vini apponas crocũ, alteri extractum santalinum: tertio succum pettoselini, aut simile, &c. *vna opera destillabis colores plures.*) *Ne oleum succini* graui halitu sit molestum, statim à destillatione abluendum est aqua calente artificio secundo Bulcasis: Deinde affusa rosacea, vel Iasmini, aut alia per destillationem in balneo conuenit rectificare. Si nondum placet odor, iterum abluetur rosacea, idq; aliquoties repetetur.

Sulphur rubeum facere. — *Pestis antidotus.* — *Colores mutare.* — *Sales dealbare.* — *Tartari cremor candidus.* — *Acetum album.* — *Saporum magisteria.* — *Sublimatũ dulce.* — *Acetum.* — *Viola odor.* — *Impostorum elementa.*

Quidam initio statim in aquam præmissam destillant, posteaque ex rosacea rectificant. Vulgus apertis orificiis in aere detinet, donec spiritus ignei exhalauerint. Sed hoc non est chymicum. Quomodo *spiritus vrinæ, & tartari fœtores suos seu ponant, seu mitigent*, vide apud Crollium *pag. ducentesima decima quarta, & 159.* Vbi illũ corrigit destillatione cũ aqua: hũc sale ex capite suo mortuo adiecto

Fœtores corrigere.

eum

Oleum mumia graueolens.

cum quo digeritur, & destillatur, quanquam moneat *non totum fœtorem esse tollendum*, cum in *peste* fœtidos sudores propellat: quod ipsum in *oleo mumia humida* item est obseruandum, si quidem grauem odorem inter præparandum cótraxerit, qualem nos in quodam misso tolerare non potuimus. Cætera exempla in Alchymia posuimus, confidimusque plura occursura sese exercitanti laboratori.

Magisteria soni & motus.

In motu & sono etiam sunt quædam notabilia: sed quæ obiter contingunt, necá pharmaceutico spectantur principaliter. Quid enim ad medicinam si acres liquores confusi strident, & ebulliunt? si auri puluis tonat & martis: si halonitrum & sulphur, aut etiam antimonium incensa tumultuetur? si de omnibus accidentibus vellemus præcepta & admonitiones condere, etiam de vaporantib. halituosis & fumosis dicendum esset. Adhuc de magisteriis qualitatum manifestarum.

Capvt XVII.

De magisteriis qualitatum tertiarum, quæ sunt occultæ.

QVomodo Palmarius hoc magisterium exagitauerit, in superiore libro de igni naturæ cognouimus. Non sane negamus chymicos magis respicere ad extractiones in quibus menstrua infusionum, coctionum, digestionum, macerationum, & circulationum assumunt, sibiq; implicant essentias, quib. ista tunc impregnari dicuntur: Veruntamen contingere simul alterationem in nonnullis nemo negat, nisi qui manifestæ veritati bellum indicit. Populare exemplum est *in magnete, qui spiritum suum transfert cum attractoria in aciculam*, quæ insuper et vim accipit qua se ad polum suum conuertit, nec cito eam perdit. In chymicis sunt *aqua* quibus olea ex herbis radicibus, seminibus extrahuntur macerando, & destillando per refrigeria. Hæ aquæ nullo succo præsente, & oleo quoq; abstracto nihilominus vim infusorum, & commaceratorum retinent, adeo vt essentialiores partes ab illis separatæ pro rerum ipsarum aquis habeantur. Vt methodo noster Tyro incedat, possitq; prudenter respondere cauillatorib. distribuimus hoc magisterium in purum, & quodammodo mixtum. Inter pu-

Magisteria occulta pura

ra magisteria, quæ *ideo vocamus, quia nihil corporale attrahunt, & tantum alterantis naturam assumere spiritaliter perhibētur*, ponimus vomitiuam Ioh. Hartm. Speywasser, vti ex literis ipsius appellat in Alexicaco Rulandus. Ita n. est in literis: *Aquam benedictam possideo, cuius dosis est* ʒij. *qua in singulos annos insumitur mihi ad libras aliquot: repetitur à variis locis, & variis hominibus, ac propter blandum vomitum, quem plerumq; ciet, vocatur nostris hominibus vulgo*: D. Hartm. Speywasser. Hæc ille: q̃ Rulandus reposuit. Quam aquā sumat, Rulandus indicauit, nempe stibio infectum: seu croco, vel epati antim. puluerato infusā. Multa

Speivvasser h. e. Aqua Benedicta.

vero sunt quæ *vomitia* vocantur, & vim spiritalem menstruis communicant, vt *medicina del oro*, vt Itali vocant, quę creditur fieri sublimatione ex marchasitha aurea, aut vena stibii auri ferace: vitrum stibii, calx regulus, stella, flores, argentum viuum præcipitatum, mercurius vitæ, cum aqua dulcificatoria eius: aurum vitæ: Turbith minerale, aceti destillati phlegma, puluis ex oleo sublimati, crocus Epaticus stibii, crocus ruber, vitriolum album, extractum vitrioli albi, & alia de quibus passim in chymicis.

Vomitia.

Rulandus olim fabricabat crocum metallorum, terram sanctam, poculum purgans & similia, quibus quemuis liquorem (vinum, aquam, cereuisiam, aquas stillatitias, oxymeli, hydromeli, &c.) infundebat, & noctem, vel vlterius relinquebat. Post exhibebat ad vomendum, cacandum, sudandum, vt est in *centuriis*. Quercetanus Rulandi æmulus alium concinnabat crocum ex stibio, aut eius vitro, vel regulo additaq; aqua cardui benedicti similem effectum pollicebatur. *Lege p.* 107. *pharmacop. & 108.* sunt & multa *in alexicaco & alibi*. Egregium est quod de *arsenico præparato* sublimati iostat habet *pag.* 482. Eius grana 6. 7. 8. infundit. Infusum colatum præbet ad expurganda *venena*. Ne hic quidem substantia transit, vt sit verum qualitatum specificarum, seu astralium, h. e. occultarum, & totius naturæ magisterium. Aliud mirum: *Ex calce antimonii* cinerea cum halinitro, & limatura martis fac vitrū. Si posses concaue & maioribus laminis fundere vt concham vel patellam referrēt, melius esset. Hoc vitrum ad aerem colloca, vt allapsus in eo concrescat: quod hyeme facile fit in hypocaustis vitro fenestris incluso. Sudorem collige: Et habes *arcanum antimonii*. Sume hinc exemplum quo modo possis aerem purgatiuum reddere pro delicatis: Imo & pauimentum purgans, per quod aqua irrigatum nudipes quis ambulet qui sit teneræ naturæ. *Pag.* 110. *pharmacopœia* est *aqua ophthalmica* ex eodem croco (Epate stibii ex vitro per halonitrum) aquis ocularibus macerato. Mirum est, quod *p.* 111. ait: *eam aquā oculis foris applicatam aluum solicitare posse*: quod si est, de mercuriali proprietate cogitandum est. Quid dicendum de eiusdem *antepileptica p.* 111? Elicit eam ex panis crusta, & magnesia saturnina seu antimonio, omnibusq; aliis præfert. Sed hæc iam attingit essentias. Rulandus etiam *antipodagricam* habuit ex spiritali tinctura. Sed variauit in confectione, vt & in aliis. De *aquis extinctionis plumbi, chalybis, argenti viui*, &c. tantum spiritaliter alteratis passim legimus, quas si chymicas pharmaceuticas esse negas, fatere te ignorare quod sit chymicum. Licet n. à fabris fiant, non ideo fiunt quasi fabrorum, aut fabrilis artis sint propriæ, sed chymicus vtitur fabris tanquam seruis. Extingue candefactam Thutiam, & lapidem calaminarem, vel æs, panes ærosos, scorias, &c. aquis. Accipies spiritales aquas ad oculos. *Ramenta cotium* ex attritis ferramentis macerata vino, *spleneticū* potum præbent. *Minus syncera exempla sunt* eorum in quibus fit simul aliqua translatio succi resoluti. Talibus abundat etiam dogmaticorum officina. Narrat exempla Galenus de *vino viperino in lib. de antidotis & Theriaca*. Vinum fuit alteratum vt acceperit viperinam proprietatem, integro manente viperæ corpore. Simile exemplum recitat Baldus, Angelus, & addit vinum inde euasisse purius, & diuturnius. Sic *olea viperina*; (a) *scorpionum*, buffonina,

In Alexic. p. 476. 477. 408.

Oculare remedium.

Spleneticum

Vinum Viperinum.

nina,ex salamandris,araneis,lacertis,ranis,canibus.felibus & aliis parantur,de quibus multi sunt Paracelsici,quos nō facile chymicos esse neges,nisi crabrones excitare velis. *Andreas Gallus* fasciculo quinto de peste describit *oleum Carauita*, quod & Matthiolus recensuit. In eo basis est scorpius multus. Est aliud simplicius *ibidem* descriptum, quod itidem *astrale* dicas. Aliud ex *aspide viuo & stellione* suffocato. Sic *vina abstemios reddentia* conficiuntur dato in quo viua anguilla perierit,aut pullicies ranatum. *Oleū viperinum* commendant Mesue,Baldus,Massatia,Andernacus,&c. Ita alterantur *Gallinæ* hordeo vel tritico cocto cū viperis.Istæ postea accipitrib. & leprosis datæ sine substātia alterantis vim huius magisterii declarant. *Manardus* nō viuas,integrasq;,sed concisas & assas elegit. Iohannes Anglicus *butyrū ad lepram* coquit cū serpentib. nigri dorsi,& vnguento expresso leprosos vtiliter inungit. Mirum est in *vegetabilib.* similia inueniri. *Elleborū album* radice integra infundunt per noctē vino,aqua,zytho,&c. mane bibunt liquorē,& purgantur. Radix extracta exiccatur,reponiturq; in nouos vsus,nec vel plus quā decies vsurpata deficit:Ita senna & alia. Omnino, vt Mesues ait,ex multis reb.fiunt olea secundū modum ranini,& serpētini,quæ rerum infusarum virtutē habent de quib.multi ex SAPIENTIB. scripserunt:quo sermone indicat Philosophos dictos, seu Alchimistas,vti in præfatione de oleis eos appellat,& postea sapientes interprete Syluio qui rerum occulta manifestant,talium oleorum inuētores,& præparatores esse, ne Palmatianus quidam nos accuset quasi aliena,& heterogenea contra legem κατ' αὐλὸ in Alchymiā intulissemus. Sed & si cui libuerit,is poterit pro materia,& subiecto occultæ virtutis,non vulgariter expressum sesaminum,aut oliuarum, &c. petere,sed stillatitium,aut saltem eo modo purgatum quem Bulcasis in dealbatione proponit. Ita n.tenuius effectum totum iniectorum corpus penetrabit,vimq; penitus hauriet,quæ causa est vt Carauita & Matthiolus vetustissimum pro scorpiis elegerint. Id enim ætas reddidit acrius. Tantum de magisteriis.

(a) *Nota hæc olea aliquando cum bestiis coqui aliquando tantum insolari,vt est apud Mesuen Chymicus suum Athannor acediosum & digestorium arripiet. Non a.fieri olea ignaua, satis docet oleum scorpionum etiam vulgare,quod scorpionum ictus potenter sanat. Manardus recitat exemplum eius,qui solius olei scorpionum,quo se & famulū vnxit,fiducia sæuissimam pestilentiam contemsit. Addit aliquos sola inunctione liberatos esse. Si telas aranearum cum ipsis araneis oleo amygdalarum amararum,aut iuniperino stillatitio,macerauerís,medicamētum contra buffoninum venenum obtinebis:Nam aduersamur sibi natura istæ bestia:cumq; quoduis sit suæ vulneris alexiterium,inde pariter argumentum talium medicaminum capies. Contra Varenas ex vermibus Maiis, & oleo nucum iuglandium stillatitio efficies vnctionem.*

CAPVT XIIX.

De genere & appellationibus Extractorum.

Extracta vocantur, quæ non tantum virtutem per naturam singulis rebus inditam secum vehunt,verum etiam sunt aliqua pars substantiæ corporeæ,ideo Extracta dicta,quia cum intus lateant,& per totā molem corporis sint dispersa, foras in manifestum,relicto spissamento inutili tanquam carcere,aut capsa quadam,producuntur,atq; ita separantur,quod in aliquib.facili fit elisione & expressione,aut ēt sola vulneratione vt in succis,oleis,lacrymis,&c.in aliis operosioris est studii. *Extracta quid.* Notare vero initio conuenit appellationes quasdam,qb. in hoc artificio vtuntur autores. Quæ scientiæ,aut artes legitime docentur & digeruntur tanto fiunt illustriores,quanto diligentius termini distinguuntur,& studiosius suę classi,seu generi & specieb. suus accōmodatur,vt quantum fieri pōt ꝓptia sit locutio, possitq; discipulus statim ex vocabulo rem & modum rei intelligere. Id a.neglectum à chymicis hactenus est, ꝙ nō admodum soliciti essent de forma cōprehendēdorum,& methodice tradendorum ad consequendam sciētiam ꝓceptorum. *Vago ergo modo & indiscrete appellant extractum.purum ab impuro, Essentiam, Essentiam quintam, formam & speciem à materia, arcanum, secretum, magisterium, cœlum, astra, &c.* Quæ res Paracelsicis tenebrionib. est accommodatissima. *Extractorū nomina indistincta.* Quicquid n.ex eorum qualicunq; laboratione exit,artificiose,inerter, perite, imperite,oscitanter,studiose,statim nominatur quoduis illorum,atq; ita sub scientia latitat inscitia, & sub artis honorifico titulo inertia,synceritatisq; & veritatis nomen sæpe sibi rapiunt imposturæ, mirumq; est peritos quoq; & sapientes magistros in hac re nimium sibi indulsisse. *Mesues* producit,allegatq; autoritatē veterum sapientum,quos *Alchimistas*, & eorum studium *magnum magisterium*, (vt in extracto Mirobalanorum) *Bulcasis* Alchimiam,vt & *Sorsanus* Auicennæ vocāt. *Hos dicit ea quæ in reb. occulta sunt manifestare, & detegere:item per resolutionem virtute caloris disgregare, & separare in concreto occulta.* Aliquādo ad eosdem refert ēt *exaltationē*, qua ꝙ crassum & ignauum erat,tenue fit & subtile ad instar aereæ,igneæ,aut cœlestis naturæ, secundum ꝗ veluti ex materia egredi, & formale fieri videtur, vt in oleo Philosophorum. Idē sapientib. tribuit & hoc studium *quo aliquid materiale suscipit id quod in alio est secundum speciem*, vt in oleo viperino, ranino, scorpionum,de quib. ꝓcedente capite. Hinc paret, cum chymico non vna res sit ꝓposita,tamen *Extractum tunc potissimum appellari, cum ex concreto seu mixto artificiose elicitur ea pars essentiæ in qua radicaliter hæret occulta proprietas, quæ sensib. non est manifesta:* fit a.arte ista vt non amplius latere possit,idq; nō tm̄ virtutis merito accipitur, verum ēt substantiæ interioris in corpore,& mole integri inclusæ,quanquā in aliquib.magis,in aliquib. minus in conspectū ꝓdeat, sæpeque ex matrice sua per se copia sui,& turgente spiritu fractis claustris erumpat. *Extractum proprie dictū.* Dum latitabat,nomen occulti,seu secreti & arcani obtinebat. Hinc euenit vt terminus *ARCANVM*, eidem rei sit cōis, ꝗ post separationē EXTRACTVM dicitur: *Arcani significationes.* cui ēt nomen magisterii accommodarunt quia & operatione magistrali perficitur,& est effectu quoque opus magistri. Nam & vox *magisterium* tam de operatione,quam de opere vsurpatur. Sed posteriores liberius & indulgentius longe vsi sunt vocabulis. *Magisterium quod dictū.* Nam magisterium non tantum extractum nuncuparunt, sed quoduis chymicum etiamsi non

fieret extractoria separatione. *Arcanum* dixerunt secretum ab aliorum scientia: aliorum a. non tantũ extraneorum, verum & eiusdem artis professorum, vt esset id *quod vnus saltem tanquam sibi soli notum & singulare facere sciret.* Hinc *arcanum Paracelsi*, quod etiam ipsa artificii ꝓpositione est ab aliorum scientia seclusum, vt si quis id scire velit, ei opus sit Oedypo, aut Delio natatore, vel IanoPatulcio, qui clauem ad apertionem mysterii afferat, qua in re fere quilibet Paracelsista sibi propriam clauem fingit. Alii *nomenclaturas* scripserunt, quibus tamen ne ipsis quidem sibi & aliis satisfecerunt, vt sic maneãt clausa

Claues Paracelsificæ sunt cuiusq; impostoris somnia. & arcana, quæ primus inuentor voluit esse in secretis. *Penotus* oleum antimonii appellabat *maximum arcanum lepræ*: & Quercetanus aquam vitæ tartarisatam, *arcanum non reuelandum*: Crollius Arcanũ tartari, coraliorum, &c. Penoto ergo iudice *arcanum est quod reconditam vim habet, & occultam, specificamque ad morbum sanandum proprietatem*: Quercet. quod *nulli reuelandum sed sepeliendũ*, contra omnis boni morem, quanq̃ videatur tantũ externarum artium sectatores, non a. chymiæ studiosos excludere, sed q̃bus & ipsis sæpe perplexitatib. suis, *& plusquam Delphicis ænigmatib.* viam interclusit, quod alias ꝓpriũ

Quercetani arcana. est lucifugarum, & eorum qui *inuentiunculas suas maximi æstimant & plurimo venales exponunt, cum cognita vix sint rancidæ nucis.* Croll. ꝑ *arcano habet quicquid est chymicum*, & se ab aliorum operib. seiungit, maximeq; ꝙ discedit ab officinarũ vulgariũ præparationibus quo respexisse & *Mesues* videtur, dum nõ ea quædã fieri tradit per *expreßionem*: alia per *impreßionem* (*generali scil. significatu, vt coctitia, & infusoria simul comprehendantur, in quib. tamen & est extractio quadam & translatio virtutũ cũ parte materiæ, quod probat coagulatio*) nonnulla per *resolutionem*, quorum hæc *reuelatoribus occultorum* sapientib. non exclusis tamen eti-

Maximi æstimata, nauci inuenta. am aliis nonnullis per impressionem spiritalem, & exaltationem præparatis tribuit. Id a. quod extractum est FORMAM & SPECIEM ore sui interpretis appellat, non quod sit nuda forma, aut transuetit qualitas ex subiecto in subiectum, *sed quod se ad reliquias habeat vt forma ad materiam*, quæ ratio & est inter elementa Aristotelis, semper n. quod in eodem ordine nobilius est, item superius & actuosius, se ad ignobilius & inferius habet vt forma ad materiã, ita vt *cœlum* maxime formæ esse tradatur, atq; etiã *formarum locus*. (a) Hinc ortum est & *essentiæ* nomẽ, & *essentia quinta*: sed discretim. Nam *essentia* dicitur extractum κατ' ἐξοχὴν propter virtutes & actus earum, q̃ formæ quæ est essentia principalis ascribuntur: sed *quinta* nuncupatur, quæ elaboratissima nobilissimaq; est vt ad cœli & astrorum naturam accedere videatur. In horum tñ duorum cõparatione ASTRVM & ASTRALE est idem, ꝙ extractum verum

Materia. non ꝙuis, sed *exaltatum in sublimitatem syderalem per menstruum, quod ob subtilitatem & nobilitatẽ vocatur cœlum*, & debet cum extracto manere sicut stellæ à suo cœlo non discedunt. *Materia* est alias subiectũ patiens, & ignobilior pars substãtiæ cui potius frigus, & priuatio, passioq; cõpetit, q̃ calor, habitus, &

1. Meteor. c. 2 & 3. actio, quæ est formæ: Et cum *elementa* ad cœlum relata *sint materia expers potentiarum actiuarum*, quæ cogitur à cœlo impressiones capere, quomodo & Aristot. omnem vim ex cœlo petit, cũ calore, & motu subiectis elementis inde contributis: Ideo chymici materialia ista concretorum corporum, vtpote passiua, cumq; frigore, priuatione, & potentia ad patiendum, suscipiendumque formam coniuncta

Elementa extractorum appellarunt ELEMENTA, vt videre est apud Lullium, & Vlstadium in præfatione in libr. de secretis naturæ.

Hanc nominum rationem non absurdam esse, nec absurde à chymicis ad suum studium translata, imo nec sine autoritate veterum, quilibet non contentiosus videre potest. Ideo & cum Riolano ineptiebat Palmarius qui tum vocabula, cœlum, astra, quinta essentia, essentia, arcanum, tinctura, elementa, &c. repudiabat, tanquam in nostra arte Imperator esset cum ea plenitudine potestatis, vt mutare formam, & sermonem disciplinæ posset: tum nos accusabat Paracelsicorum deliramentorũ, cum manifestum sit *ante Paracelsum in vsu apud Latinos fuisse istos terminos, & ex physicorum scholis traductos*, nec difficile sit Aristotelis illud *corpus magis diuinum quam dicta elementa, & analogum elemento stellarum, calorem* scil. cum *spiritu & humore primigenio*, qui vere est substantialis, huc quoq; referre. Cum a. artis leges requirant, vt quæ re, & modo præparandi sunt distincta, etiam vocib distinctis declarentur: cõsulto factum est vt turba synonyma in classes digereretur. Ideo vox EXTRACTVM opposita est MAGISTERIO quod elaborationem chymicam sine extractione notabili habet: Deinde generaliter accommodatur omnibus siue simplicibus, siue compositis quæ ex misti corpore toto sunt secreta. Di-

Extractorũ distinctio. *stinguitur autem* singularitate, & coniunctione, seu simplicitate, & compositione. *Extracta simplicia Essentia simpliciter* dicuntur: sed *composita, Elixyria*, traducto nomine, à rege *Elixyrium* in perfecto magisterio, vbi *compositio fit duorum mercuriorum, masculi & fœminei, animæ, spiritus, corporis, &c.*

Simplices Essentiæ item habent sua discrimina, nominatim que astra, & astralia: Item specifica & formalia appellantur quintæ essentiæ subtilitatem consecuta, quæ & *mysteria* seu *arcana*: quæ vox

Astralia. morosulis Aristarchis non debet inuisa esse quando & apud Nicolaum extat *antidotus ad pleuritin* ex styrace calamite, castorio, pipere, croco, hyosciamo, *mysterium* dicta. *Marinus* in expositione Mesuæ

Mysterium. negat recens esse *speciem à materia separare seu essentiam quintam* (quo termino laxe vtitur de quouis extracto) *cœlestem virtutem, & formam*, hoc est, succum quendam melleum vel oleosum (quæ sunt extracta materialiora iuxta rudimenta priscæ artis) per menstruum aliquod ex corpore concreto euocare, & segregare: quando & Dioscorides exemplum habeat in *succo gentianæ* qui extrahitur mace-

Succus gentianæ. rando in liquore, coquendo, exprimendo, colando, diuaporando, aut si nobile est menstruum, destillando.

Fatetur nos ob istud studium chymicis multum debere. Verum de his & alibi disputatum est. Illud notabit Tyro, *non semper crassamentum elementare tantum separatu essentiæ remoueri: sed interdum etiam spiritus, & liquores noxios*: vt in oleo viperino per coctionem spiritus venenati emittuntur: In arsenici butyro difflantur iidem quanquam etiam hi suam crasin occultam habeant. Reliquiæ distinguuntur iuxta analogiam quam habent cum elementis & humoribus, quanquam neutiquam sint simplices. *Attendendum autem est vbi menstruum sit adhibitum, & vbi suppetat propria rei humiditas.*

Hic enim

Hic n. elemento aqueo proportionale inuenitur, quod *phlegma*, nomine humoris frigidi humidi in animalibus, appellatur. Quod terram refert, tum hoc nomine profertur, tum fecis, & capitis mortui: Veruntamen cum discrimine. Fex n. dicitur post separatã essentiam succulentam licet adhuc habeat salem, nec dũ sit omnino res mortua. Quod vero sale quoq; priuatum est, *mortuũ* vere audit, quanquam aliquando reuiuiscat, aut ẽt in vitrum, aliasue formas transmutetur. *Phlegma* non vsq; adeo contemnitur, vt ab omni vsu excludatur. Nam sæpe partibus essentialib. extrahendis famulatur, maxime salibus, & oleis: quorum omnium exempla in sequentib. occurrent. Notandum & hoc est, quod *Extracta* aliquando diuidantur in *vniuersalia, & particularia*, quodque Paracelsici obnixe contendant, *vnicum tantum chymicum per essentiam vniuocam esse*: Cætera omnia esse particularia, & analogica, vtpote quæ in defectu chymicæ vnius soliusque medicinæ, tanquam secundarii quidam & vicarii dii seu optiones affluant. Ideo Palmarius & Michelius pro suo lapide, quẽ vterq; ignorauit, nec vnquam habuit, tanquã pro aris focisq; pugnarunt: Imo VNIVERSALIS illa medicina potius opinio quædam esse videtur, & nomen literale sine re & sensu. Si quæras cur? Infra quidem responsum copiosius accipies: nunc tantum hoc argumento contentus esto. Multi nostro æuo & patrum sunt, & fuerũt Lapidis præparatores & possessores: vt Paracelsus (Ita enim habetur) Kelleius, Sedinuogius, Alexander Scotus, & quos Barnaudus recenset, quorumq; aurum vidit Anshelmus, Penotus & alii: Sed *nullus eorum vniuersale comprobauit sanatis omnibus in vniuersum morbis*; quando & Paracelso necessitas expressit varia alia, vt *arcanum corallinum spiritum vitrioli, laudatum opiatum, mercurium vitæ, antimonii præparationes* & alia. His est Paracelsista medicus, quicunq; hodie medicinam Paracelsice facit. Lapidem quis profitetur? aut si ꝓfitetur, qñ & vbi seu facit, seu vsurpat? Crollius, Quercet. & olim ẽt Penotus: item Suchten, Dornæus, Dornheuserus, Seuerinus, &c. nihil habuerunt lapidis Philosophici, & desperatione eius veterum præceptiones in alia quæuis transmutarunt. Si ergo quis illam essentialem & vniuocam Alchymiam desideret, is nullam aut esse aut fuisse sciat nisi in vocum inanibus figuris, & temeraria persuasione, etiam si lapis aurificus non sit commentum.

Fex.

Caput mortuum.

An chymica essentia sit tãtum vna & sola vniuoca.

Vniuersale medicum est vox sine re. Vide libellũ Hoghelandi.

Multi aurifices nulli omnium morborum sanatores.

(a) *Aristoteles li. 2. de ortu tex. 50. solus ignis est & maxime ipsius forma, quia natus est ferri ad terminum. Forma & species omnium in terminus est. In 3. Gen. an. vlt. Ignis semper formam non propriam habere videtur, &c. qui ignis est alius ab illo elemento, qui inter elemẽta est formalißimus, quia ad locum formarum, vbi sunt formæ cœlestes, fertur.*

CAPVT XIX.

De extractis sapalibus & affinibus, quæ simpliciter extracta dicuntur.

Extractorum quædam simplicia esse quædam composita in synopsi paruit. Inter simplicia quædã ex totis absq; separatione diuersæ formæ essentiarum simul concinnantur, eaq; rudiora sunt, & magis materialia, adeo frequentia in tabernis partim mercatorum, partim pharmacopœorum, & vsu populi vt pene vbiuis sint obuia, quandoquidem multa fiunt etiã sponte naturæ (vt resinæ, lacrymæ, gummi, aliiq; succi) multa matres, & coqui in vsus familiares parant. Aliqua ẽt studio quodam plebeio fiunt, vt opium, succus cyrenaicus, sagapenum, galbanum, euphorbium, gitthaiemoum, lac scammonii, &c. *quæ nihil aliud sunt, quam extracti ex plantis, & inspissati succi*. Officinæ *extracta simpliciter* vocãt, quæ chymici pingui Minerua docent ꝑparare ad eum modum, quem Mesues proposuit in *rhabarbaro & mirobalanis*, quiq; *alibi* ẽt sine nomine extracti sæpe occurrit, cuiusmodi sunt officinarum *succi liquidi, & inspissati, sapa apachylismata seu rhobub* (ceralorũ, berberum, ribium nostratium, & Syricarum: mororũ, nucum: Item cydoniorum, pomorum redolentium, pyrorum dulcium & mitium, mespilorum, sorborum mustaceorum, granorum cynosbati mollefactorum, halicacabi vesicarii, solani syluatici, ebuli & sambuci baccarum, granorum iuniperi, vitis ideæ, ericæ bacciferę, spinæ ceruinæ, & omnino plurium aliorum) ostendunt & *salsas suas* pro condimentis, *& muccagines, glutinas, iuscula, brodia, emulsionesq;* cum similib. quæ omnia extractorum speciem habent, de quib. ꝑcipere, esset ligna in lucum ferre, seq; ridendum mulierculis exponere. Debet tamẽ Tyro chymicus ista saltem non ignorare. *Materia extractorum simpliciter dictorum* fere sunt res animales, & vegetales; raro minerales: Interdum ẽt officinarum cõposita, vt electuaria, antidoti, conseruæ, pilulæ, &c. Ex quib. extractum pilularum cordi, diacatholicum colatum, extractum diaphœnicon, de succo ros. Aloe rosata, &c. apud plęrosq; instructiores extare solent. Modi operationum in aliquib. sunt plures, in aliquib. pauciores, vt cõtusio, tritio, coctio, infusio, putrefactio, expressio, filtratio, digestio, coagulatio, &c. *In digestione* notandum est, sicubi adhibetur, vt *caueamus corruptionem, situm, acorem, &c.* Itaque tunc reliqæ expressę possent in cinerẽ redigi, & inde *sal collectus iuri digerendo addi*. Quod si impuritates cõiunctæ sunt, q̃ filtris & colis, atq; etiam clarificationib. non possunt omnino tolli, impfecta quædam fermentatio, vt in mustis erit ꝓcuranda: & spuma innatãte abiecta, succus purus, si quidem est liquidus & sequax, laciniis, vel decapulatione transferendus. Inde coagulabitur, adiecto aliquãdo sacharo crystallino, aut mastiche, aut tincturis, siquidem placet succos ornare, vt matres familias faciunt in cydoniorum succo, quem variis coloribus varium reddunt, & postea coloratis portionib. translatis possunt *imagines insignium herbarum, florum, hominum, bestiarum mirifice suis colorib repræsentare.* Alumen illustrat colores.

Extracta materialiora.

Gitthaiemoum.

Extracta officinarum.

Materia extractorum sapalium.

Modi extractionum simplicium.

Digestio.

Coagulationis adiumenta.

Succorum tinctura.

Ideo & huius nonnihil aliquando addunt. Sales proprii faciunt ad diuturnitatem si immisceantur. Qui succos purgantes reddere volunt, vt qui *diacydoniam catharticum* moliuntur, extractum scammonii adiiciunt, aut etiam aliquid occultius ex magisterio occultatum qualitatum. Sic cũ succo cerasiorum, pomorum, rosarum vel alio miscent *essentiam mercurii vitæ*, cremorem tartari, & similia, fiuntq; *succi purgantes iucundissimi vsus:* Imo talia sæpe *includuntur cerasis conditis*, & masticari iubentur. Cydoniorum succo aliquando *manna repurgata* additur, suntq; artifices hac in re valde industrii, nec possunt omnia literis concredi. Studiosus chymiæ vno atq; altero exemplo admonitus facile ad imitandum se componet. *Quædam extracta* habent menstrua vel sua, vel aliena, vt vulgarem aquam vitæ, &c. Et vel relinquuntur cum istis tantumq; indigent accurata purgatione à spuma, & fece per clarificationem, digestionem, &c. vel coagulantur menstruo reuocato. Si id alienum est & inutile, satis est expiratio in ollis, aut patinis, vel vitris lati orificii, siue ad solem placeat coagulare, siue lenem ignem cinerum, vel hypocaustorum. Vtile menstruum destillatione separatur. Hic non indignum est obseruatu quod *officinæ sæpe peccent in extractis suis*, quæ neglectim admodum parant adeo vt cum ad vsum transferuntur, minime respondeant expectationi medicorum. Aliquoties purgandis patientib. *rhabarbari extractum, aut esulæ, aut Turpethi, aut Agarici* (hæc enim familiaria sunt pharmacopoliis) obtulimus. Sed etiam drachmæ pondere vix quicquam mouerunt, cum tamen integrorum dosis tanta, sæpe satis ducat. Causa istius ignauiæ est, quod terendo coagulandoq; peccent, & infundendo. Est quidem alius essentialior modus, quo efficitur vt paruæ moli virtus insit magna: sed nunc de materialiore sermo est. Qui ergo vult suum extractum efficax esse, *selecto* vtatur menstruo & materia: Deinde res siccas non nimium contundat. Nam spiritus & soccus subtilior dissipatur, & aliquid atomorum in extractum succum per colatorium transit, (& sane aliqui inertiam emendaturi etiam studiose immiscent integrorum pulueres) quod non poterat fieri in extracto rhabarbari Mesues, non trita, sed integra radice assumta.

Extracta officinarum neglectim facta.

Præterea calorem, quo adiuuatur extractio, materiæ compagi conuenientem adhibeat, & in diplomate clauso operetur. Firmior materia, vt acrius menstruum requirit, ita & calorem auctiorem, sed non dissipatorium. *Colatorium* quoq; non debet transmittere integra ramenta: neq; *expressio* nimis violenta esse. *Liquor filtratus*, aut quod in fluxili melius per lacinias translatus, siquidem est coagulãdus per destillationem ex alembico ad mellis consistentiã redigatur. *Feces* expressionis aut post translationem residuæ incinerentur. Ex cinere *sal* extrahatur, non per alienum menstruum, sed per proprium, quod à succo est per destillationem separatum. *Vtile hic foret prius illud menstruum in duas partes diuidere.* Nam *purgans vis plerumq; est in spiritu, aut cum subtiliore parte.*

Salis extractio.

Quocirca destillandum est ita vt vna parte in balneo extracta, duæ restent: Et illa seruata, has possumus adhibere ad salis extractionem. Dilutum seu lixiuium quod salem exhausit ex cinerib. leni calore diuaporandum est, & tandem sal colligendus; qui miscebitur extracto melleam consistentiam habenti. Spiritus autem seorsim sub titulo *spiritus vel aqua. Rhabarbari* &c. seruandus est. Nam in vsu, extracto iungetur adiecto saccharo pro iucunditate. Memineris autem hæc dici de blandis & benignis purgantibus: non de his quibus spiritus & halitus est venenatus. Hæc adeo de modo talium extractorum, si qua expetantur. Facile foret eodem processu *essentialia facere*, nempe *procurato sedimento per circulationes, & postea artificiose coagulato puro liquore, insuperq; fecibus, & reliquiis calcinatis: perq; separatum liquorem elicito sale, qui cum spiritu proprio sæpe solutus & sublimatus ad purum: succo essentiali immisceretur per modum imbibitionis.* Sed hæc peculiarem habent classem.

In extractione rhabarbari spiritus non negligendus.

Extracta essentialia facere, seu formalia.

Menstruorũ delectus.

In Electione menstruorum pinguia pinguibus debentur: cæteris familiaria, cõmunia, vel propria. Sed attende vt sicubi sunt separanda, non talia sumas quæ intime adhærent. Difficulter enim recedunt tota. Est tamen aliquod artificium in talibus quoq; veluti *si extractum sulphuris facere velis per spiritum terebinthinæ spiritus vini separationem procurabit.* In multis possunt chymici essentiam extractam leui opera à mẽstruo separare vt *per oleum tartari, halonitri, acetum, salem*, &c. quibus præcipitatur quod assumtum est. Sed id in acribus vsu venit. In aliis *oleum orienium vel sal vrinæ, aut arcanum alcali* comodaret.

Hæc enim sunt *repercussiua, seu descensoria.* Verum non possunt habere generalem præceptionẽ. Dictum est, coagulationem fieri ad consistentiam mellis, vel sapæ. Sed *interdum ẽt vsq; ad siccum* progredimur, idq; vel molle, quæ est *mannæ consistentia, vel durum*, q̃ est picis, vt friari vel puluerari extractum queat. *Molle* sæpe datur *forma pilularum: Durum pulueru.* Chymicus scite debet quæ consistentia quibus sit apta. Sic in naturalibus, & popularibus crebro occurrit duricies puluerabilis, vt *in scammonii succo, diagridio, gitthasemoo, &c.* Aliquando & mollicies, vt in *Galbano, styrace liquido, ambare liquido, &c.* Aliquando extractioni præmittenda est *correctio*, vt in foliis, & corticibus *mezerei, esulæ, &c. quæ aceto præmacerantur. Elleborus niger* coctione ex aqua lactis corrigitur: In quibus quia virulenta quædam est sanies, vtile est digestionem instituere post coctionem, & expressionem. Chymici interdum imitantur coquos, qui prima brodia raparum, caulium, cynaræ, ranarum, cochlearum & similium abiiciunt: secundaria vero in mensas inferunt. Si qua materia est virulenta, vt Ellebori nigri, Esulæ, Hermodactylorum rad: Ireos, sambuci, &c. (a) eorum primum decoctum abiici profundique potest, & deinde ex contusis aliud procurari.

Extractorũ consistentia.

Correctiones ante extractionem.

Fiunt autẽ variis scopis *communia extracta*, nempe *vsus interni vel externi causa.* Hic habemus nutrimenta (Extractum panis, phasianorum, caponum, ranarum, cochlearum, &c.) Habemus & *condimenta* (vt ex petroselino, nasturtio, lepidio, &c.) Item *alterantia primis, secundis, (b) tertiis qualitatib. purgantia, confortantia, alexipharmaca*, & multa certis membris morbisq; *appropriata, diaphoretica, diuretica, bechica, lithontryptica seu iecolitha, vulneraria*, & similia. Præceptionibus cognitis, procliue est exempla in praxi inuenire, modo electio rerum, & menstruorum non vacillet.

Abun-

Abundat a. exemplix Quercetanus. Multa habet Crollius, multa Penotus, nec est fere studiosus medicinæ, qui non copiosos indices deferat in censum. Non pauca nos quoq; *in commentariis, & Alchymia* congessimus ad quæ studiosos ablegamus. Ne desit exemplum: *Scammonium fractum, non tritum solue spiritu cydoniorum stillatitio, vel aqua rosarum: vel spiritu, aut aqua malorum fragrantium ex succis eorũ destillata. Solutionem detine in balneo tepido, donec feces ad fundum secesserint. Purum liquorem, qui albus erit, defunde seu decapula in cucurbitam mundam. Repone aliud menstruum, idemque repete, donec nihil amplius eliciatur. Extractiones collectas in patinam vitream infunde, & per noctem indito operculo relinque. Deinde destilla per lacinias, vt purus liquor transferatur. Ab hoc separa menstruum per destillationem lenem. Feces combure, & salem extractam per separatum menstruum essentia adde.*

Extractum scammonii.

Si pro aquis & spiritib. succos (c) seu vina sumseris (vt pomatium frangrans, succum rosatũ, vinum cydoniorum, succum purum citri, vel limonum, &c.) extractum compositum facies, quod absque sæuitia purgat, dosi granorum trium, quatuor, aut sex in vna pilula, quanquam augere eam possis pro modo succi adiecti, & conditione vtentis.

Quia *studiosis, non autem omniscijs & tumidis chymosophistis* prodesse volumus nostris monitis, σαφέστερον, καὶ ἀμαθέστερον scribendum est. Si quis ergo suo pharmacopolæ præscribere velit modum extrahendi Rhabarbari, hac forma vti potest. *R. seri lactis vaccini lib. 3. aut circiter: Zingib. caryophill. contritorum an. ℨij. spica Indica ʒj cinam. ℈j Ebulliant semel atq; iterum in diplomate. Deinde relinquantur per noctem in calore miti. Mane destillentur.*

Extractum Rhabarbari legitimum sapale.

Recip. segmentorum Rhabarbari vel lamellarum (neque enim terere aut radere sed concidere minutim oportet) ℨj. *Affunde destillati seri tãtum, vt tres digitos exuperet. Macera horis 12. Exprime. Expressum serua. Reliquiis affunde menstruum nouum. Colloca itidem in locũ calidum, aut balneum tepidum in cucurbita clausa, vt prius. Expressum liquorem adde priori: Et si adhuc aliquid essentia inesse deprehenderis, repete laborem tertio.* Poteris iubere, vt tincturam attendat. Nam Rhabarbari essentia crocea est. Vbi ergo nihil tincturæ restat, signum est, exbaustam esse essentiam. Si etiam abundares Rhabarbaro, iusserimus vltra primam vicem non progredi.

Separa menstruum destillando per balneum, postquam extractiones per filtrum seu colum traieceris. Reliquias à quibus extraxisti tincturam, nempe magma crassum, *combure, & per separatum menstruum elice salem. Hunc adde extracto. Caue vero ne dum destillando segregas liquorem igni auctiore vtaris. Nam spiritus vna manere debent. Ideo & aliqui eos figere tentant addito in ius expressum pauco spiritu vitrioli.* Quod si peccatum esse senseris, poteris menstruum abstractum seorsim titulo *aqua Rhabarbari* retinere, & addere nonnihil *de aqua cinamomi*, vt in vsu vtrumq; coniungas, apposito *sacharo* pro saporis iucunditate. *Pro sero* lactis destillato, vti possumus *aqua stillatitia roris maii*, aut *hydromelitis, apomelitis*, aut *pluuia stillatitia*, in quam tamen aliquid *tartari albi* contriti sit immissum: nec opus est adiicere aromata. Satis erit si in vsu aquæ cinamomi nonnihil apponas.

Extract. mechiocana simplex.

Si vis de *mechiocana* præcipere, propone *vini*, vel *cereuisia* spiritum pro menstruo. Oportet a. eam crasso modo contusam esse. *Elleborum nigrum* si præsentem modum, sapalem scilicet, seruare velis, œnomelitis, seu hydromelitis vinosi, vti apud Penotũ & Quercetanum describitur, spiritu extrahes; *Sennam* spiritu vini tartarisato. *Quia vero Elleborus halitibus virulentis non caret, ideo radices prius nonnihil coquuntur sero lactis addito zingibere:* aut in pomis assantur. Verum suo loco melior modus sequetur. *Extractum Tamarindorum extemporaneum. R. seri lactis lib. 2. fumaria m. j. zingib. ʒj. coquantur in diplomate. Decoctum per filtrum traiice, & si opus est, per lacinias destilla. R. huius lib. 1. Tamarindorum sine nucleis ℨiij. coque in diplomate ad solutionem succi. Cola. Liquorem abstrahe per lacinias. Extractum adiecto pauco tartari cremore, aut sale proprio reliquiarũ repone, si non sit vsus præsentis.* Si iam vti velis, non opus est separatione menstrui. Interdum tantum aqua fumariæ discoquimus: vt: *R. aqua fumaria ℨiiij. Tamarindorum ℨj. Iniecta in cucurbitum coquantur leni balneo imposito alembico clauso. Cum solutus succus est, fiat colatura, cui addatur nonnihil aqua cinam. aut aliqua pars Syr. rosati solutiui, cum cremoris tartarei portiuncula.*

Extractum tamarindorum.

Ita fiet haustus (d) *Extractum sapale Theriaca* eodem modo paratur, assumto menstruo appropriato, quale est *aqua angelica*: siue ex ipsius herbæ succo extracta, siue ea, cum qua ex radice extractũ est oleum, postquam subtilior pars à crassiore phlegmatica est separata. *Confert & aqua olei corticum & seminum citri* (hoc est, cum qua extractum est oleum horum.) Item *aqua Valeriana*, scordii & similium. *Helenii & Ireos* radicis extractum fit cum *spiritu Iuniperi* alterato infusione baccarum lauri. Eodem modo & *Extractum cranii* de quo vide Quercetani pharmacopœam p. 615. *Extractum cinanomi, caryophyllorum* & similium spiritũ maluatici, aut vini Gallici, melius facies quam aqua ex fecibus vini ardente. *E granis halicacabi succum extrahes*, si contusis affundas vinum decoctionis radicum restæ bouis, aut Herniariæ, &c. coquere oportet in diplomate, & colaturam inspissare.

Generale est, vt *in omnibus studeas appropriata menstrua sumere*, respiciendo ad materiæ compagẽ, essentiam morbi, dispositionem vtentis (quod tamen medici magis est, quam chymici, nec præparationis, sed vsus singularis) & membrum cui consulere velis atq; etiam effectum in vsu. Ita *cephalica parabis cum menstruis cephalicis, hysterica cum hystericis.* Si res sunt succulentæ & recentes, vt herbæ, radices, fructus, cortices & alia nuper ex hortis, locisq; natalibus lecta, hoc modo procedes: *Cape absynthii recentis quantum vis, contuso affunde aquam stillatitiam eiusdem*, si præsto est: *aut aquam saluia vel mentha.* Sed propria congruit magis, quæ si deest, sumere oportet *rorem lectum ex absynthio*, aut *pluuiam destillatam in qua aridum absynthium per noctem sit maceratum. Tantum a. erito affundere oportet, quantum satis sit ad irrigationem paulo liquidiorem*, vt commode exprimi succus queat, veluti si vnum atque alterum digitum excedat contritæ herbæ pultem. *Expressio affundatur absynthio nouo itidem contrito. Agitetur bene in mortario lapideo, & exprimatur per colũ. Idem fieri tertio, quartoue potest, donec sufficiat quantitas succi.* Iam delibera sapaline modo vti velis, an essentiali, & potes vtroque.

Extracta succulentorum.

Absynthii extractum.

Diuide ergo ſuccum in duas partes. Vnam mitte in cucurbitam, & deſtilla vſq; ad ſpiſſum. *Serua vtrumq; tam deſtillatam ſcil. aquam, quam ſuccum.* Alteram pone ad digeſtionem: Et ſi non ſatis liquida eſſet, adde rorem deſtillatum, vel pluuiam ſtillatitiam infuſionis abſynthii, vel quod melius eſt, illam aquam, quam ex priore parte ſeparaſti. Sed miſcere & ſubigere exacte oportet, vt vnum homogeneũ fiat. Dum in digeſtione clauſo vaſe (putrefactionem vocant) eſt, adhibito modico calore balnei, fimi, vel cinerum ſi iſte apparatus difficilior occurrit (Hyeme vti poſſumus etiam vapotario: æſtate ſolario) ſecedent partes, quas ſeparabis modo eſſentiali de quo paulo poſt. *Sales* ex reliquiis combuſtis extrahere ne obliuiſcaris. His n. integritas extractorum conſeruatur. Apud *Penotum* legimus modum quẽdam alterariuum qualitate aſtrali in eiuſmodi extractionib. *Radicem Bryoniæ excauatam implet argento viuo ſublimato ſubtiliſſimi lauoris. Relinquit in cella per dies decem. In arenam collocari humidiuſculam poteſt vt erectum ſitum ſeruet. Cum diffluxit in ſudorem hydrargyrus, ipſe quidem ſeparatur, ſed radix tunditur, exprimiturq; Succus per ſplenia:* imponitur *nodis, tofis, ſtrumis, ſcrofulis* : Et cum maruerit, illinitur vnguentum ibidẽ deſcriptum ex ceræ ol. ſtill. chamæmelique & ſtruthii adipe, quorum loco ſatis fuerit ol. chamæmeli ſtillatitium, & adeps equinus cum ol. plumbi. Vt reponi poſſit iſte ſuccus eo commodius, ſeparetur aquoſitas à ſpiſſamento: & ſal ex reliquiis addatur vtriq;. Id imitaberis *ſale plumbi*, pro ſublimato: Et aliis calcibus in humore liqueſcentib. Pro *bryonia* capietur *radix* gentianæ maioris ſcorzoneræ, ſcammoniæ cyclamini, ari, ſymphyti maioris, cepæ, Helenii, pœoniæ, Iridis, Braſſicæ, Allii, porri, Hermodactylorum, ſcillæ, *Raphani, rapa*, & aliæ carnoſæ pro vt conuenire videbuntur. *Cape pomum fragãs, aut citrium, aut arantium & ſimilia. Factis foraminib. immitte ſales vnionum, coralliorum, gemmarum, &c. cumq; diffluxerint, exprime contuſa. Succum ſi ingratior eſt, tempera puluere manus Chriſti perlata albæ, vel ſantalina.*

Extr. Bryoniæ externi vſus.

Extr. pomorum alterata ſalibus.

Aliud purgatorium: Pruna dulcia macerentur ſero lactis calente, aut coquantur, donec intumeſcant: aut ſi tẽpus ſuadet, recentia cape (poma & Perſica, & Armeniaca) immitte ſingulis grana aliquot cathartici mineralis quæ aquila cœleſtis & panacæa dicitur. Pone in ſetaceo ſuper vaporem aquæ, vel in balneo rorido diſpone induſtrie, donec ſolutum puluerem, aut ſaltem alteratum pomum perceperis.

Pruna purgantia.

Eſt quidem, vt detur vnumquodq; integrum pro doſi pulueris: *Veruntamen etiam expreſſum ſuccum porrigere poteris*: Et melius eſt fieri alterationem, vel ſolutionem extra ventriculum, quam in ipſo. Idem modus eſt alterandi ceraſia, & vuarum carnearum maiuſcula grana: Neq; id dulci mercurio tantum, ſed & multis aliis catharticis mineralibus peragi poteſt, ita vt plane lateat vis medica. Medicus aſſumtis iubebit addere nonnihil vini albi, aut iulepum roſaceum laxatiuum, vel ſimilem liquorem, cum pauca aqua cinamomi, ne metallica qualitate nobilia membra offendãtur, quanquam *iſta propinari ſub noctem fere ſoleant, ne in ſiccum ventriculum impingant*: Cæterum huc referri poſſunt *duo modi extractionis herbarum apud Quercetanum* in pharmacopœia p. 584. *& ſeq.*

Prior eſt: *Imple cucurbitam vitream magnam conciſa herba, quando eſt integra viribus (ſiue totam ſumere velis, ſiue certas partes totius.) Comprime, ne quid hiet. Affunde hydromel (aquam mulſam) vt irrigentur. (Verum ſatius fuerit ſtillatitium rorem, vel pluuiam areſactis herbis eiuſdem ſpeciei prius alteratam accipere, niſi vſus mel poſtulet.) Cucurbita operculo conueniente tecta exponatur calori ſolis, aut hypocauſti, aut balnei vapidi, quod eſt artificioſius, per dies quinq; vel circiter. Prohibendæ corruptiuæ putrefactionis gratia aliquid ſalis ex cremata herba ſicca: aut communis adiici poteſt, ſicubi res eſt in putredinem procliuis, quanquam tunc tempus macerationis debet eſſe breuius, vt ſi grana caprifolii, fraga, vitis Idea fructus, aut perſica, ſic extraheres. Peracta maceratione transferatur materia in colum, & prelo ſuccus euocetur. Si quid virtutum reſtat in reliquiis: contritis affunde aliquid menſtrui prioris: aut aqua potius, quam prior expreſſio deſtillata reddidit. Exprime denuo, idque ſi opus erit etiam tertium repete. Extractiones vel ſimul omnes, vel præmiſſa prima, ſubmiſſis poſterioribus, vt aquam pro ſequentib. habeas deſtillentur. Sal ex reliquiis crematis adiiciatur ſucco ſapali, & aquis, quæ ſeparatæ ſunt deſtillatione.*

Modi Quercetani illuſtrati.

Neque enim hæ ſunt abiiciendæ, ſed vel cum ſuis ſuccis in vſum venire poſſunt: vel in nouos extractionum reponi.

Aqua extractionum.

Pharmacopæi ſolertiores flores roſarum vinearum, ſeu rubrarum fragrantium contuſos, aut ſectos *ſolent in cupas inferre*, & ſedulo comprimere ne ſitui ſit locus. Aſpergunt aliqui guttulas *ſpiritus vitrioli, vel aciditatis citri vel limonum* per lacinias exacte purgatæ: aut ſi ſal eſt ex magmate ante annum collectus, hunc inſeminant. Cum dolia impleta ſunt, rimas diligenter cum orificio claudunt, atq; ita in ſemeſtre, aut trimeſtre ſeruant.

Extractio roſarum ſimul cum ſeparatione elementorum.

His conſultum foret ex eadem materia, *ſuccum & aquam* & ſi velint & *ſalem & oleum* facere. Sed cum tantum operæ non ſumant noſtrates, ſaltem exprimerent partem aliquam iſtius conſeruæ addita verere roſacea. Expreſſum balneo rorido, aut marino deſtillarent: Et ſuccum cum aqua vno eodemque opere adipiſcerentur.

Eodem modo pergerent cum portionibus relictis: & vt aqua eo fragrantior fieret, ſemper poſteriori parti aqua prioris adderetur. Verum illi copiæ ſtudent. Ideo & ſæpe fontanam addunt. *Alia induſtria.* Quando partem ſeruatarum roſarum expreſſiſti, recrementis expreſſionis in cucurbitam aliquam aut dolium inditis affunde ſtillatitiam pluuiam: Et ſic relinque donec expreſſum ſuccum in ſuam aquam, & ſapam diuiſeris.

Interim aqua aſſumet ſi quid reliquum eſt in roſarum ſtrigmentis ſeu magmate Expreſſam affunde alii portioni ſeruatarũ roſarum: Et ſic procede exprimendo, & deſtillando per totum. Succos collectos addito ſale proprio repone.

Aquas vero, ſi non vis fallere, *omnes in tres partes diuide.* Prima quæ leuiſſima deſtillatione exibit, erit *ſpiritus roſarum*: Secunda, *aqua*: Reliquum repones pro *menſtruo* ad roſas nouas extrahendas, aut etiam externis epithematum vſibus.

Poſterior modus Quercetani. Magnam ampullam terream, vitreamue, aut dolium, in quo vinũ fuit, aut mulſum (ſiquidem rei natura patitur odorẽ & ſaporem talis) *quod diligenter aqua feruente eluere oportet prius tamẽ in co-*

Modus poſterior Quercetani.

incocta herba eiusdem speciei arida, implendum est planta comminuta (tusa, vel concisa) quasi non succulenta est, irrigabitur aqua sua propria, vel stillatitia pluuia infusionis eiusdem plantæ siccæ. Peracta commaceratione in portiones diuisa materia destillabitur in balnea vsque ad siccum, sed cauendo adustionem. Debent enim herbæ quasi arefacta tantum esse. Hæ extracta ex cucurbita in puluerem craßiusculum friabuntur; & postea suo liquore perfusa ad digerendum reponentur. Fiet extractio ad instar tincturarum, aliquoties mutata aqua. Extractiones destillata exhibebunt sapam, & aquam, cuius vncia cum illius drachma integra, vel dimidia, adiectis paucis granis proprii salis dari potest, quibus mederi volumus. Hic modus videtur subtilitatem inutilem habere si herbis abundamus. Cur enim non potius ex recentibus contusis exprimimus succum dilutum; & huius destillati aqua infundimus puluerem non iam ignibus fatigatarum, verum integrarum? Congessit autem Quercetanus varia exempla, plurésque modos in totum cap. seu librum 25. suæ pharmacopœiæ vnde plura petet, qui plura desiderat: *Sicca ferè iubentur extrahi per spiritum vini*, quo Crollius etiam *elleborum, & colocynthin* elaborat. In quibusdam tamen conferunt proprii succi & aquæ aliquando acidis liquoribus aut salibus alteratæ. Nimirum vbi densior est consistentia & compages spiritus conueniunt. *Penotus elleborum suum aqua anisi*; quæ scilicet superest ab oleo anisi præparato, extrahit: & aquam ad mellis consistentiam destillat. Ita *sapale extractum* foret. Pergit autem ille & *essentiale facit*, de quo nos *infra*. Habet modum alium, qui in similibus multis obseruari potest. *Cortices radicum ellebori nigri mense Octobri collectarum vino optimo abluantur. Deinde contusi contusique maluatico conspergantur, & blando calore resiccentur. Satius fuerit prius arefactos tusosque maluatico irrorare. Nam exiccationi spiritus virulentiores euocantur. Siccati iterum maluatico potentur, & siccentur, fiatque idem tertio. Postea contriti perfundantur syrupo rosato solutiuo, quantum potare possunt. Resiccentur. Repete hoc quinta vice, dum nihil amplius bibant, fitque puls conserua instar.* Hanc Penotus quidem itidem arefacit, & pulueratam recondit pro vsu per grana 8. aut 12. Sed chymicus conuertere in materiam extracti potest, si vel adhuc humidam conseruam aqua rosacea, aut cinamomi, quæ superfuit ab oleo præparato, extrahere velit, vel arefactam vini spiritu. *Extr elleb. Penoti.* *Puluis elleb. nigri præparatus.*

Is modus accommodari potest etiam ad *Radices Esulæ*, si scilicet eas ablutas vino odorato, conteras & loco maluatici, aceto rosaceo potes. Inde arefactas contundas: Contusas saties, seu imbibas succo rosarum multiplicis infusionis, vltimoque extrahas aqua stillatitia seri lactis, vel pluuiæ, & ad sapalem consistentiam redigas. Alias Penotus in radicibus talibus & herbis seu integris plantis etiam modum superiorem seruat; quo recentes vino emundatæ conquassantur & addito vino nobili (ad excessum trium digitorum, aut aliquanto minus: Ille octo manipulis affundit duas mensuras) macerantur in balneo per diem naturalem. Si quid interim spumæ emersit, id auferendum, & abiiciendum est. Ex reliquis expressum ius & per filtrum traiectum nouis affunditur herbis, quantas scilicet capere potest cum excessu trium digitorum. Proceditur vt prius, donec satis succi est elicitum. Iubet tamen Penotus secunda vice radices tantum capere, præscribitque mensuram manipuli vnius, cui addit rosarum rub. M. v. caryophyll. ℥vj. Contusa digerit horis 24. & tandem addita octaua parte vini spiritus post digestionem tridui, exprimit, filtrat, destillat ad mellis consistentiam. Aqua stillatitia salem ex cineribus reliquiarum extrahit. Ista per vinum præparatio paulo alienior est à synceritate extracti, præsertim adiecto rosarum seu succo, seu magmate. Itaque accenseri potest compositionibus. *Præparatio rad. esulæ.* *Herbarum præparatio & extractio.*

(a) *Qui folia sambuci tenera ad aluum laxandam adhibent, aqua feruente ea perfundunt, vt virus deponant. Postea frigefacta oleo & aceto condiunt, dantque pro lactucario. Ista combustio est correctiua.*

(b) *Hoc absurdum est in astrali Paracelsia chymia. Essata enim debebant elementaribus qualitatibus carere. Sed nos de materialibus agimus. Astra quod attinet, scimus ea à veteribus secundum qualitates elementares digesta esse in trigonos igneos, aëreos, aqueos, terreos, ne delicatuli Paracelsitæ absurdum putent etiam in cœlo locum habere elementa. Si placet, explica id ex meteoris Aristotelis.*

(c) *Quercetanus in pharmacop. pag. 290. veram præparationem scammonii vult fieri per succum limonum purum solutione in balneo facta & filtrata. Commendat & phlegma spiritus vitrioli, seu aquam, in qua phlegma & spiritus simul est: quasi acida, frigida sint feruentium simul correctiua. Sed tu vteris nostro modo cautius.*

(d) *Aliter: Tamarind. ℥ij. soluantur aq. endiu. & cassuta, vel fumar: q. s. soluto colato adde oxymel. elleb. ℥j. cremoris tartari ℈j. Da ad præparandum. Si velis purgare, soluto Tamarind. admisce essentialis ellebori nigri extracti dosin cum aliquantula aq. cinamomi: vel sennæ extractum &c. In biliosis adde extractum elleb. de succo ros. aut alicuius rosati cum chymico syr. ros. sol. & pauca aq. cinam.*

CAPVT XX.

De modo extractorum quæ Gummi vel resinæ dicuntur.

INter sulphurum species habentur resinæ, succi nimirum pingues & viscosi quales constat esse resinam abiegnam, larignam, terebinthinam, vernicem & similes, quas etiam sponte sua profundit natura, & artifex chymicus porrò elaborat. Gummi appellant lacrymã item plantalẽ, & concretam quidem, sed minus pinguẽ, vtpote cõtinentem cũ parte oleosa etiã aliquam phlegmaticã, cuiusmodi est quod spina Arabica (a) reddit, *Gummi Arabicum* inde dictũ, quanquam de hoc varient iudicia, sintque qui cõpositum arte velint: Ita est Galbanum, ammoniacum, cerasinũ, prunorum & similium. Quædam ad resinas accedunt propius, vt mastix, iuniperinum, &c. Præsens tractatio *de resinoso quodam, & gummoso* *Gummi.*

extracto sit, quod inuenitut in lignis & corticibus oleo & pingnedine tenace abundantibus, ita vt simul sit resinosa visciditas & essentia cum tinctura, quale quid in Lacca fermè contingit. Extractum dicas, sed oleosum, gummosum, aut resinosum, abundans adeo sulphure naturali, seu balsamo sulphureo, vt etiam inter sulphura chymica recenseatur. Materia est excellens præ cæteris. *Lignum & cortex Guaiaci*, similiumque ex Indiis simplicium. Quercetanus cortices & lignum sassafras, seu fœniculinum, quod tamen minus est resinosum, item assumit. In Europa habentur Latix, Terebinthus, abies, picea, tæda, pinus, iuniperus cum baccis, viscum quernum, colurnum, pyrorum syluestrium, pinaster, cerasus, prunus cum similibus. Sunt & herbæ ferulaceæ, aliæque resinosæ ad id extractum aptæ, vt radix Petasitæ, Angelicæ, Leuistici, Osttutii, &c. quorum *omnium vnus extrahendi modus potest esse per infusionem menstrui penetrantis suppinguis*, quod naturam habeat sulphuream, simulque spiritum resoluentem, & tincturam cum essentiali resinosoque succo assumentem. Notum enim est, *pinguium essentiarum menstrua debere esse pinguia*. Cæterorum minus, pro cuiusque natura. Assumatur ergo in talium extractione *spiritus vini*, vel *iuniperi*, vel *œnomelitis*, item *aqua mellis* aut *hydromelitis* apud Penotum & Quercetanum vinosi dicti: *aqua ardens polentæ*, fermenti; *Spiritus aceti* ex vino generoso; vel *aqua herbarum spirituosarum*; quales Quercetanus posuit *vlmariæ, cardui benedicti, agrimoniæ, fumariæ*, adiecto *succo limonum* vel *spiritu sulphuris acido*, aut *vitrioli*, quanquam istæ aquæ in prima extractione minus sint commodæ vbi firma est compages. Aptissimum menstruum est *cuiusque spiritus proprius*

Manna Guaiaci. vel *aqua cum qua oleum fuit ex ipsis extractum*: vel ita fiat: Si consilium est *gummi Guaiacinum*, seu *mannam* (Nam & sic ab aliquibus vocatur) efficere, *cape scobem ligni tantum. Coque in diplomate ex rore stillatitio, vel pluuia destillata. Decoctum transfer in cucurbitam & destillando aquam spirituosam separa, qua postea vteris in extracto Guaiaci ex corticibus & lignis simul præparando. Pro rore & pluuia destillata poteris midonem, aquam mulsam, vinum mulsum, vinum, aut etiam minus crassam cereuisiam, qualis triticea est, aut Strueftaria, &c. substituere, siquidem conditio ægroti, tempus, & morbus id requisiuerint. Aquam ex viridibus iuniperi lignis, aut ex petasite aut iuglandibus, vel corticibus iuglandium, aut ligno coryli vsurpabis in pestilente constitutione.* In simplici vero *lue venerea* conferet spiritus ille ex decocto ipsius ligni, vel etiam chinæ, aut sarsæ parillæ. Sigratior est, vt ad *lepram* accedere videatur, pluuia illa prius alteretur *antimonii infuso* secundum modum *quo ex eodem fit acetum*. In magna virium imbecillitate, vbi æstus non obstat, *hydromel vinosum* conferet; quod tamen spiritu aceti, aut stillatitia limonum aciditate temperasse conueniet, sicubi res postulabit. Quod etiam *Quercetanus adiicit vitrioli vel sulphuris acidos spiritus*, ipse quidem suo vsus est consilio: sed nobis commodior videtur *spiritus descensorius ex reliquiis decocti factus*, & sal ex cineribus extractus: aut sicubi purgationem promouere volumus, *cremor tartari resolutus*, aut *sal fumariæ*. Inde menstruis accedet fortius reserandi claustra compagis potentia. Fieri etiam aqua potest ex aliis eiusdem plantæ partibus si haberi possint; vt *ad gummi corticis Guaiaci, destillatum decocti ligni conferet: ad gummi visci querni, aqua florum quercus* adiecto sale ligni aut acido spiritu: *ad lignum iuniperi & radicem, aqua foliorum eius*: ad corticis, aqua granorum viridium: ad *corticem & radicem iuglandis*, aqua nucum immaturarum: ad gummi oleæ, aqua foliorum, &c. quomodo Quercetanus *ex radicibus pomi extractum facit per aquam fructuum eiusdem*. Eligat ergo chymicus ad præscriptum medici Guaiacum, aut lignum sanctum cum suo cortice: Eligat & menstruum ex dictis idoneum. Ligno corticique raso (quidam *Limam* probant: alii improbant, quod spiritus dissipet. Vide de modis *confricandi santali* apud Bulcasim, vbi & cos adhibetur, & testa; vel ferramenta, vel asperi lapides, aliquibus inter deterendum aspergentibus aquas, quale quid in elimata ligni scobe, aut serratura non incommodè imitari possis) affundatur in magna ampulla, vel cucurbita suum menstruum ad excessum palmi. Fiat maceratio vase clauso in balneo roris in cupa procurato super aheno aquæ feruentis per dimidium mensem pro firmitate compagis, & menstrui penetratione, aut virtute. Cum animaduerteris menstruum assumsisse iustam partem: effuso submittes aliud. *Vix enim tota resina poterit ex tam firmo ligno semel elici.* Quod si imbecillius, & rarius sumseris, etiam vnum menstruum poterit sufficere. Memineris aliquando aperto vase materiam esse mouendam, & quod transfusum est reponendum, donec extractiones omnes collegeris. Tandem forti prelo reliquiæ calentes exprimantur: Expressum extractionibus adiiciatur. Ideo vero expressio hîc proponitur, quia oleum, quod tenacius adhæret, exire cogit: quod videmus fieri in his quoque quæ vaporibus duntaxat mollita, posteaque expressa succum oleosum reddunt. Feces reponantur vt inde *spiritus descensorius, & sal fiat ad acuendum menstruum, vel ipsum extractum aut aquam eius*. Extractiones autem destilla ad consistentiam mellis. Destillatum per se repone ad vsum suum, vbi manifestum fiet quod rectius pro menstruo elegeris destillatum decocti, quam aliud. Mannam melleam, quæ in fundo cucurbitæ erit, effunde in aquam frigidam, fietque instar *visci auiarii*; quanquam hoc non sit necesse. Nam sic aliqua portio secedet & aquæ miscebitur. Consultius est vt in lapideam vel vitream pyxidem translata seruetur, nisi velis non in aquã simplicem effundere, sed frigidum ligni decoctum, quo alias patiens vtitur pro potu. Neque vero ista ratio vniuersalis est, cum non conueniat nisi viscosis & glutinosis, vt Guaiaco, visco, abieti, tædæ, &c. Quæstio est, *num vtile sit lignum iungere cortici, idque quantitate dupla*. Melius videtur vnumquodque pro se extrahere, & postea extractiones coniungere. Est enim dispar compages ligni & corticis: atque etiam in ipso ligno est differentia. *Pro resina interior pars Guaiaci gummosior assumi potest*: Exterior rectius inseruiet decocto, cuius destillatum pro menstruo volumus. Si item ob copiam pro libris nouem (sex ligni, tribus corticis) plures cucurbitæ sunt vsurpandæ, cur nõ seorsim in vna corticem, in altera ligni ramenta infundimus? Tandem in vsu medico concurret destillatus liquor, & manna Guaiacina, vbi certè non semper vini, aut iuniperi spiritus conueniet. *In ipso iuniperi ligno, vel cortice* extrahendo, fac similiter decoctum ex rore destillato & ligni scobe: aut etiam hydromelite, vel vino albo: vel vt dictum est, vtere aqua ex foliis, prius stillatitia hydromelitis, vel roris, infusis. Decoctum dupli-

duplicem præbebit vsum. Aqua enim destillatione euocata menstruum erit extractionis ex ligno,
cortice,foliis & baccis nigris.Succus qui in fundo restabit,suum vsum inueniet,siue per se dando,si-
ne essentialiter elaborando. Salem ex recrementis, & spiritum accommodabis vt in guaiaco est di-
ctum. *Pro extrahendo ligno sassafras* & cortice eius, quia vtrumq; raræ compagis est,faciet aqua radicis
petasitæ & fœniculi nostratis : aut quod melius, aqua per quam oleum ex radice,semineq; est extra-
ctum. Quod si oleum Guaiacinum & sassafras fecisti per vesicam,menstruum hinc residuum ad visci
extractionem vtiliter adhibere potes. Cæterum *extracta talia fient extemporanea* per decoctionem va-
lidiorem ex pluuia stillatitia,si adest;aut vino & aqua mistis,vbi aqua fœniculi, fumariæ, endiuiæ,a-
grimonii,limonum & similes locum habent. *Decoctum colatur & exprimitur validè,indeq; ad sapalem con-
sistentiam deducitur destillando*,quod tamen nulla fit necessitate. Si enim postliminio partes in vsu sunt
remiscendæ,cur non vna relictæ sunt in decocto,saltem clarificato,aut per lacinias repurgato? Sed
suadet id fieri aliquando diuturna repositio,aliquãdo patientis appetitus,qui in pilulis, aut electua-
rio,seu bolo,mauult,quam multum decoctum simul bibere,licet nihilo magis immunis sit à liquo- *II. Modus re-*
ris haustu,qui bolo,vel pilulis est submittendus. *Ex resinosis gummata eliciuntur etiam tostione* opere de- *sinosa man-*
scensorio in igne totæ seu circulari. Ramenta seu bacilli olla superiore contenti diriguntur in infe- *na.*
riorem, quæ debet aquam plantaginis maioris, aut fumariæ,aut cichorii habere. Inde simul altera-
tur & ipsa,fitq; ad eosdem vsus commoda.Excipit enim aquositatem ligni, & spiritum acidũ simul.
Sulphur tamen separatum ablui rosacea conuenit. Est & *modus tertius eiusdem manna.* Cape scobem li- *III. Modus*
gni. Include sacculo lineo.Suspende super decoctum sui ligni quod erit in olla magna, vel aheno;
vndiquaque clauso aditu, vt vapor sacculum bene verberet. Si huius non datur copia; est autem ad
manum dispositio balnei roridi,hac vtere.Sic vno eodemque igne & labore decoctum & resinam
parabis:quia & aquam stillatitiam pro menstruo,quod procurabis hac industria. *In aheno ligni ramen-
ta sunto* cum aqua sufficiente decoctioni.Cupa vero quæ vaporem debet excipere in medio habeat
sacculum vndiquaque fultum segmentis eiusdem ligni,aut corticis raro situ dispositis vt penetrare
vapor possit Scobs in sacculo probè macerata, & porata exprimetur valido prelo: vel etiam si opus
sit,vt quando nondum satis mollefacta est, immitretur in decoctum, & aliquandiu in eo bullire
sinetur,tandemque exprimetur. *Radix petasitæ;baccæ iuniperi*,cum ligno & cortice, & radice, similia-
que sic bene cogentur suum succum reddere. Similiter statuendum de aliis, hoc saltem obseruan-
do,vt resinosæ partes sint in sacculo;sed reliquæ in aheni aqua;vt radix *Petasitæ, Angelicæ, Ligustici,ma-
gistrantiæ*,&c.in sacculo:Sed herbæ in aheno. Si decocto postea voles vti, destillando ex eo proli-
cies partem subtiliorem,eamque pro aqua seruabis.Quod si etiam vaporem coagulatum excepisti,
spiritum eius separabis à phlegmate,ipsumque seorsim repones.

De Guaiaco ex aduersariis nostris notamus,destillari scobem prius vino maceratam vasis vitreis
ex cineribus vel arena per ascensum. Prodit aqua & oleum simul, quæ sunt separanda. Aqua da- *Nota de*
tur circiter cochlearibus duobus.Caput mortuum agitur per descensum, excipiturque spiritus de- *guaiaco.*
scensorius,& residuum olei.Ex carbonibus cinefactis per aquas scolopendrii,endiuiæ,fumariæ, vel
ex decocto ligni stillatitia extrahitur sal,qui cum suo menstruo relictus,mundatiuus est cutis : coa-
gulatus autem sumitur cum aqua primulæ veris,aut deeocti satsæ ad articulorum morbos. Si lacry-
mam petis,insolatione eam ex ligno fisso & surculis euocabis. Succum lentum instar gummi per
spiritum vini ex scobe extrahes macerationibus iustis,& vini separatione posteriore. Gummi istud
ferè nigrum est & amarum,Soluitur aqua stillatitia eiuidem Guaiaci,& datur ad sudandum.Si libet,
formantur ex eo,& præcipitato dulci sine causticis facto,correctoque, pilulæ in Gallico.Vel dilue
decocto corticis sacharato, & præbe bonum haustum ad sudandum. Destillatione ex lib.1. scobis
extrahitur vncia olei.

(a) *Gummi simpliciter dictum: Matthiolus Gummi Arabicum aliud quid esse vult,quam Acacia Ae-
gyptiaca,cui aduersantur Prosper Alpinus,Lobelius,Bauhinus,&c.vide lib.1.Dioscor.c.115.*

CAPVT XXI.

De extractis farinaceis,quas feculas vocant.

FEculam Latini appellant vini præsertim fecem, seu sedimentum, quale exiccatum Plinius fla- *Fecula.*
grare incensum scribit. φέκλην vel ὀφέκλην enunciant Græci, vt est apud Galenum *lib.1. de comp. se-
cundum locos. Fundanius* apud Horatium *lib.2.Sat.8.* inter condimenta appositi apri meminit etiam fe-
culæ Coæ,cum inquit: *acria circum*

Rapula,lactuca,radices,qualia lassum
Peruellunt stomachum,siser,alec,fecula Coa.

Videtur embamma intelligere ex vino Coo crassiusculo,quasi feculento,nisi velis sapam. *Chymicis fex* *Fex.*
inter abiectanea est,quæ à puris essentiis separata seponuntur,nisi populariter dictũ integrum sit,quod
nondum passum est vim artis,vt fex vini,oleæ,quæ amurca, Tartarũ,&c. *Fundalia* dixit Lullius,nempe
circa fundum vasis collectas sordes, quæ desessu à pura essentia sunt separatæ; quod fit etiam inter *Fundalia.*
circulandum,dum quinta essentia elaboratur. Interdum etiam relatè ponitur vocabulum,aut tropi-
cè; *cum id quod sidit feculam vocamus*,vtpote simile sedimento feculento,quanquam per se sit essentia vt
præcipitata & fixa,quæque coagulata præ grauitate non surgunt,inque altum volant. Sed iste abu-
sus vocis est cum maiore artificis licentia quando ad populum loquitur,alias essentias extractas mi- *Fecula Quer-*
nimè polluturus lutulenta dictione. Apud Quercetanum legimus FECVLAS appellari extracta fa- *cetani.*
rinacea, quæ ex natante humore ad fundum concedunt ad instar fecum. Sed in despectum artis
assumta

assumta vox est, quasi liceat chymico extra septa euagari, & quid vis quouis nomine appellare. *Farinaceum* id *extractum est*, & potius *cremor, aut flos quidam sessilis* ex seminibus & radicibus molendo, terendoque, seu fricando per humorem extractus. Sacræ literæ *adipem & medullam frumenti* vocant in hoc genere, quæ cum alias molis & incerniculis angustis secernatur, in arte chymica etiam liquoris beneficio, quod metallurgi in suis metalloplysiis itidem factitant tum molis adhibitis, tum alueolis & cupis, vt apud Agricolam est cernere. Ita fit *amylum* vulgo, & *emulsiones* in culinis, & officinis, quas *Lac* quoque appellamus, quod quiete florem deponit, vtpote grauitate ad fundum labentem ad instar fecis, *cum minime fex sit, sed interior rei medulla*. Si operationem quoque spectes, in idem recidunt Amylum, sedimentumque omnium emulsionum, quarum scopus est extractio purissimæ partis à furfuribus, & fibris reliquaque crassitie. Quando ergo emulsionem amygdalinam facimus, item pinearum, seminumque carnosorum aliorum, item nucum iuglandium, castanearum, &c. Item intrita radicum Althææ, Bryoniæ, Ari, Mechiocanæ, scorzoneræ & similium, sedimento ex humore facto fecula ista nascetur, id quod aliquando fit absque igni maceratione, & frictione manuali adhibito colatorio, & humorem transferentibus laciniis, spongiisque vel depletionibus, & aliis modis abstractoriis: aliquando detritione & affrictu ad cotes; nonnunquam molis cum aqua detritum deuehente, vt in metalloplysiis trulatilibus: non raro etiam elutione sine molis: aliquando coctio accedit, vt cum *semen cannabis aut hordei decoquitur ad crepaturam*, deinde *fit contusio vt medulla comminuta in aquam secedat, & lacteum efficiat liquorem*, qui quando per manicam Hippocratis, aut linteum in nodum coactum emulgetur, quomodo solent chymici *Talci calcem adhibita glacie facere*, & officinæ cum coquis lac amygdalarum dulcium, amararum, fœnugræci, &c. *Emulsio* nuncupatur. Si velis eodem referre quoslibet succos per liquorem proprium, vel alienum extractos, & quiete sidentes, quo modo *Feculam scillæ* parare iubet in pharmacopœa Quercetanus, etiam *Aloe* ad hoc genus recidet. Sin autem necesse est *amyli* speciem habere, vt sit farinæ & pollinis instar, cur feculam potius vocant, quam *amylum* & *medullam* carnosorum farinaceam? *Bulcasis* recitat *modum lignorum* (santali, Aloes, & similium densorum) *in pollinem redigendorum* adhibita lima, cotibus & similibus, pro quibus officinæ aliquando vtuntur mortario, & porphyrite ad læuorem exactum faciendum, quod fieri item colatorio cum aqua subtilissimos pulueres læuoremque transvehente par erat: sed ea res non est huius loci, vbi extractum proponitur. Sit ergo *primum artificium Amyli conficiendi ratio*, quam chymicam esse, docet homogenia exemplorum: Imo & *maiore iure amylum chymicum est, quam fecula scillæ, Bryoniæ*, Ari, &c. Id inuentum Chiensium insulanorum esse Plinius tradidit. Dioscorides videtur ad Cretenses, & Ægyptios referre commendatione amyli istorum locorum. Ponit vterque descriptionem penè eandem, à qua nonnihil decedit Bulcasis. *Sine mola fit amylum* argumento nominis. Materia est *Triticum* omne & *siligo*: apud Bulcasim etiam *Hordeum* & *oriza*. *Triticum* assumitur *trimestre*, seu vt Bulcasis habet, *nouum*, purgatum, graue, coloris ad ceram inclinantis, & subrubentis: vbi dissidium est cum Plinio, qui minimè ponderosum poscit (λεῖον læue glabrum, non κοῦφον Leue) *Hordeum* quoque debet esse recens seu propinquum suæ messi, graue, & læue, seu lene. Id in ligneas cupas congestum dulci aqua perfunditur vt tegatur, seu aqua excedat grana. Quinquies die & nocte mutanda est, ne videlicet vitium contrahat super tritico incalescendo & fermentando, quod tamen non metuit Bulcasis, qui frumentum suum crasso modo tritum, seu fractum aqua ad excessum duorum, vel trium digitorum perfundit, sinitque ita in maceratione per noctem. Dioscorides & Plinius volunt madescere debere, donec fuerit emollitum, seu tumefactum fatiscat. Tunc aqua sensim effunditur, ne quid cremoris vna transeat, misceturque prius quam acescat, seu cum mollissimum esse videtur, mutata aqua pedibus calcari oportet, rursusque infusa teri, vt furfures secedant, qui natantes cribro exhauriuntur. Balcasis post macerationem nocturnam manibus perfricat, premitque, donec furfur decedat. Inde sublatis illis sinitur farina expressa sidere & descendere ad fundum. Aqua cautè abstrahitur, atque etiam spongiis, vel laciniis exhauritur, vt eo citius exiccari queat medulla extracta. Tempus æstiuum esse oportet, vt flagrante sole queat perarescere citra acorem. Sportis siccatur inquit Dioscorides. Plinius etiam lintea proponit. Bulcasis vt in vase vitrato terreo mundo opus incepit, ita in eodem siccat instrato linteo mundo, ne quid alieni illabatur. Siccat in Sole, vento, vel ad ignem, & si hyems sit maiore diligentia vtitur in exiccando. Dioscorides ait tegulis nouis confestim torreri flagrantissimo Sole ne acescat. Plinius tegulæ illitæ fermento infundit & in Sole densat. Quorsum fermento? Vult non acescere. At fermentum ad hoc habet quandam procliuitatem? Et qui fieri potest vt non molliatur remittaturque fermentum etiam arefactum, si farina humida, seu offa infundatur? Exiccatum colligitur, & in vase angusti orificii ne vermes irrepant occlusi reponitur. Ita est *amylum Auicennæ frigidum & siccum* in primo, quod *calidum* potius pronunciandum ex tritici crasi, quæ extractione neutiquam est soluta. Galenus vt *nec frigidum sit, nec calidum* exactè lauat. Et cur lauatur vt non sit frigidum? Comparatur lotis panibus, vt astrictio & asperitas minuatur. Fit & *amylum ex orobo* apud *Seruitorem*. Grana pinguia recentia, non forata, franguntur crasso modo per trituram. Cortex proflatur seu euentilando excutitur, vt tantum medulla maneat. Hæc aqua infunditur horis senis, & abluitur ter, quaterve mutata, donec clara decedat, & corpus mundum maneat, absque acumine, & furfuribus. Inde per noctem aqua immaceratur. Manè fricatur, subigiturque manibus, donec in lac soluatur. Hoc per colum traiectum sidere permittitur. Aqua per spongias, aut lacinias exhausta sedimentum exiccatur. Cum hoc artificio extractorio conferamus exempla fecularum apud Quercetanum. *Cor scillæ minutim concisum in vitrum longi colli (cucurbitam, ampullam,) immitte vsque ad medium implendo, coque in balneo feruente per biduum, aut donec in liquorem spissum resoluatur, quem adhuc calentem per setaceum transcola, & lento calore cineum vel solis exsicca ad instar amyli, quod etiam addi potest, & cum mucillag. Tragacanthæ in pastillos diuidi.* Hæc præparatio

Emulsiones.

Lignorum derasi polliones.

Amylum: fecula frumenti si ita loquendum.

Amylum Orobi.

Fecula scillæ.

loco

loco assationis, & coctionis est, qua amariciem eius tollere student. Biduana coctio in suo succo abigit spiritus noxios, & quasi *maturat, inque dulcedinem mutat succum*, quæ est eius *correctio chymica*, quam igni naturæ ascribunt. Sed quæso te quid habet simile feculæ? Fecula est sedimentum ex liquore ad fundum vasis decedens ad similitudinem veratum fecum vini, cereuisiæ similiumque succorum: Offa scillæ coctæ, tale sedimentum non est, cumque inaruit, farinam non feces imitatur. Cur Indis istis rudibus, qui ex radice sua *yuca* non feculas, sed farinas, hincq; pastillos factitant, sumus in iudicando & loquendo imprudentiores? Si id fecula est, vocemus feculam etiam sulphuris, & Tartari cremores, & florem lactis virginei, item tincturam antimonii, & similia. Quercetanus ait *feculam dictam esse quasi minimam seu exiguam fecem separandam*, vsuique aptandam pronuncies. Imo inquam *non fecem, sed essentiam*: quæ si mole parua est, non ideo fecula est appellanda, quanquam qui possit exigua vel minima esse, cum totam medullam materiarum exhauriat? In *bryonia iubet rasuram minutim concidere & contundere*. Improuidè. Contundatur sanè rasura, radicula, seu rasorio instrumento, quali coqui radices raphani maioris comminuunt, facta, concisio qualis est? *Deinde in lineum sacculum coniecta fortissimè exprimatur prelo. Succus in vitro conseruatum, aut concha tectus inferatur in frigidarium siccum, ibique quiescendo sedimentum facere sinatur. Aqua depleta prudenter fex in trullas vitreas diuisa loco non calido opaco reponatur, vt arefiat, instar amyli*; quod tamen tali loco acesceret. *Digeritur in pilulas* semiscripulares admisto pauco castorio, adiectaque mucillagine gummi Arabici, vel Tragacanthæ, *in vsum hystericum contra suffocationes matricis*. Essentiam etiam hoc extractum dixeris, licet segregatione ex liquore per desessum fiat. Si sic loquendum est, quanquam non prob[a]mus (malumus enim Amyla, medullas, essentias farinaceas, &c. dici) age amygdalarum lac eodem modo tractemus: Eodem seminum melonis, cucumeris, cucurbitæ, citrulli, napi, sinapis, papaueris, citri, carduibenedicti, cannabis, & reliquorum: Eodem modo lac nucum Indicarum, iuglãdium, pinnicarum, &c. Eodem Cydoniorum ex ramentis expressum succum cum multis pari artificio paratis. Feces quidem etiam in his possumus nancisci vt officinæ in succis liquidis & aquis destillatis: Sed aliud fex est, aliud extracta essentia. Si eiusmodi extracta facere volumus, videndũ proprione res succo abundet, an alienus liquor sit asciscendus, siue ex toto, siue ex parte; & quidem alienum oportet eligere qui vel adiuuet vim rei, vel nihil deroget eidem. Interdum adiicitur coctio: aliquando satis est maceratio, frictio, vel contritio, & colatura: quæ pro vt tenuem volumus & subtilem, aut crassam essentiam, accommodata erit seu colatorio commodo angusto, mediocri, laxo procurata. Memineris etiam aliquando tantum subtilissimã partem peti, interdum quicquid emulgeri potest, idq; non sine ratione: vt in amygdalis. Si feculam subtilem volumus, quæ aluum molliat potius, sitq; pro succo & oleo amygdalarũ, satis erit tritio leuicula, & expressio prima. Si aluum fluentem retinere consilium est, quicquid transmitti potest, atque etiam crassior pars adiecto cornu cerui vsto, vel terra sigillata (quæ nihil aliud est quam istiusmodi extractum, sed male appellaretur fecula) lacti immiscebitur. Ita in similibus procedere possumus. Fomentorum materiam totam in farinã vertisse nihil attinet. Et talia relinquuntur cum suo menstruo, siue proprium sit, siue alienum. Quæ vero reponuntur ad vsum, separantur exiccanturq, optimè ne mucescant. Hoc vitabitur melius si gummi admisceamus quod non vitiet potestatem insitam, quale est Arabicum, & Tragacanthinum. Tandem sunt quædam in quibus parui est momenti per liquorem exugere essentiam subtilem, aut mola vti, vel præparatione marmoris, & tritione mortarii, quo modo gemmas, lapides cancrorum & similia multa præparant officinæ, transcolantes subtilitatem. Faciunt & molitores subtilissimum pollinem molis, sed mutatis incerniculis. Hoc modo tollitur metus acescendi, & labor siccandi. Quæso te, si quis pugnare velis, assumamus radicem Aronis siccam. Tu coque aquis macera, frica, cola, aquam abstrahe, sicca iterumque tritã, & pilas, vel pastillos facito. Ego vtar mola, vel mortario lapideo, incerniculoq; angustissimo, & farinam efficiam tam subtilem, quam fortasse tu nequeas. Sit materia cornu cerui vstum, aut lapidifactum, ebur fossile vniones, crematorum ossium pulueres, coralia, gemmæ & quæ alia oportet læuigare in marmore; Sint & terræ illæ, & cineres, calcesq; ex quibus fiunt sigillati pastilli. Quando separaui impurum à puro, & adhibita aqua læuorem per linteum spissum, tarum rarius, aut amplius pro natura rei, traieci; lacteũ liquorem effeci, indeq; sedimẽtum quiete obtinui in patinis vitreis, vel cõchis, ex quibus spongiarũ, aut laciniarum ope abstraxi humorem superfluum; concham transtuli in cineres calentes; vel exposui soli radianti, aut etiam in vmbra, lenta mora, siccitatẽ procuraui; postea vel farinam ex concreto sedimento feci, vel auiculas cyprias, pastillos, pilulas, &c. num feculam istam tuam assecutus sum? Simile quid inquies. At inquam artificio & genere idem, specie & natura diuersum, quod fit & in croco martis, cerussa, & aliis multis. Profligemus istam feculam ex area chymica, & essentias extractas, aut magisteria retineamus. Amyla, & farinæ essentiales audiant, quæ ex radicibus, & fructibus sic fiunt, non feculæ. Ex cæteris læuores dicantur aut calces, aut generis sui nomini accedant, perinde ac sunt magisteria perlarum, coralorum, similiumq; aut etiam tales nominamus. Vnicum illud est notandum in amylis & farinis via humida, & sicca comparandis, nempe *sicca tritione vim fieri, humida blande euocari essentiam*: Illa spiritus perire subtiliores: hac seruari & quasi figi. Ita mola pollinem multum dissipat, quem *ἀμυλία* seruat. Sic attende coctionis vim, & adiectorum menstruorum, omniaq; ad vsum accommoda præsentem, futurumve. *De nocentibus quoq; seu succis, seu spiritibus solicitus esto*. Neq; enim pari securitate in omnib[9] vteris. Indi succum *yuca* prius tollunt; postea radicem tractant impune.

Idem in Hermodactylis attendendum, qui cum recentes sunt, exprimantur prius quam farina colligatur. Monuimus autẽ simul de extractis puluerulentis, quæ & ipsa sunt quadamtenus materialiora, & propius ad magisteria accedunt, veluti si velis *ex plumbo* extrahere *dulcedinem* forma candidi sedimenti, per acetum id consequeris assumto *lithargyro*. Fit *lac* quod *virginis* appellant, in acetum

Amaroris correctio.

Non fecula sed extractũ scillæ dicendum.

Affectatores nouitatis, vt videantur aliquid singulare nosse, vocabula etiam absurda rebus imponunt.

Bryonia fecula.

Hermodactylorum amylum.

Dulcedo plumbi.

quod

quod essentiam ex lithargyro assumsit, iniecto sale, &c. Sedimentum farinaceum depleto humore edulcoratur, & siccatum reponitur. Huius loci est & extractum *cranii cremati*: Extr granorum & rad. pœoniæ: sem. fraxinellæ: Milii Indici: Frumenti Saraceniti, &c. Hac arte fiunt & misturæ, vt *Cosmeticum Crollianum ex sublimato argento viuo & crudo* ad modum Mercurii vitæ. Vide *pag. 277. Basilica.* Sunt & præcipitatorum exempla de quibus suo loco. Lactea enim ista affectio communis est cum multis tum magisteriis, tum essentiis.

Capvt XXII.

De extractis Crystallinis.

INter extractos succos quidam post concretionem lapideam sortiuntur consistentiam, propter terream quam habent naturam, idque maximè in genere mineralium, vbi etiam sponte naturæ segregantur, consistuntque interdum puri, interdum impuri. *Lapillos* ferè dicunt, cum sunt alicuius excellentiæ: *Gemmæ* vero appellantur nobilitate, & precio insignes, ex quibus vitrea illa translucida & pura, glaciem frigore concretam repræsentans Græco glaciei nomine *crystallus* dicitur, vnde suis extractis artifices chymici, si quæ essent simili habitudine, nomen crystallorum imposuerunt, quanquam vsu ampliatum. Gemmarii crystallum non vocant, nisi glaciei puræ similem lapillum aqueæ perspicuitatis, aut aëreæ. Chymici vero etiam quosvis succos & essentias lapidea forma consistentes, nec raro alias quoque gemmas aut succinum referentes, siue perspicuæ sint, siue opacæ, crystallos nuncupant, qui cum terream naturam habeant, aut succinam, teri, inque puluerem redigi possunt.

Sunt autem crystalli non vniusmodi. Quidam fiunt sublimatione, & referuntur inter essentias quintas, si quidem penitus elaborati fuerint. Sunt enim spiritus quidam vi ignium proflati, & compulsi ad superiora se conferre, ibique vel pruinæ instar, vel corticis glaciati concrescere. Exemplo est argentum viuum sublimatum essentiale. Quidam prodeunt destillatione, vt *glacies illa mercurialis*, quam Quercetanus vult non frigore, sed calore nasci, quanquam calore resoluatur. Concrescit non tantum in mercurio vitæ, sed & aquis mercurialibus cæteris, annumeraturque etiam alii extractorum generi. Quidam tamen sunt materiales, vt *grumi salium, & crystallus* seu glacies *tartari*, quæ in decocto eius frigefacto cogitur in tabulam, & lapillos asperos ad instar salis marini. Quando sal grumosior, crassiorque est, ita vt paruos adamantes imitetur, punctimque consistat, itidem crystallis accensetur. *Alii densantur in fundo* vasorum, aut annascuntur bacillis, aut etiam à lateribus porriguntur, nec raro figurantur admirabili specie ad instar *cuborum* vel *pyramidum sexangulorum*, quales videmus nonnunquam crystallos veros esse, & fluores crystallinos. Sic cubi formam imitantur *fluores aurei & amethystini*: Et in arte *vitriolum veneris* interdum; interdum etiam *Rhomboide* specie. Situm autem etiam est in artifice, velitne hanc formam, an massalem, qualis in alumine, chalcantho, halinitro, apparet varietas. Sic concrescit & *sacharum*, quod *candi* appellant, rubrum vel album, forma quadrata, pyramidali, glaciata, aspera, vt circa aromata; tabulata vel crustata, vt in conditis nonnullis, quæ sacharo sic obducuntur, vt vitrea, vel speculari glacie tecta esse videantur. Qui vero crystalli ad præsens caput pertineant, facile est videre, quando hactenus de illis extractis egimus, *quæ secessu fiunt* plærumque, quanquam diluta eorum aliquando sic densentur, quæ etiam in superficie conglacient, & lateribus vasorum assistant. Quocirca huius loci erit, *artificiosum vitriolum, alumen, halinitrum, Tartarum, grumi salium crystallini glaciem concretam aut gemmulas imitantes*, item *glaciatum sacchar*, omnia ex genere mineralium primum; postea etiam ex vegetalium. Nec vero omnia sunt naturæ salinæ: Sed quædam etiam *sulphurea*, vt in *sulphuris lapillis, succino, arsenico*, &c. videre est. In *halinitro* etiam multa est mercurialis essentiæ portio, & aliqua *sulphurea*, vtpote quod ex naturis contrariis coaluit, complectens igneum spiritum, calidum siccumque, & frigidum humidum, aqueum, terreumque siccum, sicut resolutio eius anatomica euidenter monstrat. Fiunt autem crystalli isti *vel principali fine, vt purissima habeamus extracta*, veluti in tartaro, sacharo, & halonitro, quod per sulphur potest in lapidem perspicuum purumque redigi, quem vulgus *lapidem Bruni*, *chymici salem prunellæ* mineralis appellant: (mirifice enim confert linguæ & faucium ardori puniceo in causo Vngarico, seu febribus ardentibus, & anginis, quos affectus Germani Brunum vocant) item in aliis salibus crystallinis cōspicere est: *vel seruili*; quo modo ex ferro, & ære elicimus vitriolum, vt ex hoc porro spiritum & oleum paremus: Item ex lapidibus crematis alumen, vt & hoc porro tanquam aliorum operum materia vtamur. Ipsum quoque *halinitrum* vel per se medicamen est, vel aliorum, vt spiritus, aquarum fortium, &c. materia. Cum fine principali præparantur, studiosius repurgantur: Cum seruili, satis est etiam mediocris depuratio. Exempla proposuimus in Alchymia, vbi de crystallis, & vitriolo egimus, item de salibus glacialibus, & homogeneis. Vnum saltem atque alterum reponere placet, ne studiosus quid desideret. Ex *succis vegetabilium crystalli* fiunt ad exemplum sachari: vel ita: *Cardui benedicti magna quantitas contusa in mortario ligneo vel lapideo coquatur in magno vase aqua multa ad medias. Decoctum exprime fortiter. Colaturam coque ad spißitudinem mellis liquidi. Hunc succum in vase vitreo loco frigido stare sine per aliquot dies. Fient lapilli instar salis gemmæ. Effuso liquore lapilli propria aqua abluuntur & siccantur.* Hi lapilli ex carduo bened. dantur gr. ij. ex spiritu cardui ben. ad *pestem*. Eodem modo cæteras herbas poteris extrahere. Adiicimus decoctioni *Tartarum album*, sicubi id conuenit. *Ex aceto crystallos colliges*, si postquam ex vino extraxisti spiritum, residuum phlegma in acetum conuertas, & hoc decoquas ad spissitudinem mellis, aut sapæ. Decoctio fit per destillationem, qua excipitur *aquositas phlegmatica*, per quam

Halonitrū.

Sal prunellæ.

Crystalli Carduibenedicti.

Crystalli aceti.

quam redditam proprio suo succo, extrahitur salsilago. Extractiones decoquuntur ad instam spissitudinem, in qua postea per quietem consistunt crystalli, non aliter, quam in lixiuio seu diluto halinitri. *Quidam non phlegma proprium accipiunt pro menstruo extractionis, sed dulcem aquam destillatione, aut per lacimas, vel arenam puram repurgatam.* Idem fit in *vrinis*. Opera danda est, vt in spissamentis talibus pinguis tenacitas resoluatur, diluaturque. Alias non crystalli consistent, sed succus glutinosus. Sic *cum resoluitur cuprum aceto*, nisi diluas aqua pura resolutionem, vix assequeris lapillos, qui etiam vbi con- *Crystalli Veneris.* stiterint, postea dulci aqua sunt à sordibus abluendi, soluendi, filtrandi, denuoque congelandi, repetitis laboribus, donec placeat puritas. Modum pulchrum habes apud Crollium in *Basilica pag. 218. Lamellas cupri sextantales aut circiter in catino vicissim cum sulphure disponit, & igni circulari graduato cremat,* *Æs vstum.* *vt fiat æs vstum ex nigro cinereum. Hoc in puluerem redactum in olla strata super lateritia fornacula subiectis prunis versat, donec sulphurei halitus sint dissipati, iamque calx versorio instrumento incipit adhærere. Tunc frigefactæ pondo adiicit noui sulphuris sescunciam, iterumque cremat in olla,* vt *prius; Repetit laborem sextum aut septimum insumtis totidem horæ quadrantibus, paulatim vrendo, donec sub finem olla ferè candeat, calcemque semper bene siccando. Hanc porro in læuorem detritam perfundit aqua feruente, soluitque. Cæruleam factam aquam filtrat: Filtratam coquit, donec in crustam incipiat cogi. Tunc fœcunda est chalcanthi. Itaque reponitur loco frigido,* vt *consistant lapilli. Ius seu dilutum, quod non cogitur, recoquitur ad priorem consistentiam, denuoque reponitur pro lapillis, & sic vsque ad finem.* Lapilli à sordibus mundati transferuntur ad vsus destinatos. Facilius nascuntur ex ærugine per acetum, aut alias aquas soluentes parata, si modo viscositatem pinguem possis tollere. Cauebitur hæc aceto stillatitio accepto. Eadem arte etiam *ferri laminas* tractat Crollius. *Crystalli saturni.* *Ex plumbo crystallos* nanciseeris, si minium, vel puram cerussam aceto stillatitio acri extrahas, vt tota dulcedo sit exhausta, quod sæpius mutato menstruo continget. Extractiones collectæ in ampullam mittuntur, & in fimum equinum illatæ per mensem putrescere sinuntur. Hinc fit decoctio ad consumtionem tertiæ partis. Reliquum in loco frigido densatur in lapillos de more. *Isti lapilli olei, spiritus Saturni & aliorum operum causa fiunt*, vt suo loco cognoscitur. *Sulphuris crystallos* vocant, cum solutum eius per spiritum Terebinthinæ factum extrahitur spiritu vini: Extractiones destillantur ad *Crystalli sulphuris.* quantitatem minorem, quæ reposita lapillos præbet. Hi fiunt etiam crassiore Minerua, cum sulphur cera mistum liquatur, & in aquam frigidam effunditur: Imo & alias oleo solutum sulphur, moxque, dum adhuc calet, per colum traiectum, postquam refrixit, in lapillos abit magna ex parte, modo non sit percoctum, & totaliter ab oleo solutum. Simplicis industriæ est *crustam, grumos, lapillosque Tartari efficere.* Selectum album tartarum conteritur, vel saltem confringitur: Coquitur aqua pura, vt dissoluatur: mox, dum adhuc feruet, decoctum colatur. Inde in ollam transfusum, cum refrigescit, crusta inducitur, & grumi lateribus accrescunt. Lapilli cum crusta exemti ex aqua (quæ inde medicam vim acquisiuit, potestque *quartanariis* vtiliter dari.) Soluuntur denuo, filtrantur, & consistere sinuntur, idemque repetitur, donec respondeat puritas, quæ ferè seruatur forma farinæ candidissimæ, cuius drachma ex brodio datur ad purgandum phlegma in ventriculo, aliisque primæ regionis viis hærens. *Quidam crystalli pro gemmis habentur* vt *lapis ille*, quem Thomas docet facere *ex mumia liquida microcosmi*: Imo ex nulla non herba & aliis in salem purum solubilibus tales gemmæ fieri possunt: sed quæ inter elixyria referuntur nobiliora, de quibus infra. Plura de crystallis alibi etiam obiter occurrunt.

CAPVT XXIII.

De regulis & similibus extractis.

Reguli vox æquiuoca est. In conflatoria metallurgorum aliquando *fex est metallorum* a (diphryges tunc vocant cum *Lechum*, seu *lapis ærosus, pyrimachus, panis ærosus, Lech*, vel *Stein* Germanorum, fecem metalli secum ad fundum traxit, & cum ea coaluit; quanquam alias purus lapis proximè spumam fit.) sidens in catinis, siue dum venæ excoquuntur, siue ad regulam æra recoquuntur: aliquando metallum ipsum purum, vt in docimastica, cum aurum per stibium purgatur; aut dum alia metalla medicaminibus certis ad imum facta solutione à cohærente sorditie & alienitate, astipulanteq; grauitate, & pulsu deferuntur. Sic in *antimonio* nonnunquam totum purum, & à scoriis liberatum atque adeo *plumbi vel marcasithæ excocta* instar, intelligimus: nonnunquam *extractam essentiam*, quæ tandem speciem *stellæ* induit: Inde fit, vt vel magisterium sit, vel extracta essentia. Est autem tantum mineralium, idque in genere metallorum, *marcasitharum* (quarum variæ sunt species; vt stibium, bismuthum, cobaltum, Zinckum, Lechum, Gelfum, stannum malabaricum, & alia etiam generali nomine venæ vel lapidis metallici designata) Arsenici sandaracæ salis fusulis (qua ratione aliquando attingit etiam vegetalia) & similium. Procuratio est, vt *metallum cum purgatorio quodam medicamine in catinis fundatur, & percoquatur; mox in conum, seu calicem ferreum, aut orichalceum immittatur, cuius margo nonnihil tunditur.* Medicaminis vero hanc vim esse oportet, vt non tantum fluxum facilem præbeat, verum etiam purum ab impuro separet, & hoc quidem secum in parte superiore detineat, illam vero dimittat. Exemplum liquidissimum habemus in *regulo argenteo stibii*. Hoc enim pulueratum miscetur halinitro, vel tartaro, aut etiam vtroque simul; quibus vis est detersoria, & separatoria. Deinde adiicitur nonnihil ferri, quod attrahit ad se sulphur impurum, & cadmiosum, seu realgaticum propter familiaritatem naturæ, qua igneum igneo habenti symbolum sociatur. Sic ferrum resoluitur simul, & in spumam abit, quod dum fit, subducit se pura essentia stibii, & sidit, si detur locus secessus tanquam panis ærosus, qui secum suffuratur argentum, & defert ex fornacibus in catinos. Prima vice fit regulus

vtcunque purus. Si repetas liquationem per halonitrum, aut tartarum, magis depuratur. Vide quæ de stella *in tractatu de igni natura, & in Alchymiæ commentario partis tertiæ pag. 253. scripsimus. Arsenicum* quoque, *auripigmentum* & *Sandaraca* Græcorum cum halinitro liquata, effusaq; similiter, itidem regulum reddunt. Impuritates per fumum secedunt. *Halinitrum* sulphure mistum in censumq; paria facit, & fit regulus purior, magisque fixus si repetas. Crystallis accedere perspicuitatem & consistentiam crystallinam adeptum *ante* dictum est.

(a) *Diphryges putant aliqui dictum lutum primo sole, post sarmentis crematum, quasi bis tostum. In metallurgia Dioscorides & Plinius duplex habent pyriten scilicet ad rubedinem vstum, & catinorum aris sedimentum. De pyrite nos sentimus, nihil aliud eius diphryges esse, quam lapidem apud Agricolam, à Noricis Lechum dictum, cuius vsus in venis aris & argenti excoquendis. Plinius lib. 34. cap. 13. Dioscor. lib. 5. c. 100. & 83. vbi Matthioli commentarius quartum genus ponit ex aris materia in areis assata & in scrobibus perusta. Id est Lechum seu lapis ærosus: Pyrimachus Matthesii: Panes lapidis ærosi vel fissilis Agricolæ in fine lib. 8. de metallicis. Conflatores æris sedimentum venæ æris excoctæ, & id quod remanet post fissionem æris regularis, appellant suem ærosam Kupffersaw / & fere est mistura ferri & æris, vel æs in ferream materiam coactum.*

Caput XXIV.

De extractis emergentibus.

Modos essentiarum extractarum sidentium, quæ circa imum vasis, aut ad latera consistunt, hactenus explicauimus. Nunc dicendum est de emergentibus, vbi essentia non decedit ad ima, sed natat super in imo contenta feculentia, aut spissamento. *Modi excellentiores sunt duo; vnus fit per proprium succum*, quo materia abundat; *alter per menstruum*, quod tamen vel ex ipsa re paratum prius est, vel aliunde sumtum, commune, aut appropriatum. Prioris extractionis Quercetanus proponit artificium duplex *in sua pharmacopœa*. Primum est: *Materia succi plena, dum recens est* (vt herbæ virides, flores, radices, cortices, vel etiam integræ plantæ, & fructus, &c.) *Contundatur: Contusa in pultem immiteatur in sacculum setaceum, vel lineum, & prelo fortiter exprimatur, idque fiat subinde nouis, donec quantitas succi quæsita placeat. Succus per manicam traiectus in cucurbitam infundatur, & in balneum mediocriter calens illatus ibi relinquatur, donec feces deponat. Ab his vel decapuletur, vel abstrahatur lacinis, iterumque purus liquor sedimentum facere sinatur, donec nihil amplius crassitudinis abscedat, totaq; matrix*, vt vocant, sit sublata *Deinde imposito alembico fiat destillatio in balneo vaporis, ad consistentiam sapalem, aut spissiorem, prout durare posse confidis, aut etiam breui in vsum velis assumere. Aqua abstracta per se seruetur titulo sui simplicis.* Hic est modus primus. Secundus est, cum digestione alteratiua coloris & saporis. *Legantur radices succi plenæ, vt Hyoscyami, esulæ, ellebori nigri, Hermodactylorum, iridis nostratis, satyrii, &c. Imo & herbæ, cæteraque plantalia, & animalia recente succo abundantia, vt folia aloës, cortices sambuci, radicum ebuli, mandragoræ, Hyoscyami, papauer, &c. Mundata optimè, ablutaque vino, vel hydromelite, aut alio conuenientè liquore, contundantur in mortario ligneo, vel lapideo. Succus expressus valido prelo nullo alio liquore addito in cucurbitam oblongam, aut Pelicanum infundatur, digeraturq; in fimo, vel balneo vapido,* (Hoc enim magis placet, quam Marianum) *donec colorem, & saporem mutet, fiatque ex albo, siquidem talis fuit, vt in succo radicum albarum, rubicundus, instar vini rubicundissimi, inquit Quercetanus, aut sanguinis, ad similitudinem succi chyli coctione animalis in sanguinem abeuntis, qui fit gustu dulcis. Aiunt rubedinem esse perfectionis artificiosorum extractorum signum cum insigni dulcedine & puritate. Inter digerendum autem oportet crassamentum sidens separare & postea rubeum succum per destillationem aquæ albæ, qua cum ipso est ad sapæ modum perducere: Quod si diutissime seruare consilium sit, in balneo vaporis exiccetur, vt pilulæ formari queant.* Hæc est summa huius artificii; vt à Quercetano exponitur, sed in quo non pauca notanda veniunt. Primum enim quæritur, *sitne essentia salua mutato colore & sapore*, cumque his proculdubio etiam odore. Non videtur rei essentia esse, quæ virtute naturali, quæ fuit argumentum perfectionis naturalis, est spoliata, sed mutata in aliud quiddam. Sicut enim sanguis ex chyli parte tenuiore factus non est chyli extractum perfectum, sed ex eo transmutatus succus, ita nec ille sanguis chymicus. Essentia certè absynthii, Aloes, cardui benedicti, centaurii minoris, colocynthidis, debet esse amara, quia hæc est nota perfectionis, cōsommationisq; naturalis, adeo, vt aqua quoque ex absynthio elicita, si amara non sit, sed dulcis, pro cadauere habeatur, & corrupto liquore potius, quam pro essentia absynthii. Consequens ex dictis est, si quidem ille sanguineus humor chymici extracti species est, per corruptionem prioris & generationem noui aliquod determinatum successisse, & sic concurrere hic extractum & magisterium transmutationis. Deinde ratio huius artificii indicat, per diuturnam circulationem in Pelicano, & non simplici digestione fieri mutationem. Ideo debuit describi enchireticis circolatoriis Quod de colore rubro monet Quercetanus, ex sententia eorum profluit, qui hunc, vtpote ignei elementi, quod maximè est formale & perfectum in genere corruptibilium, argumentum ad exemplum lapidis philosophici, vltimum in transmutationibus statuunt, quasi tunc perfectionem summam consecuta res sit, cum rubedinem habet absolutam. Sed naturæ hoc quoque repugnat. *Sydera enim cum rubent, non edunt signum perfectionis suæ, sed cum pura albedine, luceque syncera splendent.* Est autem æther & astrum longè perfectius elementis, imò cælum philosophorum perspicuum & translucidum est, quoque magis colore caret, eo perfectius iudicatur. Ita nimirum affecti sunt spiritus optimi. In mercurio quoque crystallino non rubedo sanguinea, sed pura perspicuitas probatur: vt & in adamante. *Non ergo si in vno placet rubedo signum est perfectionis vltima in omnibus:* E. multa rubent, sed non ideo sunt perfecta. In lacte certe rubedo vitium est, &c.

Duo modi Quercetani illustrati in extractis emergentibus.

Extractio cum mutatione caloris & saporis.

Rubedo signum perfectionis.

Non esse idem rei extractum sed nouum genitum si succus proprius transmutatur.

Color ruber.

Stultitia Palmarii in æstimandis talibus extractis.

Palmarius ille dogmatici lapidis insanus scriptor, fiducia huius rubedinis volebat *sanguinem non rubere propter officinam epatis*, sed transmutatione per dispositionem interioris potentiæ, quo ad perfectionem aspiret ille succus, ex quo fit sanguis, quasi nihil sit aliud, quam chyli essentia vltimo fine cocta. At, inquam, cum in lac, ossa, cartilagines, neruos, semen, &c. abit, vlteriorem finē petit, atq; ita conuincit rubedinē illam nō fuisse perfectionem vltimā. Nam in hac status & quies est Dispositionē vero aliquam in humore esse, nemo negauerit: Sed nec hoc negandum est, quod alteratum sequatur naturam alterantis, quodq; succus alimentarius etiam colorem membri, in quo transmutatur, assumat, vt in lacte, semine, & pinguedine ossium alborum videre est, quæ in rubentibus non omnino albifacta inuenirur. Præterea contendebat, mutationem istam fieri per ignem naturæ, qui citra additionem & subtractionem omnem noxam cum colore, & sapore ingrato tolleret. At non ita fit in circulatoria digestione Quercetani, in qua spissamēta abiiciuntur. Deinde alba aqua, quę item erat pars essentiæ, separatur singulari destillatione. Est & aliud in illo opere notandum, nempe *non totum extractū transmutari ista circulatione, sed tantum partē succulentiorem*. Nam mercurialis aquositas exaltari quidē potest, sed nō immutari, vt & ipsa rubescat, quo ipso redarguitur sententia de rubedine, *quasi sit in omni extracto summæ absolutionis signum*. Si esset, foret & in ipsa aqua, quæ nō minus est pars essentialis, quam sal, & sulphur. Non si in sulphurea parte, sanguinea rubedo perfectionem notat, etiā in sale & mercurio. Magis refutatur Palmariana *saporum mutatio citra separationem*. Sal dulcescere potest spiritibus salinis dissipatis, aut abstractis: potest & mercurialis aquositas insipida fieti, & sulphur etiam ad dulcedinem perduci: sed crasin & spiritus illos perire necesse est, quorum præsentia reserat acida, amarā, salsa, &c. idque non ex immaturitate aliqua, sed destinata naturæ perfectione. Verum hæc mittamus. Excusare se Quercetanus poterat, in arte nō intelligi naturalem semper perfectionem; sed aliquando etiam artificialem, quæ naturalem mutet, & ad vsum altius euehat. Notabit Tyro, eadē arte separandarum matricum & puræ essentiæ seruandæ officinas posse vti, vt aquas & succos seruent eo integrius, & diuturnius, in quo sæpe magna incuria reperitur. Exactius elaborabis hoc extractum tali modo: *Cape chelidonium maius recens cum suo succo lectum. Contunde id in lapideo vel ligneo mortario, ne aliquam maliciam trahat à vasis imperfectorum metallorum. Traiice per colum. Quod non transit, exprime prelo. Expressum liquorem sepone. Reliquias perfunde aqua propria, qua ex chelidonio prius per se sit destillata. Pone ad putrefactionem chymicam, per diem vnum, atq; alterum. Deinde cola rursum, & exprime. Si adhuc aliquid succi deprehenderis in reliquiis, postquam expressum succum adiecisti expreßioni priori, poteris denuo aqua infusa putrefactionem instituere. Extractiones omnes coniunge in cucurbita. Digere in tepentibus cineribus, donec sedimentum sit factum. Clarum liquorem effunde, vel abstrahe spongiis, aut laciniis. Sedimentum sepone. Abstractam aquam denuo digere, vt feces secedant. Deinde iterum separa purum. Feces adiice prioribus. Repete digestiones, donec nihil matricis feculentæ appareat. Tunc liquorem syncerum in balneo destilla ad consistentiam sapalem, vel succi inspissati, vt poßit seruari. Aquam destillatione abstractam affunde collectis fecibus, vt videas, num in illis sit adhuc aliquid essentiæ. Digere. Purum abstrahe. Destilla ad consistentiam priorem sapæ. Inde vero æstimabis, quantum in fecibus restiterit essentiæ. Extractum adde priori, & aquam serua titulo aquæ medicaminis simplicis. Feces & expreßionis reliquias combure, & per propriā aquam elice salem secundum artem lixiuiorum, qua filtrantur, coagulanturq;: Deinde sal factus sæpius soluitur, & coagulatur eodem menstruo proprio: Et cum ad purum elaboratus fuerit, vel per se reponitur, vel miscetur aquæ & succo.* Hæc ratio non volaticam tantum partem, sed & fixam exhaurit; nec est vt *chelidonia* tantum animum adiicias; omnes succosæ plantæ similiter possunt tractari. Si dicis: quid attinet in herba vili tantum operæ consumere: satis forte fuerit contentum esse prima expressione: respondetur de parte fixa, quod, cum tenacius adhæreat, laboriosius sit abstrahenda. Si autem fixum nihil est, fieri potest vt vna expressione absoluatur artificium. Quod si defecerit humiditas, quæ vehiculum est essentiæ, ex communitate petenda est, vt *ex rore maio destillato*, vel *aqua pluuiali*, &c. Sic & composita potes elaborare: Exempli caussa: *℞ El. Catholici, aut confectionis Hamech, lib. 1. affunde aquam stillatitiam seri lactis ad excessum trium aut 4. digitorum. Misce probe & digere in calore leni. Puro liquore effuso, aliam eiusdem menstrui aquam appone, & similiter procede, idque repete, donec nihil amplius poßit extrahi. Extractiones immitte in pelicanum. Circula: Et feces semper separa, donec nulla amplius appareant. Tandem liquorem purum in balneo destilla per alembicum ad consistentiam mellis puri. Ita habes extractum. Quod autem destillatum est, id serua, vt in vsu possis adhibere cum extracto ipso. Feces si habent adhuc aliquid virium; vel denuo extrahi possunt, vel loco rudioris extracti reponi. Si nihil inest, calcinentur omnes simul, & sal extrahatur.* Hic est secundus modus extractorum per emersionem, itemque habet *duplicem formam*, nempe *rudiorem*, quā extractum fit materialius, & *elaboratiorem*, quā magis accedit ad formalia. *Vulgus pharmacopolarum omnia sua extracta per vini spiritum* præparat pingui minerua. Sequitur enim modum Lullii de quinta essentia, quanquam non assequitur. Debebat sumi quiota vini vinosi essentia pro menstruo: at illa ne vini quidem capiunt, sed aquam ardentem ex polenta & fermento; vel vini fecibus bis saltem destillatis: raro quater, vt sit spiritus vini. Deinde Lullius circulat suas extractiones, ad simplicissimum, purissimumq;, & cœlum cum stellis relinquit. Officinæ vel eodem die, vel paulo post sine digestione, & circulatione aquam ardentem reuocant, & succum sordidum in imo pro extracto habent. Sed relictis illis, quæ se coguntur hominum sordibus polluere, & vtcunque medicinas iuuare, quando plærique popularibus gaudent, nec chymica redimere aut curare solent; ita vt sæpe artificibus diligentissimis operæ & impensæ pereant, ad alia accedamus. Notamus primum in huius generis extractionibus *menstrua mutari aliquando*. Nam primo aqua propria potest adhiberi, postea vini spiritus: Ita sulphur primum extrahitur terebinthinæ oleo, postea vini spiritu. (*a*) *Secundo:* Cum color sequitur essentiam, vt in croco, santalo rubro, rosis rubris, &c. TINCTVRA vocatur; *Et solet hic aquando studiose intendi color* (vt vitrioli spiritu) *vel ex potentia in actum maturatione, reverberio, & similibus produci*, quin & reserari, seu compages recludi ignibus, vt postea obediat menstruo.

Extractio exactior.

Aquæ still. Sal.

Secundus modus, extrahendi per emersionem:

Tinctura coraliorum.

Tincturarum in vegetabilibus & animalib. exempla si quidem color est stabilis, & menstruum tale vt eum non offendat sed illustret potius, sunt officinis nota. *De coraliis dubitant etiam artifices non pauci.* Ideo vt colorem rubrum ex eis obtineant eligunt quam recentissima ex mari: Minus recentia miscent pumice, & calcinant ad rubedinem, arbitrantes ex coraliis ruborem transire in pumicem, qui postea enim facile deponat in menstruum ex vini spiritu, vel simili. Laboriose alii sic procedunt: *Scobs querna, Guaiacina, iuniperina*, &c. destillatur ex retorta. Prodit ol. & aq. illo separato per filtrum hæc cineribus sui ligni miscetur (vel colcotare, sale marino & similibus.) Digeritur: destillatur Phlegma ab acido liquore blanda destillatione separatur. Liquor hic affunditur coraliis lectis pulueratis. Digestione octiduana in fimo coloratur. Tincto liquore transfuso, alius item ad digitos duos additur, & proceditur eodem modo, donec coralia fuerint dissoluta. Dissolutiones per chartam colatæ destillantur ad siccum. Essentia hæc extrahitur spir. vini optimo maceratione octiduana, donec vt sanguis tingatur. Perge more consueto. Tincturas collectas filtra, & reuocato spiritu ad consistentiam quæ placeat, essentiam serua *Si vis syrupum*, solue eam succo limonum puro, aut berberum, aut citri, &c. addita aquæ rosaceæ parte, cumq; sacharo redige in syrupi vel iulepi formam: qualem syr. *alias faciunt ex coraliorum ℥ij. succi limonum*, vel berberum lib. j. per octiduum in balneo solutis filtratis, clarificatis albumine, & sach. besse mistis. Syrupum coralliorum vocauit Langius, & Quercetanus, quem alii sic describunt: *Aquæ stillatitiæ repentis lib iiij. spir. vitrioli ℥j. misce, & affunde rosis rubris siccis circiter vnctalibus. Paucis horis tinctura in aquam distribuetur. Hanc nouis rosis affunde, atque ita exalta. Tandem filtratæ adde soluti coraliorum per succum berberum ℥j. vel q. v. sachari candi lib. j. Fiat iulepus.*

Ad tincturas extractas referri potest etiam impetratoria hæc preciosa valdè: *Ambra bona ℥j moschi ℥j. ß. commisce & frica in concha, vel tabula marmorea vt pulueris instar fiant. Affunde spiritum* (non aquam) *rosarum ad ij. vel iij. digitos in cucurbita munda. Locentur in balneum vapidum exacte clauso orificio tribus quatuorue diebus. Spiritus attrahet tincturam rubicundissimam. Effusum in aliud vas sepone, & alium repone. Fac, vt in tincturis solet. Tandem spiritum lenissimo balneo reuoca vsque ad mellis liquidi consistentiam. Tunc si placet potes addere magisterium hyacinthi orientalis, & aliarum gemmarum, cum tinctura coraliorum, calce auri solubilis, & sacharo candi, aut extracto alkermes.* Est insigne cordiale, & conducit impotentibus propter defectum spirituum. Id autem Rulandus beatæ memoriæ Cæsareæ maiestati parauit. Si deest tinctura aut sal auri, vtere ceraunochryso, seu auro fulmineo vti describitur à Crollio, Quercetano, Penoto & aliis. Pro aqua regia, aliqui philosophicam capiunt ex sale ammoniaco, & hannitro. In affectibus cerebri calx Lunæ prodest, quæ primum colligitur ex aqua forti de more: deinde cum duplo sale præparato & quarta parte ammoniaci reuerberatur per octiduum: Extrahitur per spiritum vini alcalisatum, circulaturque, & deinde extracto superiori miscetur.

Ad coralia quod attinet, quidam promittunt tincturam ex rubris per spiritum plumbi, qui per se creditur esse Panacea, & febres compendio iugulare. Aliter: *Tartarum calcinatum solue in liquorem. Hunc colatum destilla ad siccum. Cape hoc, & misce cineribus, adiecto puluere silicum cremarorum. Distilla, vt stygiam. Exit spiritus Tartari, quem rectifica.* Hoc potes non tantum ex coraliis tincturam extrahere, verum etiam ex metallis. *Coralia rubra calcina. Affunde spiritum Tartari. Digere, & aliquantulum rubescat. Effuso isto, alium infunde, qui relinquet puluerem puniceum post destillationem.* Ex hoc tincturam elicies per alios quoque liquores. Iam enim corpus eius est solutum & reclusum. Qui præclara de coraliis & eorum tinctura, essentiaque nosse cupit, legat nobilem gemmarum historiam Anshelmi *lib. 2. cap. 154* ne cogamur omnia transscribere.

III. Interdum hic modus est separatorius, non propriè extractorius, vt cum olea natantia colligimus. IV. Aliquando totus liquor siue proprium, siue alienum menstruum vsurpetur, pro extracto habetur, & poterat etiam sic in vsus venire. Sed repositionis diuturnioris gratia, duæ partes per destillationem segregatæ seorsim seruantur: tertia pars spissior propter vocatur extractum, & sigillatim reponitur. Maxime vero id fit, cum non alienum sed proprium vsurpamus menstruum, vt aliqua portio aquæ propriæ cum suo succo seruetur. V. Diminutæ sic extractioni si addimus sacharū purum & coquimus eam ad perfectionem, filtratumq; vel clarificatum decoctum reponimus, interim si quid fecum apparet remouendo, *syrupum* aut *iulepum* chymicum habemus. *(b.)* VI. *Præparatio aloes officinarum*, & *solutio gummatum* in aceto, vel vino dum abiiciuntur feces, pura vero pars assumitur filtratur, coagulatur, extractionis quandam speciem habet, quæ perfici posset repetitis laboribus. Est aliquid etiā in resinis, & melle depurando per putrefactionem chymicam, quamquam adhibeatur etiam separatio per rara ligna, in quibus hæret crassior fex; transit liquor purus. VII. Dum officinæ reponunt aquas stillatitias, & succos liquidos, sedimenta fiunt crebra. Hæc si tolluntur per colum, rudimentum præstabunt extractionum, seruabunturq; puri, & imputribiles liquores. Id nos transtulimus etiam ad iudicium aquarum mineralium, studiose procurata secessione per putrefactionem, qua facta, filtro separauimus purum ab impuro. Vulgus idem posset in aceto, musto, vino, ceruisia, & aliis potibus obseruare. Pharmacopœæ ordinariæ extractionum talium genus adaugent *inuento syruporum plurium infusionum*, & est in officinis bene instructis syrupus rosaceus solutiuus & violaceus, ad quorum imitationem fieri possunt etiam alii, vt *florum papaueris rhœadis*, *Tunicis rubræ* & similium. *Menstruum* infusionis crebræ ad combibendam tincturam plenam plærumque est propria materiatum aqua, vel succus, aut pluuia rorisve aut seri lactis stillatitia. *Franciscus Alexander in Apollinari suo* ad libras 6. aquæ caleutis lib. 15. capit, aut rorem detersum rosis, aut super foliis caulium inuentū, infunditq; septies, aut nouies recentes horis octonis, vel denis in vase angusti oris, quod diligenter est obstruendum & in balneo vel loco calido detinendum. Peracta maceratione liquor decapulatur, *rosæq;* leuiter exprimuntur, *si quidem purgantem saltem facultatem relicta portione terrea expetimus*, id quod in omni-

Chymici syrupi.

Muchara officinarum effi extractorum rudimentum.

in omnibus talibus extractionibus, etiam in *Rhabarbaro* est notandum, quanquam aliquam reliquisse nihil officii, cum etiam integrum Rhabarbarum vacuet. Prima colatura & expressiò impraegnatur nonis ad numerum praescriptum. Addunt tandem sacharum, & coquunt ad syrupi consistentiam adhibita clarificatione. Nihil aliud hoc est si sacharum demas, quam eiusdem menstrui foecundior locupleratio. Si itaque reponatur ad digestionem, aut circulationem, poterimus extractum essentialius obtinere, semper separato sedimento, sed quod non abiiciendum, verum denuo extrahendum per eandem aquam quae à claro fuerit per destillationem reuocata. Si tincturam cōseruatam volumus, fixa ea sit oportet. Neque enim durauerit violae color. Quercetanus *triplex genus nouorum syruporum putat hac arte extractoria esse inuentum*, quem videas licet in pharmacop. pag. 229. Sibi vero attribuit *mucharum* (c) in quo assumitur *rosarum succus* pro menstruo, fitque infusio longior, nonies vel saepius reperenda. Tandem expressio in digestione sinitur crassiorem succum deponere vt rubicundus liquor seorsim appareat, qui decapulatus in alio vase similiter digeritur, depletur, atque ita crebriore digestione in totum depuratur. Liquor purus destillatur per alembicum: Extracta aqua pro rosacea reponitur: reliquus succus seruatur pro syrupo. In vsu ad purgandum vtrumque coniungitur. Si nolis separare, possis cum sacharo syrupum vsualem facere, qui ob id in longius tempus queat durare; quae ratio tamen chymicis promissis non est consentanea. Nam pag. 576. scribitur *sine sacharo, & melle posse diutissime istum digestum & separatum succum seruari, atque adhuc diutius si inspissetur pilulari consistentia*: Et pag. 228. *tantam vim eius digestionis esse dicit, vt sola ea & putrefactione cruda concoquantur, amara dulcorentur, acidaque & acria contemperentur sine sachari adiectione*; quod si verum est, non patet iusta causa cur postea sacharo adiecto velimus syrupum facere. Nam aqua quae ex digesto succo destillatur, & succus ita praeparatus per se & seruari diu, & misceri commodè cum grata suauitate poterunt. Videndum ergo an isti promissores vndiquaque sibi consentanea dicant. Imo & hoc subolet, quod istis frequentibus digestionibus, & separationibus post vnam atque alteram substituitur clarificatio per ouorum albumina. *Quae erat ergo illa insana ignis naturae iactatio, si pariter potens est ad puritatem vulgata officinarum clarificatio?* Monemur addi posse post primas infusiones *spiritum acidum chalcanthi, aut sulphuris, vt color fiat rubicundior, gustus seu sapor suauior, & maior virium praestantia*, etiam ad corpus purgandum. Haec vera esse, non est dubitandum. Quo veriora autem sunt, eo vaniora inueniuntur quae de circulationum, & digestionum ad perfectam rubedinem, absolutamque saporum correctionem efficacia narrantur. Rubicundior fit syrupus spiritu vitrioli.

Syrupi chymici Quercetani & Mucharum rosaceum.

Grandiloquus Quercetanus de vi digestionis.

Contra hyperbolicam laudem digestionis succorum extractorum.

Non ergo finis rubedinis erat in digestione. *Aciditas* procuratur. Non itaque debet digestio propriam tollere suauitatis maioris causa: quin & *pro secreto habetur adiicere aciditates citrias & limonum* vt iuuent attractionem proprietatum & tincturarum. Si ergo fieret extractio ex acidis pomis, citriis, limoniis, medicis malis, cidoniis, &c. per illam digestionum viam non tantum feculentia abiici deponique deberet, sed & color, saporque transmutari, aut, si non: imperfectae coctionis apparatusque deficientis artificium argueretur. Vbi tunc illud secretum, & tam praeclarum adiumentum? *Non si in esula mutatus color & sapor est signum perfectionis, vt est pag. 605. pharmacopoea* Quercet. *in omnibus est.* Adde esulae etiam Lathyrin, elleborum nigrum Germanorum, Thymelaeam & similia, in quibus seruata purgatoria sapores mutatos volumus: At generale dogma hinc colligere non licet. Consideranda scilicet exactius est rerum natura, & non introducenda essentiarum vtilium destructio, vbi conseruatio earum insigne adiumentum praestat. *Amarus sapor vt & salsus in terrea portione est*, quae cum sedimentis tam crebris abire potest, ita vt qui relinquitur humor sit respectu prioris pro dulci habendus; Et hoc quidem in illis procurandum erat, in quibus amaricies esset cum detrimento & noxa coniuncta: *In omnibus autem saporibus generalem legem condere, quasi dulcedo esset finis & argumentum perfectionis in medicinis, stultum est, cum acrimonia, aciditas, & amarities aliquando in medicamentis non parum praestent, quadamque natura ea delectentur, imo & morbi desiderent istum saporem*, vt experimur in vino absynthite & similiter amaro: *In nonnullis etiam placeat saporis priuatio.*

Digestio non affert finalem rubedinem, nec saporem.

(a) *Exempli gratia: Flores sulphuris perfusi duplo spiritu Terebinthinae, & in cucurbitam immissi bulliant in arena horis circiter 8. lento igni. Vide, vt bene sint soluti, & liquor sanguineus. Effunde in aliam cucurbitam, & aquam stillatitiam communem adde. Destilla ex alembico aquam cum spiritu superfluo. Balsamus manebit in fundo. Ex hoc porro per vini spiritum extrahe essentiam, reuocatoque spiritu accipies tincturam, quam si purissimam velis, denuo extrahe, & in rubinum coagula.*

(b) *Forma possunt esse multiplices. Conserua rosarum vitriolata multa aq. ros. diluatur, exprimatur, clarificetur, & aucto sacharo, additaque coraliorum tinctura reponatur. Ita contusi flores alii propria aqua macerantur, & colatura sachare conditur.*

(c) *Muchara videntur dicta* ἀπὸ τῶ μύχυς *ab arcana & penetrali intusque recondita essentia*: καὶ ἀιωρῶ τὸ ὕψω: *q. sit arcanum exaltatum frequentibus infusionibus. Langius adiicit aromata, Rhabarbarum & Agaricum, &c.*

CAPVT XXV.

De extractis elemento stellarum analogis, quæ astra & quintæ essentiæ dicuntur.

DVo extractorum genera recensuimus, *vnum per submersionem*, seu descensum, *alterum per emersionem* seu excessum, extantiamque, quorum hoc cum illo collatum subtilius quidem est & elaboratius, sed nondum attingit excellentiam *exaltationis* in arte chymica *suprema, qua ita extollitur, depuratur, & ab elementorum inquinamentis destructiuis separatur essentia mixtorum, vt fiat quasi siderea, seu astralis, vtpote proportione respondens elemento stellarum, vt loquitur Aristoteles de eo corpore, quod primum & proximum subiectum est potestatum vitalium in plantis & animalibus*, quarum rude primordium inuenitur etiam in genere minerali. *Quintam essentiam* vocant plærique: alii etiam *arcana, mysteria, astra*, &c. (de

Medici Paracelsici quales.
Quinta essentia.

quibus stulte Paracelsus *in præfatione Paragrani: Cœlum faciet medicos alios, qui 4. elementa cognoscent cum Magica & Gabalistica: Erunt Geomantici, Adepti, Archæi, Spagyri: habebunt quintum esse, arcana, mysteria, tincturas*, &c. Verum id nomen sæpe est æquiuocum, vt etiam videre est *in quarto Archidoxeos* Paracelsi, vbi licet quintam essentiã describat, quod sit *materia corporaliter extracta ex vegetabilibus & omnibus vitam* (vim aliquam & potentiam actiuam ex proprietate naturæ) *habentibus, separata ab omni impuritate, & mortalitate, purissime subtiliata, & ab omnibus elementis segregata: analogos spiritus vitæ spiritus, pauca iacens in suo corpore*, &c. tamen inconstanter de ea loquitur, & exemplis declarat etiam *materialia extracta quintis essentiis annumerari: Negat esse supra elementa, quia sit elementum, quod tamen primis qualitatibus careat*: qui suæ opinioni relinquatur, vt possint Paracelsici quidlibet de quolibet pronunciare, & in philosophia chymica ad miraculum vsque tam delirare, quam gloriari. Hippocrates *nomine calidi cœlestis vitæ pro-*

In lib. de carnibus.
Contra Riolanum.

curatoris iam intelligi voluit, cum scripsit, *in mundi ordinatione id quidem ad superiora concessisse, sed nihilominus multam sui vim reliquisse in imo, qua de re alibi disputatum est.* Lullius propter excellentiam nobilissimo, æthereoque vini generosi spiritui id nomen accommodauit, qui etiam *materia est lapidis vegetabilis* appellati. Et quia ex mistis resolutis assumit sibi familiarem naturam, vt videatur veluti generale subiectum esse, in quod implantari specialium mistorum essentiæ possint, ex analogia quam tunc accipit cum cœlo & astris, etiam *cœlum philosophorum* nuncupatur. Sicut enim Deus firmamento cœlo affixit ætherea corpora, lucesque coagulatas; ita quintæ essentiæ vini inseruntur mistorum interiores substantiæ totam eorum proprietatem, formalesque potestates continentes, vt sint pro astris in suo cœlo lucentibus. *Penotus vocem transtulit ad aurum philosophorum*, siue quod similiter de minerali cœlo disserendum putaret, quo modo quis posset etiam *animalem lapidem ex mumia liquida*

Aurum triplex.
In pharm. pag. 603. & 289.
Materia Q. Essentia.
Q. Ess. definitio.

microcosmi appellare: Siue quod AVRI terminum extenderet, vt sit *aurum vegetabile, minerale, & animale*, omne generali quadam potentia ad specificas rerum naturas suscipiendas instructum, quanquã in minera metallorum potius mercurio illa aptitudo ascribatur, quàm auro propriè dicto. Quercetanus cum *Aloen* præparare docet, ipsum *succum* vt est in officinis *vocat extractum. Medicinam* vero chymicè *per aquam endiuiæ* vel oxalidis *ex eo* extractam, *essentiam* dicit, procul dubio quintam innuendo, cuius materia est materiale extractum, quanquã mox in Rhabarbaro *nullum discrimen inter essentiã & extractum* ponat, qui etiam alias de quinta essentia contra Riolanũ multa indiscretim protulit. Sed omissis vocabulis rem ipsam videamus. *Quintam essentiam dicimus esse extractum formale ita elaboratum, vt ad cœlestem nobilitatem quam proximè accedat sitque à prædominio actiuum in parua mole corporis, vtpote potestatibus specificis rerum in proxima potentia ad efficaciter agendum cum subtilitate spirituali summe penetrante per naturam adiutam arte à Deo donatum.* Id quidem alias ob spiritualem puritatem (Est enim spiritus quidam purissimè coagulatus, cum in sua forma soluta seruari, & ad vsum accommodari non posset) colore intensiore caret, aut albedine perspicua, vt crystallus, translucet: aliquando tamen etiam colorem simplicis retinet, aut si non hunc, ad altiorem tamen, candidum, citrinum, rubeum,

Tinctura formalis.

perductum ad instar planetæ cœlestis resplendet, & tunc solet TINCTVRA formalis, seu ætherea dici, quanquam id nomen etiam generaliter omni quintæ essentiæ efficaciter immutanti corpora, & sua virtute imbuenti, quod & ipsum *tingere* vocant (vt cum aurea seu aurifica medicina mercurius tingitur seu immutatur vt fiat & ipse aurum, argentifica vt fiat argentum.) assignari consueuerit. *Materia quintæ essentiæ* est vel rudis, vti ex natura, abiectis tamen heterogeneis, suppetit: vel iam elaborata aliquo artificio chymico inferiore, vt magisterium iam sit, vel extractum materiale remotius à forma, aut ipsi propinquius. *Elaboratio est exaltatoria & extractoria.* Extractio fit per modos excellentiores crebrius repetitos, vt sublimationem, destillationem, infusionem, & vicinos. Exaltatio tum iisdem peragitur, tum etiam digestione, & circulatione, in qua vt plurimũ cœleste menstruum adhibetur, nisi ipsa res sit sibi sufficiens. Sed & statim cum extractionem per infusionem & macerationem procuramus, aliquando menstruum adhibemus, quod & solutiuum sit, & extractiuum, exaltatiuumque.

Hoc secundum rectam rationem non potest aliud esse quam *cœleste*, quanquam Paracelsistæ, & impostores alii, item laborantes nequam & oscitantes, nec raro medici negligentes putent substitui posse etiam minus elaborata, & materialiora, non cogitantes simile simili amicum esse, & eo gaudere; naturam natura lætari, *simile gignere simile, & agentis naturalis finem esse similitudinem sui, vt passum agenti respondeat*, adeo vt per quintam essentiam actuosam, & penetrantem essentia subiecti patientis debeat item quinta natura fieri; imò nihil assumi aliud quam quod sit de eius substantia. *Natura enim natura lætatur; natura naturam perficit*, &c. vt habet sapientum axioma.

Hoc

Menstrua in trahenda quinta essentia.

Hoc consilio ex vino rubro nobili per destillationem, & circulationem quintam essentiam ἄποιον fecerunt, eaq; sic vsi sunt ad rariora *vegetalia, & animalia.* In firmiorib. ei addiderunt *salem propriũ* ex fecibus per proprium phlegma extractum: Deinde potatum proprio spiritu, & solutum: à solutione destillatum, & sublimatum, tandemq; quintæ vini essentiæ adiectum per alembicum elicitum, & vna circulatum, vt alibi docetur, quanquam non omnes vnam secuti sint methodum. *Inter vniuersalia habetur etiam chalcanthum.*

Ideo ex hoc præparato alii destillant aquam cum spiritu, idq; cum rectificatione. Rectificatũ circulant ad quintæ essentiæ sublimitatem. Hoc mẽstruum vtile item est in vegetalib. Si eum *sale colcotaris* vniatur, etiam ad firmiora conducit. In magisterio metallico summæ perfectionis, *mercurium in primam materiam soluunt*, sed ante solutionem quintæ naturæ puritate & viribus donatum. Ad lapides & gemmas *quinta essentia fit ex aceto siue minerali, siue vegetabili.* Omnino cõmune aut proprium assumseris menstruum, *non efficies quintam essentiam nisi per quintam essentiam*, si quidem per menstruum sit ꝓcedendum. Quercetano ad scammonium, euphorbium, myrrham, gummata, &c. valde placuit *vitriolatum menstruum.* Hoc communi modo præparatum essentias præbuerit: vt quintas quoq; eliciat exaltandum erit ad illam dignitatem. Si quis exempla requirit, quanquam passim occurrant multa, & in Alchymia quoq; nostra aliqua legantur, tamen huc quoq; aliqua transferamus.

Qu. Essentia aloes.

Quinta Essentia Aloes: *Ex magisterio aloes fac extractum per aquam enduuia, aut rosaceam. Ex hoc elice porro subtilissimam partem per quintam vini essentiam veram, per modum tincturarum. Cum semel extraxisti, mẽstruum leni balneo reuoca vsq; ad consistentiam mellis. Hanc extrahe secundo per spiritum aut quintam essentiam rosarum. Circula semper separando spissamenta, donec nihil amplius ex cœlesti rosacea secedat. Tunc lenissime destillãdo ad sapam, vel gummi perducito.*

Si quæris, quodnam magisterium, & extractum sumere debeas, ostendimus aloen lotã in pharmacopolis, vel rosatam Cratonis. Extractum habes apud Quercetan. *in pharmacop. p. 289.* Estne vero etiam consultum extractum illud tantæ commẽdationis vlterius extrahere? *Si verum est, quod iactatores digestionum prædicant, debet malignam, acrem, & amaram qualitatem ponere, tantumque astralem purgatoriã retinere, quando elaboratur per quintam essentiam vini, & porro cum spiritu astrali rosarum circulatur.* Si non est verum, (fieri aũt potest, vt sit, pro præparationum varietate, quas non omnes possumus experiri: Nobis *aloe semper est aloe*, ni cadauer velimus) saltem in parua dosi vim magnam, eamq; cœlestem consequeris. Si displicet tædetq; operæ, vtere extracto.

Quinta Ess. sulphuris seu rubinus.

Quinta essentia sulphuris est eius rubinus. *Flores sulphuris spiritu terebinthina soluantur in balsamũ. Huic affunde quintam vini essentiam, & extrahe tincturam. Circula extractiones, donec nihil sedimenti appareat. Tandem spiritu per destillationem blandam reuocato, essentiam relictam paulatim coagula. Hac vteris ad phthisicos, aliosq; morbos, quibus nosti destinari flores sulphuris, præsertim in peste vtilissimum est medicamentum.*

Qu. Essentia Guaiaci.

Quinta Essentia Guaiaci: *Cape gummi per spiritum vini ex Guaiaco Elicitum. Si siccum est, redige in puluerem. Extrahe per modum tinctura non spiritu, sed quinta essentia vini. Circula extractionem, vt dictum est in præcedentib. Vltimo abstracta vini essentia, coagula. Pro vini quinta essentia substitues rectius quintam essentiam ipsius Guaiaci forma aqua ex decocto eius destillatam, & exaltatam. Cum hac post circulationem tanquam astrum cum suo cœlo permanere, & simul ad vsum transferri potest.*

Idem modus est aliorum gummatum balsameorum: Et sane *laccam & myrrham* sic præparatam eximie poteris commeodare.

Qu. Essentia antimonii.

Quinta Essent. antimonii. *Elice ex antimonio rubeum sulphur* (de quo sulphure vide hypomnemata nostra) *per acetum proprium, aut vinum Penoti, aut lixiuium vel aliud menstruum. Separa ab eo aquam. Destilla hanc & circula vsq; ad sublimitatem cœlestem. Adde postea suo sulphuri, & extrahe id denuo. Extractionem digere in Pelicano, donec cessent sedimenta. Tandem abstracta aqua tincturam coagula in lapidem. Si deest propria aqua, cape acetum eiusdem elaboratum eodem modo: vel substitue quintam essentiam aqua Guaiaci, aut iuniperi.*

Qu. Essentia lapidum.

Quinta Essent. gemmarum aliorumq; lapidum, quos elaboratione dignos propter specificam virtutẽ putamus, *fit ex magisterio salis vel calcis ipsorum duplici potissimum modo, nempe solutione per deliquiũ, & deinde soluti destillatione tam crebra, donec tota essentia in olei formem liquorem secesserit.* qui addita quinta vini essentia circulatur ad perfectionem, & reuocata vini essentia per se seruatur: *Alter modus* est solutio per acetum stillatitium: Et quidem prima operatio potest fieri per *Terebint binatũ Huseri*, vt à Crollio & Penoto describitur: sed sequentes peragi debent *spiritu aceti* ad subtilitatem cœlestem exaltato, vt ex lapidib. assumta essentia nobilissima per alembicum vna exeat, deincepsq; vel separetur, vel vna maneat: vbi *verum spiritum aceti, qui acidus est*, intelligimus, & non corrosiuum illud acre, quod radicatum appellant. Si acetum separauimus, possumus circulationẽ eam quinta vini essentia procurare, & vel totum simul conseruare, vel vsq; ad olei consistentiam destillare. Est *alius modus per camphoram* & additamenta, quib. in alembicum specie florum impelli potest essentia. Sed si quis illos assecutus fuerit, sufficit. Multis a. cohobiis opus esse, res ipsa admonebit. Apud Croll. legimus processum *Quint. Essent auri.* Præparanda prius est duplex quinta essentia menstrualis: *vna ex vrina*, & dicitur *spiritus vrinæ*: altera ex sale cõi, & vocatur *spiritus salis. Aurum soluitur regia*, solutio præcipitatur per oleũ tartari, porroq; fit *calx fulminea.* Hæc in oleum soluitur per spiritum salis, qui abstrahitur post solutionẽ vsq; ad oleitatem, & refunditur sæpius, vt auri solutum eo sit constantius. In hoc solutũ guttatim infunditur vrinæ spiritus, quo fit præcipitatio, seu repercussio calcis solaris. Deinde totum in forti cucurbita in balneum bene occluso vase ponitur ad digestionem mẽstruam, qua peracta destillatio ꝓcuratur in arena ex retorta per gradus ignis ita, vt vltimo excandefacta retorta puluis auri & fundo sursum eleuetur, vnde sedulo colligitur, & porro quinta essentia perfunditur, vt *tincturam* extrahat mutatis vicib. vt solet fieri in tincturis. Essentia vini tandem magna ex parte reuocatur, vt maneat olei consistentia, quod *aurum potabile* dicitur, quanquam Crollius non perfecerit.

Q. Ess. auri. *Aurum potabile.*

Penotus per acetum alcalisatum ex auri calce tincturam elicit, reuocatoque tandem aceto, illam *aqua vitæ ex stibio calcinato* operosa admodum industria confecta soluit digestione clausa 40. dierum mutata aqua donec calx tota sit dissoluta. Solutiones destillat ex retorta, oleumq; auri innatans aquæ colligit, & asseruat. Vide *in chymicis* Penoti p. 151. *cum seq.*

Spiritus chymici.

Caput XXVI.

De spiritibus.

Aut ipsæ quintæ essentiæ sunt, aut quam proxime ad eas accedũt, quos *spiritus & flores* dicimus: *illos* quidem *liquida forma, hos sicca* elaboratos, quanq̃ pro vsu interdum absoluãtur, interdum in aliquo gradu citra relinquantur. Spirituales autem esse quintas essentias, non opus est demonstrare, cum ipse locus ætheris, ignis, & aeris, naturæq; horum corporum nos sufficienter moneant. Nos autem spiritus nostros vel in quintas essentias conuertimus, vel igni aut aeri proportione respondentes efficimus. Licet & aqueas naturas spiritus dicere, verum relate. Nam qui vniuoce ex illis spiritib. fiunt, vel potius in arte nostra separantur, non amplius sunt de natura aquæ, qua de re *alibi* exactius philosophandum est.

Subtilitatis debet esse modus, qui sit intra commoditatẽ vsus.

Physicus aliquis possit totidem spiritus ponere, quot sunt natura simplices, siue per se consideratæ in sua simplicitate, siue vt sunt in mistis & aliquam ex quinq; naturis simplicibus referunt. Sed *chymiatria* vnum habet terræ respondentem, quem *floris* nomine appellamus: alium, qui *Elementis nobilioribus, igni* vel aeri: Et *tertium*, qui cœlo seu ætheri assimilatur, qui potest esse forma humida, vel sicca; sed humidam consistentiæ liquidæ iam *peculiariter spiritum* dicimus. Neque enim in forma solura ab arte comprehendi, elaborari, seruari, & ad vsus omnes accommodari potest, sed vasis artificiosis includẽdus, capiendusq; & coagulandus est, qui tamen si recte elaboratus est, leui calore soluitur. Verum *nec nimis volatilis esse debet.*

Talis n. neque artem patitur, neque asseruati potest, nec in vsu aliquam stabilem impressionem facere. Vnde non tantum in magisterio sapientum de lapide philosophorum imperatur *modus subtilitatis*: Sed & in vini quinta essentia, & aliis, quæ ad ipsius exemplum elaborantur. Sit ergo, de quo in præsens agimus, *spiritus essentia liquida, pura, volatilis, ex mistis elicita, ordineq; elaborationum & exaltationũ chymicarum vltra vulgarium extractorum conditionem ad sublimitatem cœlo analogam perducta secum habens potestates misti specificas ad salutem humanam iuuandam, beneq; medendum comparata.* Essentiam dicimus, nõ adiecto termino *Quinta*, quia non semper cœlestem nobilitatem affectamus, sed aliquando citra subsistimus, vt vel essentia saltem nobilior tamen superioribus, esse possit, vel etiam quinta. *Liquida* voce intelligimus consistentiam fluidam, & meabilem, qualis maxime est coagulata aquæ specie, licet & aer, & ignis, & æther idem sibi epitheton vendicent. *Fluidam* autem, quæ aspectu sit aquæ, vel olei, volumus propter ante dictas causas. *Volatile* quoque reuocamus ad modum explicatum, vt alia ratione sit coagulata quædam natura, alia (potentia scilicet) volatilis, & in actualem spiritum, seu halitum resolubilis.

Faceta quorundam de simplici terra responsio, eam in cẽtro haberi, quo sciunt non posse perueniri.

Spirituum distinctio.

Materia spirituum.

Syr. 30. 18 bona absconsa in ore clauso quasi appositiones epularum circum sepulcra, & c 20. 32. sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas est in vtroq;. Ita c. 41. v. 17. 18. melior abscondens stultitiam quam sapiẽtiam.

Quintam essentiam ex mistis elici, ideo ponimus, quia licet fanaticus ille Paracelsus etiam elementa attenuet, destillet, & exaltare nitatur, tamen actum agat, aut potius æthiopem dealbet. Sit sane, quod & Aristoteles scripsit, *humor in terra, spiritus in humore, calor animalis, quem lib. 2. Gen. an. 3. spiritum vocat, & naturam, quæ in spiritu est, analogos Elemento stellarum, seu cœlo, in vniuerso*: aut quod Platonici cum suo Virgilio proclamant, *spiritus intus alat omnia, igneus nimirum ille vigor, & cœlestis origo in corpora immersa, vnde vita omnibus, & vitalium facultatum potestas*: at non coagulata ita est in aere, igne, aqua, vt possit comprehendi.

Terrã simplicem imaginamur, non tenemus, longumque erit, ante quam ad centrum fossores perueniant, & nobis elementum Aristotelicum eruant. In mistis autem inuenimus subiectum æthereum æthereariũ facultatum. Inde *spiritus nostri quintessentiales* exculpantur. Id fit *ascensu, descensu: ad latus*: vnde *spiritus ascensorii, descensorii, laterales*: fit rudius, elaboratius: Vnde spiritus gradu exaltationũ differentes, adeo, vt materialiores sæpe liquoribus, & aquis vulgarium officinarum accenseantur. Aliqui inflammatiles sunt, aliqui non admittunt flammas. Parantur ex pinguibus, aut macris: Iuxta principiorum discrimen, aliqui sunt sulphurei, aliqui mercuriales, aliqui salini. Si ad elementa respicimus, terreos, aqueos, aereos, igneos, cœlestes habemus: sed aqueos reiicimus ad aquas: terreos ad flores: aereos gradu inferiore locamus, indeq; tendimus ad *ignes æthereos.* Poterant & simplicitate, & compositione discerni: sed compositos attingemus in Elixyribus, extractisque compositis. Materiæ ratione ex pinguibus eliciuntur quorũcunque generum, vt oleis, adipibus, resinis, sulphure, gummi, &c. Deinde ex liquoribus, vino, aceto, vrina, cereuisia, & aliis decoctis, melle, oxymelite, œnomelite, pyratio, pomatio, &c. additis aliquando fecibus, aut fermento. Præterea ex variis plantarum partibus, vt ex floribus rosarum fragrantium, cerasorum nucleis, amygdalis amaris, granis sambuci, iuniperi, lignis iuniperi, buxi, sassafras, guaiaci, &c. corticibus citri, pomorum aurantiorum, &c. variis seminibus fœniculi, carui, anisi, coriandri, &c. ex salibus: vt Tartari, ammoniaco, marino, communi, halonitro, vitriolo, fuligine caminorum, cedria, &c. metallicis, vt argento viuo varie affecto, plumbo, antimonio, marcasithis, &c. quorum omnium in plurimis chymicorum libris exempla occurrunt, nec refert, etiamsi nos nulla describamus. Nam qui Galliam, Italiam, Bohemiam, &c.

In pharm. p. 625.

Spiritus æthereus plumbi iuxta Quercet.

vix

vix limis aspexerunt, inde plaustrales titulorum formulis ipsis vsque in foueam cælatis libellos referunt.

Sed propter simplices Germanos, & libris ampullosis carentes studiosos aliqua saltem proponemus. Liberalissimus ille Quercetanus promisit *pharmacopœian spagyricam*: in qua vellet tractare *de admirandis viribus salium metallicorum*, è quibus *aquæ ardentes* eliciantur.

Sed vnicum duntaxat specimen reliquit, *plumbi* scilicet, cuius spiritum vel aquam inflammatilem explicauit *in defensione prima cap. 16. Plumbum vel aceto, vel sale calcinetur, aut minium assumatur. Extrahatur ex eo sal per acetum hydromelitis. Iste soluatur deliquio: filtretur: coaguletur, iterumq́ue soluatur, filtretur & coaguletur tam sæpe, donec relictis fecibus sal subtilissimus exierit, dulcedine etiam saccharum superans, aut saltem æquans. Hoc vti in febribus potes & ophthalmiis, & phlegmonis, &c.*

Soluatur deliquio: Liquor per retortam destilletur per gradus ignis in capax receptaculum, ita vt halitus totum impleant, tandemque sequatur liquor rubeus, quem vocant oleum fixum Saturni. Separa ab hoc aquam, seu spiritum æthereum, & remanebit tinctura sulphurea inflammatilis mere spiritus vini. Hic est modus Quercetani, ad cuius imitationem potes stannum, ferrum, æs & similia elaborare.

Quidam malunt ex *lapide plumbario, Galena*, aut alia plumbi vena per *spiritum vitrioli* extrahere, extractumque vini, aut tartari spiritu corrigere. Ita tractant & *venam Iouis*, facta calce per vitrioli spiritum, quam reuerberatam deliquio soluunt vel in aqua communi: Solutionem filtratam coagulatamq; & repetitionib. crebris cœlestem factam tandem ex retorta destillant, vt oleum & spiritus simul prodeant.

Crollii processus hic est: *Minio vel cerussa in marmore læuigata affundatur acetum destillatum ad 3. vel 4. digitos. Digeratur in calido cinere per biduum, indies ter, quaterue agitando in vasis vitreis extra habitacula. Acetum flauitie quadam & dulcedine tinctum effunditur, seruaturq́ue, reposito alio de more extractionum per tincturam. Tandem in balneo separatur acetum. Essentia nonnihil torretur, denuoq́ue extrahitur aceto, vt prius. Feces abiiciuntur seruato sale fluxili, qui vt amplius attenuetur, frequentius soluitur, filtratur, coagulatur, donec crystalli sine sordibus consistant, solue hos deliquio, & destilla iuxta Quercetanum, accipiesq́ue duplicem spiritum, vnum mercurialem æthereum, alterum sulphureum inflammatilem.* Magni momenti res est. Nam pro *catholico, thesauro medico summi pretii, & Panaceia habetur*: Dicitur etiam *menstruum esse ad tincturam corallorum, solis, & aurum potabile irreductile*, quod & Crollius monuit de calce fulminea solis, quanquam non sit expertus. Diligentissima descriptio hæc est: *Saturno calcinato vel minio in exactum leuorem detrito affunde acetum stillatitium acerrimum ad sex digitos. Pone per aliquot dies in digestionem lenem, dum dulcescat acetum (ne obliuiscere agitationis quotidianæ.) Effunde in cucurbitam, & repone. Calci adde nouum, & procede, vt prius, donec inanis terra relinquatur, ex qua acetum nihil dulcedinis assumere queat. Ita impregnatum iudicatur acetum. Extractiones per filtrum transmitte, & in fimum equinum in quenque hebdomadas ad putrescendum impone. Abstrahe postea tertiã partem destillando. Residuũ in loco frigido humido coge in crystallos. Hos extractos perforato cochleari repone. Liquorem denuo diminue per destillationem, donec videris superficiem concrescere velle. Redde loco humido frigido, vt consistant lapilli noui. His quoque exemptis, dilutum tertio coque & destilla, & tertios crystallos procura, idque si opus sit, continua, donec omnes lapillos coegeris.*

Hos contusos perfunde optime rectificato vitrioli spiritu. Digere per dies aliquot. Deinde leni calore destillã, & phlegmatica pars hærente essentiali abscedet. Istud acetum essentiale vitrioli, præditum solutrice potentia, corpus lapillorum Saturninorum exactius penetrabit, & resoluet. Facta abstractione, repone spiritum vitrioli nouum, affundeque tuo Saturno. Digere: Reuoca: Repete idem aliquot vicibus. Quo enim crebrius, hoc melius. Recluditur ita interior compages, quam acetum prius non poterat reserare. Minerale acetum minerali Saturno est familiaris. His peractis essentiam Saturninam misce argilla pura, vt fiat massa quadam quam in globulos conforma. Nam ex ea spiritus est eliciendus, quod non bene fiet ex sola.

Colliquescet enim, & spiritus secretus retinebitur, qua arte etiam ex sale spiritus est extrahendus, adiecta scilicet figulina, vt fluxus prohibeatur. Globulos inice in retortam luto bene armatam. Destilla per gradus. Leni igni procedet phlegmatica humiditas, quæ est mercurialis Igne aucto sub finem prodibit oleum sanguineum, quod mutato receptaculo est colligendum. Ex fecibus calcinatis salem per phlegma proprium elicies, quem salem fixum pronunciant: Mercurialem aquam infunde in cucurbitam. Circula. Destilla. Idem fac cum oleo rubro. Postea huic affunde mercurialem spiritum nuper rectificatum. Digere. Destilla in balneo. Reaffunde. Digere iterum & destilla, idque octies aut nouies, donec quicquid essentiæ est, in aqua maneat cum oleo sulphureo, cumque eo vniatur. Vltimo ter destilla per cineres, sub finem dando ignem validum, potestque tertia vice arena adhiberi. Destillatum immitte in phiolam. Claude Hermetice, ne quid spirituum subterfugiat. Hoc quoq́ue facto adhuc semel destilla in balneo feruente, vel cinerib. Habes Panaceian, Thesaurumq́ue preciosissimum. Vsus ad calces metallorum philosophice præparatas soluendas, & in liquorem potabilem irreductilem dissoluendas. Custodi diligentissime. Huius beneficio tincturam corallorum procurabis. Est omnium morborum, etiam astralium, qui fixas in agro radices & indomitos fomites habent, verus & Herculeus clypeus, nullum heterogeneum in microcosmi firmamento astrum admittens, sed inimicas, & hostiles omnium morborum impressiones depellens: Imo est verum illud spiritus vitalis, totius œconomiæ humanæ solius moderatoris, restaurantissimum medium. Deo Laus in æternum. Ecce tibi ampullas Paracelsicas. Cur morimur, si tantum habemus mortis depulsorium? Ille bonus vir, qui hæc à Paracelsico iactatore accepta in scriniis reliquit, mortuus est paulo post quadragenarium. Cur non fieri curauit hanc Dei manum, & sibi dari? Descripsimus autem, non quod ista grandiloqua vera putemus: nihil enim aliud habent, quam fastidiosissimi laboris condimentum, & hederam amplissimam nouę mercis emendæ: sed vt chymicus noster non nesciret *plumbeum spiritum*, possetque ad eius formam vel simili, vel eodem modo operari in conuenientibus. Ridiculum est, quod autor iste ampullosus panaceian hanc in cœlum euecturus addit, *nullum aliud astrum in cœlo microcosmice tolerari à Saturnine isto sydere.*

Panacea, Thesaurus metalla potabilia

Laus hyperbolica spiritus Saturnini.

Paracelsistæ mature moriuntur intér sua plus quã diuina remedia.

Quidã

Quid? Num ergo ægroti in Saturninam naturam sunt transmutandi? Vbi Sol, Luna, Iupiter, Venns, Mars? Num hi planetæ cedere regnum suum Saturno debent? At pessimus vitæ autor Saturnus, stultus Paracelsista audiuit aliquid *de plumbo philosophorum*. Ideo credidit omnia esse in Saturno illo, ex quo fit cerussa, vel minium. Erat apud nos quidam Gallus, qui simili dementia occupatus nō poterat à vulgari plumbo abstrahi. Itaq; dicebat, & patrem suum in eo laborasse, & se in imperfectū patris laborem successisse, nec posse absistere. Quid ni pergeret?

Artus est hominis, quem sex tenuere figuræ
Cui P. si addideris, S. in M. bene vertere scis:
Hoc as est nostrum, constansq; aqua Philosophorum.

Lumbus est membrum humanum. Præfige literam P. fit *plumbus*. Muta S. in M. erit *plumbum*: Et sic bonum habemus artis principium.

Quinta essentia stibii, & spiritus. Spiritus Antimonii: *Calcem reguli aut stellæ antimonii proprio extrahe aceto, quod Monachus Basilius descripsit. Salem collectum solue deliquio. Filtra. Coagula. Solue denuo, & procede pariter, donec subtilissimam habeas essentiam. Hanc in retortam immitte, & destilla instar aquæ fortis. Prius exibit spiritus mercurialis: vltimo sulphureus. Misce vtrumque. Digere. Abstrahe phlegma, & tandem fortiter destilla Oleum rubrum, si placet, in lapidem coagula. Ita tracta calcem bismuthi, cadmiæ argentariæ, Iouis & aliorum ad exemplum plumbi.*

Sp. Mercurii. *Argentum viuum* per se spiritus quidā est. Sed *vt pelluceat, æthereamq; nobilitatem accipiat, oportet vt primū à chalcantho septies, aut nouies sublimes singulis vicibus reducendo per calcem, iterumq; per vitriolum sublimando. Cum vltimo reduxeris, iniice id in ignitam ollam paruis portionibus eo modo, quo aqua mercurii vulgaris solet fieri, & resoluitur in halitum, qui in frigido receptaculo coagulatur in liquorem. Hunc adiecta vini quinta essentia circula, destilla, atq; ita elabora, donec summam puritatem, & subtilitatem fueris consecutus.*

Sp Sublimati. Fit alius ex sublimato. *Eliquati stanni libræ immisce argenti viui calefacti quadrantem, diligenterque subige bacillo ligneo, aut stylo osseo, vt fiat amalgama. Hoc extende, & explana super lapidea tabula, cui in cella disposita insperge parem quantitatem argenti viui septies sublimati, & in subtilem puluerem redacti. Soluatur ibi per deliquium. Solutionem, quæ iam dulcis euasit, coagula, iterum solue. Tandem destilla, & rectifica oleum per destillationem confectum, à quo separabis spiritum cœlestem, quanquam totum nihil aliud sit, quam spiritus ætheree subtilitatis, qui cum vini spiritu circulari potest.*


Nouus modus Sp. halonitri & Tartari. Cæterum eo modo, quo hydrargyrus mutatur in spiritum pellucidum, etiam *spiritus halonitri, & Tartari* fieri potest. *Cura tibi fieri cucurbitam ventricosam ex argilla firma, vt lapideam soliditatem habeat. In eius latere sit fistula, seu tubus prominens, sursumq; porrectus vt immittere puluerem possis. Collo adapta alembicū capax, cum ampulla ampla, in quam diuertat halitus cum liquore. Colloca in fornacem aptam, vt vndiquaq; à prunis contingi possit eminente sursum collo. Supposito igne paulatim incende, cumque iam excandescere incipit, iniice per tubum vnam atque alteram prunam flagrantem, & mox cochlear halonitri contriti. Claude statim tubi foramen panno madido, & mox, assurgetque spiritus in alembicum, & ibi in aquam mutabitur: quo facto nouum puluerem per tubum infunde, iterumque vapor in alembicum illatus consistet, quod toties fieri curabis, donec copia placeat.* Si ex tartaro velis: *per halonitrum & tartarum contrita misce, vt exquisitus puluis fiat, quem ordine iniice in ollam candefactam, vt dictum est. Liquores autem digerendo, destillandoque vlterius elaborabis, donec ad ætheream naturam eos perduxeris.*

Sp. Coral. & perl. Ex vnionibus, & coraliis per magisterii modum calcinatis, inque salem redactis destillantur itidem spiritus ardentes, & perficiuntur in Pelicano.

Sp. Sulph. De *spiritu sulphuris* multa diximus in *syntagmate*, vbi etiam σκευασίαν proposuimus, sed quam sculptor non vsque adeo est assecutus, nec satis dextre repræsentauit. Vt *ex libra vna excipias spiritus sulphurei tres aut quatuor vncias, elige primum cœlum humidum. Deinde retortam vitream amplam ansatam reciso fundo hemisphærice suspende super paropside, vel concha vitrea capaciore, vt in eam defluere guttæ in retorta cōcretæ possint. In medio huius paropsidis stet testa vel vasculum terreum, in quod sulphur pulueratum immittas, vt incensum ardeat, spiritumque in retortam submittat. Rostro vero retortæ adiaceat vasta ampulla, cum foramine paruo in ventre, vt halitus intrare, ibique colligi in aquam possit. Ita compositis vasis, sulphur incēde, semperq; combusto nouum substitue, donec spiritum sufficientem habeas. Si retortæ interior superficies rosacea, vel phlegmate vitrioli, fuerit madefacta, citius concrescunt fumi. Spiritum porro rectifica per destillationem, & in Pelicano circula, quousque cœlestem puritatem, & excellentiam obtinueris.*

Dispositio

Dispositio vasorum sic habet.



CAPVT XXVII.

De floribus.

FLoris appellationem accommodari variis ostendunt exempla *halosanthi* in nitrariis, *salis* in salinis, *Asiæ* petræ apud Diosc. & Galen. *æris* in ærariis, *farinæ* in molendinis, *lactis*, qui & cremor, in pecuaria, *spuma* se expurgantium in his, quæ efferuescunt & fermentantur. Solent & *metallorum efflorescentia* sic dici, vtpote quæ ex crusta efflorescunt, veluti ex cute humana exanthemata, vt *ferrugo*, *ærugo*, *situs* & similia, quæ alias sunt sordium exuperantiæ, alias abundantis essentiæ *gemmæ*, & germinationes, vt in arboribus resinosis, & gummosis, quomodo *lacca*, *camphora* & similia per naturam protruduntur. In chymicis præsentibus intelligimus *extractione subtili factam essentiam, quæ cum volatilis sit, ex fixa parte in superficiem, inque altum enititur specie sicca*, interdum puluerea, interdum glaciata, aut etiam pruinosa, & lanea instar pompholygis, quæ ex cadmia ærosa proflatur. Spiritum siccum ex halitu consistente in summo ignibus suppositis *proflatum* appelles vt distinguatur ab *emergente in rei superficie efflorescentia*, quæ aliis modis procuratur. Vt plurimum compellitur in altum prouolare. Interdum tamen etiã in latus per vim canalium ducentium, & sequentium spirituum protruditur. *In syntagmate* proposuimus exempla florum *antimonii*, *æris*, *arsenici*, *Iouis*, *Saturni*, *Martis*, *vrionii*, *perlarum*, *sulphuris*, *tartari*, *vitrioli*, & aliquot *salium*, quorum artificia in similiter affectis sequi non est difficile. Verum vt hic quoque inueniat aliquid industriæ studiosus arcanorum inuestigator, non pigeat aliquid exactius de *floribus Tartari* proferre.

Flores tartari qui essentiales.

Tartarum misce fecula, quæ in destillatione spiritus vini, separato etiam phlegmate, & seruato, reliqua est. Calcina vtrumque secundum artem. Ex calce per phlegmaticam aquam in destillatione residuam extrahe salem. Debet autem phlegma summa puritate esse, & volatile. Extractiones filtra: coagula per destillationem. Solue iterum per phlegma, & coagula, idque repete tertio, aut quousque solutio nullas relinquat feces, quod deprehendes, si singulis adieceris suas digestiones. Nam non prius debes filtrare, quam sedimentum sit factum, & tunc purus liquor etiam lacinüs potest segregari. Verum sæpe non relinquitur spacium digerendi. Itaque contenti sunt laborantes filtratione per chartã rudem non glutinatam. In hac cum non amplius vident sordes, satis purgatum salem putant. Hic vt animetur quasi, & nobilissimus euadat, ponitur in cucurbitam, & perfunditur quinta vini essentia seu spiritus vini (nõ n. elaboratur summo gradu) *quatuor partibus* (*salis est pars vna: quintæ essentiæ quatuor.*) *Digerantur vase clauso. Deinde leni igni abstrahatur humiditas per destillationem: sique gradum debitum obseruas, exire debet humiditas aquea, & insipida. Nam corpus suam animam recepit, retinuitque, vt nihil de ea nisi violente possit recedere. Postquam humiditatem aqueam separasti, sali animato in cucurbita affunde nouum vini spiritum secundum proportionem. Digere. Destilla vt prius, repeteque istum laborem, donec spiritus aquæ fortis prodeat, quam est infusus. Hoc enim signum est, quod corpus non amplius sitiat, neque indigeat potione vlteriore, cum non recipiat plus quam natura eius requirat. Impone tunc alembicum, & in cineribus sublimationẽ institue. Ascendet flos salis tartari ad similitudinem caphuræ, quem collectum diligenter custodi. Nam conducit ad aurum potabile per menstruum vegetabile faciendum*, qua de re habes *in syntagmate* ex Lullio de auro vegetabili, quod proponere volebat etiam Quercet. *c. 6. de prisca medicina philosophorum materia*, & Penotus *in chymicis* titulo magisterii tartari, cuius ope putat *aurum in primam materiam reduci* posse & datis tribus granis ex conueniente liquore *omnes ægritudines sanari*, si quæ scil. isto medicamine vinci possunt, ne hyperbolen Paracelsicam te audire credas.

Catholicum hyperbolicum.

Quer-

Quercetani supplementum de salib.

Quercetanus voluit hoc quoque artificium *in sua spagyrica pharmacopœia* declarare. Ita enim loquitur *in pharm. p. 625. Quomodo sales in olea transmutentur, & è fixis volatiles per solam propriæ aquæ mercurialis additionem reddantur, & potentissima remedia ad varios vsus educantur, requirit sublimiorem considerationem, &c.*

Quod ergo ille reliquit, hic exemplo Tartari tibi scito esse repositum. Nominat quidem aquã mercurialem: Sed tu intellige primum phlegmaticam, per quam fit extractio salis: Deinde essentialẽ, quæ animam simplicis auexit, cogiturq; eam postliminio suo corpori reddere, vt & *in magno magisterio sapientum.* Quando de compositis essentiis agemus, recurret hic modus perfectius. Nam omnes partes extractæ ex simplici ibi denuo copulantur, vt fiat Elixyr, quem Andernacus *Clissum* dicebat: Philosophi vero & arcanorum Professores *ex triade vnitatem fieri dicunt: alii circulum ex quadrato* propter elementa quomodo in istis floribus *monas ex binario homogeneo* nascitur.

Clissus. *Monas ex ternario & binario.* *Circulus ex quadrato.* *Flores marcasitharum.*

Porro *flores* etiam dicuntur *fumi metallorum* concreti, solentq; *ex marcasithis duæ species* elici; vna *sulphurea*, quæ igni mitiore proflatur, altera *mercurialis*, quæ flamma violenta surgit. Sed hi flores vt assequantur nobilitatem essentiæ quintæ, amplius sunt elaborandi, abluendi nimirum vini spiritu & denuo in sublime cogendi, sique aliquid impuri vna esse deprehendimus, retinacula fixa adiiciemus quale est *talcum, seu magnetis, asbestus* & similia. Aliquibus addendæ sunt *ala, seu vehiculum*, quo facilius eleuetur flos essentialis, quo artificio geber *ferro*, ferrique lapidi apposuit *arsenicum, aut tutiam seu cadmiam. Est cum sales volaticos adiicimus*, qui facili arte possunt separari, vt cum *calcem stibii* miscemus *sale ammoniaco* sublimato & vna in altum scandere compellimus.

Ex cadmia erosa veteres florem eliciebant coniectis fragmentis in concameratas fornaces. Multa in florem violentis ignibus rediguntur, etiamsi is non alte ascendat sed superficiem non excedat: prima opera, vti fit *flos martis, Iouis, lithargyri, lapidum* in thermis, aliisque aquis ferinis concretorum, quorum florem conspicimus etiam aheneis innatare, & spumæ instar à scaturigine profluere. Cum quibus floribus sunt spiritus turbatores, nimiumque ignei, illos abluere rosacea conuenit, iterumq; atque iterum sublimare.

Flos Lochi & spuma martis.

Quosdam figimus lentis ignibus, veluti cum *flos marcasitha, aut calaemi* spiritu vini ardente perfunditur aliquoties, & incensus restinguitur. Est & *aceto* tum ablutoria virtus, tum fixatoria. (a) Vt *contra hæmorrhagias, & fluxiones* præternaturales *remedium* præclarum habeas, *cape lapidem metallicum quod enneaphryges dicimus. Calcina in reuerberio: vel etiam aqua caustica. Calcem adiecta cadmia erosa sublima. Sublimatum extrahe per spiritum aceti, præmissa tamen ablutione, vt spiritus nimium volatici detergantur. Extractiones coagula, & addito sale ammoniaco sublima. Sublimatos flores elue, vt dulcescant, exsiccatosque repone. Ferri vero spumam contritam crema in reuerberio ad rubedinem. Deinde extrahe per acetum stillatitium per modum tincturarum. Extractum ablue aqua pluuia stillatitia. Exicca. Misce cum vehiculo aliquo, vt sale tartari, vel vrina vel ammoniaco. Sublima, Sublimatum rectifica, & in reuerberio vre. Cum vsseris, elue aqua stillatitia: quod per aquam non segregatur, denuo vre atque ita perge, donec sufficientem florem habeas, quem poteris amplius elaborare extrahendo per quintam vini essentiam, & extractiones in Pelicano circulando, donec quicquid terreum & graue est secesserit, manserieq; sola essentia quinta, leuissima, subtilissimaq;.*

Tales flores etiam cum naturalibus aquis sæpe protruduntur, sed rudiores: quos si elaborare velis, essentiales feceris. Simili arte tractatur *ochra, rubrica, bolus, terraq; sigillata* cum affinibus.

Flos magnetis & similium.

Flos *magnetis & hæmatitæ & schisti nodi. Lapides hos crema in reuerberio, vt calcinentur probe. Extrahe partem subtilissimam per acetum terebinthinatum modo tincturarum. Filtra extractiones & coagula. Coagulatum misce halinitro. Pone in ollam, super quam pendeat campana vel galea ferrea. Incende halonitrum, vt deflagrans secum in altum vehat florem lapidum, qui adhærens galeæ postea detergatur. Potes & cucurbitam ventricosam cum tubulo inter prunas collocare, & particulatim iniectam misturam in halitus resoluere. Sed oportet collum eleuatius esse, & firmo capaceque alembico rostrato instratum. Si libet, in ouo philosophico idem procura, relicto exili foramine ne spiritus disrumpant compagem. Hi flores collecti abluuntur, & per spiritum vim etiam in alembicum cogi, aut per retortam prolici queunt.*

(a) Fixio ista alias fit crebra sublimatione, vel artificiosa reuerberatione per leuem calorem lento progressu, donec spiritus volatiles abscesserint.

Capvt XXIIX.

De aqua, oleo, sale & terra virgine, quam alicubi foliatam dicunt, primumque de aqua stillatitia.

INtentus fuit hactenus chymicus, quo modo omnem vim aut saltem præstantissimam essentia vna extracta omnibus elementis. & cohærentibus præstabiliore comprehensam ex materia mista eliceret, & Medico ad bene medendum sisteret, quanquam aliquando occurrerint etiam partes distinctæ. Nunc ex professo suscipit diuulsionem, intenditque *ex vno misto tres essentias discretas*, licet non omnes pariter efficaces, nec iisdem omnino qualitatibus affectas parare, atque insuper etiam *quãdam terram virginem, à terra damnata* differentem producere.

Diuersitas materiarum in reddendis essentiis trib.

Non tamen semper ex vna materiæ portione efficit omnia, nec æquali in omnib. mole. Sunt .n. quædam magis mercurialia, in quibus parum sulphureæ naturæ inuenias: quædam cõtra magis sulphurea,

phurea, minus autem mercurialia: aliqua salis vim maximã habet. Quædam ẽt per se reddunt totidẽ essentias: quædam propter commodiorem præparationem & vsum opus habent externo adiumento, tanquam vehiculo, aut corpore, vt quæ arefacta sunt, in quibus coagulata est essentia propter cõgenitum humorem exiccatum. His instaurate conuenientem oportet, vt resolutam essentiam suscipiat, deuehat, & custodiat, donec ad vsum transferri possit, in cuius electione requiritur industria, & experientia, per quam constat, quæ quibus sint familiaria, vt pinguia pinguibus, mercurialia mercurialibus, ita comparata, vt excessu virtutis propriæ aduenientem non destruant, estque consultissimũ curare, vt sic se habeant, *vt materia nuda potentia: aut vt intellectus, qui est instar tabulæ nudæ*, vt possit omnia fieri: aut vt oculus & speculum coloribus priuatum, quod tamen omnium sit susceptiuum: aut vt aqua simplex per se quidem actu insipida, omnium tamen saporum capax, qualem suam quintam essentiam itidem proponunt Lulliani. Est autem illa materia in plærisque nominatim expressa: Et si cubi non est, chymicus Tyro iam nouit *mercurialia mercurialibus, sulphurea sulphureis substernenda* esse, quæ, vt materia nuda, formam suscipiant: vel vi sua vim accessoriam non lædant, sed potius augeant, & iuuent. Siue ergo iam per se sufficiens est materia, siue auxiliaribus copiis indiget, quæritur in ea *vna parte essentialis, quam* SVLPHVR *vocant essentiale*: *alia, qua essentialis* MERCVRIVS: *tertia, quæ* SAL *essentialis, tria nimirum principia potestatum efficacium* iuxta artificum sapientum distributionem & censurã. Non enim plures, aut alias essentias in virtuoso misto inueniunt, quibus inesset aliqua pars proprietatis formalis. *Tria principia essentialia.*

Qui salem, sulphur & mercurium elicuit, omnem vim essentiæ exhausit, nec superest, nisi *Elementa vacua*, quorum duo duntaxat magistro se sistunt, *terra, & aqua, passiua* scilicet *& materialia*, reliquis duobus in conspicuo euanescentibus. Terram simplicem Falloppius negat à Deo creatam esse. Quæcunque enim ostenditur, aut occurrit sensibus in natura & arte, mista est, aut ex mistis destructis prodiit. Chymici tamen hanc quoque distinguunt. Nam impuram vnam & sordidam deprehendunt: alteram puram, & elaboratam, (*a*) quam cœlo compatant, atque etiam cœlestem vocant, Lunæ maxime conferendam. Nam & illa TERRA cœlestis vocatur, & *virgo*. Hæc terra postea fit primum fundamentum, stabilimentumque essentiarum cæterarum, cum sit fixa, & amico quodam appetitu, familiarique affectu recipiat iterum, quæ non ita dudum essentialis elaborationis causa dimittere ad tempus tanquam corpus animam fuit coacta. Quidam chymici ista nominibus elementorum declarant, maxime qui in Platonis schola & Hippocratis educati *quatuor tantũ rerum materiatarum primas naturas agnoscunt.* *Terra duplex.* *Quatuor naturæ essentialium mistorum.*

Terra virgo, quæ fixa est, cum suo sale infimum locum obtinet. Inde sequitur *liquor aqueus*, quem mercurium appellant alii: Post hanc est *oleum aereum* purum & perspicuum, quod & *spiritus*, sicut aer vocatur, quanquam alii eum æetheri comparent: *Vltimus est ignis*, non ille elementaris flammeus, sed cœlestis, quanquam incensus in flammam euadat, sicut olim cœlum ipsum inflammabitur, id, quod & aereus spiritus aliquando patitur. Verum hi analogismi nihil adimunt rerum naturæ, *liceatq; chymicis vel per astra loqui, vel elementa, vel nomina illa symbolica metallorum mercurium salem, sulphur, terram virginem*. Vt supra dictum est, *omne inflammabile* appellatur *sulphur*, etiamsi alias æetheri, aeri, vel igni comparetur & vocetur spiritus inflammabilis, oleum aereum, oleum igneum, aut æther, aer, ignis: Quod virtutem essentialem rei habet, estque aquæ simile, nec inflammatur, *mercurius* est, non illud argentum viuum metallicum intelligendo, sed liquorem essentialem purum, qualis est mercurius philosophorum ex vnctuosa humiditate resolutus in putrefactione physica. Quicquid concretum est, & in humido soluitur, *sal* audit. Quæ vero coniunctim elaborata sunt, citra diuisionem partium essentialium, prout accedunt ad aliquod istorum, ita in censum veniunt: vt spiritus mercurialis, sulphureus, salinus: flos mercurialis sulphureus, salinus, & sic de aliis. Vulgares officinæ relictis nominib. symbolicis, quibus delectantur Hermetici, *aquas, olea, sales* nuncupant. Eraquas quidem cum adiectione *stillatitiarum*, quæ fere per destillationem separantur: ascensorie, descensorie, lateraliter: Ita *olea stillatitia*, ad differentiam aliorum, quæ fiunt expressione, infusione, coctione. Sales nomen acceperunt ab herba kali, & vulgo quidem suum vocabulum retinent, Hermetice vero nuncupantur *Alkali*. De his omnibus consule Alchymiam cum commentariis, & Quercetani disputationes: Item Zuingerũ de de principiis, Alchymiam triumphantem & alios libros, quorum multi passim extant. Iam satis sit paucis instruxisse pharmaceuticum chymicum, ne disciplinæ obseruationes & proprietatem ignoret, aut otiose prætereat. *Sulphur essentiale.* *Mercurius.* *Sal.* *Aqua stillatitia.*

Aquas stillatitias parant vulgo per vesicam affundendo herbis & plantis aliis, earumq; partibus fontanam, aut pluuialem aquam, aut quamcunque elementarem: etiamsi recentes sint. Siccis aliquando aquam, aliquando vinum, aut succum quempiam apponunt, quæ non libet repetere. Quam inertes, inefficaces, & breui putrescentes aquas parent, notum omnibus & lippis est, & tonsorib. solentque officinarum aquas irridere, & explodere vel coqui, & balneatores. (*b*) Nos *tria genera rerum mistarum ponimus*, ex quibus aquas mercutiales petimus: *Humidum, aridum, mediocre*. Humidum intelligimus, vel quod liquidum est, vt vinum, mel, sanguis, oleum, vrina, hydromel, &c. vel quod succulentum, vt sunt herbæ recentes, flores, fructus, cortices, radices, &c. quæ succum abundantem habent. *Aridum* dicimus aut arefactum, vt herbas siccaras, aromata, &c. aut sua natura exuccum, vt est sericum, concha, cortex, metallum, lapis, gemma, &c. quorum tamen quædam concretam humiditatem includunt, possuntq; eliquari calore, vel vaporibus resolui: Illius generis sunt adipes, succinum, sulphur, cera, &c. huius sales & salium naturam habentes. Liquantur & metalla & lapides quidam, sed humidum separabile destillationibus non habent.

Ideo potentialibus ignibus funduntur. Sed & pinguium quædam resoluũtur oleis, vel liquaminibus, vt butyro, &c. Alia aceto, vino, aqua, vt gummata, &c. quorum omnium naturas chymicus

debet exploratas habere, vt sciat ex quibus,& quomodo aquas possit elicere. *In mediocrium censu sunt, quæ viscosum habent humidum*, vt ligna, præsertim firmiora, quæ siue recentia sint, siue arefacta, per se parcum habent humidum.

Aqua liquidorum. Ex liquidis mercurialibus, aquam destillatu euocare facilis est operæ. Ex sulphureis, vt oleo amygdalino, oliuarum & aliis recentibus expressitiis item non arduum, modo scias separare, si quid olei spirituosi prodiit. Talium aqua ante elaborationẽ fere *phlegma* dicitur: separata vero aquositate, iam est essentialis. *Humidæ herbæ, & succulentæ radices*, contereodæ sunt: succus exprimendus. Hic succus porro nouis contritis additur, & vna denuo exprimitur, quod fit etiam tertio, pro vt succus est aquosus. Cum satis habes succi, destillatio aquam à spissamento, quod seorsim elaboratur, separat, & rectificatio per repetitam destillationem elementarem aquam ab essentiali dirimit. *Si parcioris est succi res*: vt ruta, saluia, &c. ex contusis elice aquam, quæ vt eo promtius decedat, irrigatio ex rore destillato, aut pluuia stillatitia incocta eadem herba, aut saltem infusa, facit. Si ad manum est stillatitia annua adhuc tamen incorrupta, hæc adiicitur, & commaceratur. Interdum vini aliquid addimus. *Aquæ destillatæ infundenda est noua herba, & in digestione aliquo vsque relinquenda. Tunc destillanda, fitq́ auctior virtute.* Cauendum autem sedolo *Empyreuma est, vt & mala vasorum qualitas*, quam sæpe attrahunt res acres, quæ etiam ramenta, & calces à dispositis, vt metallicis, abstrahunt. Ideo in vitreis organis, & balneo roris, vaporisue procuratur destillatio.

Phlegma.

Succulentorum aqua.

Alius aquarum modus. *Alius modus est*, cum contusas materias, & si parcius habent humidum, commodo liquore irroratas includimus doliis exacte claudendis, & in putrefactione aliquandiu relinquimus. Peracto iusto tempore vel expressum succum destillamus, vel totum. Destillatum rectificamus elementũ aquosum separando. Conuenit tunc aliquid spiritus vitrioli addere, aut aquam vitrioli ex phlegmate & spiritu vt in floribus rosarum rubrarum. Alii tartarum aut salem paucum propriæ herbæ addunt, ne destructiua putredo oriatur. Etenim chymica putrefactio debet esse tantum solutiua, & perfectiua, vtpote cum maturatiua coctione coniuncta. *Hic modus potissimum valet, cum tria principia ex re vna aut elementa quatuor extrahere placet.*

Plures sunt rationes & modi, quos *alibi* attigimus, quique io vulgatis libris copiose occurrunt. *Sit res, ex qua aquam petimus, arefacta*, vt cinamomi cortex & alia aromata: Item lignum sassafras, radix sicca elenii, cortex guaiaci, absynthium, ruta, ocymum, &c. sicca: modi sunt aliquot pro aquis artificiose educendis. *Primus est* descensoria destillatio, qua *oleum, aqua & spiritus* simul fiunt, potissimum in lignis & corticibus commodus: sed quo propter ignis violentiam in aquis non vtimur: nisi præmisseria in ollam recipientem indita: quæ recipiens, cum tertius gradus instat, sit euacuanda. Postea aqua à phlegmate separatur. *Secundus est* maceratio in accommodato menstruo, vt vino, aquis stillatitiis cõpetentibus: aquis aromatum, & seminum, quibus mediis olea elicuimus: Et hæ sunt optimæ, si propriæ: vt *si aquam ex guaiaco cupimus, rasura vel limaturæ eius affundimus vel decoctum guaiaci, vel aquam separatam ab oleo eius, cum fieret: vel stillatitiam ex decocto.* Maceratio pro firmitate materiæ ordinatur: Et additur in festinatiooe coctio proportionata, Alias sola infusio melior est, si fiat iusto tempore, & nihil maligni halitus in materia. Vbi suspecti sunt spiritus, coctio præfertur infusioni. Ad oleum autem & decoctum eligitur pluuia stillatitia, vel ros destillatus, vt possit, quod φλεγματικώτερον est, post destillationem in rectificatiooe separari.

Hic habere simul succum potes, cuius gratiã etiam maceratum valide exprimitur. Tertium ponimus decoctionem in diplomate (c) si res sint coctiles. *Ius expressum destillatur* ad succi spissitudinem. *Aqua*, quæ destillatione exiit, rectificatur destillando ad tertiam, dimidiam, vel duas partes, pro vt spirituosus est liquor, vel non aut etiam pro tempore conseruationis. *Quartus* naturæ respondet estq; duplex: Aut n: *per vaporationem* humectatur conglutinatus & exiccatus in simplici balsamus in diplomate grosso modo tusam materiam suspendendo super menstruum bulliens: aut contritum mediocriter corpus irroratur non nihil aliquo liquore: maceratur: versatur, subigiturque atque iterum relinquitur in digestione, donec cooiicimus humidum radicale resolutum esse. Deinde sine expressione in cucurbitã iniecta materia modico calore destillatur vsque ad siccum. Non quidem est ea res pro fraudulentia officinarum: Veruntamen artis decretis satisfacit: Ita possumus aquas ex aridis animalibus & vegetabilius elicere, propter vesicarium illum modum. & insolatorium mulierculаrum. *Quintum numeres illum, qui obiter accidit oleis*, qui & ipse est duplex. Verbi gratia: *Ex amygdalis amaris*, aut dulcibus, aut bacacis lauri, similibusque, præcedente tritione, calefactione, interdum & coctiooe colligitur, exprimiturue oleum. Hoc secũ habet humiditatem mercurialem. Separa eam primum maceratione, seu circulatione, deinde destillatione, cauendo raocorem, quod vt facilius fiat, nihil oberit spiritum nitri, aut vitrioli adiecisse.

Aqua ab oleis expressis secreta.

Aqua guaiaci. Aliter ex siccioribus oleosis: *Limatura guaiaci perfundatur pluuia stillatitia multa. Digeratur, aut coquatur bene. Deinde destillatio fiat in vesica, adhibitis serpentinis. Destillatum separato prius, si quod exiit, oleo, reddatur reliquiis in vesica. Maceretur iterum per noctem. Destilletur secundo. Oleum separa* (quãquam tunc aliqui non destillent, sed tantum colent & exprimant fortiter.) *Feces sepone pro calcinatione ad salem. Aquam, à qua oleum separasti, funde super nouam rasuram, & procede, vt prius. Tandem totum menstruum in cucurbitam cum alembico immitte, & tertiam duntaxat partem elice. Hæc erit aqua guaiaci.*

Phlegma reserua pro nouis infusionibus, vel eiusdem ligni, aut corticis, vel sassafras, sarsæ pariglíæ, chinæ, &c.

His quinque modis potest chymicus contentus esse io parandis aquis stillaritiis: & frustra fit per plura, quod paucioribus potest bene procurari. *Vulgarem herbarum ex vesica destillationem, nisi diligentius fiat, quam officinæ consueuerunt, expungendam censemus.*

Sit res dura, qualis fere mineralis, vt quæ salis naturam habet: & quæ succi concreti: & quæ lapidum: aut metallorum. *Sales, & calces solubiles deliquio diffluere in sudorem in vapidis cellis, aut vesicis super aqua vapori, vel in fimo, aut vaporario chymico ex herbis, &c. sinuntur. Destillantur liquores cum cohobiis. Fit inde essentia olei, aut spiritus, aut quinta natura merito: Phlegmaticus liquor pro aqua est.* *Durorum destillatio.*

Nam vim aliquam in opere assumit, quanquam tales aquæ sæpe negligantur. *Calces & sales aliquando raphanis, bryoniis, cochleis, limacibus, &c.* soluuntur. Inde postea aquæ destillantur. *Tartarum, sal tartari, alcali,* & alii sales, item halonitrum, alumen chalcanthum, quæ aquam suo complexu continent, sæpe numero miscentur argillis, & destillantur sicce. Spiritus, oleum, & aqua fere simul exeunt, quæ separatione facta rectificantur. *Gemmæ* aliique lapides per sua menstrua soluuntur, aut calcinando in naturam salium transmigrant. *Spiritus* est cum aqua. Separari quidem solent, sed magis spiritus vsurpari. Pinguia, vt sulphur, succinum cum similib. oleo amygdalarum dulcium eliquata, aut per se quoq; addita argilla, calculis, testis, vel grumis lateritiis aut silignis destillatum oleum, spiritum, & aquam præbere potest: sed aqua plærumque non curatur, licet & hæc vim simplicis sui attraxerit; maxime si destillarur cum rosacea, vel rore, aut pluuia stillatitiis, vt est apud Euonymum, & Crollium in *oleo succini, vbi rosaceam & aq. de Bethonica adhibet.*

Metallicorum aquæ vel ex mercuriis eorum per detonationem in cādefactis ollis fiunt, quā ratione argentum viuum in aquam mutatur: vel ex venis: vel calcibus, & salibus, &c. Quæ sublimantur à sale, alumine, chalcantho, destillata etiam peculiares exhibent aquas. Sed nolumus ista prolixius prosequi, cum sæpe spiritus vicem aquarum suppleant, præsertim cum non sunt à phlegmate omnino separati, vt spiritus vitrioli phlegmaticus: spiritus sulphuris vapore aquæ aut cellarum ex sua campana, aut galea resolutus, &c. Experire iam exempla singularia. *Aqua metallicorum.*

Aqua spermatis ranarum: gerynorum, ranarum ipsarum, lumbricorum terræ limacum, &c. Cape ista. Contunde, addito pauco tartaro repurgato, aut spiritu salis petræi. Cola. Colatum destilla. Destillatum rectifica. Habes aquas istorum. Si diuturnitati vis consulere: expressum succum ad purum elabora per digestiones semper crassas feces amouendo. Liquorem purum coagula in gluten per destillationem abstracta aqua. Hanc spiritu vitrioli misce; & circula, vt diu possit durare. Gluten arefactum serua, sed cauendo verminationem, quod assequeris, si allines nonnihil olei sulphuris, vel abiegni, aut cedrini. Si vti velis; resolues gluten propria sua aqua: aut si hæc periit, competente. *Aquæ animales.* *Gluten.*

Aqua alkekengi, cerasiorum, periclimeni baccarum, fructuum vitis idea, fragorum, &c. Ex contusis exprime succum. Cola per filtrum. Purga per desidendi modum, vt semper fex auferatur. Cum nihil sidit: destilla, habesq; succum, & aquam simul. Tantum de aquis. *Aq. Vegetabiles fructuum succi plenorum.*

(a) *Hæ duæ terræ ex comparato sic dicuntur. Possis & vnam elementarem, alteram cœlestem appellare, vt vtraq; quodammodo simplex, vti occurrit sensibus, intelligatur.*

(b) *Officinæ cum habeant dispensatoria sua, Matthiolum, Euonymum, Brunfelsium & fere infinitos monitores, tamen aquas stillatitias faciunt negligentissime, estque id opus plerunque puerorum & ancillarum tyrocinium.*

(c) *Hanc Quercetanus in tract. de lue venerea, vbi de guaiaco agit, nonnihil reprehendit, quod spiritus perdat: & videtur alicuius momenti esse argumentum, de quo alibi.*

Capvt XXIX.

De oleis.

Olei termino chymicorum *sulphur* intelligitur. Sed illi dilatarunt vocabuli significationem, *& olea vocant etiam liquores* per resolutionem calcium, aut salium: item *spiritus densatos in olei formam; quas oleitates* dicunt (ἐλαιοειδῆ, seu ἐλαιώδη) quanquam sint mercuriales, salinæ, vel etiam succi totius naturæ. Ita *spiritus descensorios* nomine olei comprehendunt. Sed cum sulphuream essentiam velimus, liquidam eam esse & fere pinguem; inflammatilemque vel per se vel cum ellychnio; oportet, vt sit oleum. Alias enim *resina* est, aut *balsamus* coagulatus, vel *vnguentum, vel butyrum,* quibus appellationib; *olea concreta,* vt macis, nucistæ, anisi, & quæ frigore coguntur, designant.

Materiam suppeditat triplex rerum mistarum genus copiosam. Nam *in animali* variæ sunt partes humido balsameo pingui, & caloris natiui subiecto, pabuloque refertæ, adeo, vt ex ossibus quoque olea suppetant, nedum ex carnib. medullis, adipe, lacte, vrina, stercore, sordibus & aliis excrementis. *In vegetabili* sunt radices, cortices, ligna, flores, fructus, semina oleosa, &c: ex quibus nonnunquam etiam efflorescunt oleosæ quædam consistentiæ, vt gummata, lacrymæ, succi. *In minerali* etiam fontes olei reperiuntur, & scaturigines, vnde petroleum, naphtha, halosanthos, (d) ambra liquida, sulphur liquidum, bitumen liquidum, & similes pinguedines, quæ etiam concretæ inueniuntur tanta copia, vt harum merito flagrent montes, nec non maria aliquando arserint, & mundus tandem sit in fauillam, lacumque sulphureum abiturus. Magna pars etiam inclusa est mistis, vt venis metallicis, metallis ipsis, marcasithis, marmoribus, &c. Imo ne calces quidem & cineres, salesq; sunt sine sulphurea portione: cumque iuxta chymicorum placita *nullum sit mistum absque sulphure,* erit & in mercurio minerali, gemmis, silicibus & cæteris.

Non tamen etiamsi potentiam artis habeat, in omnibus elaborat magister, sed adhibito iudicio medico eligit materias necessarias humanis vsibus, & ex aliquibus facile oleum eiicit ex aliis difficilius, nec nisi præparatione conueniente præmissa.

Non legit elementis mundanis similima, vt nec ipsa elementa simplicia, nisi forte aquis, aut terris innatent, aut contineantur confluxu fortuito circa mistionem naturalem pinguedines, sicut

petroleum innatat aquis, aut combibitum est tertis, arenisue, vnde separatio facilis esse potest etiam inartificiosis modis, nisi cum calcibus, cineribus, fauillis, arenis, &c. haustum est oleum, vt opus sit separatione destillatoria, habeaturque materia pro misto. *In crudis*, & adhuc aquosis plantis immaturisque earum partibus non nisi laboriose tandem inueneris oleosam naturam. *Matura & cocta, viribusque efficacia sunt assumenda.* Iudicium odor, sapor, visus & experientiæ argumentum cum ratione cõiunctũ informant, *cum multa sint, in quibus sensus externi deficiunt: sed ratio & experientia sulphur inesse persuadent.* In quibus oleum cum multo humido elementali est, procuratur huius deminutio: Mercurialis liquor prius euocatur, & deinde phlegma, & mercurius possunt esse pro menstruo. *Ad actum aliquem latitans oleum perducendum est, ante quam segregari* commode queat. Ideo & comminuuntur solida, vt aditus sit ad latibula per aliquod menstruum, nisi ex se copiam reddant, vt liquabilia. *Lignea, aromatica & similia halituosa nimium teri vetamus.* Nam oleositas in halitum consumitur. Inutilis est contusio puluerulenta: Conducit fractio (vt corticum) & sectio cum mediocri contusione: Item rasio per scalprum, &c. de quibus consule syntagma nostrum. In metallicis & lapideis, fractionem peragunt aquæ soluentes, si res non fluit ignibus, nec per se halabilis est. Ibi tritio quoque locum haber, quia non est dissipabile, & nimis volaticum sulphur, sed bituminosum, & tenax. In aliquibus studiose cauendus confluxus (*b*) est, & fixitas, vt in salinis, & metallicis, quanquam non omnibus. Alias nõ halant; si non halant, nec oleum reddunt. Potest autem præparatio, & additamentum ex non halabilibus per se, halabilia reddere. Quorum oleum fere in proparulo est, vt aliquando etiam exprimi possit, iis substernitur vehiculum additis aquis fontanis, pluuialibus, decoctis vel stillatitiis competentibus, satisque est aliquando vel sola vaporatio. Verum non instituimus hic prolixam omnium enarrationẽ, quam & *in syntagmate* inuenies, & in pluribus artificum aliorum etiam specialibus commentariis.

Formalem causam oleorum postquam natura potentiam dedit; procurate in chymia artificem chymicum constat. Ea consistentiam habet olei ex oliuis expressi, si est actu oleum, & non ex accidẽte aliquid passum est, vt coagulata frigore, & quæ nondum penitus sunt elaborata, sed butyracea spectantur: Item quæ non liquata sunt caloris excessu, quæ licet specie fluxus, & pinguedine gustus, tactus, & visus oleum referant, sicut argentum, & stannum fusum repræsentat argentum viuum: tamẽ olea actu non sunt. Ab olei oliuarum forma, & habitudine per se etiam aliorum succi pingues, si similiter se habeant, dicti sunt olea, quibus accesserunt quædam analoga. Dum in forma elaborat artifex vtitur suis instrumentis, vt vasis destillatoriis, prelis, colis, calore resoluente, &c. de quibus *in syntagmate.* Vtitur & menstruis, quorum *paulo ante* facta est mentio, separabilibus quidem, si purum velit: Inseparabilibus, si mistum. Non contentus est prima opera. Quem consecutus est oleosum humorem, à menstruo colligit, si aliquandiu facta quiete sua sponte secessit: cum opus est, vtitur cobobiis, & reliquum quoque exhaurit, aut menstruum noua materia imprægnat macerando, infundẽdo in suum mensem, coquendo, pro vt expedire iudicat, idque etiam in principio procurat, maxime instituta putrefactione cum vno opere plures essentias venator. *Olea collecta corrigit, seu rectificat*, veluti
Rectificatio oleorum. *si Empyreuma contraxerunt*, aquis rosaceis, stillatitia pluuia, vel simili perfundit: *abluit*, quo modo Bulcasis oleum suum album, purumque reddit: vel post competentem macerationem destillat vna cum menstruo, & si opus est, nouo addito denuo digerit, destillat, quo ad satis. Quædam, quæ nimis validos & fugaces spiritus habent, etiam dispirare in aere libero sinit. Si forte euaserunt nimis crassa, & resinosa, aqua fontana vel, quod melius, ex recentibus aqua separata, vel etiam oleis ipsis dilutis iungit & pro re nata ebullire sinit, iterumq; destillat & separat. Si aquositatem, aut spiritus secũ habent, destillatione segregat. Si tincturas habent preciosas, per vini quintam essentiam eas exhaurit, & separatim elaborat. Si vult exaltare, & ab omni feculentia purissima reddere, circulat in Pelicano vel per se, vel cum aqua commoda. Ex crassamentis combustis, vel calcinatis cum proprio phlegmate, aut menstruo salem extrahit, eumque suis legibus absoluit. Vtitur destillatione ascensoria descensoria, vaporatione, & prelo item extinctione, infusione, coctione, circulatione, colaturis, vstulatione, deliquio, attenuatione per ignitas testas, calces, conchas, & aliis operationibus conuenientibus efficitq; olea varia.

Quoddam est *exaltatum* ad naturam cœlestem: quoddam *rudius relictum*, estque hoc *materialius*,
Varietas oleorum. illud *formalius*. Censetur aliud *æthereum*, aliud *aereum*, aliud *igneum*, pro vt cum his habet analogiã. Est *pingue* gustu & tactu: Est *acrius*, quod pinguedinem occultat: Vnum *volaticum* alterum *fixum: liquidũ, coagulatum: expressum, excoctum*, infusione, & putrefactione elicitum: deliquio factum: vstulatione separatum, insolatu productum, stillatitium: seu vt Mesue loquitur: vnum *solutum*, quod essentia ipsa chymicum, & per resolutionem seu ex occulto manifestationem & extractionem fieri dicitur: *alterum per expressionem*, quod officinale, & plebeium: *tertium per impressionem*, quod commune est chymiæ, & officinæ vulgati.

Quod *philosophorum* appellant, communiter lateritium nominatur, & à Mesue ad *sapientũ magisteria* refertur: vnde intelligimus, esse ōrialia olea etiã fieri combibitione ignitorum, & reuocatione per validam destillationẽ. Talia olea fiunt *Naphthæ* similia. Quædam olea miscentur suis menstruis, nec secedunt, nisi digestione, vel insolatione, aut crebra destillatione. Ita *vini spiritui, & aliis ardentibus suum oleum inuisibiliter inest*: Aquæ cinamomi innatat partim, partim specie alba commistum est. Descensoria, & per vstulationem seu anthracismum facta, sunt cum spiritibus descensoriis, & liquore acri, qui exit, cum carbones fiunt. Similiter se habet fuligo, & humiditas caminaria: Item quæ assatione eliciuntur ex animalibus & eorum partibus. Omnia ista partim cõmentariis comprehensa sunt, partim vsu discuntur. Ad singularia quod attinet, inueniuntur copiose apud alios descripta. Tyronem saltem vno atque altero exemplo exercuisse sufficit.

Oleum Ebulinum.

Semina Ebuli perfectæ maturitatis mediocriter confringe. Perfunde aqua calente decupla addito pauco fermento. Digere per octiduum. Destilla per vesicam cum serpentinis, & cupa refrigerante. Oleum natans separa. Aquã redde reliquiis in vesica. Macera. Distilla denuo. Aut vt compendiosius procedas, affusa parte aquæ contunde & exprime. Expressum digere, & oleum collige. Aquam spirituosam iterum imponere vesicæ iam mundatæ potes, aut cucurbitæ vitreæ includere, & spiritum leni destillatione separare. Is erit pars decima, vel septima, vel pro viribus etiam tertia. Residuum phlegma seruiet tibi pro menstruo ad nouum semen, seu ebuli, seu sambuci. Crassamentum in cineres redige, & addito cinere ex aliis ebuli partibus salem extrahe per phlegma idem. Ita habebis principia tria. Solent & grana matura exiccataq; coqui multa aqua: Inde oleum exiens separari: Et quod restat, exprimi. Quidam contusa vaporant, exprimuntque. Oleum rectificant. Similiter pergere potes in similibus.

Oleũ Ebuli.

Spiritus Ebulinus.

Oleum Ceræ.

Ceram rasam vapora fumis seu resolutione petrolei aut butyri eliquati, aut olei amygdalini, aut spiritu vini, aut iuniperi, &c. in diplomate, ita, vt cera sacculo raro inclusa vndiquaque penetrari possit, neque tamen calor tantus sit, vt liquescat. Euadet instar butyri. Tunc adiecto silicum puluere, & particulis nonnullis plumbi ex alembico destilla. Pix butyro solet includi, & aliquandiu macerari, donec mollescat. Inde destillatur.

Oleum ceræ.

Oleum Picis.

Oleum Tartari.

Crystallos tartari misce silicibus, & destilla, vt oleum salis per gradus ignis. Spiritum & oleum simul accipies. Oleum separa, quod potest etiam inter destillandum fieri mutatis receptaculis. Spiritum per se rectifica, addita parte aliqua spiritus acidi sulphuris. Primumq; fige in cella, ponendo in arena humida, deinde bis terve destilla. Oleum miscetur aceto stillatitio: digeritur: destillatur ex retorta cum aceto quod, vt Crollius loquitur, *Empyreuma recepit:* sed oleum aureum sine fœtore sequitur. Alias *liquor calcinati item oleum vocatur. Hunc liquorem perfunde vini spiritu, & aliquoties destilla.* Nanciſceris oleum præclarum. *Si scis calcinare* Tartarum sine igni, vt in offam pinguem mutetur, (quod fieri poterit aceto acerrimo sæpe addito & reuocato à tartaro crystallisato: & aliis menstruis, vt terebinthinato aceto, &c.) itidem bonum oleum adipisceris. *Vel cremorem tartari diu digere cum quinta vini essentia sæpe mutata* (si placet imbibe calcinatum vini spiritu.) *Deinde destilla: destillatum rectifica.* Hic non formidandus est fœtor ille, qui ex per se destillato ex igne nascitur, si quidem non vtaris igne adustiuo.

Ol. Tartari.

Alius modus: *Fecula & tartarus proprio aceto, quod fit ex phlegmate destillationum, macerentur in mensem suum adhibito calore vapido, vel fimi, donec in offam soluantur. Hunc destilla cum cohobiis.*

Plures modos inuenerit ingeniosus, cui Enchiriæ cognitio perita claues ad varia artis arcana porrigere potest, vt & hanc, cum super calce tartari frequenter accenditur spiritus vini, siniturq; conflagrare. Tunc enim oleum spiritus actuat oleum tartari, vt etiam exprimi possit, & per destillationem porro in balneo rectificari.

Oleum vitrioli Melleum.

Solue vitriolum Vngaricum aqua pluuia stillatitia. Colloca ad putrescendum. Natantem spumam, quam vocant sulphur impurum & destructiuum, auffer. Purum liquorem caute effunde in vas aliud, aut laciniis trãsfer, vt feces maneant. Liquorem hunc denuo pone in digestionem, & si quid fecum apparet, aut spuma, separa. Repete hoc, donec nullas sordes videas. Coque in vase mundo fictili, donec incipiat crusta consistere. Sine crystallos nasci. Eos exime & repone. Coque dilutum iterum vsq; ad crustam apparentem, & denuo crystallos procura, repetendo hanc operam, donec totum vitriolum coagulatum sit. Si quid sordium adhuc adest lapillis, id ablue. Crystallos in olla ferrea clausa calcina vsque ad rubedinem, vel quod conducibilius est, destila, vt phlegma & spiritum excipias. Rubeam calcem immitte in cucurbitam vitream luto armatam, & in fornace destillatoria sitam. Suppone ignem lenem, donec vapidi spiritus exierint. Deinde adapta alembicum rostratum & conceptaculum, ignemq; paulatim auge vsque ad excandẽtiam catini. Procedet liquor quidam crassus. Tunc viuum ignem lignorum admoue & potenter propelle, & profluet oleum. Sine sponte refrigescere. Destillatum liquorem in concham, aut oblongam cucurbitam infunde. Instilla paucas guttas spiritus halonitri, iterumque paucas olei tartari. Fit repercussio, & præcipitatio. Sine desidere. Liquorem effunde. Sedimentum destilla per retortam. Destillatum rectifica, & habes oleum Sacharinum vitrioli præclarum in vlceribus corrosiuis, & vulneribus. Aquam effusam poteris addere phlegmati, & spiritum inde prolicere. Ex residuo vero colcotare per phlegma salem extrahes, atque ita oleum, aquam & spiritum cum sale obtinebis.

Mel Vitrioli seu sacharũ solutum Vitrioli: quod est verum eius sulphur.

Oleum rubi Idæi, Periclymeni, & similium ex baccis.

Baccas rubi Idæi iusto tempore collectas, contusasque include putrefactorio, addita aliqua portione spiritus vitrioli, aut halinitri, ne fœtorem contrahant, quanquam & aquam rorellæ, aut mellis, aut, quæ contra terminationem facit, sulphuris possis apponere. Macera per octiduum in fimo, obstructo probe vase, ne exhalare spiritus queant. Post transfer in balneum & destilla primum aquam. Reliquiis immisce baccas siccas contritas mediocriter. Affunde aquam abstractam, & si non sufficit, auge eam pluuia stillatitia: aut si placet propriam aquam integram seruare, tantum pluuiam destillatam affunde. Macera denuo & destilla ex cineribus, aut vesica. Exibit cum aqua oleum, quæ destillatione in balneo leniter separabis. Abstracta enim aqua, oleum in fundo manebit. Notandum, fieri posse etiam expressionem, si post macerationem oleum apparet, & rectifa-

Oleum rubi Idæi cum aqua.

cationem cum ſeparatione debita. *Aqua rubi Idei* facile corrumpitur, ni repurgetur circulationibus. Ira & periclymeni. Vſus illius eſt inſignis *in refectione virium*, vt & olei. *Balſamum periclymeni* Penotus valde prędicat, policetur de eo admirandas virtutes *in antidotario chymico*. Eſt nimirum præclara herba ipſa *in vulneribus capitis, & vlceribus*, quibus & oleum vtiliter adhibebitur.

Balſamum periclymeni. In Denario p.100 in fine præfationis apologeticæ.

Oleum oſſium & cornuum cerui.

Oleum cerui ni cornu oſſium cordis, &c.

Ex his raſis, & in decocto proprio aliquandiu maceratis poteſt oleum deſtillari ſicut ex cranio humano per retortam, cum rectificationibus per aquam roſaceam, vel potius aliam accommodatam, aut vini ſpiritum adiecto ſpiritu vitrioli, aut per acetum roſaceum, &c. vt fœtor decedat.

Oleum ex pingui excremento oculorum cerui, quam Bezaar nominant

Verum eſt & alius modus. *Primo deſtilletur oleum ex medulla & pinguedine ceruina adiecto ſale, vel ſilicibus, quo modo ſolent adipes & butyrum in oleum redigi, aut cum vini ſpiritu per cohobia. Illo oleo maceretur raſura ſeu limatura cornu, & oſſium: & poſtea deſtilletur. Solent & feruentia oſſa oleo reſtingui, & poſtea vt oleum philoſophorum tractari. Pinguedo in oculorum canthis reperta deſtillatur cum vini ſpiritu. Oleum collectum prodeſt contra venena, & illinitur lumbis parturientium ad promouendos dolores partus.*

Cæterum *raſura craniorum humanorum, cerui, alcis, &c. Item cornuum, oſſium, dentium Elephanti ſeu Eboris & ſimilium quam commodiſſime præparari cum ſpiritu tartari, aut iuniperino digeſtionibus conuenientibus: aliquando & cum aceto, & ſpiritu vini alcaliſato poſſunt, deindeq; deſtillari vt oleum reddant cum ſpiritu, & aqua;* quanquam menſtrui potius, quam eſſentiæ, niſi quod alteratione vis aliqua acceſſerit, merito. *Ex reliquiis calcinatis ſal extrahetur per phlegmata deſtillationum.*

Balſamus Saturni.

Balſamus Saturni.

Ex caruſſa vel lithargyro fac cryſtallos aut cremorem, vt in lacte virgineo dicto per acetum. Affunde iſtis duplum aut triplum oleum terebinthinæ. Macera, donec tingatur oleum rubedine, vt fit in extractione balſami ſulphures. Tincturas, vt artis eſt, collectas mitte in retortam. Deſtilla primo loco calore leuiore oleum terebinthinæ: inde mutato recipiente, & aucto igni ſeorſim excipe balſamum Saturni, quem rectificare potes ſæpe ab eo deſtillando vini ſpiritum. Cōducit *vlceribus cancroſis, polypo, ozænis, vulneribus, tumoribus, phlegmonis, renum inflammationibus* & ſimilibus externo impoſitu.

Alius modus: *Extrahe eſſentiam ex lithargyro, vel plumbo per acetum. Extractiones deſtilla vſque ad remanentiam partis tertiæ. Huic adde ſubduplum olei roſati. Miſce in mortario plumbeo per piſtillum plumbeum, vt fiat vnguenti inſtar.* Vſus eſt ad *calidam podagram, & phlegmonas*. Vbi eſt *contuſio dolorifica*, impone extractionem per acetum factam cum pari aqua calente, per ſplenia, ſtatimque ceſſabit dolor & calor cum tumore.

(a) *Haloſanthos intelligimus illud vetus, quod Nilo innatauit, & in nitrariis fuit collectum. Noſtrates ſperma ceti vocant indiſcretim tum illud, tum pinguedinem balænarum, quæ fere in capitibus earum circa cerebrum magna copia, interdum etiam in ventriculo & alibi reperitur.*

(b) *Id fieri admiſtione grumorum vel ſabuli ex ſilice cremato, teſtis ollarum, laterculis: item luto, argilla, &c. exemplis admonemur.*

Caput XXX.

De Alcalibus.

SAlium quotundam copiam natura præbet forma ſoluta, diluta, concreta: ſed eos artifex elaborat pro inſtituto fine. Quoſdam natura non actu, ſed potentia duntaxat exhibet: magiſter autem peritus ingenioſe in actum producit, quanquam Paracelſicorum opinio ſit, *non ineſſe miſtis potentia, ſed actu*, perinde ac in muria, vrina, fimo columbino & ſimilibus, vt tantum recluſione ligatorum, & ſeparatione ſit opus, vel hac ſola, ſi natura per ſe aperta eſt. Verum de iſta opinione alias. *Vtuntur nomine ſalis chymici non vno modo.* Quicquid cum per ſe actu ſiccum ſit, in humore frigido aqueo, aut vapore in ſudorem liqueſcit, id ipſis ſal eſt.

Salis vox polyſema.

Idem etiam ignium certo gradu fundi poteſt, quamuis Ariſtoteles id negauerit, ſed intra certum terminum caloris, non autem exceſſu feruoris. Hoc modo *ſal* eſt omnis naturalis concretus, vt *nitrum natiuum, halmiraga, halonitrum* ſponte genitum, vt in ſalicibus Syriæ, *flos aſiæ petræ* aſpergine maris factus, ſal marinus in littoribus vi ſolis coactus: ſal foſſilis, &c. Item ſal eſt *chalcanthum, & alumen, & petræus* artis: *ſal alcali: ſal ſoda:* ſal communis ex muria: *ſal cinerum: ſal calcium* ex dilutis & lixiuiis. *Sal eſt qualibet calx* deliquio vapido ſolubilis, etiamſi deſit ſapor ſalſus. *Neque enim ſal chymicorum omnis ſalſus eſt.* Eſt & amarus, acidus, dulcis, vt ſal Saturni, ſal Indus, quem aliqui aliud: quidam ſaccar vocant, vulgo ſacharum, &c. Proprie tamen loqui volentes alumen, chalcanthum, nitrum, halonitrum, ſaccharum, ſalium numero eximimus, vti & calces, quæ parantur ex metallis, & lapidibus gemmiſq; & gemmarum æmulis vnionibus, coraliis, & ſimilibus. Ita cineres clauellatos non ſemper ſalibus accenſemus propter miſturam lapillorum. *Chryſocolla & Borax* miſtione in diuerſas ſpecies abierunt. Vniuoca ſalis appellatione continentur ſal excoctitius communis, ſiue ex muria fiat, ſiue lixiuiis: ſal nitroſus, in quo nitrum ſali intermiſtum eſt, vt in halmiraga, & ſale petræo: vel etiam ſalibus ligno-

Sapor ſalis chymici.

lignorum firmiorum quercus, fagi, buxi, Guaiaci, &c. quorum sales nitrosos Plinius pronunciauit: Et Buleasis sal alkali vocauit sal nitrum: Alias sal à nitro separari potest, vt & à sale petræo, qui proprio signo dignoscitur (*cum in igni non salit, sed diffluit, & conflagrat; vel si super lamina ignita incensus, totus sine vestigio salis abscedit, nisi sit fixus*) sal fossilis, sal ammoniacus natiuus & factitius, qui rex salium est: Sal Tartari: Sal vrinarum, affinis petræo, sal marinus, sal de kali & aliis herbis, &c. De quo nos *præsente capite* intelligimus, *tertium est principiorum chymicorum*, ex potentia in actum per calcinationes, & cinifactiones productum, extractum per sua menstrua, filtratum, & coagulatum caloribus siccis, vt plurimum forma crystallina, vel pruinosa, aut puluerea, si quidem humiditas tota exhausta sit, cum salsedine ad gustum in animalibus, vegetalibus, & quibusdam etiam mineralibus, nisi aliquid sit passa. Satis patet ex superioribus modus comburendi, vt cineres vel calces fiant: Et hæ, cum principaliter sal instituitur, ex integris simplicibus seu materiis petuntur. Si etiam reliquæ partes essentiales spectantur, assumuntur reliquiæ expressionum, excoctionum, infusionum, & aliarum extractionum, item feces & spissamenta, quæ inter purgandum secedunt. *Vruntur apertis ignibus*, si quid spirituũ infestorum habent, vt viperæ, scorpii, buffones, herbæ, & ligna venenata: animalia tamen ollis immissa patentibus spiraculo, vt post egressum fumum claudi possint: herbæ & ligna etiam in foco, quanquã vulgus non curet inclusiones, sæpeq; nihil interest. Calx quoq; ignobilium lapidum, item marmorum, concharum, cornuum, ossium, &c. solet patentibus fornacibus vt plurimum fieri, qua de re vide enchiremata chymica. Ita cinis clauellatus, kali, soda & similes herbæ super scrobibus sub dio vruntur, nec egent inclusione. Cum autem *duplex sit sal, volaticus & fixus*, opera danda est, ne ignis violentia excedat modum rei, & spiritualem dissipet. Ignem validiorẽ tolerant metallica, & lapidea, quibus sæpe etiam sulphur adiicimus, vt ferro & æri, vtimurque crebriore crematura, sicut & in lapide æroso, diphryge, scoriis, &c. Quædam calces & cineres obiter fiunt, vt in fornacibus & præfurniis metallicis: sed qui nihilominus vt salem reddant, sunt calcinandi. Succinum, sulphur, bitumen, & homogenea salem vitriolatum, & nitrosum habent: Sed qui ipsis conflagrantibus magnam faciat iacturam. Solet ferè, cum ex illis oleum destillatur, in aquam præmissam etiam forma spirituum intrare. Inde reduci potest. *Menstruum salium extrahendorum* communissimum est *aqua dulcis pura*; apud artifices stillatitia: Et in singularibus salibus, proprium cuiusque materiæ phlegma, aut aqua ex decoctis destillata leni balneo, ne quid oleosi aut viscidi insit. In metallicis acetum stillatitium conducit. Quod si sal sapescit, & non in grumos, crystallosve cogitur, sed puls, & offa manet, subinde nouis aquis dulcibus diluitur, & tenacitas tollitur. Dilutum factum aquis popularibus in ahenis, vel ollis coquitur, dum densescere animaduertimus Reliquum seponitur, vt crystalli vel grumi nascantur, & si aqua pauca est, finitur lente expirare: Si multa, recoquitur. Interdum decoctio statim fit ad siccum: sed quod non in omnibus conducit propter difficultatem collectionis. Aliquando nulla fit coctio, sed tantum in loco calido aprico, vel opaco disponuntur vasa cum diluto modico: Et sal absq; damno emergit. Nõnunquam copiæ priori absumtæ submittitur nouum dilutum, vt eo fortius euadat, magisq; sal grumescat. Cum alicuius momenti est menstruum, destillatione abstrahitur: Ita tractatur & muria, vrina similiaq; salsa, nisi coagulationem vulgarem malumus. *De arte præcipitandi sales* verba potius, quam rem possumus promete. Tribuunt tale quid lapidi philosophorum: Sed iste sal nimio constaret, nec dum factus, vllus hoc artificio creditur. Penotus ex stibio aquam alkali voluit talem vim habere. Est aliquid perspecti in spiritu salis petræi & oleo tartari, similibusque: sed eo modo sales non facimus. Quacunq; vtaris industria, *sal noster interdum rudior est, interdum elaboratior*, pro vt materiali, vel essentiali, volatili seu spirituali, aut fixo & corpulento indigemus. *Purificatur solutionibus per aquam stillatitiam dulcem*, filtrationibus, & coagulationibus crebris. In mineralibus (vt qui ex calcibus fiunt) aliquando & crematura inter calces aliquoties reperita accedit. Ita colligitur sal subtilissimus, & purissimus. Essentiales maxime fiunt etiam sublimationibus, donec crystallina perspicuitate placeant, & nullas amplius feces seponant. Sic etiam extrahitur *sal cœlestis* à sale terrestri, & euenit, vt fixa pars redigatur in *terram dulcem* omni salsedine subtracta: quod contingit etiam in destillatione spirituum salis, vt *suo loco* dictum est. Nonnunquam fixo sali additur volaticus, vt ille eo facilius reddat subtilem spiritum, vt fit, *cum à sale communi sublimatur ammoniacus*, quale sublimatum aliqui *aquilam albam* vocant, qua vtuntur ad mercurium & calces metallorum in alembicum euehendas. Sed exempla nonnulla apponamus. Sal antimonii: *Calcina antimonium cum halnitro, vel etiam per se. Calcem reuerbera. Extrahe per proprium acetum. Extractionem coagula. Coagulatum salem solue aqua dulci stillatitia. Filtra; coagula, idq; repete ad placitum: vel calcem extrahe per acetum stillatitium: coagula: solue dulci stillatitia. Filtra: coagula* *Sal antimonii.* *quo ad satis. Tandem sublima.* Sal metallicus: *(a) Saturnum & Iouem* in cineres redigere facile potest *siue* *Sal metallorum.* *igni, siue aceto destillato, siue vtroq; siue etiam addito sulphure. Martem & venerem* oportet sulphure aliquoties medicari, & factis stratis alternis cremare in reuerberio, donec fathiscant. Inde colliges salem vitriolatum. Si putum cupis, destilla spiritum. Ex colcotare per aquam dulcem conficies salem, quem iuxta artis præscriptum repurgabis: Ex Saturno vero & Ioue expeditius paratur. Nam calces extrahuntur aceto: Extractiones coagulantur, sublimantur: sublimatum soluitur denuo, colatur, coagulatur, sublimatur, idq; prout cupis salẽ subtilem, sæpius repetendo. Aliter fit *sal metallorũ ex venis* eorundẽ: Et sic melius parabis *salem auri & argenti* quàm ex metallis puris, q̃ non facile destruũtur. *Salem ex argẽto viuo* *Sal mercurii.* variis policentur modis: Et sane *ex sublimato* sal extractus nomen mercuriale habet ab alteratione per consortiũ. Tunc reducere oportet mercurium: salẽ ex aqua coagulare: Coagulatũ reuerberare: ex reuerberato salem extrahere. Tale iudicium est *de sale ex præcipitato* per aquas fortes, aut spiritus acidos minerales. Alii promittunt *salem ex capite mortuo*, quod in fundo ollæ, cum in aquam soluitur, inuenitur, aut ex per se præcipitato: qui sane esset syncerissimus, si res procederet. Quidam per aquam fortem soluunt argentum viuum. Solutionem destillant per gradus, vt relicta calce spiritus in aquam omnes agantur. Hac aqua digesta leni calore sal concrescit; qui colligitur,

soluitur pura aqua, filtratur, coagulatur. *Aurum soluunt in aquam*, quam in cucurbita operculo cœco tecta digerunt vsque ad medium. Deinde destillant per alembicum, cauendo fugam spirituum. Destillatum coquendo coagulant, & puluerem siccum in balneo mediante vesica, in liquorem soluunt. Hunc coagulant, soluuntque tertium. *Ex argento* capiunt calcem cæruleam, & extrahunt aceto stillatitio. Extractiones coagulant: Soluunt vel extrahunt denuo & coagulant, additis semper filtrationibus: Tandem deliquio calx soluitur, coagulaturque; & sic pro sale habetur. Omnino apud plærosque calces in humore solubiles pro salibus habentur. *Sales* tamen *veri sunt pars essentiæ*, nec possunt redire in metallum, vt quædam calces. Qui vrina, vel lixiuio sales extrahunt, alienos genuinis substituunt, ni destillatis simplicissimis vtantur.

Sal satyrii. De salibus vegetabilium, & animalium, etiam ossium & cornuum non indiget res verbis; Patet enim totum artificium ex superioribus. Memorabilis est *sal satyrii* apud Crollium *in Basilica*, tametsi compositus. Nam *plenas radices contundit cum mica panis similaginei candidissimi in mortario marmoreo affuso spiritu vini ex maluatico propter lentorem. Deinde offam sub cœco alembico in lentissimo balneo digerit per vnum, atque alterum mensem. Expresso succo, colatoque & per circulationem ab omni sedimento depurato, reliquias expressionis (quibus addere feculenta sedimenta potes) in cinerem redigit, ex quo per aquam stillatitiam* (vel etiam propriam, si velis succum depuratum destillare & aquam abstrahere; vel etiam ex tota herba aquam *Sal animalis ex ciconia.* elicere) *salem iucundi saporis colligit, eoque condit extractum succum, cuius vsus est restauratiuus, & confortatiuus lumborum ad exercitia fœcunditatis*. Idem ex *ventriculis ciconiæ combustis per aquam stillatitiam sanguinis eorum salem* elicit, quem sanguinis pulueri adiicit, vt fiat *alexipharmacum*. Similiter de aliis statuendum. *Sales an reuerberandi ad albedinē.* Querceranus monet *salibus istis vltimam manum addi per calcinationem vsque ad albedinem*, qua simul odor lixiuialis seu vriniformis abit. Sed fit iactura in viribus & essentia cœlesti, satius est crebris solutionibus, & filtrationibus repurgare, quantum fieri potest, & odores ingratos tollere circulationibus, aut additamentis placentibus.

(a) Sales metallorum plærumque appellantur eorum calces in liquorem resolubiles ad instar salis. Aliquando & vitriolum ex eis sal dicitur; Exempli gratia. Fiat menstruum ex aquæ communis partibus duabus, & vna acidi spiritus ex sulphure per campanam facti. In hoc coque limaturam chalybis, aut acuum Hispanicarum detrimenta lentissimo igne circiter vnciam per sex horas. Potes adhibere cineritium. Decoctum sine per se refrigescere. Apparebit sal viridis splendens, qui & vitriolum martis dicitur. Liquescit autem calore; frigore gelascit, quod quidem etiam in aliis chalcanthi generibus euenire quodammodo cernimus: Sed hic sulphuris & mercurii nota quadam coincidit.

Sal plumbi: Ex minio extrahe essentiam aceto stillatitio, aut phlegmate eius secundum artem extrahendi. Extractiones filtratas coagula in cineribus, vel arena. Essentiæ relictæ affunde acetum stillatitium. Digere. Destilla. Fac idem tertio. Postea infunde essentiam spiritu vini. Macera. Destilla. Fac & hoc tertio. Dicitur sal saturni, cuius gr. vj. dantur ex vino albo in peste ante 24. horas. Grana tria dicuntur hydropem sanare si per 4. dies dentur. Colicis, & leprosis destinantur sex grana.

Sal Iouis. Anglici stanni synceri pondo circiter 4. liquentur in olla, & à scoriis purgentur. Deinde immisce nonnihil salis ammoniaci, paulatimque auge ignem, donec olla candescat. Immitte salis præparati sesquilibrā. Moue per spatham ferream, vt in calcem fatiscat. Ablue salē calcem igne violento & subito reduc in corpus Hoc l quato, ciq; immisce iterum salis præparati lib. 1. calcina, vt ante. Calcē ablue, & reuerbera octiduo, vt in puluerem impalpabilem vertatur. Huic affunde acetum alcalisatum. Digere per dies aliquot, & extrahe. Extractiones filtra & coagula.

CAPVT XXXI.

De terra virgine.

Terra Galeno duplex. TErram Galenus *in IX. simplicium* duplicem habet, *Georgicam vnam, philosophicam alteram.* Illa admista aqua fit lutum pingue, vel friabile: Hæc elementum est, & non potest in simplicitate sua ostendi, sed in lapidibus & aliis ex prædominio terreis. *Cineres, & calces* aliqui producunt, quod ex resolutione mistorum prodierint, tanquam elementa componentia. *Ex terra vulgari medicata* docet Galenus per ablutiones & separationes *sigillatas* efficere ad instar Lemniæ; quæ ratio est species extractionum apud chymicos. Nam ex sordibus & impuritatibus essentialis quædam terra elicitur, quanquam non simplex, & quæ adhuc inter magisteria manet. Qui Mosen interpretandum suscipiunt, *horum aliqui in mundo intelligibili, quem dicunt primo die factum*, TERRAM ponunt, regionem nempe elementarem, in qua quatuor elementorum congeries: *In mundo visibili*, quem à condito firmamento incipiunt, *ARIDAM*, hoc est, elementum terram agnoscunt. Num ista se ita habeant, Mosaicus textus facilè docere potest, in quo ARIDA dicitur, quod ex aquis digressis siccum apparet, & in quo viuunt plæraque animalia, crescuntque plantæ, vtpote quæ etiam ex ipsa sunt creata, vt & homo primus, qui in eundem post peccatum morte temporali & corruptione corporis remigrat; quæ omnia non conueniunt elemento simplici, vt nec terra, quæ colitur ab agricolis, & *Terra Dornai.* qua iubentur vesci serpentes. *Dornæus* terram non habuit inter principalia elementa, *quia sit tantum aqua densata, & exiccata*, sicut aer creditus est ipsi esse aqua resoluta, vt sint duo per se elementa *Terra centralis.* tantum ignis & aqua; quasi non possit quis eadem arte dicere, ignem esse aerem rarefactum, & exiccatum, aquam vero terram resolutam & humefactam. *Terram in simplicitate creatam negabat Falloppius:* Sed alii contrarium dicunt, & creatam esse, & alicubi sitam, nempe prope centrum mundi *specie puri-* *Terra Virgo.* *rissima crystallina, quod tales sint maximè depurata terra* vt gemmæ, sales, vitra, &c. & *in Apocalypsis 21.* scriptum sit de *noua ciuitate, fore eam perspicuam, gemmeam, vt aurum vitreum*, &c. Hanc terram appellant

VIRGINEM,*quia in nullum venerit cum vllo elemento matrimonium, aut societatem.* Clangor Buccinæ ait: *Terra, quam calcamus, non est elementum, sed elementatum: quia in eius centro inuenitur terra virgo, verum elementum, perspicuum, resplendens, vt crystallus, &c.* Hanc in mistionem assumtam Aristoteles tradit, vt terminum acciperet mistum, qui accedit ab humido operantibus actiuis. Imo terminatur & terminat vicissim, coercetque cæterorum elementorum fluxilitatem.

Terra Virgo.

Terram hanc virginem num etiam Chymici philosophi agnoscant, videndum est. Habent illi terram philosophicam, quam & *sapientia* appellant, opponuntque *terra vulgi*, & *terra damnata.* Clangor: *Terra calcinata ponenda est in vase vitrato vel vitreo: affundenda aqua munda, feruentissima. Immitte bacillum vitreum mundum. Agita, vt dissoluatur. Quod in ea bonum est, soluitur efficiturque aqua lactea. Hac effusa modicè, submitte aliam feruentem aquam terræ relictæ. Versa, agita, tere cum bacillo, vt aqua lactescat, effusam hanc adde priori, & perge denuo eadem arte, donec nihil amplius soluatur. Vt scias omnia solubilia extracta esse, pone terram relictam in ligno sicco; & arefacta non harebit. Deinde in lamina ignita, neq; fundetur, neq; vretur. Hanc ergo pro fece, & scoria abijce. Aquas autem lacteas coagula in vase vitreo. Cum bene fuerit siccata, tunc assa eam. Est terra alba philosophorum munda*, quæ & terra FOLIATA dicitur, *in quam seminandum est aurum nostrum.* Ea per calcinationē fit aerea, ignea, subtilis, accipitq; animam & virtutem tingentem, quæ dicitur *fermentū, & aurum philosophorum*, & non aurum vulgi. Vide *in aurora consurgeme cap.5.* Quæ sit illa aqua feruens, qua soluitur terra; & quæ ratio calcinationis, intelliges *in magisterio sapientum reuelato. Terra alba*, inquit Arnoldus, *est lapis albus perfectus, qui ignis continuatione transit in terram rubram.* In illam seminatur argentum, vel potius *semen & virtus argenti*: in hanc *semen auri.* Tunc appellatur etiam *terra viua, & animata*, quia animam accipit à corpore perfecto, cum prius esset *corpus mortuum*, & *terra mortua*, vel *cinis.* Hæc terra antequam in rubram abeat, conditiones tres accipit, à quibus & totuplex dicitur. Cum enim nigrescit, vt in putrefactione, est *terra nigra*, quæ etiam in ecclipsi Solis & Lunæ apparet, & vocatur *Laton*, qui igni & aqua permanente abluitur, ex nigredine transit in *pallidam*: Ex pallida iterum per solutionem & putrefactionem *nigra* euadit, hinc perfectam albedinem acquirit coctione perseuerante, vlteriusq; pro rubro lapide vsta *rubra* exit. De his terris mirificè loquuntur philosophi parabolici. Nigram vocant *plumbum, magnesiam, æs vstum*, &c. *albam, arsenicum, calcem albam*, &c. aiuntque eam fieri ablutione, & cum oleum destillatur, ibi in fundo maneat, id est, cum lapis secundo solutus coquitur, vt fiat aereus albus, quo in statu oleo aereo comparatur. Manet in fundo, id est, coagulatione perfecta exit. Eadem est *terra foliata*, in quam oleum fixum inseritur, vt germinet. Ex coniunctione hac procedunt dispositiones & *signa elementorum.* Ideo dicitur *matrix seminum*, & *mater elementorum: nutrix lapidis philosophici; qua in suo ventre portat filium*, quia cum aqua spiritualis fuerit, per coagulationem fit id, quod filius dicitur, à similitudine nascendi. *Filius* enim corpus est: nutrix puta substantia mercurialis, ex qua fit filius, & qua nutritur diuersimode se habente. *Virtus eius integra est, cum versa res est in terram:* quæ terra differt à priore, quæ huius respectu erat materialis. Hæc autem posterior iam formata est & animata, iamque actu lapis sapientum, cum suo humido radicali. Alia ratione *sulphur* quoque dicitur *terra*, quia siccum est & calidum: & *terra à sapientibus non frigida ponitur, sed calida.* Ideo vna pars est constitutionis metallorum: altera est *mercurius*, qui tamen & ipse terra nuncupatur, quando in putrefactione nigrescit. Ideo & *patiens* & *fœmina* dicitur. *Terra damnata* & abiectanea *in Hermeticis tantum est qualitas*, in qua non manere debet lapis, quia tunc sordidus & impurus videtur. Nihil abiicitur corporale post legitimam præparationem. *Abiectanea* tantum sunt spiritualia, donec perfectio succedat: In aliis operibus chymicis sunt sordes proiectiles, quanquam itidem in præparatione: non autem in exaltatione perfectiua. Quoniam autem illa philosophemata de Lapide transferuntur ad analoga magisteria, similiter artifices solent de ipsis loqui. *Lunam* & *Dianam* nonnulli appellant: alii *argentum philosophorum* cum est *alba*: cum *rubra, sulphur, solem*, & *aurum.* Penotus medicamentarium suum chymicum Petro Wintzio chymiatro Olmuzensi commendaturus, & de viribus occulti spiritus nonnulla prolaturus, *TERRAM matricem, & receptaculum omnium elementorum nominabat*, in qua rerum abditarum vires occultentur, & possint erumpere in formas specificas. Ita *terram VIRGINEM* ait *in centro mundi medii delitescere*, quæ summo studio sit inuestiganda, cognitaque à peccato originali seu sordibus in mistione prima acceptis per ignem & aquam liberanda. Talem terram Lullius in lapide vegetabili ostendit, vt & Vlstadius, quem legere potes *in secretis cap.10.* vbi tamen & *serulem terram virgineam* habet, nempe *argillam puram* ad vitra obturanda: Sed philosophica longè est alia, oriturque post vini quintam essentiam extractam, & phlegma separatum ex fecibus nigris similibus pici liquidæ, quæ destillatione ab omni humiditate aquea sunt liberandæ: Deinde spiritus segregatus septies affunditur, iterumque destillatur, vt fiat *aqua animata*, quam aeream, & *sanguinem humanum*, propter analogiam temperamenti, appellat. Hoc facto relicta materia ignibus vrgetur citra sublimationem, vt oleum euomat: vnde empyreuma contrahunt feces, fœtentq; : Sed abluuntur suo phlegmate quod particulatim affunditur, digeritur, & destillatur. Tunc redditur ei aqua aerea, cumque ipsa maceratur, & destillatione reuocatur, vt virtuosa omnino euadat. Sic *aqua vitæ dicitur per terram iustificari, seu animari, & fortis reddi.* Tandem infertur terra in calcarium furnum, ibique diebus XII. relinquitur, vt ad plenum calcinetur, quod catino clauso fieri debet: Et si non perfecta esset calcinatio, in reuerberio absoluitur. Postea eluenda est, vt arenositas à leui fauilla, terraque virgine abscedat. *Hæc est illa terra, de qua potes intelligere literam in clangore Buccinæ*, quam *supra* proposuimus. Disseruit de ea & Quercetanus *in libello de medicina prisca materia cap.6.* vbi *crystallum Tartari* suo modo nuncupat, & *feces, quibus spiritus animatur*: Item *terram niuis instar candidam, calcinatam, fixam, quæ vt spiritum animatum recipiat, volatilis redditur*, adeo vt in lamina candente tota in fumum abeat. Vocat & *sal fixum*, *calcemque viuam philosophorum*, quæ in alembicum sublimatur, & potatur spiritu suo animato. Cum sublimata est, *crystallo & puro Talco* assimilatur, diciturque *materia perlata*, *mercurius Philosophicus*, *balsamum radicale*, *ignis natura*, *medicina*

Terra philosophica.

Terra foliata.

Aurum philosophorum.

Terra alba philosophica.

Terra viua & animata.

Vide infra in heptade Hermetica, vbi habes interpretationem aliā.

Terra damnata.

Terra Virgo philosophica; analoga.

Terra philosophica vegetabilis.

Nota analogam terrā clangori Buccinæ.

Vide syntagma nostrū de auro vegetabili.

vniuer-

Terra foliata Saturnina.

vniuersalis. Animaduerte Quercetani dictionem esse ambiguam. Ea enim *de terra foliata philosophorum scribit, quæ sali conueniunt*, vt videatur vel non satis attentus fuisse, vel vtrumque miscuisse. *In defensionis cap.*16. postquam ex *sale sacharino saturni spiritus candidos & rubeum sanguinem, sulphuriue liquorem inflammabilem extraxit, feces nigras*, quæ circa fundum retortæ substiterunt, *in calcem redigit*, & ex hac *salem fixum* elicit, qui solutionibus & coagulationibus crebris cum proprio phlegmate factis crystallinus tandem euadat. Hunc spiritu suo æthereo potat, donec pondere fiat duplus, triplusve, atque etiam volatilis ita vt super candente lamina liquescat, & in auras euanescat. Inde sublimat, sublimatumque dicit esse TERRAM FOLIATAM philosophorum, *vnione orientali puriorem, magisque perspicuam; Mercurium philosophicũ* admirandarum facultatum, &c. Si hæc pro veris habemus, iam secũdo communicatum nomen TERRÆ philosophicæ videmus, quod *primum* competit terræ in lapide *minerali; postea* translatum est ad *vegetabilem*. Iam fit *plumbeum*, & quidem non essentia terrea, sed

Terra virgo Thomæ.

salina, coniuncta cum spiritu proprio: quod in lapide minerali non est ita. Thomas de Aquino *in lib. de secretis cap.* 1. *&* 2. scribit, se à quibusdam corporibus separasse 4. Elementa, singulaque repurgata iterum vniuisse acceptis æqualibus terræ, aquæ, aëris, sed ignis decima sexta parte. Quam TERRAM ibi nominat, proculdubio itidem est VIRGO, quia pura ad similitudinem cœlestis naturæ, quæ dicitur esse aquea, & crystallina, & materiam habere aquã grossam, agente calore, & frigore, vt scribit *cap.* 2. Sanè *in vitrum conflari posse terram synceram, constat*, quanquam non sine sale. Ideo intelligimus, cum terra Thomæ salem esse coniunctum, quod apparet etiam ex praxi de lapide ex sanguine microcosmi, quem putrefactum in fimo destillauit aqua lactea producta, mox oleo, & tandem capite mortuo seu fecibus ad niueam albedinem calcinatis, ex quibus coniunctis lapidem sanguineum construxit. Idem in praxi herbarum conspicitur. Verum de qua terra virgine nos loquimur, ea iam omni essentia est exhausta, vt verè mortua possit dici, & simplicissima terrarum omniũ, quæ haberi possunt. Huius praxis, & processus omnino idem est cum eo, qui *in clangore* ponitur. *Extractis enim essentiis omnibus terra fœtida, & impura calcinatur ad niueam albedinem. Deinde volatilis pars à fixa per elutionem separatur: & arenis fixis neglectis colligitur subtilis fauilla, quæ cum proprio spiritu cœlesti circulata euadit purior & nobilior, atque apta porro ad ceteras mistionis sua naturalis partes recipiendas*, quas etiam quidè amplectitur, & post fermentationem non amplius dimittit; vti in magno magisterio docemur.

Alia est terra apud Isaacum lib. 1. *miner. cap.* 26. *& seq.* 28. *vbi pauca terra magnam vim tribuit.*

Habet autem illa terra per se nullas potestates specificas & essentiales actu. Omnes enim cum essentiis abierunt; vnde & *mortua* dicitur: sed *potentia* tamen *omnium est capax*, tanquam prima materia per se informis, omnium autem formatum materiæ inhærentium susceptiua. Vt ergo nostrum compositum rectè faciamus, ideo de terra virgine in chymia philosophandum est, primum quidem ratione lapidis philosophici, qui cum vnus idemque homogeneus totus sit, tamen rationibus, & dispositionibus distinguitur, vocaturque mineralis, animalis, vegetabilis; quæ nomina postea etiam totidem differentibus lapidibus sunt accommodata, porro que ad alia multa deflexum est, de quibus cum similiter differerent laborantes, factum est, vt secundariò TERRA VIRGO in omni misto quæratur, & agnoscatur. Adhuc de extractis simplicibus. Sequitur de compositis.

Capvt XXXII.

De Essentiis compositis per viam lapidis philosophorum, quam philosophicam dicunt.

QVæ de simplicibus essentiis tradita sunt, principaliter eò tendunt in Alchymia, *vt tota rei virtus*, quem natura per diuersas essentiæ partes distribuit, *ad vnam homogeneam* in vno cœlesti seu essentiali subiecto separato ab omnibus sordibus, & adiacentibus nascendi caussa, *redigatur*, id quod fieri non potest (extra *vniuersale*, quod omnia simul sine separatione exaltat, & purificat, inque æthe ream sublimitatem, & nobilitatem euehit) nisi per separationem partium, & singularium per se elaborationem, ita, vt mox ad vnitatem redeant, omnem vim substantiamque interiorem complexa, quod cum modo per quaternarium, modo ternarium peragatur iuxta numerum quatuor elementorum, & trium principiorum, appellatur *quadrati*, vel *trianguli in circulum*, Geometrica parabola: *aut quaternarii sacri, & ternarii in monadem cõuersio* Pythagorica per numeros philosophandi consuetudine.

Symbolum Geographicum Penoti.

Hinc illud *apophthegma chymicum & hieroglyphicum Penoti, pingentis circulum includentem triangulum & quadratum*, in cuius centro punctus est vnitatem simplicem repræsentans, asscripta gnome: *Omnia ab vno; omnia ad vnum*. Natura enim dat TOTVM compositum seu mistum, quod Aristoteles *prius ad sensum, & prius nobis* vocat: cumque vnum sit, ad quod naturalis mistio contendit, circulo amplo comparatur. In hoc inclusa sibi priora gerit natura numero ternario: Tria enim principia, seu tres partes essentiales in illo circulari chao, seu sphæra mundana latent, sensibus nostris per se incognita. Inde triangulus æquilaterus angulorum apicibus circulum tangens pingitur, isque ideo tangens, quia virtutes essentiales alicubi emicant, & per gustum, olfactum, & visum, sapore, odore & colore nonnihil innotescunt. Interius paulo est quadratum. Nam essentiæ istæ dispositiones elementares habent, cumque elaborantur ex vno elemento in proximum vsque in vltimum cœlo finitimum transire, & conuerti iudicantur. Interim alia elementa, quibus natura in generando, crescendo, perficiendo, & defendendo nutriendoque adminiculis est vsa, intelliguntur in vacuis spaciis fuisse, sed in elaboratione essentiali iam remota. Tandem tum triangulus tum quadratum in vnum punctum paruum non mathematicum, sed physicum coeunt, atque ita *omnis potestas & essentia*

ad men-

ad monadem redacta exiguâ mole magnas vires continet. Ista,inquam, principaliter intenduntur in chymicis extractionibus;sed interim etiam *singulæ partes per se possunt aliquid ad humanam salutem præsidii,& adiumenti conferre*.Ideo & sigillatim seruari in apothecis chymiatricis solent. Cum autem, dum ad vnionem ex ternario & quaternario procedimus , variæ possint esse viæ , seu methodi,chymici quidem *vnam sibi essentialem & vniuocam habent* : verum ne deesse humanis commodis vllo modo videantur,etiam alias nonnullas;siue ex operationibus domesticis petitas, siue foris accersitas admiserunt. Eæ distinguuntur formis; *mistione,appositione, confusione,colliquatione,insinuatione* per halitus,*coctione,infusione* cum *impreßione*, seu *commaceratione,ingressu, imbibitione,proiectione,destillatione, sublimatione,incorporatione,malaxatione,amalgamatione*, &c. Distingui & materiis possunt. Nam aut rudia componuntur, posteaque simul elaborantur,vt fit in sublimationibus ex pluribus,in aquis vitæ, fortibus,ballamis,& similibus:Aut iam elaborata,eaque vel magisteria tantum;vel extracta tantum,vel hæc illis coniuncta, quanquam aliquando & rudia quod dantur ex natura sumta, quæ tamen elaboratis debent esse affinia.A fine discernuntur,quod alia fiant medicinæ internæ, alia externæ causa;(metallurgicum finem,qui alias alchymisticus,& mechanicus; seponimus.) Fit & compositio separabiliter,inseparabiliterve, quarum *hæc genuina chymia est*. Istis ergo compositionibus nascuntur *elixyria,clissi,aquæ cordiales,alexipharmaca.balsami,potiones laudana,sublimata*, & varia alia à forma externa,fine,vel basi,aut alio argumento dicta.Iam *de via philosophica* aliquid proferamus.

Modi compositarum essentiarum

Philosophica via dupliciter consideratur; vniuoce, vel analogicè. Illa est in magno magisterio sapientum,seu lapide metallico philosophorum : Hæc instituitur ad illius imitationem & similitudinem etiā in aliis materiis,mineralibus,vegetalibus,animalibus. Iu vtraq; compositio fit iuxta proportionem vniendorum.Ea aut nota nobis est,aut ignota:Nota vero,aut absolutè,aut per artificiosam, sapientemque coniectutam. Absolutè notam dicimus, cum lege artis per experientiam expressa est ratio proportionis,siue strictè sit vna,& simplex:siue varietatem admittat:Ita se habet compositio in matrimonio,& fermentatione lapidis, vbi animam corpori incorporari necesse est, mediante spiritu,vt restituat ei naturalem odorem , saporem,& colorem per naturalem inspissationem , rerum separatarum debita redintegratione;vnde corpus à spiritu recipit impressionem,vt alterum possit iuuare alterum ad ingressionem conciliandam:sicut fermentationem definit Riplæus. *Materiæ hic sunt mas,fœmina*:Hi iunguntur mediante *Mercurio*. Dicuntur & *anima,corpus,spiritus*. *Solem* (terram purgatam,elixyr rubeum) *debes cum Sole*(auro) *& propria sua aqua*(mercurio) *fermentare*. Terra est aurum, non commune, sed nostrum elementatum, seu per conuersionem elementorum natum *elixyr rubeum*,quibus tamen Sol debet adiungi, vt possint alterari.(*a*) *In albo opere terra est elixyr album,cui anima & fermentum datur ex Luna naturali mediante mercurio*.Hic proportio exprimitur, vt *Sol* sit *pars vna*; *Luna due,mercurii tres.Vna terræ tres spiritus*:vel quod eodem redit:*terra 4 spiritus 12.Tres fœminæ:vna viri*. In quo tamen regula datur, *quo minus spiritus est,eo citius perfici calcinationem seu coagulationem*. Alias proportio est alia. Nam in materia prima debet *anatica proportio esse sulphuru & Mercurii* , & *terra cum aqua æqualiter proportionari*.In *putrefactione aqua dominatur:In coagulatione terra sicca*. Aliquando ponuntur corporis tres, spiritus quatuor:aut corporis vna, spiritus tres : vbi nihil interest, quam proportionem sequaris. Tu vero *vide,in qua parte operis physici istæ proportiones allegentur*; ne eam, quæ fermentationis est transferas ad imbibitionem;& proportionem virtualem mutes in corporalem. Quando ergo de *fermentatione & matrimonio* sermo est , expressam singulorum quantitatem statim assumere & committere possumus;totamque mistutam includere vasi hermeticè claudendo,vt ibi per internum ignem ab externo prouocatum decoquatur;quod dum fit,surgunt vapores & nubes; apparentq; ascensiones & descensiones, *donec tandem producatur vnio indissolubilis* , & *medicina, forma olei sanguinei,vel pulueris vel lapidis in aurifico opere*. Similis ratio est in analogicis. Hinc Thomas scribit, *se separasse repurgasseque elementa , cumque iterum coniungere vellet, accepisse pares terra aqua,& aëris: at decimam sextam ignis,vnde euaserit confectio ignea natura excellens , adeo vt vna pars proiecta in mille hydrargyri, eas converterit in rubrum coagulatum corpus*, quod sit argumentum , *ignem istum esse instar formæ & agentis cœlestis*. Hæc ille quidem indefinite. Sed pertinent ad magisterium philosophicum tincturæ secundum analogiam fermentationis, imo virtualem proportionem magis attinent , quam corporalem. Experimento didicit proportionem. Ideo potuit certum numerum ponere. Ante experimentum, probabilis coniectura valet ex argumentis naturæ.& operationis. Nullus magister ante experientiā potest scire,quanta vis sit lapidis sui. Est & oculus intendendus in augmentationem , multiplicationem, primamq; proiectionem,qua fit medicina. Præterea *coniecturalis modus* est in primis duabus rotis,seu operationibus, aut omnino præparatione ante fermentationem , atque etiam in repetitionibus solutionis & coagulationis.*Sapiens coniectura est à fine*. Citò volo coagulare.Ergo humor debet esse minor.Infans discernitur temporibus.Recens natus minus consumit,quam adultior , volo putrefacere.Debeo ergo plus aquæ ponere.Volo cibare.Ergo particulatim per modum nutritionis debeo ingerere lac nostrum. Nam multitudo vomitum parit; aut submersionem. Hic *quinquagesimam* partem vtcunq; ad primam nutritionem proponunt. Sed te oportet gradus lapidis respicere. *Si Leo sitit, fac,vt bibat,donec corpus eius rumpatur*,inquit Riplæus,quod etiam insinuatum est in *apologo regis peregrinaturi* ad bellum inferendum nonnullis,vt est *in Allegoria Merlini* , quæ habetur *in primo volumine artis aurifera*.(Voluit aquam suam bibere rex, quam oblatam bibit tanta quantitate,vt omnia eius membra implerentur,venæque inflarentur mutato colore, à quo potu fuit in camera quasi mortuus,randemque etiam est defunctus : sed ille per medicamen recepta anima reuixit : quo figmento indicatur regimen earum operationum,quibus multum aquæ confertur in lapidem , adeo vt pro frigido, & mortuo habeatur:sed fermentatio calorem reportat,& mortuum animat exuscitato igni interno, quo superat omnia cætera elementa.)Verum hæc non sunt cuiuslibet captus.

Methodus philosophicæ compositionis.

Via philosophica in analogis.

Hydrargyri transmutatio.

Ignis agens cœleste.

Coniectura de proportione mistilium.

Rumpatur.) donec liquefiat,seu fluat vt cera super lamina calefacta:vel alia potatione donec resoluatur,& quod intus est in visceribus foras vertatur.

Leo modo est elixyr rubeū; modo tinctura rubea adhuc imperfecta:modo in vitro virtus sulphurea & ignea, &c.

Via philosophica secunda.

Ideo

Via philosophica secunda.
1. Meteor. 3.

Ideo veniamus ad alteram viam philosophicam, io qua quantitas proportionum ignoratur. Hæc generalior est illa priore. Non possumus scire proportionem, qua natura sua mista composuit à priore. Num ergo & à posteriore? Quidam dicunt à posteriore nos scire: Et ex hoc regulam fecerunt Aristotelis opinione, qua se *elementa decuplo superent*, quasi *aqua sit decupla ad terram, aër centuplus, ignis millecuplus*, sed *æther infinitus*. Hinc philosophi lapidis sui proportionem in augmentatione & multiplicatione sumserunt. Ista autem ex compositorum resolutione innotuisse aiunt: vt: *in auro inuima est terra vnius ponderis, aqua decem, aër centum, ignis mille*. Ergo eadem proportio seruanda est in compositione. Hinc regula: *Quota portione extracta sunt ex misto essentia, tota iterum sunt coniungenda siue virtualiter siue corporaliter*. Sed multa possunt accidere, quæ scientiam istam in specie mutent, incertamque reddant, cumque simul in elaboratione particulares essentiæ nobilitentur, quis exacta mensura dicet, talem omnino fuisse naturalem proportionem, qualis apparet in arte? Elementa inaoia sunt remota. At & hæc aliquid ad temperamentum afferebant. Non desunt, qui omnia ignea, & cœlestia velint, perinde ac in tinctura philosophica nihil nisi formale, & de igni cœlesti deprehenditur. In via igitur analoga philosophicæ absolutæ consilium hoc sequamur, vt *de cæteris elementis tantum apponamus terra, quantum possit assumere, idque per imbibitiones particulares experiamur*. Persuasum enim est, non plus assumere, quam quanto indiget. Quare sufficientis appositionis, seu nutritionis & imbibitionis (ita enim vocant) signum est, nil amplius assumere, nec iam coagulare vt ante, sed humidum manere in digestione calore operante.

Imbibitionis modi.

Duplici hic vtimur imbibitionum, seu nutritionum modo. Nam *vel totum succum paulatim instillamus, vt totus coaguletur vel succum vehiculo concreditum & dilutum irroramus, & paulò post quam assumta & diglutita essentia est, vehiculum insipidum reuocamus. Quod si pari valore exit, quo fuit additum, satis potum esse iudicamus, indeque ad coagulationem perfectam pergimus*. Ista exemplis nonnullis declaremus, quorum quædam rudiora inueniuntur, quædam perfectiora. De lapide minerali suo loco multa diximus, & nonnulla etiam alias reponemus.

Lapis sanguinis. Penotus in chymicis pag. 116. edit. Franc. an. 1594.

De lapide sanguineo Thomas ait: *Accipiatur sanguis humanus, & putrefiat in fimo calido. Inde transferatur in destillatorium. Destillatione educatur aqua lactea. Aucto igni oleum destilletur. Feces calcinentur ad niueam albedinem. His postea reddatur oleum, fiatque lapis clarus, rubeus, admiranda efficaciæ ad sistendum sanguinem & multas infirmitates expellendas.* Hæc ille breuiter: sed quæ explicanda sunt. *Aquam lacteam rectifica, & separa ab ea phlegma; idemque fiat in oleo. Per phlegma ex calce extrahe salem, quem seorsim purificabis solutionibus. filtrationibus & coagulationibus, eandemque sublimatione, vt fiat crystallinus. Terram quoque purga calcinando ad niueam albedinem, à qua separabis arenosam superfluitatem. Cape iam spiritum, eoque solue oleum tuum. Terræ iunge salem, & hæc duo vnita imbibe spiritu oleoso, vt terminetur humido siccum, & contra, fiatque lapis quem quæris. Interim si humiditas aquosa sit cum spiritu & oleo, eam leni destillatione separabis vt ad modum termini veniat coagulatio in digestione, quæ non peragitur breui.* Hæc de sanguine Thomas. Addit *de plantis*, sed *artificio alio*, nempe *per cineres*, sales, deliquium, & coagulationem, qua de re vide ipsum.

Processus Quercetani per viam philosophicam.

Quercetanus *de medicina prisca materia cap. 7.* generalem modum proposuit. Primum iubet extrahere *aquam passiuam* seu phlegma: 2. *liquorem essentialem*, qui mercurialis dicitur: 3 *sulphur* seu oleum: 4. *cinerem facere*, & salem cum proprio phlegmate separare, eumque repetitis solutionibus colatutis per manicam & coagulationibus deputare. Huic sali in alembicum immisso affundit totam suam aquam Mercurialem acidam: Digerit in leni balneo per vnum atque alterum diem. Deinde aquam in cineribus abstrahit ea prudentia & moderatione, vt tantum aquositas insipida relicta potentia essentiali exeat, persuasione hac, salem volaticum coiturum cum sale fixo. Mouet mercurialem aquam etiam transcolari per salem fixum posse, & sic quoque hæsurum.

Sal armoniacus perlatus.

Cum salis volatilis portio exuperat portionem fixi, quod pondere explorari dicitur (si scilicet sal fixus duplo triplove auctus est pondere) sublimare iubet, vt fiat *sal armoniacum philosophorum perlatum*. Hoc puluerat, & perfundit oleo suo purificato: Coquit, putatque sic figi, sed manente fusilitate cerea. Ita *ex ternario factam monadem* exhibuit. Sed nihil habet de terra virgine, quæ tamen est primum corpulentiæ fundamentum. Quod etiam totam aquam mercurialem semel affundit, id alias declarationem habet ex philosophicis axiomatibus, *cauendum esse, ne plus iusto humoris vna vice affundas, quia sic suffocetur, & mergatur ysir*. Satius erit imbibitiones per vices procurare, donec qui liquor abstrahitur, æqualis sit colore, odore, & sapore, illi, qui affundebatur. In defensione babes *exemplum*

Lapis Saturninus.

metallicum de plumbo, ex quo per destillationem calcinati fit spiritus & oleum inflammabile: Ex fecibus vero calcinatis sal fixus colligitur, qui crebro per proprium phlegma soluitur, filtratur, coagulatur donec crystalli instar persplendeat. Ei sensim affunditur spiritus plumbi mercurialis, in quo est sal volatilis, & vna coagulatur, coagulum sublimatur: coagulato particulatim adiicitur oleum: Digeritur; destillatur ita, vt exeat tantum aquositas manente sulphure. Ita proceditur, dum totum sit consumtum, & ita oritur elixyr saturni ingenti laude ornatum. Hic quoque terra virgo deficit. Sed putandum est, in metallicis & lapideis eam coincidere cum sale. Calces enim istorum fluxiles in humido, sales dicuntur.

Elixyr vitrioli.
Vide tincturam vitrioli in Tetrade Querc.

Elixyr vitrioli. *Vitriolum Vngaricum vulgare, vel Martium, venereum, aut quodcunque aliud destilletur, vt prodeat phlegma spiritus, oleum. Colcotar primum perfundatur phlegmate rectificato, & sal extrahatur, qui item purificetur crebris solutionibus, colaturis, & coagulationibus. Deinde calx relicta redigatur in terram virgineam extractione per acetum stillatitium, aut vini spiritum. Hanc terram arefactam imbibe prius spiritu suo particulatim, & reuoca insipidum humorem lenibus destillationibus, aut diuaporationibus, interposita semper sua circulatione: Cum spiritum combibit, adde salem & oleum: vel etiam prius salem cum terra misce, & spiritum cum oleo, sicq; vnionem institues compendiosius. Oleum autem* (cum vel sine spiritu) *potes totum semel apponere, & in vase*

Sulphur vitriolatum anodynum falso dictum.

clauso Hermeticè inferre in digestionem calidam per vnum atque alterum mensem. Ita vicissim in se agent, & tandem in vnitate quiescent. Hoc elixyr à quibusdam appellatur *sulphur vitrioli Anodynum & narcoticum*, de quo alibi dictum est. Sed non est sulphur. Querceranus descriptionem in Hassiam misit, verum crassioris Minetuæ, quæ tamen videtur satis esse pro *Nepenthe* ad somnum conciliandum in doloribus.

bus. Vide Hypomnemata de chalcantho. Penotus eodem artificio vsus est in *elixyre mellis*. Mel a- *Elixyr mellis Penoti.*
qua ter destillata soluit, coagulat, iterumque soluit & coagulat filtrationibus intercedentibus,
idemque repetit tertio. Sæpe vero per filtrum solutio traiicienda est, vt tota sordicies decedat.
Hinc includitur Pelicano, & digeritur per mensem. Sidit pars crassior: purior natat. Hæc est deca-
pulanda. Crassior vero ex cineribus destillanda vsque ad siccum. Feces calcinatæ soluuntur aqua
stillatitia, & colantur: post coagulantur, denuoq; lento igne per horam quasi cremantur, (calcinare
is iubet) vel potius exiccantur, vt fiant siticulosæ. (Nos salem extrahere iuberemus iuxta regulam:
& ex terra reliqua virginem facere.) Exiccata calx imbibenda est succo decapulato sensim, abstra-
cta semper, aut diuaporata humiditate elementali. Hoc peracto affunditur aliqua pars olei. Digeri-
tur, donec sit assumta & incorporata. Submittitur alia portio, idque donec tota quantitas suo cor-
pori sit restituta, euaseritque quasi spissum gummi, cuius vsus est *conseruatiuus integræ sanitatis*. His *Imbibitio*
exemplis studiosus chymiæ potest praxin in cœteris quoque assequi. Est autem & *alia imbibitio* *per succum*
vulgaris officinæ quam *nutritionem* vocant, vt cum sarcocollam nutriunt lacte prius triduo aqua *alienum.* *Sarcocolla*
rosacea, & post succo rubi pluribus diebus maceratam, vt Hollerio visum fuit. Bulcasis albam cras- *nutritio.*
samque sarcocollam in patina vitrea lacte asinæ, aut mulieris conspergit, ne liquescat tamen, seu
soluatur, sed quasi sicca maneat. Statim autem in Solem transfert, vt cito lac inarescat antequam a-
corem contrahat. Repetit aspersionem quater, vel quinquies. Ita præparari iubentur & *myrobalani*
emblici per lac acetosum. Verum hic est alius modus à nutritione illa Philosophica, cum non pro-
pria essentia, sed aliena, vel etiam succus inelaboratus, idque non compositionis potissimum con-
silio, sed correctionis studio ingeritur. Vsi tamen hac quoque arte sunt aliquando chymici, vt Peno- *Ellebori ni-*
tus in *radicibus ellebori nigri*, quarum *cortices in Octobri lectos & vino mundatos, vino maluatico irrorat, apri* *gri corticum*
casque & arefactos iterum madefacit, & siccat, idque repetit tertio. Post hac tritos in puluerem saturat succo rosa *præparatio.*
rum solutiuo quinquies per vices arefaciendo & humectando. Vltimo contritos reponit dandos à gr. 8. ad 12. ex a-
liquo syrupo. Crollius *puluerem Ischamum ex myrrha thure, croco, camphora, aqua spermatis ranarum vicies aut* *Ischamus*
tricies imbibit interpositis semper resiccationibus. Commendat etiam ad internas hæmorrhagias, quem vi- *puluis*
de in *Basilicap.* 276. Eodem artificio tractat etiam contritum *scammonium*, toties *id imbuendo succo ro-* *Scammonii*
sarum pallidarum, aut syluestrium addito spiritus vitrioli momento, aitq; sic lentam & viscosam eius *præparatio.*
humiditatem dissipari: Succo vero rosaceo posse addi mediam partem cydoniati, vt fiat catharticum
excellentius: loco cuius correctionis *Balcasis assationem* in ollis tribus quatuorve sibi mutuo impo-
sitis, agglutinatisque & vltima operculo clausa, alternis stratis ex malorum fragrantium segmentis
aut rasura & scammonio factis instituit. *Aliis placet extractio per succum rosarum*, adiecta aqua earun-
dem per spiritum chalcanthinum alterata. Esse autem hunc modum à magisterio philosophico tra-
ductum, speciemque compositionis, manifestum est. Vniuntur enim nutriens & nutritum, vt fiat
vna quædam substantia, sicut in coagulatione sapientum rore Madian potatur terra, irrigaturque
quasi imbre: Et postea natus infans eorum seu lapis nutritur lacte virgineo, seu aqua sua mercuria-
li, donec fluxilis fiat vt cera, & liquescat sine fumo, irrepatque in imperfecta, quam rem etiam *ince-*
rationem appellant. Huius *magni perfectique magisterii* istæ imbibitiones sunt quasi *vmbra quadam*, tunc
vsurpandæ, cum totam copiam humoris semel, simulque non potest subiectum suscipere, nec sibi
coniungere, quin corruptio aut aliqua deprauatio ante perfectam vnionem interueniat. Pruden-
tiæ hîc est, vt initio parum irrores; successu temporis crescente mole plus, sicut & puer paruus pa-
rum lactis admittit, auctus requirit alimentum amplius & fortius. Est huius artificii industrius vsus, *Purgantia*
cum semina, aromata (vt Zingibet, cinamomum, galangam, calamum aromaticum) radices, poma *per imbibi-*
& similia volumus purgantia reddere. Nam *extractis purgantium similiter imbibuntur, & leuiter exiccan-* *tiones.*
tur, quo ad satis combiberint. Penetrat autem essentia purgans ope vehiculi ad interiora, atque ita
totum corpus facit purgatiuum. Sic semen anisi, fœniculi, cynæ, anethi, &c. catharticum redditur,
sic & *sacharum granulare*, quod *corpus sine anima vocant*. Nec in purgandi scopo tantum valet hoc artifi-
cium, verum etiam in roborandi, & malignitatem arcendi consilio. Qui ergo velit *terram sigillatam*,
aut *cornu ceruinum* vstum, contritumque, aut *coralia*, aut *margaritas*, &c. *alexiteria virtute augere*, aquam
Theriacalem, vel acetum bezoardicum potandum eis præbeat. *Lapides cancrorum*, leporis combusti
puluerem, & similia sic aptè spiritu vitrioli potes *contra calculum*. Sic margaritas & conchas purga-
tas eodem *contra febres*. Potatum sacharum aspergine extractionis croci fit *cordiale*. *Puluis succini* albi
extracto macis, roris marini & similium nutritus aptus fit *ad cerebrum corroborandum*, sicque melius
miscebitur tabulatis, tragæis conseruis, &c. Qui industria valet, semel monitus talium compositio-
num numerum & augere admodum & variare potest.

Diasenne.

Senna coquatur ex sero lactis. Brodio abiecto ipsa exiccata in puluerem mediocrem contundatur. Extrahatur *Diasenna*
essentia per spiritum vini, vel aquam ex decocto anisi seminis destillatam, aut menstruum olei anisi, aut caryophyllo- *passulatum.*
rum. Extractiones ad iulepi consistentiam redigantur. Hoc imbibe passulas maceratione vini, vel aqua cinamomi tu-
misfactas, iterumque nonnihil exiccatas, quo ad satis. Da cum sacharo.

Diazingiber.

Zingiber conditum laua, vt viscositas brodii abeat: Fora aliquot locis. Positum in patina vitrea nutri extra- *Diazingiber.*
cto scammoniato adhuc liquido. Si liquidum deest, resolue id aq. cinamomi. Cum satis potasti, induc crustam ex sac- *Cerasia la-*
charo, & serua. *xatiua*

Cerasia laxatiua.

Cerasia condita exime ex suo succo, & nonnihil in vmbra resicca. Deinde aliquot foraminibus pertunde; & nu- *Pruna pur-*
triea infuso aquila cœlestis: vel croci metallorum. Si pruna laxatiua cupis; extractum scammonii solue aq. cinamo- *gantia.*
mi, vel si odor & sapor patienti displicet, rosacea, aut stillatitia decocti cydoniorum. Pruna dulcia, abluta, & nonni-

S hil vi-

hil vino macerata, persossa, & iterum aliquantulum resiccata solutione dicta imbibe ad saturitatem.

Sacharum crystallinum laxatiuum.

Sacharum purgans.

Flores venæ aureæ stibiatæ per sublimationem factos correctosque macera aq rosacea, aut vino, aut hydromelite. Liquore consperge sacharum modice contritum: sicca: consperge iterum, donec satis.

Rhabarbarum correctum.

Cremorem tartari

Si solueris aqua Endiuia, & cinamomi: soluto imbueris Rhabarbari puluerem incisione, non tritura factum: corrigetur ad meliorem vsum. Ita *sulphuris flores* potare potes aqua Theriacali, elixyre vitæ & similibus. *Tartari crystalli* fient purgantiores, si potes eos infuso sennæ, scammonii, aquilæ cœlestis, &c.

Flores sulph. correcti.

Tartari crystalli purgantiores.

(a) *Tria sunt in fermentatione pater Sol: mater Luna, mediator mercurius seu spiritus. Pater confert animam, estque aurum. Luna est corpus & materia animanda, vt in hoc opere elyxir rubeum. Mercurius est aqua, per quam ista duo copulantur, natura vtrique familiaris.*

Caput XXXIII.

De compositione formali per proiectionem, & analoga.

PRoiectionem vocant Philosophi Hermetici, cum medicina formalis super materiam dispositam proiecta eam transmutat, vel in medicinam similem, vel in determinatum corpus, de cuius natura fuerat tinctura, quæ est in medicina. Quæritur num ad compositiones referenda sit. Thomas *in fine capitis 1. de secretis* de suo experimento scribit, quod confectionis suæ ex elementis compositæ vnam partem super mille argenti viui proiecerit, senseritque quod eas coagulauerit, & argentum rubrum effecerit: Ex quo apparere dicit, illam naturam seu tincturam habere aliquid de natura corporum cœlestium, quia in transmutatione habeat se per modum formę vel agentis potentissimi. Magis hoc iudicabit aliquis, si consideret medicinam eò sublimitatis, & potentiæ perduci, vt vna pars non mille, sed decies mille partes tingat. *Hanc esse* non quidem simplicem, sed tamen *aliquam compositionem, negare non possumus. Non est simplex; quia fit simul transmutatio. Compositio* vero est, *quia transmutans cum transmutato coalescit in vnum corpus*, cui etiam affert omnes illas dignitates, quas habuerat id, vnde erat transsumtum. Talis autem compositio est, qualis caloris cœlestis cum elementaribus apud Hippocratem, aut qualis ætherii spiritus cum mistis sublunaribus, qui etiam per artem chymicam separari potest. Attigit hanc Aristoteles in 1. *de ortu tex.* 89. *Quando alterum solum passiuum erit*, inquit, *aut vehementer: illud autem valde remisse: aut nihil amplius fit, quod mistum est ex ambobus, aut parum, quod quidem contingit circa stannum & æs. Stannum enim vt passio aliqua existens sine materia æris pene euanescit, & mistum recedit, cum colorauerit solum, quod contingit etiam in aliis balbutientibus inuicem & quasi ancipitibus, vt sint miscibilia remisse, & alterum quidem susceptiuum* (δεκτικὸν) *alterum autem vt forma.* Agnoscit mistionem aliquam Philosophus, sed formalem magis, quam materialem, quanquam materiæ coniungatur formæ perfectiua & essentiali, non mixtili vnione. Putat autem stannum ab ære consumi vt euanescat corporea moles, manente saltem tinctura. Verum hoc iudicium est ad oculum. Nam & corpus stanni manere, indicat separatio, licet adeo dilatetur & extenuetur, vt magis pro tinctura formali habeatur, quam pro parte materiæ. Sic cum fit *orichalcum aureum* ex cadmia & ære; vel *album* ex magnetide aut mercurio aut arsenico, & copro. Verum proiectio Philosophica exemplo simili caret, adeo nimirum spiritualis, subtilisque est tinctura, vt cœlestem formam in materiam immissam esse putes, quæ mole minima virtutem habeat maximam, sicut etiam magni halitus coagulatione in paruum corpus redire possunt. Neque vero dicendum est, euanescere tincturam aurificam, & argentificam, cum hydrargyrum aut in perfectum aliud metallum transmutat, nisi ad eam tenuitatem sit perducta vt ad tingendum sit inutilis. *Fixa est.* Quomodo ergo dissipetur? Validissimum est immutans. Parum itaque patietur à materia. Et tamen cum nō rubrum colorem & sanguineum quādo metallum facit, conciliet materiæ, sed aureum, in quo & ipsa constanter permanet; aliquid vicissim pati necesse est, vti apparet cum forma olei adhibetur. Neque enim omnino impassibilis est, vt & aurum quod Spiritus sancti iudicio per S. Petrum prodito est corruptibile. (φθαρτὸν 1. Pet. 1.) Magis passiua est tinctura argenti. Hæc dicimus, non quod ad praxin chymicam pertinere velimus: sed vt occurramus scholasticis, & scopticis istis, qui proculdubio nares corrugabunt; viso; nos proiectionis modum compositionibus apponere. Qui Philosophicas dissertationes amant, his non ingratum factum esse speramus. Exempla huius commistionis vera non extant in arte nisi tria tantum. Primum, est medicinæ proiectio super argentum viuum, vt fiat medicina, siquidem est perfecta: Secundum, medicinæ medicatæ rubræ proiectio super argentum viuum vel imperfecta metalla, aut mercurialia (stibium cadmiam, marcasitham, &c.) vt fiat aurum: Tertium, albæ proiectio super eadem ad argentum. Posset & tinctura fieri ex cæteris metallis: sed cum iis abundemus, nemo laborem in eis suscepit, nisi quod Geber monuit, negligentia vel imperitia quosdam spe perfecti metalli imperfecta obtinuisse. Excogitata sunt & *particularia duo*; sed quæ non fiunt per proiectionem. Quædam tincturæ discrepant tantum gradu elaborationis, referunturque ad perfectas. Sophismata vero multa iactata esse quis ignorat? Valentinus Monachus *lapidem ignem ex antimonio parare docet*, cuius proiectione sperat itidem metallum perfectum. Alia alii protulerunt, quibus vix aliud consecuti sunt quam Alchemistarum infamiam, vt vt Mirandulanus, & Clauæus, cum multis artificia multa sunt professi. Id tamen non dissimulandum est simile quid fieri tincturis apparentibus, quas sceleratum hominum genus pro veris & perfectis vendidit, perinde ac si quis orichalcum pro auro, argyrochalcum pro argento vellet venundare. Ars in istis colorationibus innocens est. Finem enim honestum habet in statuaria & vtensilibus, picturisque ædificiorum; sed permutatio fraudulenta

Tinctura æris ex stanno.

est in

estin culpa. Nos in exemplis vniuocis nihil habemus nisi vniuersale magisterium.(*a*) Analogismos deicripsimus in colorationibus, & conflaturis. Hi autem ad corporalem mistionem iam propius accedunt, cumque alibi sint declarati, non opus est vt pluribus de eis disseramus. Præterea non multum facit hoc totum negotium ad pharmaceuticam. Nam sophisticum aurum & argentum vt vt possint in externis vsum habere; ab internis excluduntur. Non autem verum aurum & argentum proiectione occulta factum exulant à medicina, nisi quis forte putet tincturam ipsam esse vniuersalem & panacæam, non autem gemmam & metallum perfectum per eam factum vel particulare salutem. Illud inquisiuerit Chymiatriæ studiosus, num sicut proiectione elixyris & tincturæ mineralis fit medicina & tandem aurum ex argento viuo, & omnibus mercurio minerali constantibus, ita etiam in pharmaceutica possint parari elixyria, efficaceique tincturæ, quibus proiectis in disposita subiecta euadant medicamenta ex imperfectis leprosisque metallis microcosmicis facientia aurum & argentum parabolicum, hoc est auream & argenteam sanitatem: Ad hanc quæstionem explicandam experimenta naturæ inspicienda sunt. Scorpium, viperam, aspidem, araneum, phalangium & huiusmodi venenata, vt & canem aliasq; bestias rabidas: Item ex plantis phthoram, napellum, &c: *tincturas habere potentissimas* adeoque spirituales, *vt minima mole corporis succo per morsum puncturamque communicata totum immutent*, & rabientium virus etiam specificum quid; & sui simile excitet dum à *cane morsi mores canis imitantur*, à fele, mores felis: Imo qui *sanguinem & cerebra istorum animalium comederunt, gesta & clamore tandem ea imitantur*; vt verè sicut prima tinctura ex mercurio facit sui similem tincturam, ita etiam virulentia ista dispositos spiritus & succos in homine tales reddat, qualis est ipsa: Hoc & de alexipharmacis deprehensum esse iudicant multi, arbitrantes corpus hominis alexiteria vsurpantis tincturam potentem contra venena accipere, vti de *Mithridate* sentiunt nonnulli, quod Mithridatio suo se immunem à vi venenorum reddiderit. Et de *puluere serpentum* ea scribunt, quæ supra recensuimus, estque opinio passim vulgata. Hinc concluditur, posse & præseruari vi talium medicaminum hominem; & sanari. *Posse vero* etiam *alia medicamenta per tincturas tingi, vt postea fiant salutaria homini*, id quoque est in historiis, & experimentis. Qui enim *vinum, in quo vipera viuens periit*, potauerunt ægroti leprosi, salutem sunt consecuti. Possunt infici fontes & alia, quod à Iudæis aliquando, & vespillonibus tempore pestis factum, fierique posse subtili arte à veneficis & apud veteres, & recentes legimus, vt porro sint hominibus deleteria: quid ni hoc queat procurari etiam tincturis saluificis? Imitetur ergo chymicus Pharmaceuticus metallurgicum, & tincturas potentes arte philosophica procuret, quarum in liquorem dispositum proiectione efficiat medicinam porro tingentem spiritus, humores, membraque solida corporum. *Harum tincturarum multas iam experientia cognouimus adeo spirituales & efficaces, vt sola impressione formali absque corporis communione catharticas potiones præbeant*, quibus omne genus impuritatum ex corpore humano possit expelli; cuiusmodi sunt *vitrum antimonii, calx* quoque, & *regulus*, & *flos* eiusdem, cum tinctura *sulphurea* & aliis *ex stibio* artificiose paratis, qualia sunt quæ Rulandi & Quercetanus deprædicant *crocus metallorum, terra benedicta*, & plura alia de quibus supra. Aliud fit ex *argento viuo sublimato*, quod *aquila cœlestis* & *panacæa* audit: aliud ex eodem sublimato & regulo vel puluere stibii, quod appellant *mercurium vitæ*: Ita habentur medicina *de auro seu flos ex antimonio aurato*, aut etiam *calx* ex eodem: *Aurum vitæ: præcipitata plura, corallina, Turbith minerale: marcasitha*: & similia alia, quæ proiectione & maceratione quemuis liquorem patienti gratum ita tingunt, vt etiam per colaturam remotis illis, operentur perinde ac si ipsa essentia esset assumta. Illud ipsum etiam in *alexipharmacis* & *confortantibus* tentatum est, conatique sunt aliqui etiam ascendere ad *nutrimenta*. *Ex auro* sane *tincturam* & *oleum* promittit chymia, cuius exigua portio iniecta in vinum hoc sic tingat, *vt omnes vires corporis, præsertim autem calor vitalis & spiritus humidumque radicale insigniter roborentur, quando tinctum vinum assumtum præmissa catharina expurgatione fuerit.* Eius vim dicunt esse etiam in *antimonio*, ex quo *igneum lapidem & tincturam* similis efficaciæ procurant. Accommodat autem se Sol mineralis Soli vegetabili; & quod fit ex vtrisq; porro soli animali hominis propter familiaritatem naturæ se iungit. In *vino est potens nutritiua: in auro & auris mineralibus potens alteratiua.* Ergo medicamentum illud proiectione hac pharmaceutica tinctum euadit rationabiliter commodum ad nutriendum primum, & ad roborandum. Pro vino sumere potes *liquorem nutritiuum ex carnibus optime nutrientibus*, quale fuerit decoctum caponum, & similium. Hoc si tingas aurea tinctura, quis neget te præclarum adiumentum præparasse, cum etiam vulgarium officinarum sententia eiusmodi *carnes cum auro coctæ*, vel *ius earum ab ipso destillatum*, aut *extinctione candefacti* alteratum credatur principium vitæ cor excellenter recreare, & totum corpus præclare nutrire, spiritu & sanguine vitali optimis procuratis? Sit ergo hæc *nostra proiectio compositiua ad medicinas nutrientes, & alterantes potenter faciendas, quarum tinctura quidem quæruntur principaliter in auro, argento, antimonio, sanguine humano, vino* (vnde auri potabilis varietas) *sed postea etiam in gemmis ex lapide philosophico artificialibus, & naturalibus his quæ inueniuntur in matricibus potentibus, quibus adduntur coralia, & margaritæ*: Item *lapides Bezoardici, cornua & ossa Rhinocerotis, monocerotis, cerui*: Item *moschus, ambra, tinctura Kermes*, & multa huiusmodi, cum his quæ nutritiuo succo pollent ex genere animali, & vegetabili. Horum ergo præsentia ne sit destitutus chymiater, si velit professionem suam ornare. Sunt autem *quædam vniuersalibus affectibus*, quos astrales & occultos dicunt, *quædam specialibus* accommodata. *Quædam sunt ex multis coniunctis*, vt in illa *tinctura quæ omnes planetas continet: quædam ex vna simplici* potestatum multarum. Nec *Catholica* ista oportet à chymiatria abesse, *nec specifica*, qualia deprehensa sunt. *Mercurii*, præsertim ex sole & venere, *tinctura*; item *ligni Indici*, ad morbum Neapolitanum: *Viperæ, & hydrargyri debito modo præparati ad lepram*: *Nitri ad febres*, inccini albi, visci querni, Alces, cranii humani, &c. *ad epilepsian* & sic de cæteris. Debent in promptu esse etiam ad *chirurgiam* vulnerum, vlcerum, fracturarum, tumorum, &c. tam generalia quam specialia, quanquam in his magi-

Quæstio de corporu ægri in sanum mutatione proiectione medicina.

Vide Plinii lib. 24. c. 17. de magicis, quorum quædam sunt naturalia: & lib. 26. cap. 4. Vbi æthiopide herba coniecta stagna siccari traduntur, hoc est, hydropes euanescere.

Tinctura alexipharmaca quid possint.

Cathartica formalia qualia veteribus fuerit. Lapis Lazuli (ex quo vltramarinum) Armenus, Molochites, Chrysocolla natiua; æris squama, &c.

Cathartica vel insipida vel iucundi saporis spiritualia.

Virium omnium instauratio num.

Chymiatria Catholica & specifica habet tum purgantia; tum alterantia alexiphamaca; appropriata; confortantia, nutritionem iuuantia.

ſtralis ſaltem, aut materialis extractionis elaboratio ſuffecerit. Ita demum conſequemur illud *magnificum pro Dei benedictione Catholicum.* Quod autem iſtæ medicinæ non debeant in corpora ſine præcedente proiectione in competentem ſuccum immitti, ſatis patet arte proiectionis mineralis. Nam ſi quis hic velit pulnerem, vel oleum aurificum ſtatim ac paratum eſt in metalla imperfecta liquata inijcere, is non conſequetur optatum. *Nimis enim ſpiritualis eſt tinctura, & corpora elementaria impura non ingreditur: nec vnitur eis,* niſi forte quis ea purificauerit ſtudioſe. Ita ſi velles in corpus hominis ſcatens excrementis immittere auream medicinam abſque medio, plus nocumenti, quam adiumenti conciliares. Ideo *memineris & prapurganda eſſe corpora, & proiectionem in liquorem commodum præmittendum:* Liquorem inquam magis actualem quam potentialem, quia is eſt diſtributiuus. Si corporalius medium ſumeres, id impreſſionem iuſto maiorem faceret in ſolida membra quæ primum impetum excipiunt.

Liquor, diſtributiuus eſt, & ſe iungit noſtris liquoribus, proximeque & ſpiritus, & ſolidas partes, tanquam medium inter vtrumque tangit. *Quidam ſpiritualia ſpiritibus ſtatim iungi volunt.* Sed violentia committitur ſi abſit medium. Neque poteſt ſpiritus in fornaculis chymicis paratus proxime diſpoſitus eſſe ad ſpiritus noſtros augendos, roborandoſque niſi prius aliquam immutationem intra nos ſuſtinuerit. Nam nutritio roboratiua ſimilitudinem accipit per immutationem in membris naturæ Non autem poteſt alterari, quod ne momento quidem expectat vim agentis. Suſtinere vero poteſt liquori iuncta, & quaſi corporata tinctura cœleſtis. Vt cœlum ſiue media natura nobis inutile eſt, ita & cœleſtes tincturæ. Quare hanc proiectionem ſibi commendatam habeat chymicus.

De Catholica ſola quæſtio.

Quæritur autem iam pridem, *cur pluribus medicinis inſtruendum ſit chymeium pharmaceuticum cum à Lullii, & Arnoldi temporibus tantopere prædicata ſit, & inculcata* TINCTVRA *quædam vniuerſalis omnem vim ad omnem ægritudinem natura & arte nacta, ita vt facile tuto, & iucunde omni ſcopo votoque medendi ſola ſufficiat?* Quorſum purgantia generalia & ſpecialia præſcribuntur? Quorſum nutrimenta per extractiones ingenioſe parata, vt ſimul medicam vim habeant? Quorſum alexipharmaca catholica, & ſpecifica? Quorſum roborantia communia, & appropriata, ſi omne votum explet vnicum καθόλου? Nam enim tale datur in omni natura? Et ſi datur, num etiam ſubiacet arti, & obedit tractationi chymiatricæ?

Negatur catholicum iſtud hyperbolicum.

Nos *ſupra nec materiam arti cognitam eſſe, nec elaborationem inuentam, nec exemplis conſtantibus comprobatam iſtam vniuerſalis aſſertionem* ſcripſimus & contra *Panacearum iactatorem* abunde diſputauimus, & adhuc negamus, Paracelſicum vniuerſale dari poſſe, etiamſi Paracelſus, Ambaldus, Gramanus, Suchten, Palmarius, Querceranus, Crollius Lullius, & alii plurimi id pertinaciter pro gloria ſuæ ſcientiæ, vel notitiæ, & iactantiæ potius, quam ſcientiæ ex principiis experientiaque & arte, aſſeuerauerint, & ſequaces adhuc affirment, adeo profuſe, & hyperbolicè, vt cum veteres, nimirum pudentiores modeſtioreſq; de vno duntaxat *ex auro, & mercurio* (ſiue vegetalia intelligas, ſiue animalia, ſiue mineralia) ſpoponderint, (vnde & Micheltus cum Quercetano *in lib. de materia priſca medicina Philoſophorum,* illud *Syracida* 38. *ver.* 4. *altiſſimus de terra creauit medicinam; de vnica & ſola principali. cui aliqua ſecundaria particulariter poſſent ſubſtitui, ſi deficeret, intellectum,* expoſitumq; voluit:) recentiores liberaliter plura iactitent Catholica, cuiuſmodi eſt *Panacea ſtibiaria* Quercetani, *Aquila cœleſtis imperatoria* ex argento viuo duplici, *ſpiritus plumbi* Rulandi, eiuſdemq; *aqua benedicta ex terra ſancta vel croco metallorum.* Penotus *ſalis oleum* infinitis morbis oppoſuit vt & medicamentum *ex vitriolo. antimonio, marcaſitha. De auro potabili* quanti ſunt fumi gloriantium? Ei additur *Lapis aurificus, oleumq; auri.* Quidam ex *ſulphure antimonii* ſperat Catholicum; Ambaldus primo habebat *terram ſigillatam* quandam: mox vendebat *puluerem panacearum* ex *cinabari,* croco, & conchis: Vtriq; vero tribuebat eadem, nempe omnem vim medicam: nec omittebat ad fidem plenam argumenta. Alii moliuntur vniuerſale ex *Tartaro*; alii ex *rubino ſanguinis microcoſmici.* alii *ex vitriolo,* & *ſtibio*: Quercetanus tum ex iſtis, tum ex *chelidonia* iuxta Lullium, Vlſtadium & alios. *Ex vini quinta eſſentia,* & lapide quis non paulo iactantior? Quid non tribuitur *mercurio vitæ?* Ex Paracelſo producitur *ſpecificum. Catholicum* iuxta planetas, ſeu ſeptem membra principalia: Et ſane non opus erat ſingulatim iſta colligere, cum Quercetanus & alii velint, omnium radices eſſe *in vno antimonio, cuius croceus puluis ideo nomen trahat metallorum,* & Baſilius *lapidem ignem* paris virtutis inde fabricare doceat; Suchtenius autē omne metallum ex eo promittat, nec Seuerinus, & ſimiles in gloria antimonii tardi inueniantur Duo admirari hic contingit; *Prius, qua experientia tot, tantiq; viri, quos non facile accuſes vanæ aſſertionis, ſi Paracelſiſtas mendaciſſimos excipias & cognoſcere, & conſtanter affirmare potuerint in vna re tantum eſſe omnem vim ſanatiuam,* quæ res tamen non ſit extra naturam, ſed intra eius complexum, non omnem naturæ poteſtatem, verum determinatam ſortita; quæ item, licet artem experiatur, tamen nihil ab ea vltra ſuam primam deſtinationem accipere poſſit: Poſterius, *quo argumento ab vnitate ad multitudinem ſit deuentum,* (b) *cum de illa vna præter verba vix quicquam habeamus, & inter opiniones incertas hæreat prima.* Cogitandum fortè eſt, *noluiſſe quenquam videri aliquid ignorare,* cumq; varia nomina legeret apud priſcos, vnumquemq; arripuiſſe rem ſibi viſam, quam autoritatis argumento putaret vniuerſale eſſe, perſuaſum, *eſſe quoddam,* licet, nec experientia cognouerit, nec quid apud priſcos eſſet vllo modo, niſi diuinando, ſciret. *Accesſit arrogantiæ temeritas.* Cum enim quilibet ſibi tribueret poſſeſſionem vniuerſalis, nec poſſet permittere, vt alius eandem ſibi vendicaret: euenit, tot ſtatui vniuerſalia, quot capita ſophiſtica, & perſuaſiones ſingulares inueniuntur. Nuper prodiit, qui artem *Halchymiam* ideo appellatam cenſeret, *quia illud vniuerſale ſal* eſſet, non in vna quadam ſingulari re contentus, ſed in omnibus, tanquam ſpiritus mundi congulatus, *ſal Armoniacus acidus philoſophorum dictus,* qui ſit in re omni iuxta ſententiam eorum, qui aſſerunt, *mercurium* (qui tamen à ſale multum differt) *ſapientum eſſe vbique & inueniri* in ſterquiliniis; in lapidibus, plantis, beſtiis,

Promiſſores vniuerſalis chymici omnes mendaces.

Panaceæ plures, quæ cum ad inquiſitionem ventum eſt, re ſunt inutiles, verbis autem vndiquaque conſiſtis, & infinitis limitationibus defenduntur.

Contra Catholici aſſertiones confidentes.

Studium gloriæ & certamen vniuerſale inuenit.

Sal vniuerſalis.

bestiis, homine diuite, paupere, cum sit rerum vilissima, quanquam ad elementa, non ad salem respexisse videatur in ista enunciatione veteres, qui suam artem dixerunt esse elementorum conuersionem. Si hoc iudicium vetum putamus, *qualibet obuia herbula erit vniuersalis medicina materia*, quæ, vt volebat Palmarius, modo sulphur, modo mercurius, modo aliter diceretur, nominum turba, non rebus distincta. *Idem sulphur*, inquit Quercetanus *cap. 7. prisc. a med. extrahi potest ex omni corpore misto*, in quo inuenitur primum *phlegma*, deinde *liquor* virtualium qualitatum impressionibus præditus Mercurialis, tandemque *oleaginosus*, quibus extractis cinis relictus *salem* præbet cum proprio phlegmate eliciendum, & coagulandum: postea aliquoties iterum soluendum & coagulandum præmissa filtratione, donec purus & clarus euadat, quo facto liquor virtualis, in quo sal volaticus dicitur esse, per partes sit affundendus, digerendusque per vnum atque alterum diem: fore enim vt sal fixus assumat volaticum; aquositas autem secedat omni virtute spoliata: Hoc quoque peracto sulphur similiter reddendum sali putat prius sublimato; vt *perlarum instar* transpareat, quamuis non multæ perlæ sint pellucidæ. *Omnino effici debet res fluens calore instar cera*, & per consequens facilimè communicans cum spiritibus & naturali nostro balsamo, vtpote liberata *à passiua aqua & terra*, constans *tribus principiis hypostaticis, sale mercurio & sulphure*, in quibus etiam elementorum virtutes. *Sulphur* enim igni analogum est (simplici nimirum verè, & elementari) *Mercurius* aeri, & aquæ itidem simplicissimis & verè elementaribus; *Sal* terræ puræ, simplici, elementari, viuæ calidæ, actiuarum & vegetabilium qualitatum plenæ, &c. (c) Quid iam quærimus vniuersale? Non opus est in auro illo difficilimo elaborare, non in mercurio exactissimæ mistionis: *gramen quoduis obuiam capiamus*, & destillatoria nostra anatomica vexemus: Imo quorsum & hoc, cum vrinas iam extractas habeamus, vel quid vrinas? Est *halonitrum*, in quo omnia. Hæc nec sentire, nec scribere, nec dicere nos pudet. In ò addimus *magnificentissima plenis buccis praconia*. Interim *cum dens dolet*, tota pharmacopolia vertimus, & inter ambitiosissimas, spatiosissimasque pyxides aut pharmacorum formulas vix inuenimus *opium* aut *laudanum mille modis operosissimè compositum*, atque etiam tanto cum supercilio iactatum, vt *opiatum sit sine opio, & sulphuratum sine sulphure*, per medicamen quoddam chalcanthinum. Vbi vero experimentum gloriæ istius vniuersalis? *Temerè vtimur logica in rebus sensibilibus.* Sensu probandum euidenter est quod scribis. Audimus argumentum illud magnum:

Resolutio rerum Quercetanæ & reductio.

Vniuersale Quercetani.

Principia hypostatica.

Principia elementis implicata.

Ridicula iactantia Paracelsistarum.

Quod facilimè communicat cum spiritibus & naturali nostro balsamo, id ab omni agritudine & seruare nos potest, & captos liberare.

Medicina ex sale, sulphure, mercurio cuiuslibet misti facilime communicat cum spiritibus & naturali nostro balsamo. Ergo.

Minor probatur, quia fluit vt cera; quia constat tribus *principiis hypostaticis*, atque insuper etiam verissimis simplicissimisque, & *viuis elementis* est analoga. Hanc ampullosam argumentationem vel suppositorium refutat. Aliud:

Argumentum magnū pro vniuersali: sed morbi non cedent ampullis verborum.

Quod roborat naturam, & instaurat balsamum nostra natura redditum spirituale & animatum, auctumque viribus, id exigua dosi potest nos conseruare ad vltimam vsque periodum vita.

Aurum roborat, &c. Ergo. *Ex consequente est vniuersale contra omnes agritudines.*

Simplex quispiam responderet, non esse, vt de auro diceretur, cum sal cuiuslibet rei tantum valere asseveretur, & in vno tantum esse perhiberetur, quantum in altero: Item quæ de familiaritate differerentur, potius debere esse intra nos, quam extra. Idem enim sibi ipse familiarissimum. At nec quæ intra nos sunt, nec qui foris petuntur ex quouis misto balsami id vnquam effecerunt, quod affirmatur debere. (d) Neque aurum ergo.

Aurum vniuersale esse: nempe quia omnia auro venalia sunt.

Rursum:

Quod magna adaquatione temperatura adeo communicat cum balsamo nostro radicali, vt impediat dominium phlegmatis, bilis excandescentiam, & melancholia adustionem; conseruet etiam sua incorruptibili virtute, sanguinem à putredine, balsamoque nostro manus prabeat, vt non tantum naturam nostram praseruare, sed maximos etiam corporis nostri morbos superare possit, id est vniuersale remedium.

Id autem potest auri essentia, seu tinctura. Ergo.

Hic quoque deficit experientia, abundant verba. Si eadem vis est essentiæ cuiuslibet misti, quod non potest essentia panis & vini, multo minus poterit auri. Aureas nobis spes faciunt boni illi promissores, quia *sciunt, non esse, qui nobis illum aureum lapidem facere possit, aut factum virtute sanandi catholica comprobare.* Si non de tribus principiis, & elementis Hermeticis dicendum est, sed de humoribus Galenicis temperandis, non opus est aurum assumere: temperantia in victu temperamentum humoribus optimè præstabit, si vis externa absit. Ita magnificè sonant ista: *Spiritus innatus; balsamus natura est omnium operationum, actionum, & motuum pracipua caussa. Essentia balsamica sunt spiritui & balsamo adeo familiares, vt eos roborent, &c. Ergo sunt catholica medicina.* Quid opus verbis? Factis demonstranda est veritas. Neque enim medicina est in ampullis verborum: *Ars est, cuius finis opus sanitatis. Si omnia sanat & praseruat vna res chymicè elaborata, efficite gloriatores otiosi; vt id credere possimus euidentibus sensui experimentis.* Multa habet pro catholico Quercetanus *in libello de prisca medicina materia*, præsertim *cap 8.* vbi *argenti viui* caussam agit, dicitque, *balsamum ex eo medicinale esse natura atherea, siue ignis cælestis, quia viuificet, non vrat aut consumat:* & ideo ceu *aquam quandam vita permanentem, vniri cum nostro spiritu, eumque propter sympathian, & symbolum commune restaurare, & vegetare*, quod *fiat non alia de causa, quam ex amica conuenientia, quam habeat cum balsamo nostro radicali.* Addit præter naturæ similitudinem, *ob quam catholicum* remedium dicitur, virtutes quoque alias particulares habere, quia sit præditum *magna actiuitate*, spirituale, & summè penetrans, attenuans, digerens, dissoluens, infarctas expediens, &c. *Balsamus noster solus est rector & conseruator vita nostra, solusque infirmitatum auerruncator.*

Laudes argenti viui inanes, quarum argumenta petunt principium & ignorant elenchum.

Catholicum vnde dictū.

Balsami nostri virtus (Si vera. Quis enim demonstret.)

Ergo symmista quoque & coadiutor eius ex argento viuo.

Morbus est affectus contra naturam actiones lædens

Ergo est contrarius balsamo, qui actiones procurat, estque vel natura ipsa, vel instrumentum proximum.

Quercetanus grandiloquus. Sed bonus ille Quercetanus nimium suis ratiunculis tribuit, atque etiam alias est grandiloquus. Fingere balsamos procuratores actionum omnium in homine: Affingere ei balsamia medicinalia familiaria, coadiutores, symmistas, &c. facilè est speculatori otioso: Sed demonstrare, & effectu comprobare, hactenus potuit nullus. Crollius ægritudine Paracelsica occupatus in eundem impegit lapidem. *Crollii Vniuersale.* *Sanationes sunt duplices*, inquit, *in Basilica: vniuersalis vna, altera particularis. Illa est ablatio impuritatũ morbidarum vel ab ortu contractarum, vel post acquisitarum: Et perficitur balsamo naturali remediorum, humanæ naturæ consentaneo consumente tincturas seminarias impuritatum, & corroborante custodienteque innatum balsamum, quod iuxta Paracelsum* (præclarum scilicet autorem) *quamdiu manet in sua quantitate, non sentitur morbus. Absoluitur vno remedio, quia particularitates & indicationum pluralitates hic non habent locum.* Item: *omnes particulares medicinæ* (e) *reductæ sunt ad vnicam vniuersalem.* Item: *sapiens natura dedit ei per suum instinctum virtutes curandi omnes infirmitates naturales, & rectificandi seipsam, vt non opus sit cognitione infirmitatum seu pathologia medica.* Item: *Ad epilepsiam, podagram hydropem,* & *lepram omnes inferiores morbi tanquam ad principia referuntur. At isti morbi curantur per vniuersale: Ergo omnes curantur.* Ita ratiocinatur quidem Crollius pulchre in suo cerebro. Sed cum quæritur de isto vniuersali, & per id sanatione; *optandum id dicit, paucosque haberi dignos hoc munere.* Ea erat etiam summa votorum Palmarii. Quorsum prædicatur id, quod facilius optatur, quam habetur? Lullius iubet quærere. Cur ipse inuentum non liberaliter ostendit, & fideliter aperteq; docuit? In vniuersali medicina dicitur facta esse coniunctio omniũ operatiuarum virtutum totius medicinæ (diæteticę, pharmaceuticæ, chirurgicæ) realis, & vniuersalis naturæ cursu. Diuinam scilicet medicinam: Ideam autem, fingentiumque aut somniantium Paracelsistarum spectrum audimus, quod non argumentis, sed contemtu, & risu est confutandum. Mirum est, vel sperasse, autores istius commenti vllam apud sapientes fidem. Quis enim tam plumbum sit, aut truncus, vt ista τερετίσματα recipiat? Humana impotentia aspirat ad diuinam omnipotentiam, & pomo Paradisi comesto similis esse Dei concupiscit. Sed magna spe & promissione decidit.

(a) *Vide Thomam de secretis cap. 4. vbi ex mercurio & argento fecit argentificum; ex mercurio & auro aurificum lapidem: sed artificio generali. Habet & sophisma ex hydrargyro sublimato admisto argento super cuprum proiiciendo ad argentiforme metallum. Et aliud ex auripigmento sublimato ad aurum. Item ex proiectione super cuprum, suntque tot sophisticæ proiectiones, vt enumerari & sciri omnes nequeant.*

(b) *Apud Myrepsum & magos Plinianos sunt plus quam θεῶν χεῖρες. Paracelsici & similes genii chymistæ noluerunt videri inferiores esse, vt eo studiosius ad merces occurreretur, insaniam istam inuenerunt.*

(c) *Nota argumentum.*
In quo sunt omnia cœlestia & elementaria, in eo omnes virtutes sunt sanatiuæ:
In Quercetani composito sunt omnia:
Ergo. Ratio militat, sed experientia claudicat.

(d) *Inimicos sui oportet esse Paracelsicos, qui cum tot habeant præsidia, morbis conficiuntur. Respondent de termino destinato, sed χρηστοθύγατερ est. Nam sine morbis instante termino debebant expirare vt lampas oleo consumto.*

(e) *Particulares vocat vomitiuas, catharticas, diureticas, diaphoreticas confortantes, anodynas, odoriferas: Item, appropriatas capitales, ophthalmicas, odontalgicas, pectorales, cordiales, stomachicas, vterinas, febrifugas, pestilentiales, podagricas, nephriticas, hydropicas, dysentericas, venereas, venenatas, vulnerarias: quibus addenda sunt & diætetica, siquidem omnis vis medica est in vno Lullii & Paracelsi vniuersali. Bona verba: sed nos rem ipsam desideramus, & adhuc quærimus in mineralibus animalibus, vegetalibus, & cœlestibus, nec inuenimus. In elementis simplicibus esse nequit; nec est in mistis.*

CAPVT XXXIV.

De compositione extractiua per destillationes.

QVæ per destillationem fit compositio, variari ingeniose, quantum patitur rerum natura, potest. *Quædam simul destillantur ex vno vase*, prius contrita, si sunt arida, aut commacerata, si humida, siue suo, siue alieno succo: aut vnà fermentata vt in electuariis, similiterque concorporatis cum subactione & malaxatione: aut vna cocta, vt in caponum destillato. *Quædam postquam elaborata simul sunt*, siue destillatione, siue aliis modis, iunguntur, vtque vniantur penitissimè, præmissa digestione destillantur sæpius; vt *cum spiritum vini alcalisatum, acetum tartarisatum* & similia facimus: quod interdum etiam præparatorium est, vt cum *sales cum suo spiritu mercuriali per alembicum aut retortam trabuntur*, vbi cohobia fieri necesse est, antequam volatilia fiant: Idem fit in auro, argento, margaritis, coraliis, croco martis, &c. adhibito menstruo commodo: Sed quod ferè iterum separatur. Fit & vt *vnum ponatur in cucurbita destillatoria, alterum in ampulla recipiente: vel in margine alembici: vel collo cucurbitæ*, vt ibi pendeat feriaturq; vaporibus præterlabentibus & secum trahentibus resolutum rei succum.

Potest & *rostro alembici* adiici, quod validiorem calorem ferre nequit, vt moschus, ambra, cinamomum, Rhabarbarum crocus, &c. (a) Fiunt autem hac industria variæ medicinæ, & aliis vsibus destinatæ aquæ, olea, spiritus, cuiusmodi sunt *elixyria* & *aquæ vitæ* (quas & *aureas*, & *carbunculares*, & *cordiales* vocant.) *Acetum Bezoardicum*, *balsama* chirurgica, appro-

appropriatæ aquæ, vt *antepileptica, antapoplectica, ophthalmica, nephritica, &c.* menstrua varia soluentia, aquæ causticæ, seu fortes, regiæ, gradatoriæ, mercuriales, theriacales, antiuariolicæ, &c. quarũ omnium magna est passim copia, solentque artifices, & quicunq; confidit se destillare posse, etiam agyrtæ, & perditissimi Paracelsistæ cum mulierculis, tonsoribus, officinis certare, & cum contemtu alterius suas destillationes iactitare. Itaque non opus est multitudine exemplorum hunc componendi modum declarare. Vide Euonymum, dispensatorium Norimbergicum, Langium, librum VVirtembergicum, Crollium, Quercetanum, Andernacum, VVeckerum, Rubeum, Vlstadium, Dornereliũ, & alios autores passim inter manus studiosorum tritos, qui cupis copia compositorum destillatorum abundare. Nos saltem paucis viam ostendemus.

Balsamum Sulphuris.

Sulphur citrinum coque ex rore maio aliquoties, aut lixiuio per lacinias destillato diligenter frica. Deinde misce cum tartaro crudo, & talci puluere, vel colcotare. Sublima, vt fiant flores: quos iterum croco, myrrha & sacharo crystallino stipatos sublima. Cape postea spiritus terebinthinæ partem vnam: & olei aamygdalarum dulcium partes duas. Adde sulphur sublimatum. Coque donec soluatur. Solutum destilla. Ita poteris vti ad morbos pectoris, apostemata pulmonum, pleuritin, Empyremata, &c. Si vulnerarium balsamum mauis, pro amygdalino oleo & spiritu cape oleum Hyperici. Ita potes *oleum Carauita* præparare citra cẽtum annorum oleum. Nam destillatio attenuat, præstatque id, quod ætas, melius. Si libet amplius attenuare, modum olei philosophorum intueri potes. *Balsamum sulphuris.*

Oleum Mercuriale.

Argentum viuum purgetur per calcem & tartarum, (cum quibus pulueratũ conteritur probe, iterumque separatur ablutione, vel destillatione per retortam in aquam frigidam recipientis: aut reducitur ex cinabari) sublimeturque cum vitriolo halnitro, & alumine, donec crystallinum fiat. Deinde in puluerem redactum perfundatur vini spiritu, & digeratur, quousque in viscosam substantiam perueniat. Destilla ex arena per gradus more aquarum fortium totum quicquid destillari potest. Destillatum redde fecibus. Digere iterum & destilla, quousque oleum album bene olens accipias, quod separatum ab abundante humiditate per se destillando rectifica. *Balsamum mercuriale.*

Vsus eius est varius, præsertim in *peste*. Si scis rationem, qua paretur mercurius vitæ, etiã hac potes obtinere *oleũ ex butyro mercuriali*, spiritu vini sæpe perfuso, macerato, & destillato. Si enim sæpe ab eo destillaueris vini spiritum, oleum vini ei vnitur, fitque balsamum mercuriale, quod per se destillando poteris rectificare. *Oleum mercuriale.*

Antasthmaticum.

Rasuras cranii humani mundi, cornuque cerui, & sarsæparillæ segmenta coquantur pro more. Decocto colato adhuc calenti adde ligni fœniculini, radicis bryoniæ, chinæ, tabaci, scordii, botryos, origani albi, seu hyssopi veri, & rorellæ pulueres. Item theriacæ Andromachi nonnihil. Macera. Deinde immitte in cucurbitam, in cuius medio pendeat, vel super linteolo raro extensus sit crocus, vt spiritus perlabentes vim exhauriant, assumtamque secum vehant. In conceptaculo sit nonnihil extracti radicum ellebori nigri dulcis. Destilla. Aquam destillatam super sacharo crystallino rectifica. Si libet, poteris addere rubinum sulphuris. *Contra Asthma.* *Dulcis d. præparationem supra habes ex Penoto.*

Elixyr Catharticum.

Rasuram guaiaci, Soldanellam alpinam, epaticam nobilem, flores saluiæ, melissæ Turcicæ, Persicorum, pruni syluestris, rosarum rubræ vel pallentis, ex aqua coque in diplomate. Decocto colato solue lac scammonii. Mitte in cucurbitam. In recipiente sit nonnihil aquilæ cœlestis, vel croci metallorum, vel pulueris angelici albi vitæ. Destilla. Destillato vtere cum aq. hordei, vel Syr. rosato solutiuo. *Elixyr Catharticum.*

Elixyr vitæ.

Species Diambræ, diamoschu dulcis, diaxyloal. pleresarchontici: Confectionem alkermes: El. de hyacintho: flores & surculos roris marini, Flores ros. odolentium fl. Tunicæ: Schœnanthi summitates, infunde vino Gallico, vel Maluatico. Macera vase clauso in mensem. Destilla. Destillatum misce Syr. de corticibus citri, Muia cydoniorum & Syrupo de cinamomo. Macera. Destilla iterum. Serua in ampulla, in cuius medio pendeat nodus continens Bezaar orientale, & confectionem alkermes cum calce auri solubili, si præsto est: Item magisterio vnionum, & coraliorum, aut etiam gemmarum cæterarum, vt paulatim tabescentia se committant Elixyri, fiatque confortatiuum excellens. *Elixyr vitæ.*

Doses singulorum ideo non ascripsimus, vt sit compositio in arbitriõ artificis periti, qui eas accommodabit suis necessitatibus pro locis, temporibus, personis, constitutionibus. Ita si fœminarum, vteri suffocationibus obnoxiarum, ratio est habenda separatim pars quædam sine moscho parabitur. Potest etiam portio succis rosarum, limonum, citri: aut conseruis horum addi, & post macerationem destillari, vt temperatius fiat medicamen. Tempore pestis addentur aquæ alexipharmacæ, quanquam Elixyr per se vim ad venenata contagia & spirituales infectiones habeat. Eo ipso conficies *laudanum opiatum* adiecto vel elixyre vitriolato, vel succis papaueris (opio) & hyoscyami depuratis per modum extractionis. Menstruum relinqui cum extracto debet, & non separari propter nobilitatem.

Balf.Tereb.

Balſamus Terebinthinatus.

Reſinam Terebinthi (vel abietis) laua ex roſacea, donec perdiderit odoris vehementiam: vel digere cum roſacea, & hanc ab illa ſæpius deſtilla. Potes & aceto roſaceo vti. Deinde adde aloen, myrrham, flores ſulph. ter ſublimatos, oleum liquidambaris, ſuccinum album, ſtyracem vtrumque, opopanacem, gummi iuniperi, ſarcocollam, ſuccum tabaci, vinum Creticum. Macera, & deſtilla vt balſamum. Memineris tamen, non ſemper eſſe in copia ſummam virtutis.

Contra dolores. Etiam ſimpliciora poteris parare, vt: Antalgicum: *Laudanum opiatum ſolue ſucco limonum vel citri. Deſtilla.*

Antipodagricum externum.

Ad podagrã. *Ranas arboreas, & limaces ſyluaticos miſce cum alumine & pauco ſale prunellæ mineralis. Affunde aquam ſtillatitiam ex ſpermate ranarum, & lumbricis terrenis, item decocto meliloti & verbaſci addito caſtorio. Digere. Deſtilla.*

Ad Catarrhos ſubtiles.

Ad catarrhos ſubtiles. *Decoctum ficuum, iuiubarum, ſem. papaueris albi & rad. Ireos, deſtilla ex alembico, cui adiaceat laudani opiati nonnihil. Loco ſeminum papaueris Diacodium ſumere potes, aut Syr. de papauere.* Deſtillatum dabis cum Syr. violaceo tinctutam propriam habente. Idem faciet ad Inducendum ſomnum.

Ad febres & ſitim.

Ad febres & ſitim. *Aquam ſemperuiuii maioris miſce cum ſale prunellæ mineralis, & ſacharo cryſtallino. Deſtilla. Spiritus ſalis reſuſcitati transferentur per alembicum. Si libet, pro ſacharo cryſtallino conſeruam citri, & violarum cape: Et aquæ ſemperuiuii adde aquam taraxaci ex toto. In alembici margine pones nonnihil ſpecierum Diatrion pip.*

In febribus purgatiuum efficies, *ſi ſuccum roſ. pallidarum, & aquam miſceas croco metallorum, & deſtilles poſt macerationem: vel in recipiens ponas aquilæ cœleſtis puluerem, & in eum pellas aquam ex ſucco taraxaci, roſarum, endiuiæ, cum aliqua parte cinamomi.*

Ad Epaticos, lienoſos, cachecticos, ſcorbuticos, &c.

Cachexia. *Para vinum chalybeatum ex Cretico, limatura chalybis præparata, caryophyllis. Huic colato infunde crocum ſcoriarum ferri vel chalybis: Soldanellam alpinam: Epaticam nobilem, flores ſchœnanthi, cappares, aſplenium. Digere. Deſtilla per confectionẽ alkermes collo cucurbitæ, vel alembici, aut recipienti adiectum. In deſtillato ſolue calces eſſentiales coralliorum, & lapidis Lazuli: vel etiam hyacinthi violacei orientalis, & vnionum.*

Saxifragum.

Ad calculũ. *Succi limonum, berberum, granorum ſolani veſicarii, rad. ononidis: herbæ herniariæ, lycopodii cum oxymelite diuretico componantur: & digerantur. Deinde deſtillentur per alembicum in ampullam, in qua ſit calx ſolubilis lapidis Iudaici, & cryſtalli: vel per cineres aſellorum, leporum combuſtorum, ſalem theriacalem, theriacam aquilæ cœleſti affectam. Vel decoctum iſtarum rerum colatum miſce ſpiritu vitrioli, & fimo columbarum agreſtium. Macera. Deſtilla.* Da deſtillatum cum aq. vel ſyrupo de althæa.

Contra vermes.

Ad vermes. *Succus hyperici, ſpiritus ſulphuris, & aquila cœleſtis vna digerantur, adiecta aqua ſcordii, & ſi ad manum eſt, ſucco galegæ. Maceratione facta ſuper cornu ceruino deſtillentur.* Deſtillatum detur cum aqua florum perſici, vel emulſione ſeminum ſacharata.

Ad aerem putridum. Compoſitio per deſtillationem deſcenſoriam erit, ſi ex ligno & granis iuniperi, additis foliis & baccis lauri deſtilles oleum & ſpiritum diſpoſitione deſcenſoria. Ideo vero laurus additur, vt capiti ſuccurratur, quod alias vſu ſpiritus & olei iuniperini læditur. Virtus facile intelligitur ex ſimplicibus. *Calculo* inſeruiet remedium, ſi ſalem ex prunis in cinerem redactis adieceris, aut ſalem ſuccini apud Crollium in olla inferiore præmittas. *Ex Guaiaci ſegmentis*, coryli, & viſci querni ramis alternis compoſitis deſtillando per deſcenſum elicies ſpiritum & oleum *antepilepticum*, quod roborare propio ſale potes. *Ad epilepſiã.*

(a) *Apud I.B. Portam lib. 8. de deſtill. c. 9. eſt de clyſſo, quando vnius plantæ diuerſæ partes ſeorſim ſuis temporibus elaboratæ, & in tria principia redacta induntur diſtinctis cucurbitulis, & ex diuerſis catinis, diuerſis etiam ignibus in vnum Alembicum communem eleuantur, vt ibi coeant & vniantur, quæ res figmento ſimilis eſt. Vtendum potius via philoſophica; de qua ſupra. Quam ſceuaſian item pinxit, ſui ineptitudine ſtatim diſplicet, & cogitationes ad alios modos auertit, vocetur ſane ea res clyſſus ἀπὸ τοῦ κλύζειν, fortaſſe à colluendo: ſed modus vniendi poteſt eſſe artificioſior.*

Capvt XXXV.

De compoſitione extractiua per ſublimationem.

Qvæ ſit diſpoſitio ſublimationum ex Enchireticis diſcis. Eas autem eſſe extractiuas, patet, quia in fundo retentis fecibus & impuritatibus eſſentia eleuatur & ſeparatur. Feces aut per ſe fixæ ſunt, aut retinaculo aliquo fixo, ſcil. amiantho, talco, ſilice, gypſo, grumis laterum, &c. deprimuntur. Eſt quidem & ſimplicis eſſentiæ per ſublimationem effectio, vt in floribus ſulphuris ſimplicibus, florib. ſtibii & ſimilibus marcaſithis, videre eſt. Sæpius tamen adhibetur in compoſitionibus, quarum exempla paſſim extant apud Hermeticos, vt: *ſal ammoniacus* cum ſale communi ſublimatus: *argentum viuum ſublimatum* varie, nempe 1. cum vitriolo: 2. cum vitriolo & regulo antimonii: 3. cum vitriolo & halinitro *Sublimata varia.*

nitro: 4. cum iisdem, sed aucto alumine & sale communi: 5. cum vitriolo & sale muriæ: 6. cum sale tartari ammoniaco alumine: 7. cum sulphure solo: 8. cum sulphure & sale, quod cum sæpius fit, e-undit cinabaris perspicua: 9. cum arsenico sublimato, vitriolo & sale. 10. sublimatum quoq; iam compositum denuo componitur vel cum regulo stibii, vel cum hydrargyro: vel auri calce, vel croco martis, quibus duobus modis fit *aureum, & croceum.*

Sublimatur & crystallinum sublimatum denuo cum floribus sulphuris à colcotare sublimatis. Iam quam varie componuntur *flores sulphuris*? Primum à colcotare sublimatur sulphur: deinde miscetur myrrha, aloe, croco & iterum atque iterum sublimatur. Crollius salem; sulphur & vitriolum calcinatum miscet sublimatque tertium. Inde flores simplices ipsi dicti fiunt. Hic componuntur dupliciter, quos vide *in Basilica p.* 232. Obiter inde nascitur *Ens seu lac balsami sulphuris.* Quercetanus sulphur pari colcotare mistum sublimat, iterumque sacharo crystallino concorporatum. Idem in Alexicaco primum *Arsenicum* per se sublimat: Deinde coquit aceto albo per horas duas, vt nigredine & farina corrosina spolietur. Tertio sublimat ab æris squama, quæ putatur retinere venenum eius nigrius & crassius: sed videtur in id agere, sicut sulphur & antimonium in ferrum: actione vero consumere maleficos spiritus, vt fit in sublimato, & proprio hydrargyro, similibusq; aliis. Quarto miscet cum sale communi præparato, cumque eo bis aut ter sublimat, & edulcorat, vt dari possit ad *octo vsque grana in infusione ad venena expurganda.* Attendere autem oportet, vt sicut in sublimato, media tantum pars, neglectis halitibus in capitellum illatis, & capite mortuo abiecto, ad vsum medicum assumatur & ab adhærente alluuione halituum abluatur, qua de re etiam alias. Arsenicum album natiuum, non artificiale, aut pro eo auripigmentum vel sandaraca Græcorum rectius assumitur. Ablutio & edulcoratio primo per succum rosaceum, deinde per aq. fl. cynosbati: Infusio quoq; bene fiet in aqua lactis & Syr. ros. sol. Dari potest sub noctem ituro cubitum cœna mediocri præmissa. *Lapidem mirabilem ex alumine,* vitriolo, lythargyro, calaminari, &c. mistum, vti nos documus *in libello de fonte Casimiriano,* & Croll. *titulo lapidis medicamentosi* descripsit, si sublimes, in parua quantitate essentiam nobiliorem consequeris.

Flores sulphuris varii.

Ens & lac sulphuris.

Arsenicum salutiferum Quercetani.

Ad oculos.

Cadmiam fornacariam: lapidem calaminarem: panem ærosum metallicorum: in catinis candefacta perfunde vrina puerili, aut aqua nitrosa, & sine bibere quantum possunt. Deinde destilla humidos spiritus, quos seorsim repone: Cum sicci scandunt, clauso destillatorio fortiter propellantur, vt flores fiant, quorum ex aq. chelidonia decocto addita rosacea & pauco vitriolo albo pro collyrio vteris. Temperamentum acrimoniæ, ex sach. crystallino petitur. *Ita ex osteocolla,* ebore fossili, terra sigillata, sulphuris floribus & caphura sublimatum osteocollum facies. *Salem cibarium miscebis sale theriacali, cranii, & cornuum cerui, & phlegmatico vitrioli spiritu aliquoties misturam nutries, tandem spiritu humido separato siccos sublimabis quantum satis.* Iste sal proderit *epilepticis, & veneno infectis pestilente,* vbi sudor requiritur. *Si secundo sublimabis, crocum poteris addicere, & species liberantis, fietque medicamentum efficacius.* Si ingratior est, *tempera eum crystallis sachari. Salem vitrioli ex colcotare, & spiritu collectum contempera cum calce solubili margaritarum, coralliorum, sale rutæ, sale pæonia, &c. adiecta aliqua parte laudani opiati soluti aqua picarum vel hirundinum suis salibus delibuta.*

Accipies item antepilepticum. De borace crystallino ad depellendos fœtus mortuos alibi legis. *Cape boracem hunc: solue aqua melissa. Adde aliquantulam partem aquila cœlestis.* Digere: *Distilla: Sublima. Sublimatum dabis parua mole cum aq. cinamomi & pulegii vel maluatico. Ex antimonio & sale petræ conflatu, & calcinatu extrahe salem. Adde par sacharum crystallinum & sublima.* Habebis *diaphoreticum.* Omnes simplicium sales possunt sublimari ad instar salis tartari in lapide vegetabili. Hi sales si misceantur commode, compositionem sublimatoriam præbebunt variis modis.

Diaphoreticum.

CAPVT XXXVI.

De præcipitatoria, seu repercussoria compositione.

QVid sit per descensum excoquere, reducere, destillare, apud Gebrum, Agricolam & alios legere est, nosq; cũ Alchemiam artis forma exornaremus, omittere non potuimus. Alia ratio est *præcipitationis,* quæ et aliquando *descensio* dicitur (chymici vtuntur verbo descendendi actiue, non curantes Grammaticorum vulgarium consuetudinem) & à Crollio *repercussio. Præcipitatur argentum viuum aqua forti,* vel alia soluente dissolutum aqua salsa, vel dulci submisso sale. Vnde licet & aliis modis liquor subtrahatur, tamen præcipitati nomen retinuit, quia ex corpore liquoris ad fundũ cadere cogitur. Idem est descendere, seu descensum per medicamen descensorium ꝑcutare, & in præceps agere, vt circa imum sidat. Docimastæ & segregatores metallorũ habent suos *fluxus, & pulueres descensorios,* quib. *regulos* dictos in calicib. aut catinis, conciliant: Aurifices salem & aquam dulcem, quib. adhibentur sæpe laminæ ex ferro & cupro. Rusticis sunt *coagula* lactis descendendi. Zythepsis & œnopolis nõ desunt seu sales, seu granula, silicum, stanni, &c, quib. descendunt feces. Omnino latus vsus est huius segregationis. Sed non omnis descensio est compositiua. Quando solutio lythargyri per acetum facta descenditur sale & aqua dulci, non fit commistio, nisi ad tempus, sal n. paulo post ablutionibus tollitur. Ita in similibus exemplis, potissimum argenti apud Erkerum, qui diligenter descensam argenti calcem edulcorat, ne sal adhærens exactum examen corrumpat; licet id vulgares aurifices non curet. Cum fit descensio per menstruum acre, feruor, ebullitio, & strepitus excitatur. Nobilis Anshelmus Boetius *in Gemmario scribit: Vidi multoties salis spiritu spiritum corallorum margaritarum, oculorum cancri & aliorum mineralium etiamsi vini essentia soluta essent, paucis guttulis iterum coagulari & in corpus redigi.* Crollius vocat repercussionem ideo quia ex colluctatione fit actio, & reactio, vnum percutit, alterũ repercutit: patitur patiens, & repatitur agens, atq; ita fit, vt vtrumq; percussum ad fundum cadat.

Exem-

Exemplum primum est in *communi præcipitato*, siue fiat per aquam fortem, siue spiritus salsos, aut acidos. Compositionem hic fieri, indicat examen. Nam si alluuionem salis concreti tollas elutionib. crebris, aut etiam reductione per calcem & similia, viuum argentum sublato vinculo redit. *Secundum habemus in auro.* Id soluitur aqua regia, quæ ex imprægnatione tota fit citrina. Solutio in cucurbitam altam, & capacem immittitur angustiore orificio, per quod guttatim sensimque instillatur liquor, aut spiritus tartari, subitoq; occluso orificio sinitur deferuere, stante cucurbita in cineribus, aut super tripode brachiato, nè commota cadat. Cum feruor cessauit calx sidit. Quod si adhuc citrina est aqua, plus olei tartarei dimittitur, atque ita, donec tota calx secesserit. Quiete facta, effunditur liquor & calx prudenter exiccatur, vti legere potes apud Crollium. Est enim fulminalis, si corripiat flammã, quod motu fermenti fieri potest, aut calore sicco. Esse verò in hac calce commistionem coagulatorum halonitri, salis ammoniaci & tartari spirituum cum auro factam, tum fulmen ex incensione indicat, tum etiam separatio per sulphur, qua tollitur inflammatilis concretio. Soluitur postea eadem calx etiam spiritu salis, & descenditur spiritu vrinæ. Sed neq; hoc fine subtili agentium, & patientiũ vnione. quæ sane est vna ex penitioribus, cum totum corpus auri sic penetretur, vt in impalpabilem farinã fathiscat. Eluitur tñ alluuio quantũ potest, vt vsus calcis sit tutior. Quando *spiritus halonitri, aut sulphuris confunditur cum oleo tartari*, tertium commistæ per descensum essentiæ exemplum habemus. *Quartum est*, cum sulphur lixiuio decoctum descenditur oleo tartari. Ibi visus docet, in vnguento inde nascente esse diuersas portiones, ramenta scilicet sulphuris, & tartari, quorum illa citrina sunt, hæc cinerea & alba.

Varietas cremoris sulphuris.

Hoc exemplum subtiliorem habet praxin, qua *lac, cremorem vel butyrum sulphuris* efficimus. Eius non est vna descriptio. Quercetanus ex calcinati tartari sale oleum facit. Hoc soluit flores sulphuris per coctionem, vbi pinguedinem esse necesse est, vt & in lixiuio. Alias non soluitur sulphur, & parum differt oleum tartari per deliquium calcinati, seu elnefacti, & lixiuium. Solutioni affundit acetum album crudum, seu non destillatum, nisi per lacinias. Feruor hic exoritur, vt in solutione auri. Cum verò requieuit, ad fundum vitri farina concedit alba, à qua liquor decapulatur, vel laciniis abstrahitur. Cremor relictus abluitur diligenter aquis cordialibus; quibus Quercetanus putauit curari posse omnes *pulmonum, & thoracis affectus*, sed quæ opinio fere in vsu occidisset quendam. Modus alius. R *florum sulph.* ℥j. *salis tartari* ℥iij. *aq. lib.* 3. *mista coque in arena horis* 24. *vt sub finem aqua fere bulliat. Decoctum filtra. Affunde vini albi (vel aceti still.)* ℥vj. *Fiet cremor, sine subsidat. Liquore effuso ablue sedimentum aqua stillatitia vsque ad dulcedinem. Tandem digere cum aqua rorella & elenii ex radicibus destillatã.*

Crollius quoque sic procedit. *Puluis puri sulphuris, vel florum miscentur cum triplo sale tartari. Mistura perfundatur pluuia destillata ad sex digitos. Coquantur, donec sulphur sit solutum, & si deficeret aqua, submittatur noua. Solutio adhuc calens coletur per filtrum chartaceum, infusoq; vino descendatur. Tandem liquore effuso cremor sæpius abluatur.* Quæritur *quid intersit inter solutum aqua stillatitia salem tartari, & oleum eius per deliquiũ factum, & depuratum?* Vapor irrepens salem; & coagulans; ipsum in sudorem soluit, estque pro aqua stillatitia. Vide Basilicam *p.* 199. & 200. vbi tantis ornatur præconiis, vt *vniuersale* æquare videatur. *Balsamus est humidi radicalis*, inquit, *& morbum consumit instar ignis occulti, non aliter ac vulgaris ignis lignum.* At *supra* argumentum ex Quercetano & Crollio productum eam vim tribuit vniuersali. Dicitur *confortare vires naturales & ab omnibus impuritatibus sanguinem mundare, catholicos morbos arcere, &c.* Ego crediderim potius calorem natiuum & spiritus destruere, humidumque radicale exiccare, si vsurpetur crebrius. Modestior est Quercet. *in fin c.* 5. *Alexicaci*, vbi *germanum pulmonum balsamum* appellat, *& excellens præseruatiuum putredinum, quod non parum prosit in epidemialibus morbis, & febre pestilente.* Sunt qui descensionem faciunt acero stillatitio: sed Quercetanus improbat, si quidem intelligas acre illud & corrosiuum, non a. spiritum acidum. Pro eo posset esse vitrioli, vel sulphuris spiritus per campanam factus. Sed dulcoratio debet fieri diligens. Dant dosi *drachmæ vnius pro cathartico*, quæ dosis suspecta. Crolliue definit quantitatem pulueris in vsu, albicante colore eius liquoris, quo temperatur ad potandũ, vt aq. cinamomi, aqua epileptica, melissæ, spiritu vini, &c. Mirum est, quod scribit, *phthisicos ocularitur iuuare, agendo in humidum radicale testimonio ægrotantium: Effectum tandem in conspicuum prodire in his, quorũ vlcera, vnde erat tabes, balsamo sulphuris consanescunt*: Sed quo argumento constat agere in humidum radicale, quod rabidis est admodum paucum? Si insuper etiam in id agit, pati ipsum necesse est. Quo modo magis perfectiue seu instauratiue, quam destructiue? Humidi radicalis non potest alia esse instauratio, quam ex cibis bene tam in generalibus organis, quam in quolibet membro concoctis, alteratis & assimilatis.

Si vera sunt laudes Crolliana de butyro sulphuris pro integro fere pharmacopolio est.

Hyperbolica encomia pro more Paracelsistarũ. Vide paria de elixyre proprietatis Paracesi p. 171. Basilica Crollii: Apud Penotum in chymicis extractum ellebori item immedice laudatũ vt & magisterium tartari cum aliis.

Hecticis & aridis quoque commendatur cum aqua cinamomi ad lactis instar. Si hi alii sunt, quã phthisici, necesse est febre tabifica, quæ est trium graduum, consumtos esse. At hic iam ignea non cõducunt. Fors Paracelsicus ille fumus erit comparandus igni magno, qui surripit pabulum, & materiam minori: Itaque eum extinguere dicitur, quandoquidem *morbum consumere perhibetur instar ignis occulti*. Sed væ tunc hectico, si materia & subiectum febris est comburendum. *Meminerint nostri Tyrones, & studiosi, abstinendum esse istiusmodi hyperbolis in virtutibus medicinarum commendandis. Neque enim ratio admittit insanas istas prædicationes, neq; experientia comprobat, faciuntq; eadem, vt circumforaneus potius iactator videaris & crumenis insidiari, quam medicinam competentem polliceri.* Suum cuiq; tribuendum. Cæterũ quævis est cremori, lacti, seu butyro isti, eam melius asscripseris *medicamento ex Rubino sulphuris. Rubinũ sulphuris ex florib. per spiritum terebinthinæ, & vini paratum solue liquore parata ex spiritu vini & sacharo crystallino: Et vt salinum quoque balsamum è tartaro habeas, ante solutionem spiritus vini sit alcalisatus artificiose.* Ita habebis *ad vlcera phthisica præsidium* ex sulphuris essentia, aucta balsamis earum rerum, cum quibus flores erant præparati: deinde ex spiritu terebinthinæ, sale tartari, oleo vini, & sacharo quo acrimonia temperatur. Quod si *capburam* adiecisti in rubino perficiendo, etiam contra *febrim & malignitatem occultã*

Medicamentũ ex sulph. rubino antephthisicum & theriacale.

armasti

atmasti temedium, potetisque patienti fidelius auxilium promitrere. Sunt, qui sulphut tritum cum arena puta, vel vitreo puluere pari misceant &ex retorta igni moderato in recipiens, in quo sit acetum stillatitium, pellant. Inde exit *farina alba*, quæ *abluta contra pestem* datut. Alii sulphur & arenam paribus miscent cum aq. vitæ, &eodem modo destillant in einetibus ad *rantrum & vlcera* alia: Verum hæc ratio oleum rectius præbuerit aceto omisso.

Lacti sulphuris tartarisato apponere conuenit affine medicamentum, quod *diatartarum essatũ, tartarum fixum, tartarum vitriolatum, sal tartari vitriolatum*, & rectius *cremorem tartari* nuncupauetis, q̃ tartarum coctionib. repurgatum ad crystallini salis modum. Id scripsit Penotus *in suis chymicis & specificis. Tartarum calcinatum de more & contritum soluitur super porphyrite in cella, vel aliis modis deliquii (manica suspensum, vesica inclusum & vaporatum, &c.) Solutio filtratur & coagulatur. Sal inde existens soluitur, filtratur, & coagulatur denuo. Idem repetitur tertio. Solue vltimũ salem deliquio in oleum. Huius librã immitte in cucurbitã iustæ altitudinis & amplitudinis cum angustiore orificio. Instilla guttatim, sensimq; spiritus vitrioli partem tertiam; nempe trientem si libra fuit olei. Vterq; liquor in se mutuo aget, fietq; latitantium partium definitio, & ex liquore separatio descensoria, seu* vt loquitur Penot. *fiet coagulum albißimum, à quo humiditas per balneum mariæ abstrahenda est. & cremor relictus dulcificandus ablutionib. competentibus, si quidem mitius medicamentum petimus. Dulcificationem* a. eam intelligimus, *quæ fit spiritu vini aliquoties affuso, vna digesto*, iterumque reuocato per destillationem. Tuncetiam tartarus vim aliquam ex ipso assumit, & longe fit nobilior. Alias non abluitur, ne vis salina pereat, quæ tum ex tartaro est, tum vitriolo. duobus salibus essentialibus, & oleositate in vnum coeuntibus. Hoc compendio sic describitur: *ol. tartari ℥iij. sp. vitr. ℥j. Instilla guttatim in vitro capace. Coagulum sidat. Aqua abstrahatur lacinijs: Cremor leni igni exiccetur. Affuso spir. vino radice Elenii tincto digeratur. Destilla. Ter idem repete aut sæpius.* Vsus *in calculo* cum aqua saxifraga dosi à ℈j ad ℈ij. datur & contra *pestem* ex aq. cardui ben. & ad *obstructa* cum aq. petroselini. Tartarum Vitriolatum Penoti.

Vsus singularis medicaminis est *contra calculum* experientia Penoti, qui drachmam dimidiam eius misturæ, *quæ quatuor partes habuit spiritus vitrioli & quintam olei ex tartaro calcinato, seu sale eius, contemperauit cum iulepi rosacei sextante, & semuncia aquæ cinamomi, propinatoq; expulit lapidem.* Dicitur renes efficaciter detergere, quod alias de sale nitroso, & spiritu vitrioli itidẽ salem suum secum vehente est compertum. Misturæ vero alterius, quæ olei tres, spiritus quartam partem continet, dosin definit à semiscripulo ad integrum *in calculo cum aqua petroselini: pro diaphoretico* ad sudores mouendos proponit scrupulum ex aquæ cardui benedicti sextante, & vncia vini: *ad purgãdos hydropicos* capit eiusdem scrupulũ, misceique mellis rosati (Syr. rosati solutiui) sescuncia & vini inulati sextante: *In retentione mensium & vrinæ* præbet cum vnciis duabus vini albi. Hæc Penotus. Crollius fere omnia in suam basilicam trãstulit, voluitque videri correxisse. Calculus. Diaphoreticum. Antihydropicum.

Salem tartari iubet aqua agrimoniæ aliquoties soluere, filtrare, & coagulare. Deinde trientem deliquio cellæ super porphyrite, vel in manica in oleum reducere, & per filtrum traiicere: inde in capacem ampullam immittere, & guttatim seu paruis stillis instillare olei vitrioli rectificati sextantẽ: quo facto post ebullitionem & feruorem desessura sit *farina candidißima*, à qua abstrahenda sit humiditas per destillationem in balneo mariæ. Monet *non nimium vitrioli oleum addi debere*, quia nimis acescat sal, nec purget. Menses retenti. Tartarum vitriolatum Crollii.

Vnde constat, Crollio propositum fuisse *purgandi scopum*, quem expedite dicitur quatuor modis, *vomitu, secessu, sudore, vrina*: Vomitu a. tantum, si vitrioli spiritus sit parcior, seu nimis parua quantitate. Propter saporem nauseabundum ex hydromelite rectius præberi arbitratur. Commendatur *mirabiliter in quartana*, &omnibus aliis *febribus, quod tartarum hærentem in corporibus resoluat*: Præterea etiam *in hemicrania, calculo, renum obstructionibus, infarctu venarum, contractura, hydrope, mensibus retentis, melancholia splenis* duritie: quæ & ipsa non satis prudenter prodidit. In *omnibus febribus miranda* præstare dicebatur. Hoc præconium visum est hyperbolicum nimis. Ideo versa pagella, conciditur dicitutq; in febrib. vtiliter exhiberi. Multum autem distant *dari vtiliter, & miranda* præstare. Hac qua audacia quis ausus est experiri?

Purgare fertur per quatuor emunctoria; Et tamen *catharticum est addendum*, vt per inferiuta moueat: Imo cum adhibetur digestiui loco, submittendum ipsi est panchymagogum: ex quibus intelligimus catharticum esse generale & incertum, vt & antimonii purgantia medicamina: vt a. certo modo vacuet, dirigendum esse, quod fit dupliciter, mistura scil. & additamentis. *Vomitiuum* per se esse, facile æstimes ex sapore nauseabundo, & acrimonia qua ventriculum stimulat. Deinde si non datur via sursum, natura malum hospitem vndiquaque expulsura secessum molitur, aut si hic quoq; interclusum iter est, diaphoresin, vel diuresin. Non itaq; proprietate aliqua, sed *irritando purgat*. Deterget vi salina, & impetum humorib. addit inciditq; crassa, quod & alii sales facere solent, & ideo ventrem, tenesq; commouere. In *febrib. melancholicis & phlegmaticis* non male commendatur, potestq; tũc dari cum *oxymelite helleborato*, & aqua, vel diluto buglossi. In febrib. biliosis non multum ei videtur tribuendum. *In calculo* sal vterq; vitriolatus, & tartareus præclarus est. Verum melius poterat tunc parari medicamentum *si sales puri soluerentur aqua saxifraga, aut vino albo, aut iulepo vinoso, vel oxymelite scillitico, &c.* Vt contemperentur rectius, solue salem crystallinũ tartari (qui colligi facile põt si oleum tartari diluas aqua pluuia, vel alia cõi destillata, sæpeque per filtrum traiicias vt pinguedo lixiuialis, & nauseosa secedat cum ramentis fauillæ: Deinde aqua ad paucã redacta crystallos consistere sinas, vt in halinitri diluto & aliis) spiritu vini correctissimo, vel menstruo cœlesti alio ex simplicib. saxifragã vim habentib. contemperatis vini spiritu, qui est familiaris tartarico sali: In alia parte solue salem ex colcotare, vel quod melius ex ipso vitrioli spiritu simili artificio crystallorum collecto: Solutiones commistas circula aliquandiu, vt sales bene vniantur, & simul à spiritu vini cœlestem qualitatẽ nanciscantur. Tunc reuocato spiritu sales coalescent, consistentq;, quanquam ad vsum satis sit, si tantum fiat destillatio ad oleositatem. Laudator hyperbolicus se ipso pudefactus. Quo modo vitriolatum tartarum elaborari rectius possit.

De hac addere potes iustam dosin aquæ solani halicacabi sachatatæ, vel syrupo ex flosculis hyacynthinis violarum confecto temperatæ, vt simul acrimonia leniatur: vel vtere aliis pro re nata ex magno talium cumulo electis Eadem mistura ex eodem syrupo cum aq. melissæ vel buglossi dabitur ad *effectus melancholicos*: Ad *Epilepticos* autem cum decocto guaiaci & cornu ceruini: Potest & *laudano opiato* adiici, omninoque varie accommodari. Hoc itaque est, quod monere possumus in illo medicamento. Paretur sane per repercussionem ex sententia Penoti & Crollii: Sed porro per vini spiritū extrahatur essentia salina: aut si salem crystallinum volumus, per aquam stillatitiam dulcem, sæpius filtrando & coagulando arte crystallorum.

Ita secedet fauilla, quæ est in lixiuiis, & oleis combustorum. Si placet: ex cinerea ista farina potes *terram virgineam facere*, eamque per se elaboratam sali suo denuo coniungere: quæ erit elaboratio ingeniosior.

Aliud repercussiuum.

Diurium alkalisatum. *Oleum vrina per destillationem elaboratum, misce cum liquore salis alkali seu sodæ, quæ similiter ex repurgato solutionibus filtrationibus, & coagulationibus sale sit per deliquium factus. Hanc misturam repercussam primo destillare ad siccum, post sublimare potes, & sublimatum corrigere vini spiritu particulatim sæpius affuso, vnadiq; sto, & leniter reuocato.* Hoc medicamentum vsum magnum habet *in impuritatibus & obstructionibus meatuum vrinariorum, in febribus phlegmaticis, & melancholicis, in oculorum affectibus nonnullis*, si quidem industrie adhibeatur, & similibus.

Vnguenta descensoria, quæ fixa dicuntur. Liquamina quoque & vnguenta fiunt eadem arte ex pinguibus, vt *oleo vrina cætera olea coagulātur*. In mineralibus *oleum mercurii sublimati descenditur liquore salis petrai*, & fit medicamentum quod catholico æquiparant: *Liquor plumbi* vnguentum fit *liquore martis* ad vulnera & vlcera; Potest & parari cum *liquore veneris*, vel *antimonii ex calce*, quæ in antimonio fit regulo in scorias corrupto, per ferrum & tartarum, aut etiam halonitrum. Si *extractionem lithargyri per acetum fixeris oleo antimonii, vel arsenici*, accipies liquamen contra *cancrū, & vlcera cacoethe*: Ita duo liquores *arseni* scilicet & *plumbi* se mutuo de-

Liquamen arsenicale saturninum. scendunt, fitque *dulcedo* quædam ad *corrosiua vlcera* felix. Dabit autem experientia talium non paruā copiam studioso arcanorum chymicorum, liquoribus calcium & cinerum, saliumq; contemperatis. Vires æstimantur ex natura rerum, & qualitate per artem accessoria.

Mysteria fixa solutorū lapidum. Quercetanus *circa finem suæ pharmacopææ restitutæ* vocat *elegans, magnum & non contemnendum mysterium*, (a) si quis *lapides cancrorum*, testas ouorum, concharum, cochlearumque operimenta, perlas, coralia & quæ istis sunt similia (adde varios lapides ex hominibus & aliis animalibus, nec paucos minerales quos aceto terebinthinato soluimus) vel aliis modis in calces solubiles redigimus ex quibus postea olea seu liquores descendendos paramus, *aceto vini*, hydromelitis vinosi, berberum, limonū, &c. *soluerit, & solutioni filtrata instillet guttulas liquoris tartari*: quo efficiatur medicamentum ad *calculos, stranguriias, dysurias, ischurias, &c.* Imo si elaboraueris essentialius ista coagulata, vt paulo ante admonuimus, pro rerum natura etiam vtiliora obtinebis.

Calcem perlarum per acetum terebinthinatum factam, & edulcoratam solue deliquio per suos menses. Liquoris guttas aliquot instilla in spiritum vini optimum. Euadet coagulum quod Crollius vocat *butyrum scissile*, viribus roborandis & *tabidis* vtile ex capi destillato datum. Sic *liquor arsenici* commistus cum *tartareo* prius *sulphurato* (incocto scilicet sulphure) *oleo*, laudabilem medicinam ad externa mala exhibebit: Et si essentialiter præparaueris, etiam ad interna, temeritate tamen vitata.

Thomas *in secretis cap. 2.* alium *vsum lactis ex repercussione* nati indicat. Acetum extractionis Lithargyri coagulat liquore salis alcali. Lacte hinc facto calcem argenti aut aliorum metallorum & lapidum imbibit, & in Athannore torret donec lapis existat, qua ratione potest fieri *lapis chirurgorum*.

(a) *Nihil aliud hoc est, quam calcis à suo liquore menstruo separatio, qualis fit etiam in solutis metallorum. Si aceto stillatitio soluas perlas, vel coralia & similia: solutum filtres, & mox instilles ol. tartari, efficitur sedimentum, quod separato liquore edulcoratur. Fac aquam valde acidam ex phlegmate vitrioli & oleo acido sulphuris. Solue hac margaritas & similia. Solutioni filtrata instilla liquorem tartari. Fiet cremor. Affunde aquam stillatitiam dulcem Digere. Abstrahe à sedimento per lacinias. Affunde aliam, idemque fac quartum. Sedimentum tandem vini quinta essentia perfunde & circula. Abstracta essentia habebis subtile medicamentum. Aliter: Margaritas in porphyrite in farinam, seu lauorem tritas mitte in cucurbitam. Affunde menstruum acidum soluens (acetum hydromelitis, vel aliud acre, aut succum limonum spiritu vitrioli acutum, &c.) vt duobus digitis excedat. Claude vitrum exacte. Colloca in cineres calentes, vt soluantur perle. Si vna vice id non fit, muta menstruum, donec tota substantia delicuerit. Solutiones destilla ad siccum. Affunde aq stillatit. dulcem. Macera: Destilla, quod ter repete, aut donec acrimonia abierit. Calci huic affunde optimum ex maluatico vini spiritum. Digere. Destilla blande. Redde alium. Digere, destilla, idque repete donec oleositas spiritus perlas in oleum mutauerit, quod cum nouo spiritu digerere & per alembicū extrahere queas, tandemq; abstracto spiritu per se dare. Si tabulas vis, cape quantum vis. Affunde spiritum vitrioli, & fiet lac. Ex hoc secedet calx candida. Abstrahe humorem, & cum sach. crystallino q. s. aqua rosacea soluto fac tabulas perlatas.*

Capvt XXXVII.

De compositis per infusionem & coctionem.

VT simplicia extracta fiunt infusione, & coctione cum proprio, vel alieno menstruo, quod aut analogum est virtuti rerum, aut correctiuum alicuius nocumenti: Ita & composita, quorum quædam cum suo menstruo in forma liquida relinquũtur, quædam coagulantur ad medias, tertias, sapã, aut etiam siccum: vt quoq; ibi erant quædam extemporanea formaliora, quæ *per impreßionem virtutis* fieri dicuntur, quædam magis materialia: sic & in hac extractorum commixtorum classe mercuriali, sulphurea, salina, minerali, vegetabili, animali. Maxime vero huc referimus vel *succos diuersos confusos, & coctione perfectos: vel res aridas suis menstruis infusas, coctasue*, quarum liquor à fecibus separatus filtratur diligenter, & circulatur; siue vt integer seruetur, siue ad modum aliquem reuocetur, vnde postea nascuntur itidem *iulepi & syrupi chymici*, plane vt in simplicibus. Diuersorum a. sunt generum non tantum ratione principiorum, elementorum, & discriminis mistorum: Verum etiam virtutũ & effectorum, ne quid de gradibus exaltationum dicamus. Coquuntur, infunduntúrq; ad commiscendũ vel *integra sola*, vbi tamen postea fit segregatio fecum: vel *integra & extracta*: vel *mera extracta*: Item *magisteria sola*, vel *extracta & magisteria*, pro scopo, consilioq; Medici. Formulas paucas ponemus, cum res non sit difficilis intellectu. Quercet. *in pharmacopœa oleum sulphuris in crocum conuersurũ promittit.* Pares spiritus acidi ex sulphure & vini confundit, inq; cochleari ferreo super lenta pruna cogit ad cõsumtionem (spiritus videlicet vini, aut humiditatis.) Sinit residere postea per aliquot dies, donec *in croceum puluerem conuertantur*, qui in aere humido solet liquescere. Putat esse *instauratitium epatis propter chalybem*, & ex cõsequente remedium *cachexiæ, epaticæ, hydropis*, &c. Ne Paracelsicum spiritum omittat, vocat, *magnum secretum* & admirandis virtutibus præditum. Non est simplex arcanum: sed oleositate salina, & ferrugine mistum. Eodem modo posset quis procedere cum vitrioli spiritu ex marte, vel venere adulterio martis affecta.

Crocus martis spiritus sulphurei sale & oleo vini confectus.

Substituimus essentiam ex Elixyre colcotaris, & croco martis. *Cape colcotar. Extrahe terram virgineam decoctione cum spiritu vini in diplomate vitreo. Et adde crocum martis vel ex limatura chalybis extractum, vel scoriis chalybis. Mistis affunde spiritum chalcanthinum ex vitriolo chalybis. Digere per aliquot menses, donec vniantur philosophica via. Ita habebis medicamen pro vino chalybeato essentiali.*

Medicamen pro vino chalybeato ad cachecticos. Diacolcotar.

Cum vis vti, cape vinum infusionis alkermes, vel melissæ, vel rorismarini & caryophyllorum, similiumue. Adde essentiæ quantum decet, vt ad libram vnam drachmæ quantitatem, quam augere potes. Bibe tribus vicibus præpurgato corpore. Oportet a. in vsu perseuerare, & in nodis lunæ vacuationem repetere. Quomodo lapidem suum medicamentosum conficiat Crollius, videre potes apud ipsum *in Basilicâ p.* 270. Tu sic age: *Cape vitrioli Rom. vel Vngarici lib. 1. aluminis: Boracis Veneti (aut spumarũ vitri, aut alcali) an. ℥iiij. halonitri ℥ß. soluantur lixiuio ex cineribus sarmentorum (vel vino per cineres millefolii, consolidæ, alchimillæ, &c. transcolato: vel vrina.) Adde aceti decoctionis lithargyri colati partem tertiam. Commisce & coque in lebete ferreo (vel olla operculata in cuius operculo sit spiraculum, & foramen, per quod possis spatham immittere & materiam versare.) Cum tertia pars liquoris est consumta, iniice misturam ex pulueribus vitrioli albi (quod solent ex viridi Germanico facere per tostionem) selibræ pondere: lapidis calaminaris exacte laeuigati: Boli armeni in farinam impalbabilem redacti an. duabus vnciis: Croci ex scoriis ferri, ferruginis ex bacillis vstorum ferramentorum, aut croci martis, tutia Alexandrina itidem in pollinem deducta, singulis vnciis, cerussa plumbeæ triente. Misce sedulo, & coque ad lapidem.*

Lapis mirabilis chirurgorum.

Hæc compositio crassior & rudior est quam pro chymica arte. Qui ergo intendit huius ductum sequi, omnia ad medias cocta, cum adhuc feruent, per manicam traiiciet, & postea leni igne diuaporare sinet vsque ad sapæ consistentiam, ita vt offa adhuc madeat. Hanc diuidet in capsulas ligneas & in loco sicco, calidoq; plenius coagulabit, ibidemque reponet ne humore diffluat propter sales. Cũ vti voles ad *Erysipelas*, particulam resolues aqua spermatis ranarum, aut semperuiuii, aut succo lumbricorum terræ cum aq. sambuci extracto: Deinde splenia imbues, iterumq; nonnihil exprimes, & calide impones. Ita & *phlegmonas* curabis. *Doloribus articulorum* insigniter prodest itidem calide per lintea applicata eius solutio, quæ aqua, vel vrina, pro qualitatis primæ concursu potest fieri. Reliqua vide apud Crollium. Vbi *tofi* sunt dissoluendi, addi potest *sal ammoniacus*: In *strumis* argentum viuum: In *Gallicis* gummi guaiaci: In *scirrhis*, ammoniacum gummi, galbanum, & similia, cauendo ne inter coquendum exurantur. Ita de hoc lapide succi compositi exemplum huiusmodi proponi potest: succus cydoniorum rasura & expressione ex pomis factus: *Succus malorum fragrantium & dulcium: succus cerasiorum: cum aliqua portione aciditatis citri, vel limonum, vel berberum: vel etiam spiritu vitrioli adiecto contemperentur probe, & per colum traiecti includantur cucurbita vitrea. Digerantur, donec secessio fiat. Fecibus abstractis, & si quid spuma erit, sublato, iterum digerantur. Sedimentum tollatur, itaq; pergatur, donec purus liquor maneat. Hunc decoque ad modum pro arbitratu. Ita mustum & succum pyrorum adiecto syrupo de cinamomo potes tractare.*

Erysipelas.

Succus compositus confortans.

Chymicum decoctũ purgans.

Si vis purgans: *Sennam, turpethum, hermodactylos, &c. coque ex aqua solutionis tartari tertium quartũue repetita. Decoctum colatum coagula ad mellis consistentiam. Tunc potes succo rosaceo solutum, colatumq; diagrydium immiscere, vt non sit opus vna coquere. Quod si placet purus liquor, digere, seu circula in Pelicano, vt prius dictum.*

Per infusionem Rulandus *spiritum aureum purgantem* fecit, *trochiscorum albandali, puluerem spiritu*

Spiritus albandali.

Infusum cõpositum purgans aquas. Compositio Catharticæ cœlestis seu hydromeli purgans. cathartica formalia supra 445. Antasthmaticum.

vini perfundendo, extrahendo, filtrando, digerendo ad puritatem quæsitam. Hanc artem componendo sic imitaberis: *Cape succum radicis esulæ & rad. ellebori nigri. Cola ad purum. Digere, donec dulcescant, rubescantq; omni sedimento deposito. Coque ad spißitudinem sapa. Affunde spiritum vini infusionis caryophyllorum, macis, & cinamomi. Digere, & procede per modum tincturarum. Illum spiritum postea in suo vitro repone. Vt arcanum cœlesteq; purgans consequaris, hydromeli vinosum ab omni feculentia repurgatum affunde pulueri ex folio Indo, maci, sem. anisi, rad. Elenii Stent in infusione, quo ad hydromel vim attraxerit Deinde per filtrum traiice, & include ampullæ addita certa quantitate mercurii vitæ, vel aureæ vitæ, vel præcipitati, vel arsenici essentificati vel florum antimonii, vel croci metallici:* vel *calcis antimonii:* vel *reguli:* vel *aquilæ cœlestis,* vel *vitri stibii:* vel *vitri ex plumbo,* aut *marcasitha,* vel *turbith mineralis* & similium, quæ iam certatim à chymicis elaborantur.

Ad *asthma* ex obstructione à phlegmate, *cape vini Bryoniæ partes duas. spiritus vini, vel iuniperi partem vnam: theriacæ Andromachi partẽ octauam: aquæ cinamomi partem dimidiam. Omnia commista digerantur, donec vnio essentiarum facta sit. Postea cola: circula ad purum. Ex collectis & cinefactis sedimentis, fecibusq; salem per aquã scorpii collige & circulato liquori adde. Vt magis placeat, misce solutionem sachari crystallini, & margaritarum.*

Balsamus ad vlcera pectoris & pulmonum ex Rorella herba: *Rorellæ libras ij. collige puris manibus, & à sordibus purga.* (Loco eius tabacum Americanum, aut hydropiper potes sumere.) *Huic quam nitentißime, nec lota affunde quintæ essentiæ vini maluatici lib 6. Digere per mensem vase clauso, vt tingatur rubro. Tunc exprime fortißime. In expresso macera per dies xx. glycyrrh. sem. anisi an. ʒß. cinamomi ʒj macis, zingib. an ʒß. caryophyll. ℈j. rad. elenii, symphyti maioris an. ʒij. coriandri, cal. aromat. galanga an. ʒiij. nucis mosch. ʒv. carnis dactylorum ʒiiij. Hæc concidatur minutim, illa puluerentur. Macera per dies 20. in superiore extracto vase clauso. Tãdem expressum serua. Cum vti voles, adde sach candi ad placitum: vel hoc extractum: Sach. albi puluerati lib. j. aceti stillatitii ʒij. Digere super cineribus calidis per sex horas Deinde affunde aq vitæ rectificatæ tantum, vt duobus digitis exuperet. Digere, donec coloretur. Effusa tinctura affunde aquam nouam, idque repete, donec cesset tingere. Separa spiritum vini balneo. Essentiam circula cum aq. rosacea.*

Pro hac erit Mellis essentia, quam sic faciunt: *Mel pulueri filicum bene loto immiscetur, vt pasta fiat. Huic sp. vini affunditur ad duos digitos. Digere horis 5. vel. 6. vt coloretur. Collige & reliquas tincturas, & destillato spiritu ad consistentiam sapalem redige.*

Dolores dentium. Ophthalmicum digestũ.

Ad *dolorem dentium*, para infusum ex Laudano opiato, caphura, & vini spiritu. *Ophthalmicum* sic efficies: *Aqua rosacea discute albumina ouorum quanta vis. Adde succi chelidoniæ ad purum filtrati & digesti partes duas, & vnam succi cancrorum contusorum cum pauco vitriolo albo, & momento salis prunellæ siue halonitri puri. Include vitro & digere. Sedimenta tolle. Purum liquorem serua, quem per puluillos applicare potes, addita aliquando aqua fœniculi, vel euphrasia, in qua sit extinctus lapis calaminaris, & calx antimonii. Si calor maior est, potes rosaceam camphoratam adiicere.*

Epithema ad caput.

Eadem arte consequeris digesta ad vsus externos: veluti ad *dolorem capitis: Cum aqua fœniculi, rutæ & verbenæ fac emulsionem ex semine fœnu Græci, adiecto pauco albi papaueris, & napi. Adde succi recentis florum rosarum rubearum partem tertiam, aut si hac deest, decocti florum eorundem ex aceto vini quartam: caphuræ drachmam: sique non sumsisti decoctum rosaceum ex aceto, appone acetum rosaceum. Digerantur omnia simul per noctem. Post fortiter exprimantur. Expreßio circuletur ad purum, & seruetur. Si ex tempore parare velis, non opus est digestione & expreßione.*

Ita cape aquæ rosac. libr. mediam, aceti rosacei sescunciam, succi rutæ vnciam, mithridatii semunciam: Laudani opiati dimidium scrupulum, caphuræ scrupulum. Cætera potes in vitro clauso digerere, colare, & perpurgare circulando, si velis reponere: caphuram autem in nodo dimittere, & sic relinquere.

Pectorale.

Epithema cordiale infusum.

Maluatici libræ duæ aceti rosac. libra media: aquæ rosaceæ sesquilibra, trochiscorum de caphura drachma, specierum diaxyloaloes, lætificantis rasis, cordialium temperatarum singula media drachma, sp. diarhod. abbatis sesquidrachma: solutionis coraliorum in succo berberum: solutionis margaritarum in succo limoniorum singulæ semunciæ. Stent in digestione, & postea sic maneant sine separatione, saltem ad fundum sidente crassamento. Potes tincturam rosarum, santalique rubri & caphuram nodo includere, & in liquorem demittere. Si calor non obstat, crocum adde, vel tincturam eius.

Si omnino separare feces placet factis digestionibus, id age: sed oportet salem ex combustis eiicere, & liquori addere. Alias vel purum, vel remistum licet pectori, ventricolo, carpis apponere.

Capvt XXXIIX.

De compositionibus promiscuis.

PRæter hactenus commemoratas compositiones essentiarum, sunt & aliæ nonnullæ communes cum officinis.

Est enim & *expreßio compositiua*, & *confusio*, qua *Cramata* conficiuntur, iulepi, potiones nonnullæ, &c. Est *amalgamatio*, & officinarum *malaxatio*, seu *subactio*, qua massæ fiunt, & inde porro pilulæ, boli, placentæ, turundæ sacharatæ, panes martii, trochisci, auriculæ, & aliæ medicinarum formæ, quo pertinent & *pentacula* Crollii & *Xenechdon* Paracelso ascriptum, seu *tabulæ arsenicales* contra pestem: Item *poma ambra* cum similibus.

Quædam commiscentur per *colliquationem & illiquationem* vnde fiunt vnguenta, & tabulata ex

sacharo

ſacharo varia: Accedunt & aliæ concorporationes ad formas electuariorum, puluerum, emplaſtrorum, & quæ ſunt huius generis. Neque enim à chymico alienum eſt ſuo modo parare *emplaſtra, ſparadrapa, telas, Embammata, collyria, maſſas, epithemata, emulſiones, ſuccagines, linctus* & ſimilia, quorum forma ad medicandum pridem eſt comprobata. Idem habet ſuas ſalium compoſitiones, ex quibus alcalia varia, *enatron, armoniacus factitius, &c.* Ita *laudana* ſua patat, & *elixyria*, quorum omnium frequentia, ingenioſaque exempla habes paſſim, præſertim apud Penotū, Quercetanum, Crollium & q transſcribere ſi ne cauſa nihil attinet. Ne quid deſideret ſtudioſus, tanquam ad officinam nonnulla deſcribamus, & primum per *expreſſionem: Amygdalarum dulcium decorticatarum libram: pinearum mundatarum ſelibram, auellanarum ſeu nucum Ponticarum nullo vitio corruptarum & purgatarum quadrantem, macera aliquandiu aquâ rosaceâ. Deinde contunde, & exprime ſuccum valido prelo, quem cum ſacharo cryſtallino, aut manibus Chriſti cum magiſterio perlarum confectis, aut penidiis dare potes contra raucedines, & aſperitates pectoris.* Si placet emulſionem facere, *aquam tuſſilaginis ſtillatitiam, aut altheæ, &c. quantitate ſufficiente addes. Si catarrhi tenues* ſimul moleſtant, *ſeminibus dictis vnciam papaueris albi admiſcebis.* Expreſſio amygdalina ad raucedines. Emulſio.

Gelatina fiet, ſi emulſionem paraueris cum aqua decoctionis veſicæ Huſonis, eaq; condiri poteſt penidiis & ſucco citri, vel limonum: Item colorari crocea tinctura, aut radice anchuſæ, vel rubia tinctorum, &c: vtilis eſt *tabidis, & dyſentericis*, poteſtque fieri perſpicua ſi ſæpius per colum mittas. Gelatina.

Emulſio antipharmaca.

Semina citri decorticata: ſem. limonum: cardui benedicti, Napi contere, vel mole, vt decet: & addita aq. roſ. & ſucco citri per lacinias depurato exprime ſimul, auctiuq; liquoribus conſiſtentiam lactis procura. Huic adde ſolati perlarum, & ſachari cryſtallini quantum placet, vt & aciditatem mineralium quid, ſi opus ſit. Quo modo *oleaexpreſſitia compoſita* fiant, expoſitum eſt in *Alchymia*. Exempli loco erit: *Cinamomum confractum minutim, non contuſum, in lineo ſacculo ſuſpende ab operculo diplomatis, quod inferius continet aquam ſeu ſimplicem, ſeu aliam ſtillatitiam. Coque, vt vndiquaque permadeſcat vapore, iamque incipiat in ſuccum reſolui. Tunc praſto ſit pulticula vel maſſa ex contritis amygdalis dulcibus ad eum modum, quo ſolet oleum exprimi cum irroratione vini, vel alius liquoris. Fiant ſtrata mutua, vel etiam commiſceantur, & incluſa ſetaceo calefacto prelo fortiter exprimantur.* Ita cōficies *oleum amygdalinum cinamominum*, aut potius ſuccum, qui tamen, quia pingueſcit, digeſtione facile fit oleoſus. Emulſio contra contagia. Ol. cinamominum ex amygdalis.

Sicconiunctis, *amaris amygdalis*, & *ſemine citri*, arantiorum, limonum, rutæ, itidem oleum compoſitum expreſſitium facies, idque etiam validius, ſi cortices iſtorum pomorum adieceris: aut quod magis facit ad vnionem, ſi pultem ex contritis iſtis conſperſeris *oleo ſtillatitio ex corticibus limonum*. Si *roſaceum* cupis, aſperge ſpiritum roſarum: ſi *croceum*, miſce tincturam croci ſpiritu vini extractam & pulti contritæ inſtillatam. Oleum alexiterium.

Omnino *oleum amygdalinum poteſt eſſe communis materia omnium aromaticorum*, ſi offam contritam ſtillatitiis imbueris, & poſt vnu expreſſeris. Sed non oportet inurare titulum, & pro oleo ſynceto aromatum vendere. Id enim eſt impoſtorium. Ol. Amygdalinum aromatizatum.

Eadem amygdala minutim conciſa ſolent per mutua ſtrata cum floribus verbaſci, lauendulæ, ſpicæ, roſarum, & omnino quibus placet, diſponi, factaq; digeſtione in balneo vapido contundi, & exprimi. Humiditas aquoſa poſtea vel digeſtione conſumitur, vel leni deſtillatione abſtrahitur. Ita fiet & *oleum camphoratum* medulla nucis Indicæ, camphoraque coniunctis, tuſis & expreſſis. *Semen ſeſami* cum vaporata muci contuſum expreſſione *macinum* reddet: Et poteſt addi nux moſchata: *vt ſeſami farina libr. 1. nucis moſchata ℥iiij macis ℥ij. vaporentur in diplomate maluatico, aut vino albo bono: poſt tranſlata in prelum exprimantur. Expreſſum oleum, ſi non ſat eſt aromaticum, affundatur nouis aromatibus contritis, & vaporatis, atq; vna denuo exprimatur.*

Neruinum.

Lumbricos terra, pinguedinem caſtoris recentem, adipem vulpinem recentem, medullam nucis Indicæ: nutes inglandes mundatas: omnia ſuis portionibus contrita, conſpergantur vini ſpiritu per crocum alterato. Macerentur aliquandiu, Poſtea exprimantur calide. Fiet vnguentum. Vbi conuenit, adiicies ol. ſuccini albi, vel ſperma ceti aqua roſacea bene lotum: vel expreſſitium nuciſta: Item ambram, & moſchum, aliaque pro præſentate neceſſitate. Sic potes facere *pomata* varia. Vnguentum neruinum.

Expreſſitium pectorale.

Radices Ari recentes, mundatasq; ſegmenta ſcillæ ſucco limonum maceratas, ſemen aniſi maceratum hydromelite: radicem elenii: ſingula iuxta proportionem contrita commiſce: (adde pineas, amygdala dulcia pro libitu, ſi placet.) aſperge nonnihil vini Helenitis, aut ſpiritus iuniperi. Digere. Exprime calefacta, calente prelo. Expreſſum ſuccum amplius elaberare, & condire potes. Aliud: *Pomum dulce excauatum imple croco & thure cum pauco gummi ammoniaco. Aſſatum decenter exprime. Succum da cum ſacharo pro linctu: vel cum aqua mulſa: aut emulſione ſeminum & radicis altheæ additis penidiis; ad infantum tuſſim.* Ita *ſcillam exemto corde implent theriaca & caphura cum pauco croco. Aſſatam contundunt & exprimunt & in peſte foris, intuſque adhibent.* Pari modo potes procedere cum *cepa alba*. Pectorale. Ad tuſſim validam. Ad peſtem.

Allium contunditur cum opio & caſtorio. Digeritur, exprimitur. Expreſſum datur cum iulepo violato, aut roſaceo, aut ſi non impedit calor, cum maluatico ad ſomnum conciliandum. Ex omni porro planta ſucculenta, aut ſi aruit, recentata vaporationibus, vel macerationib. aut coctionibus in proprio ſucco poteſt fieri *vnguentum* Ad vigilias. Vnguenta.

guentum contusione *cum butyro eluto*, vel adipe recente, coctione, cui additur aliquando aliquid vini, hydromelitis, vel aceti, prout conferre arbitramur (si adest proprius succus aut decoctum, melius est ad virtutem internam) & demum expressione super aquam frigidam in patina contentam. Congelata pinguedo colligitur, & si adhuc humiditatem aqueam inutilem habet, digestione perficitur, reconditurq; Si libet, addes olea aromatũ, faciesq; balsama. Verum de expressis satis. De *compositione per confusionem* nihil attinet dicere modo symbolum inter confundenda obseruetur. Vnum tantum atq; alterum proferamus. *Crystallinum sacharum solue spiritu iuniperi* quantum solui potest. Id fiet per coctionem in diplomate. Solutionem confunde cum *aqua hederæ terrestris* cui immista sit pauca cinamomi vel Langii, aut alia aromatica aqua. Confunde vero ex diuersis poculis more officinarum. *Da asthmetico & dyspnoico ex obstructione.* Eiusdem scopi est, si *amylum Bryoniæ & Ari misceas* cum aqua ex radicibus & floribus Helenii hydromelite maceratis destillata, & postea aceto scillitico penidiis alterato confundas.

Confusum pectorale ad dyspnœam.

Ad Nephritin.

Nephritis.

Decoctum tartari. Confunde cum aqua althææ & alkekengi. Adde iulepum violaceum. Si dolor ingens est, aliquid laudani chymici dissolue aqua aut iulepo.

Ad Dysurian.

Tartarum vitriolatum solue œnomelite. Confunde cum oxymelite scillitico, & præbe haustum. Aqua saxifragæ albæ & herniariæ misceatur cum spiritu vitrioli ad aciditatem. Deinde fiat crama cum iulepo violaceo ex purpureis flosculis. Addi potest emulsio althææ ex aq. chamamæli, si dolor vrget nimium.

Dysuria.

Ad febrium ardores & sitim.

Lapidem prunellæ aqua fontana solue, dum incipiat sapor animaduerti. Tempera cum iulepo rosaceo, aut violaceo. Si placet aciditas, *cape aq. oxalidis ex succo destillatam Adde succum limonum per lacinias depuratum, & parum tartari crystallini.* Si ventriculo & epati times, ne nimium frigescant, *adde tertiam partem vini albi non sulphurati.*

Ad sitim & ardores febriles.

Oxysacharam ex succo limonum, citri, granatorum & berberum corallato misce cum vino albo oligophoro. Da ad reficiendum vires. Si est tinctura ex rubris florib. tunicis, aut santalo, vel rosis, vinũ prius his afficere potes: Et si grata est dulcedo patienti, crystallinum sacharum rosatum, aut violatum admisce. (Vulgaria sachara sunt suspecta propter *igniculum calcis*, qua solent sacharum affinare, id est, ad finalem albedinem perducere.) Diluta purgantia facies *ex infusione croci metallorum, vel mercurii vitæ &c. cum iulepo rosaceo contemperata*: aut vino absynthite si hoc placet. Omnem gustum sic potes obtinere. *Incorporationum exempla insignia sunt in laudano opiato* & similibus Electuariis. Variæ fiunt purgantium massæ, quibus abundant libri chymicorum. Materiæ sunt extracta. Monet Crollius *in suo Panchymagogo* ex colocynthide, agarico, scammonio, elleboro nigro, aloe, sp. diarhodon per spiritum vini extractis, solere in extrahendo vim purgantium debilitari: & ideo *quosdam addere dimidiam partem puluerum crudorum.* Sed hoc parum est chymicum, arguitque artem defectus. Promittit enim illa exaltationem non deminutionem virium, nec vult perdere, vel destruere essentias, sed in paruam molem totam vim misti contrahere. Videant ergo illi, quorum extracta sunt eneruia, quam caute ea parent. Est *compositio quædam Pauli Simleri in nostris officinis titulo extracti diacolocinthidis, & mechiocanæ.*

Refectiuum dilutum.

An extractis ex purgantium essentiis compositis recte addantur cruda.

Extractum diacolocinthidis Simleti.

R. Sp. Diambr. ʒß. diarrhod. abb. diatrion sant. an. ℈iiij. diaxyloal. Latific. Gal. an. ʒß. pul. piperis longi, nigri, cinam. interioris acutiss. an. ℥j. croci spicæ celt. an. ℈j. schœnanthi ℈ß. incidenda incide, contundenda contunde. Super has species funde vini sublimati quater vel quinquies destillati q. s. vitrum sit crassum, & ne spiritus exhalent, obsignatur Hermetice. Ponatur supra fornacem calidam, vel ad solem: quotidie aliquoties agitetur, quoad liquor colorem rubeum induat. Tunc in aliud vitrum placide defundatur. Affunde vinum aliud. Digere, vt prius. Repete id, donec non amplius coloretur. Extractiones tinctas sepone in vitro clauso exacte. R. Poma colocynthidis vehementer amara, super fornace arefacta, leuissima, enucleata num. 6. vel 7. vsque ad vncias quinq;. Incisa cultro in tenuem puluerem redigatur. Adde huic agarici trochisc. mollis. ℥ix. vel ℥x. cortic. Elleb. nigri iusto tempore collecti & præparati ℥ijß. coccognidii ℈ijß. salis Indi ℈ij. myrrhæ selectæ ʒß. fol. chamædryos veræ absq; stipitibus: fl. stoechados Arab. an. ℈ij. gr. v. cortic. mirobal. cheb. citrin. an. ℈ijß. gum. sagapeni ʒß. Euforbii albiss. ʒß. comminuantur in puluerem omnia conijciantur in cucurbitam ampli fundi & stricti orificii. Affunde extractionem superiorem ad digitos 6. vel 7. si non sufficit extractio, adde aq. cinam. Vitrum Hermetice obsignatum parte ima in vas ficulnum ponatur, & fimo equino circundatum maneat in loco calido, vt frequente agitatione color augeatur. Id absolui potest mense vel circiter, sitque digestione tali, vt qualitas furibunda mitescat & acrimonia desinat. Si diutius etiam in digestione permaneat, essentia extracta dulcescit, & iucundior redditur. (Nota ignem naturæ Palmarii) non labefactata purgatrice. Potestis addere vnicuiq; morbo appropriata & preciosa. *Coletur per setaceum. Abundantior liquor per destillationem abstrahatur. Extractum denuo extrahatur per vini spiritum addita aq. cinam. Tandem redigatur ad consistentiam sapalem, quæ circulari cum aq. ros. fragrantissima potest. Reliquiæ omnium extractionum comburantur, extrahaturq; sal ex illis per menstruum separatum.* Preciosa additamenta sunt hæc: *R. marg. præpar. ℈ij. coral. rub. præp. ʒß. hyacint. præp. ℈j. ol. mastich. still. ℈ij. ol. macis still. caryoph. still. an. ℈ß. ol. nucistæ still gut. viij. ol. cinam. gut. vij. moschi gr. iiij. ambræ gr. iij. salis ex capitib. mortuis huius compositionis ℈ijß. aut absynthii tantundem. Misce & serua.* Dosis à gr. x. ad xii.

Extractum Mechiocanæ parum differt. Si hoc vis, *pro colocynthide Mechiocanæ duplũ sume:* Cõcisus: *Primum species aromaticæ per se extrahantur. Deinde per se et colocynthis: Et si Mechiocanæ extractum facere vis, cape huius duas partes, colocynthidis vnã. Fiat extractio secũda per modũ tincturarum, vt est artis. Tertio extrahe separatim etiam cætera purgãtia cum suis additamentis. Tres extractiones cõmisce. Digere in cupa fœni vaporati, seu balneo vapido per mensem. Operante calore agent in se mutuo, & attenuabuntur, quæq; immitia sunt transibunt in mitia posita syluestrib. morib. Tande abstrahe spiritum destillatione vsq; ad consistentiam sapæ.* Hoc sic vti potes adiectis correctiuis. Sed si astralius vis medicamentũ, nouo spiritu aqua cinamomi misto potes denuo extrahere & extractiones digerere, donec nullas feces ponant adiectis semper si quæ subsederint inter digerendum.

Tandem diuide in duas partes: vnam serua liquidam cum suo menstruo toto, vel deminuto. Alteram destilla ad succi spissi consistentiam, dumq; adhuc sapalus est, immisce correctiua. Magisterii perlarum ℈j. magist. coral. hyacinthi, ol. macis, caryophyl. cinam. nucistæ still. an. ℈ß. ol. still. macis ℈ij. moschi gr. iiij. ambræ gr. vj. m. & repone. Eadem pores & liquido extracto addere.

Hoc dosi granorum XII. satis purgat. Aliud: *Cape extracti essentialis ellebori nigri: Extracti essentialis esulæ ana gr. quinque vel sex. Contempera cum aq. cinamomi & vnica gutta spiritus vitrioli. Fac pilulam.*

Aliud: *Conseruam radicũ esulæ* dilue *aqua decoctionis, crystallini tartari. Exprime. Expressum leniter coagula, cumque iam inspissari incipit, immisce olei cinanomi guttam vnam. Fiat massa dosi scrupulari.*

Aliud: *Extractioni conseruæ florum melissæ adde pulueris aquilæ cælestis grana* 12. *aut plura, pro vt præparasti & præsens vsus requirit.* Da forma boli.

Aliud: *Rhob cerasorum inspissa leni pruna adiecto diluto ex aq. ros. & conserua ros rub. Cum iam densescere incipit, distribue in bolos, & singulis immisce dosin essentiæ arsenici catharticæ, vel mercurii vitæ, &c.* Hoc melius est, quam si tabulata, vel trochiscos cum sacharo faceres. Dosis enim hic non bene potest seruati, nisi quis celeri manu sit promtus, diuidereque simul bolos, & miscere doses queat. Immisceri istæ essentiæ etiam *manna repurgatæ*, aut *extracto pomorum fragrantium* possunt.

Tabulæ confortantes vires animales & vitales.

Tabulata fiunt facilius per extracta, pulueres confortantes, magisteria, olea aromatica & alia. Exempli Gratia. *Sacharum crystallinum solue aq. cinamomi. Immisce cum iam ad perfectionem coctum fuerit celeri manu ol. cinamomi, & ambram friatam. Fac tabulas, vel rotulas ad confortandum cor & cerebrum.*

Tabulæ perlatæ.

Perlatæ.

Conserua ex pulpa citri vel limonum ℥j. magisterii perlarum ℥j. salis cornu ceruini ℈j. Magisterii matris perlarum ℥ij. Essentia cranii humani ℥j. sachari crystallini aqu. ex succo citri destillata soluti ℥iij. vel q. s. Fiant tabulæ.

Trochisci pectorales.

Pectoralis confectio.

Solue sacharum crystallinum aqua theriacali, vel antasthmatica. Adde extracti radicum Ireos partes duas: Rad. Elenii vnam ol. anisi paucas guttas, Formentur rotulæ.

Aliæ: *Extracti Ireos: Amyli Aronis an. pares. Sachari candi soluti aq. bryoniæ rectificata cum tertia parte aq. cinam: q. s. fiant rotulæ. Potes pendida addere.*

Ad pestem.

Pestis.

Solue sacharum aq. Bezoardica, vel succo acido citri & aq. oxalidis aut ros. Admisce extracti cornu ceruini debitam quantitatem, sub finem addendo solutum perlarum: & aliquot guttas olei ex seminibus & corticibus citri. De Bezaar & caphura adiice quantum placet. Similia obseruari in cæteris possunt. Si Spiritum vitrioli, vel sulphuris placet addere, sit paucus. Alioquin lentescit sacharum, vt & à succo berberum acriore.

Balsama inspissata.

De Balsamicis compositionibus diximus alias. Illud monemus, *industrie mannam præparari* debere, si hac volumus pro corpore vti. Præparari potest extractione per rosaceam, vel coctione vel filtratione crebra: aut ablutione, abstracta per destillationem balneare in aqua vsq; ad spissitudinem, quæ postea oleis saturatur, siquidem balsamum roseum volumus, qui fit ex spiritu inflammabili, tinctura, & oleo proprio: si caryophyllatum, aut cinnameum, cum aquis horum, quibus nimirum oleum fuit ex vesica destillatum. *Artis est oleum spissum nucistæ abluere decoquendo*, donec perdat odorem & saporem nucis moschatæ, siquidem aliud balsamum volumus quam maces, aut moschatæ ex oleo eius liquido. Deinde erit bonum corpus pro variis balsamis. Sumitur & antiquum, ex quo iam spiritus oleosus exhalauit. Hoc curauimus coqui aq. ros. sæpe mutata in qua dissoluitur, sed frigore iterum consistit. Repetito opere perit odor & sapor nucistæ. Si album velis, sæpius laua, vel insola vt ceram. Bibit multum olei, nec rancescit.

Balsama ex duobus corporibus mistis.

Est & cum miscemus corpora: vt cape ceræ albæ ex rosacea coctæ ablutæque partes duas: corporis nucistæ præparati partem vnam. Colliquescant in concha stante in cinerib. calidis, vel quod tutius est, in aqua satis calida. Commisce diligenter vt corpus fiat homogeneum. Interim salem & tincturã tei, si quidem haberi potest, adde, vt per totum corpus ex æquo distribuatur, tandemq; spiritum & oleum, remoto iam à calore vase, ne inter miscendum euanescant. Ita paulatim sine coagulare, & postea in capsulas diuide.

Balsamus moschatus.

Ad balsamum moschatum non opus est eluere oleum spissum nucistæ. Sed ita procede: *Cape ol. expreßitium nucistæ, & macis paribus portionib. (vt an. ℥j. vel q. v.) adde ambræ gryseæ ℈ij. moschi ℈jß zibethæ ℈ß. (nõ debent hæc extrahi, cum per se sint extracta: si tamen libet, potes eorum olea accipere, quomodo parantur à I. Baptista Porta) adde olei stillatitii macis tantum, quantum satis ad consistentiam vnguenti mollis. Misce in aurea concha stante in cineribus modice calentibus.*

Bals. rosac.

Pro vsu extemporaneo accipitur pomatum, aut sebum capellatum rosacea elutum: aut cera alba admysto butyro, quorum illa cocta deberesse ex aq. destillata, & diligenter purgata: hoc aqua ros. ablutum. *Si itaq; hoc modo vis balsamum ex rosis fragantibus rubris:* Primum in parato habebis tincturam quam pauco vitrioli spiritu colore, & odore exaltabis: Deinde oleum & spiritum rosarum fragrãtissimum. Cum ergo soluisti corpora, duas sc. partes ceræ & vnam butyri præparatorum, & cõmiscuisti ad linimenti consistentiam, tincturam adde, & subige probe lenissimo calore, cumq; iam coagulare vides, spiritum rosaceum & oleum tantum submitte quãtum capere potest balsamus, & omnino caue calorem dissipatorium. Nihil attinet salem addere. Nam spiritus vitrioli sufficit ad rancorem arcendum.

Tincturas alienas in defectu propriarum, si accipere placet, spissamentum nucistæ vel macis

debet ad exactam albedinem elutum esse, cui possumus ceram albam coctam apponere. Colorem coccinum præbet kermes granum, rubia, anchusa, &c. citrinum fl. genistæ, ligna citrina, &c. rubrum ex Brasilio, santalo rubro, &c. croceum ex croco, violaceum ex viola martia, viridem ex petroselino, cæruleum ex fl. cyani, &c. habebis. Et hæc quidem de balsamis, quæ declarandi syntagmatis gratia, vbi non omnia ad omnium saliuam sint dicta, proposuimus.

Sal compositus confortatiuus.

Salia & calces optime miscebis in suis liquoribus, si quidem elaboratæ sunt vt possint deliquio solui: *Liquoris perlarum vnciam*, liquoris hyacinthi *violacei duas drachmas*: Liquoris crystalli semunciam: salis cornu ceruini resoluti: salis cranei soluti singulas drachmas. Confunde exquisite & coagula per spiritum vitrioli per modum descensorium. Aut si displicet acor, lenissimo cinerum calore expirate in vitro sine, vel etiam per alembicū abstrahe humiditatem vsque ad eam consistentiam qua nasci crystalli possunt. Si liquorem ex crystallis auri habes, confunde eum cum liquore smaragdi, amethysti, granatorum, & sapphyri. Coagula in crystallos.

Crystalli purgantes.

Crystalli purgantes.

Cremorem tartari purissimum solue aqua scammoniata, seu in qua essentia pura scammonii sit diluta. Adde salis antimonii parum. Coagula. Imo cremori tartari aqua endiuia discocto pro certa dosi immisce aquilam cœlistem, vel cœterorum mineralium purgantium aliquod: & postea coagula secundum artem. Istud coagulatum dabis delicatulis, qui omnem fere saporem respuunt, licet & vtrumque seorsim dari queat, vt: *Cape iusculum capi alteratū limonis acidis & croco adiecto pauco sacharo. Solue in eo tartari cremorem purissimum.*

Sal mirabile

Fateri necesse est infinita posse exempla proponi: singularium enim numerus percurri nequit humanitus, & est artis copia amplissima: Interea & *hoc singulare est*: vt *Gallicam melius sanes* per sudorifica, cura tibi perforari lignum & intus excauari ad fistulæ modum, seu cannæ. Hanc cauitatem imple sale eiusdem ligni ex scobe. & reliquiis decocti cinefactis per aquam phlegmaticam decocti parato. Potes & salem communem alteratum gummate ligni intrudere. Occlude, & cōbure in carbonem. Sal in lapidem cogetur confugiente ad eū succo interiore, & vna coalescente. Hoc vti *poteris ad sudandum cum decocto guaiaci, aut cornu cerui, &c.*

Ad articulos languidos post curam veneream relictos eodem modo salem parant. *Truncum fraxini, vel iuniperi excaua ad instar tubi aquarii. Farci cauitatem sale cōmuni. Obturato foramine cono ex eodem ligno truncum combure. Fiet item sal lapideus. Serua loco calido. Cum vti voles, solue spiritu vini, vel aqua stillatitia guaiaci, aut spuma decocti, & perfrica articulos, & tendines in contractura* ex pleooalmo, adde liquāmina taxi, & pinguedinem humanam recentem. Tantum de Alchemia pharmaceutica.

Quoniam autem medicus Hermeticus non semper vtitur operose confectis medicamentis, sed interdum etiam Hippocraticum modum sequitur, videmus huius artis Professores, & celebratores in suis scriptis non omisisse artificiosas compositiones antiquorum quas iubemus Tyronem ex suis autoribus petere & potissimum Cratonem, Langium, Quercetanum, Crollium, Penotum, Forestum, Anglicum, Capiuaccium, &c. consulere. Plurimas quoq; descripriones in aduersatiis habemus: sed corollarii loco tantum de duabus loquemur.

De confectione alkermes.

Apud Mesuen extat confectio Alkermes *ex serici recens succo granorum kermes tincti lib. 1. quæ macerranda est in succi pomorum dulcium & aqua rosacea ana sesquilibra per horas 24. posteaq; nonnihil coquenda, donec tinctura rubea transferatur in liquores, quo facto per colum traiicitur, & seposito serico sachari sesquilibra cum colatura coquitur ad mellis consistentiam, dumq; adhuc calet offa seorsim ab igni subetur admisceri ambra confracta semuncia, qua recepta submittenda sunt pul. xyloaloes crudi, cinamomi crassi an. ℥vj lapidis Lazuli præparati & loti, margaritarum mundarum, candidarumque an ℥ j. fol. auri ʒj. moschi ℈j.* Hæc est confectionis vulgata

Alkermes improbatum

descriptio quam *Sylvius* commendat tanquam efficacissimam, sed *Manardus* & *Dodonæus* improbant propter *lapidem Lazuli* ob quem putatur medicamentum *purgare*, aut si non purget, vrere & putrefacere, cum sit magna pars compositionis. *Verum aduertendum est, tanta quantitate non præberi vt effectum istum consequatur*, posteaq; aliorum copia, atq; etiam præparatione reprimi. Quidam mutarunt descriptionem in aliam, quæ est huiusmodi.

Alkermes descriptio mutata.

R. Sp. Diamoschu dulc. ℥iij. diamarg. frig. De gem. frig. diacoralium (quod fit ex Sp. diarhadon abb. ʒj. coral. rub. ℈ij. gemm prap. an. ℈j. fiat pollen impalpabilis) an. ʒij. fol. auri n. 102. lapidis Lazuli cum aureis punctis optime præparati, quiq; fuerit transparens, ʒj. Lap. precios. præpar. an. gr. xv. Eboris rasi ℈ij gr. v. Bezoar orient. xyloal. cinam. ambra syncera an. ʒj. ossis de corde cerui non rancidi, nec exesi ℈j. conserua rosar. rub. Buglossi, viol. Lactuca Hispanica condita an. ℥ij nucista in India condita. rad. Bugloss condit. cortic. citri condit. myrobal. chebul, condit. an ʒj. cortic. arantiorum condit ʒij. Moschi Alexand. ʒß. Serici crudi succo granorū infectoriorum cocci recens tincti ʒjß. granorū kermes solidorum, contusorum aliquantulum, & laxo nodo inclusorū ℥iij. succi pomorum dulcium aqua ros. aqu. cardui ben. an. ℥vj. vel q. s. sachari fini ℥j. vini maluatici ʒß. m. fiat Electuarium. (a) Cum hac confectione comparetur illa, quam *de hyacintho* appellant quæ habet *hyacinthi*

Confectio de hyacintho.

orientalis, coral. præpar. terra sigillata an ʒß. granorum kermes solidorum: rad. tormentilla. Dictamni albi: sem. citri: croci: ros. rub. omnium santal. ossis de corde cerui: seminis acetosa: portulaca: rasura eboris an: ℈iiij. sapphyri, margaritarum, smaragdi, topazii, serici, crudi, auri, argenti an. ℈ij. caphura ℈j. moschi ambra an. gr. xij. sach. soluti aq. cinam. & ros. q. s. fiant tabula pondere drachma vnius. Dantur in *febribus malignis.*

Hæ sunt illæ nobiles confectiones quas in roborando omnibus cæteris anteferunt. Solemus autem etiam *alkermes in rotulas, tabulasue cum sacharo redigere addito elixyre vita moschato quantum* sufficit ad solutionem sachari. Ita fit confectio vsus melioris.

Chymian magis attingit hæc nostra.

Elect. cardiacum.

Recip. Extract. Sp diambra: & diatrionsant: per succum citri stillatitium facti an ʒß. Extracti cornu ceruini: Terra sigillata, vel Melitensis optima an. ʒij. Extracti cranii humani lectissimi: Cordis ceruini integri cū suo osse

esse torrefacti & contusi, an. ℥ij.ß. *epatum viperæ, & cordium rectè lectorum, & torrefactorum an.* ℔.iiij. *extracti xyloaloes; cinamomi an.* ℈j *pulpa sem. citri, carduiben. succo limonum puro potata an.* ʒj ß. *magisterii coral, margar. Amethysti orient. sapphyri, smaragdi, rubini an.* ℈ij. *calcis auri perfecta. Lazurii argenti legitimè parati & aq. ros. sæpe loti: Bezaar orient. an.* ʒj. *Tinctura granorum Hermes, fl.* Tunicis rubr. *Ros. rubr. an.* ℥ij. *Ambra* ʒj.ß. *caphura* ʒ.ß *ol. cortic. & sem. citri ol. macis stillat spir. rosarum; moschi an.* ℈.ß. *conserua citri optime præparata lib.* j. *aq. Bezoardicæ rubra: & syr. berberum corallati an. q. s. Si deest aq. Bezoardica, cape acetositatem citri tinctura santali rubri alteratam. vel syrupum factum ex succo cerasiorum puro & sach. candi. vel succo pomorum Borsdorpianorum & aq. rosacea optima. Potest hæc compositio in duas partes diuidi, & vni moschum addi, alteri detrahi.* Ita non tantum *ad robur medicinam insignem habebis, verum etiam* ad *malignitatem.* Cum *vigilanti melancholico dabis,* addes ad dosin, quæ erit vnius, atque alterius drachmæ, nonnihil *Laudani opiati* secundum artem præparati. Cum consulere voles *emaciato,* & *fracto viribus,* porriges eum Diasatyrium Crollii. Cæterum *conserua citri fieri* debet ex pulpa citri & limoniorum succo simul sumto, & addito sacharo crystallino, non illo fino quod calcis lixiuio dealbant. *Syrupus quoque berberum,* vti est apud Langium & Quercetanum, non alio debet sacharo constare quam albo candi. *Spiritum rosarum* sic facito: ℞. *fl. ros. rubrarum optimè fragrantium lib.* 30. *(vel plures) contunde in mortario marmoreo. Contusas include cupa ex stanno, vel dolio querno, quod nullum succum, aut odorem peregrinum habeat. Claude exactissime, ne effugere spiritus possit.* (b) *Ita reponatur vas in cella frigida per semestre, vel etiam vsque in Decembrem & Ianuarium, quia destillatio diebus frigidis est instituenda. Aperto ergo vase exime pro vna vice sex libras. Immitte in vesicam stanno rectè obductam affusa aqua communi quanta sufficit. Digere aliquantulum adaptatis diligenter vasis, alembico, serpentinis, refrigeriis, receptaculo. Tunc supposito igni destilla, vti solet aqua rosacea. Cum libram aquæ extraxisti, semoue receptaculum, & aliud appone. Iam enim spiritus exiit; aqua vero rosacea sequetur; quam destilla, donec odor & sapor deficiunt.* Libram autem *primam diligenter conclusam serua. Perge eodem modo cum residuis rosis. Cum omnium aquas protropas, seu spirituosas collegisti, mitte eas in cucurbitam eandem, prius mundatam. Da ignem lenissimum. Quod primo loco exit, seorsim excipe, & particulam in cochleari argenteo per chartam flagrantem incende.* Si ardet, rectè es operatus. Inde etiam coniicies, purusne sit spiritus, an adhuc aquosus. Si ergo purus est, absoluisti opus, si non, ad perfectionem, seu regulam ne destillabis. *Reliquum alio vitro excipe, donec odor & sapor desinat.* Regula perfectionis est hæc: *Mitte spiritum aquosum in phiolam prolixa fistula ad sesquiulnam. Orificium tege duplici charta qua oleo dulci oliuarum sit imbuta, quam multiplici filo strictè alligabis, ne loco moueatur vi spirituum. Imposito alembico cum recipiente omnibus rimis diligenter stipatis ve fuga occasio spiritibus adimatur destilla leni igni. Ante tres horas vix quicquam solet prodire, donec totum collum Phiolæ incaluerit.* Ita spiritus manente phlegmate transibunt. Si rosarum reliquias abstracta omni aquositate citra adustionem exiccabis, & perfundes aqua phlegmatica, macerabis, indeque destillabis; si opus est, etiam cum cohobiis, oleum fragrantissimum, & pretiosum elicies, quo cum spiritu ad balsama vteris: Imo spiritu tos. ex aqua qualibet poteris rosaceam meliorem quam officinarum parare. Cætera chymica vti parare debeas, in chymia habes, atque etiam apud Crollium, Penorum, Quercetanum, &c. abunde inuenis. Si *electuarium cardiacum calidius;* vt in morbis frigidis, *postulas, adde ei plus ambræ, vel ol. cinam. aut macis,* &c. vel da id cum nucista in India condita, & corticibus citri contusis in formam pultis. Atque hæc placuit addere chymicis.

Spiritus rosarum.

Ol. rosarum.

(a) *Addo iulepum perlatum, si forte ista calida forent inutilia: Aceto acutissimo solue perlas & tertiam partem orientalis hyacinthii seorsim Pro aceto potest esse succus citri, limonum, vel minerale. Fiat autem in vase clauso, ne spiritus effugiant, nec aperiatur ante quieeem. Cum prius menstruum soluere desiit, transfunde in vas angusti oris liquorem solutum, & serua. Affunde aliud. idque donec tota quantitas sit soluta.* ℞. *solutiones: confunde, confusis cum iam lac euaserunt, adde sequentem iulepum ad partes æquales, vel pro iudicio:* ℞. *aquæ ros. fragrantiss aquæ ex fructibus bati Idæi: aq. ex succo citri destillatæ: aq. ex flor. arantiorum destill. an.* ℥iiij *aq. cinam. aq. Bezoardicæ alba an.* ℥j.ß. *sach. candi q. s. ad dulcedinem. M. & mistura tempera solutum perlatum pro libitu.*

(b) *Ioan. Bapt. Porta in destillatorio fragrantissimam aquam, cuius vna parte* 10. *partes fontanæ possint condiri, conficit infusione frequente. Eligere oportet olentissimas rosas & aquam destillare. Hanc aliis affundere, macerare, destillare: Idem repetere tertio & quarto. Si iam velis, potes ex tot destillationibus spiritum elicere.*

D. O. M. A.

LIBER HYPOMNEMATVM ANDREÆ LIBAVII M. D.

Qui est Apocalypsis Hermeticæ pars Prior, de medicamentis quibusdam præsertim mineralibus chymice præparandis, & intelligendis quorundam auctorum formulis.

PRAEFATIO.

NVLLAM ſcientiam, nec artem conſtantem eſſe, niſi *principiis regulisque ratione* ab occaſione aut neceſſitate inducta *inuentis*, vſuque & *experientia comprobatis ſapientumque artificum auctoritate & iudicio confirmatis*, adeo liquidum eſt, vt quicquid ab iſtis principiis non dependet, pro inſcitia & inertia potius habeatur, quam pro ſcientia, & arte. *Scientiam autem, dum* dicimus, *contemplatiuam quidem primum intelligimus: Huius enim ſunt axiomata & doctrina inuenta, & vſu exculta, veraque ſemper καθ' αὐτὸ deprehenſa, ita, vt nihil aliud ſit, quam principiorum per ſe credibilium complexio:* Sed vnà digitum intendimus in *ſcientiam concluſionum* ex illis tanquam ex cauſis propriis & immotis profectam, cuius merito dicitur *ſcire eſſe rem per cauſſas cognoſcere, quæ ſunt cuique propriæ & eſſentiales*, & comprehenduntur deſcriptione artificioſa, ſeu methodica in ſcholis ſapientum. *Artem* cum vocamus, ad efficiendi ſecundum ſcientiam theorematicam facultatem reſpicimus, vnde & *veri factiua* perhibetur, vtpote quæ ad opus verum, genuinumque & ex principiis artis ab artifice agnoſcendum, iudicandumque tendit.

Scientiam volunt eſſe *perpetuorum, ſi vera ſit, & vniuoca* (Eſt enim & æquiuoca, quæ pro notitia qualicunq; habetur.) *Perpetua vero ſunt quæ ſemper ſe eodem modo habent*, itaq; ſunt vera, vt per ſe nunquã aliter affecta ſint, quorumque oppoſitum eſt impoſſibile. *Artem mutabilibus aſſcribunt*, ideo, quia opus idem poteſt variæ fieri, & ex aliis atque aliis principiis educi: Deinde quia magis eſt ſenſibilium, & ſingularium, cum illa ſit in intelligibilib. & vniuerſalibus tantum. (*Singularia & vniuerſalia* ſic opponuntur vt materialia & formalia, ſenſibilia, & intelligibilia. Alias in eadem ſcientia methodicè diſpoſita ſunt generalia, & ſpecialia inter ſe ſic affecta vt item vniuerſalitate, & ſingularitate diſcerni poſſint, ſed aliter accepto termino ſingularitatis, ita nimirum, vt, cum ad vltima peruentum eſt, ſit exemplum indiuiduum ſiue in diuinis, ſiue humanis. Quoniam autem *ſcientia contemplatiua principiis axiomaticis certa methodo inter ſe connexis conſtant*, cuiuſmodi illa debeant eſſe explicauit tribus notis Ariſtoteles, qui pronunciat omne ſcientificum & demonſtratiuum eſſe καθ' αὐτὸ, κατὰ παντὸς, καὶ καθόλου πρῶτον verum, quæ tres proprietates in diuinis inueniuntur primum, quæ & primam fidem habent. In humanis magis ſunt καθ' ἀναλογίαν. Itaque in his non tam exquiſite indicari poſſunt quam in illis, quod humana ratio ſit imperfecta, & valde impos in cognoſcendo & iudicando; diuina vero à Deo omnium perfectè gnaro, & potente producantur. Veruntamen ſunt & in humanis nonnulla immota, quanquam in plæriſque cæcutiamus; veluti immotum eſt: *Quodlibet eſſe, aut non eſſe* : *Omne effatum aut verum aut falſum eſſe*, ſiue contingenter, ſiue immutabiliter: *Duo non eſſe vnum*, &c. qualia in mathematicis multa occurrunt. In phyſicis, quæ ex ſenſui notis ſunt orta, & circa ſenſibilia etiam occupantur, non occurrunt multa; vnde & Plato incertitudinem ſenſibus tribuit propter materiæ ſenſibilis mutabilitatem, quæ & in cœleſtibus corporibus, tametſi ab omni mutabilitate, opinione Ariſtotelis, exemtis, locum inuenit. Si de ratione circa hæc quæras, met-phyſici videntur ſibi acutiſſime, veriſſimeque diſputare poſſe; ſed illi eo rem deduxerunt ſuis diſſertationibus, vt ſophiſtæ potius quam ſapientes andiant, ſtultumque iudicetur rationibus argutis loquacem eſſe, cum ſenſuum teſtimonium requiratur. Hinc λόγοι male audiunt, & pro nugis habentur, à S. Paulo etiam ſtultitiæ damnantur, & ψευδωνύμου γνώσεως, præſertim in diuinis, de quibus Hermes, Plato, imo omnes mundi ſapientes falſiſſima protulerunt, & plane contraria veritati per ſe diuinæ. Quærimus iam de chymicis noſtris, quodnam iudicium habeant. Paracelſici ſane ſua ſtultitia effecerunt, vt *Ars ſine arte, ſcientia ſine ſcientia*, Item *ſcientia ſine arte* appelletur, & publice infamis euaſerit. Contempletur enim quæſo, & cogitet quis, quam miſere de ea philoſophentur diuerſi. Fit hîc, vt verum ſit, quod quiſq; ſibi ſomniat, quanquam οὐκ ὄντως ἀλλὰ φαινομένως. De effectu & opere ſi inquiras, nihil niſi fortuitum, aut falſum cognoſcis. Quotus enim quiſque eſt, qui eodem modo vel laborandum cenſeat, vel laborando idem aſſequatur? *Parachymiam* itaque vocarunt, non chymiam ſcientiæ & artis inſignibus nobilitatam, ſi qua eſt apud Paracelſiſtas adhuc reliqua notitia. Nos huc contendimus & ſedulo aſpirauimus hactenus, vt, cum ſit aliqua *chymia ſcientiæ & artis re & nominibus digna*, cuius poſſit eſſe in ſcholis ſapientum ratio præclara, quæque inueniat inter phyſicas diſciplinas, & profeſſionem facultatemque medicam locum honeſtum, ea ex tenebris producatur, liberetur que partim ænigmatica perplexitate, partim immiſſa falſitate: ſuis autem axiomatibus quoque & Theoreticis principiis ordine legitimo diſpoſitis, eluceſcat, & conſtantem vſum, vtilitatemque peritè laborando exhibeat.

Chymia Paracelſica ſtultitia eſt.

Ad

Ad hanc rem non vnius Paracelsi vel iudicium, vel labor, vel ætas sufficit: non satis est vna Paracelsistarum factio: non opiniones ventosæ, & ampullosæ iactationes requiruntur: sed consulendi sunt primi inuentores, illustratoresque, & excultores artis, non stolidè de rebus nugantes, sed ex scientificis infallibiliter pronunciantes, non vnius ætatis, sed omnium ad nos vsque. Deinde cum *chymia præmittat generalem naturæ cognitionem, sicut & medicina*: cum sit subalterna, subiectaque physicæ contemplationi: hoc fundamentum omnino est retinendum, & *non prius euertenda natura, deinde chymia producenda*, sed stante illa hæc extruenda. Præterea omnia inter se collata, & syncere iudicata ad conformitatem iustam sunt reducenda, vt principia respondeant scientiæ, & vicissim hæc illi: ex scientia vero per artem sequatur opus vtile ad gloriam Dei, & commoda humana, quod item reciproce ex suis principiis, quibus est essentiale, possit agnosci & iudicari. In hoc studio dum sumus, videmus omnem apparatum & laborem chymicum esse in laboratorio. Postquam enim ex natura (siquidem perfecti chymici esse volumus) didicimus materiam secundum omnes caussas, effecta, subiecta, adiuncta: eam aggredimur ad vsum commodiorem reddere, maxime vt medici instrumentum fiat vtilissimum, cuius præsidio & arceat morbos, & præsentes abigat, sanitatemque incolumem præstet, citò, tutò, iucundè pro gratia diuina, quæ in sanatione est TOTVM secundum formam, & efficaciam salutarem. Hic modus elaborationum naturæ cuiusque analogos primum scire necesse est. Deinde accommodantur instrumenta, & labor deducitur prudenter perstreque ad scopum arti propositum. Operationes per se & sigillatim scire non sufficit vndiquaque. Neque enim chymicus statim es, si nosti destillare, sublimare, circulare, & reliqua operum manuatio ministerio expediendorum in Laboratorio.

Cum fere nullum Enchirema quo absoluitur magisterium vel essentia ab initio ad finem sit simplex, nosse oportet electionem, & ad res ipsas industriam accommodationem: præterea etiam in concursu variorum operum, ordinem legitimum, cum vasis, & elementorum moderamine. Ita demum speramus posse artem absolui præmissa operationum scientia; singulari, & postea ostenso ordine in operibus sicubi multitudinem requirit elaboratio. Ita eandem traditam inuenimus: ita excultam à veteribus, & recentibus, atque ita etiam deinceps tradendam, quod & nostris aliquibus experimentis spectauimus. Neque enim vnius hominis est in omnibus laborando sigillatim versari: Est aliquid tribuendum fidei sapientum qui ante nos fuerunt: Est aliquid dandum experientiæ sociorum, & nostræ ætatis scriptorum. Sic in Academias, & Gymnasia tandem potest introduci chymia, & publicè doceri: Sic etiam in palestram sensibilem trahi, & ad iudicandas falsitates & sophismata impostorum applicari. Verum *id minimè placuit Paracelsia addictis, qui nihil minus ferre possunt quàm lucem scientificam.* Credunt enim interire suam auctoritatem, & præsumtionem, si in publico ars doceatur scientifice. Mera spirant arcana. Iam quod manifestum fit publico, arcanum non est amplius.

Sentiunt ergo perire sibi, quod aliis communicatur. *Fiduciam*, seu vt appellant *fidem* populi & existimationem occultarum virtutum sibi passim vendicant, etiam per magica tentamenta, *sigilla, pentacula, verba, characteres, attactus, constellationes: specula, homunculos, vnguenta, sympathetica, Brasidellam, magurreonem, thesaurinellam*, & quæ alia monstra magicocabalistica, micro & macro cosmica, Triuna, &c. comminiscuntur. Hæc si quis velit propalare; interciderit fides, & existimatio. Sed valeant isti. Hoc iniquum est; nostrum studium etiam ab his exagitari, qui alias medici liberales & philosophi audire, & existimari volunt. Volunt *Libauium irrepere debere in fornaculas & caminos*: Volunt *cinflorem esse*, & perpetuo *adhærere furnulis* chymicis in laboratorio. Quicquid edit, aliunde acceptum, vel descriptum clamant *non compertum propria chirotechnia*. Cum limis intuentur habitationem Libauii, & nihil vident vitrorum, prunarum, caminorum, furnulorum, fumi: non plenam essentiis apothecam: statim expuunt, & tanquam Tisiphone afflati resiliunt passim calumniantes *nihil nosse Libauium non habere laboratorium, transscribere receptas, docere pridem docta, aut suffurata, amiceque communicata palam facere*, &c. At o sinistri iudices, olim fuit in laboratorio Libauius, & tum per se, tum per alios multa præclara confecit. Nunc quicquid siue sua, siue aliorum experientia cognouit, complecti scientifica informatione in studiorum adolescentiæ commoda satagit. Idne iniquum? Idne nihil laborantis? Si transscribimus aliorum experimenta, id non fit temere? Assignatur enim in arte illis honorificus locus, & simul lux infertur ferè additis interpretamentis, & varietate in qua etiam iucunda est ingeniorum, & solertiæ comparatio. Præterea si Libauius non maculat manus carbonibus, lutoque & faciem fauilla opplet, læditque sensus suos operum halitibus, an id ne possit quidem si velit? Et finge nec posse administrare id quod scientia est consecutus: Ideone erat traducendus? Num medicum reprehendimus, qui non ipse venam secat, non emplastra coquit, non miscet pharmaca in pharmacopolio, &c. sed ministris tantum monstrat, quid & quo modo agere debeant, aut saltem quid paratum velit? Quot formulas extemporaneas mittimus in officinas? Num ideo infames sumus quia non ipsi manum admouemus? Quis herus male audit, cum famulitio imperat agere, quæ ipse seu non possit, seu nolit? Quis dominum ædium increpet, si non ipse ædificet, sed architecti operam conducat? Sapite melius mei homunciones, si stulti esse, & haberi non vultis. Ego tibi, quisquis es, siue meis, siue artificis cuiusdam verbis modum operandi præscribo: Iubeo mundare, putrefacere, destillare, cohobare, sublimare, exaltare, descendere, &c. Tuum est iussa exequi. Non quære de me id ne ego possim effectum reddere. Tu solicitus esto, vt præscriptum assequaris. *Quidam adeo fatui sunt vt in formulis omnia ad amussim quàm apertissime exposita desiderent*: cumque ex Tonstrina, aut officina alia in chymiam prouolarint, plærique deserto stadio Theologico, iuridico, scholastico (nam ex perditis studiosis, tonsoribus, aurificibus aut calendariographis & perditiores fiunt

Stulti homines qualem velint Libauium esse.

Lege vitam Fernelii, vbi inuenies simile quid isti viro à Flexelio quodam æmulo contigisse.

Quomodo transscribat Libauius.

De præmansas sibi escas cupientibus quibus venter equinus & asininus iuste satisfecerit.

fiunt Alchemiſtæ) & aliis, arrepto libro *operantur ad verba ſeu literam*, vt cum aurum potabile ex Libauii chymia excatinificant; cum non reſpondet literæ vel potius ſuæ phantaſiæ promiſſioni factum; criminantur formulam cum autore: Plærique etiam ſomnia ſua inferunt, & ex litera extorquere volunt id quod ipſi fingunt, non quod proponitur. His aptandæ ſunt auriculæ Mydæ, aſiniq; furca, & ficus oſtendenda. Artifices ſcribunt ſuo modo? Tuæ inſcitiæ imputa, ſi nõ aſſequeris ſcriptum. Quæ tamen etiam intemperiæ agitant, vt ægrè moleſteque feras, ſi in publicum commodum profero, quæ vel ego vidi, & expertus ſum, vel ab amicis, vt publici iuris facerem, accepi, quorum iuſta volumina à Camerario, Doldio, Herdenio, Brendelio, Schnitzero, Sapphio, & aliis multis ad me non typis vulgata, ſed ex ſcriniis monachorum, aliorumque repoſitoriis manu exarata ſunt tranſmiſſa, nec pauca adhuc intra penetralia mea retinentur; vel triginta annorum cura collegi: vel ex impreſſis tranſtuli in ſuum locum cum aliquo additamento: vel multis de arte quæſtionibus, & diſputationibus reddidi lucidiora? Si tu tua ſputa non vis in lucem dare, ſerua eà tibi, ſintque æternum ſepulta, quæ tam mala beſtia ſepulta eſſe cupis. Cum meum ſyntagma Pragam, quo confluere Paracelſicorum impoſtorum turba plærumque ſolet, allatum eſſet, & in bibliopolio proſtaret, relatum mihi eſt, acceſſiſſe *duos ſtelliones Paracelſicos*, qui naſum ſtatim corrugauerint, additis criminationibus ſolitis, *me nihil ſcripſiſſe niſi prius ſcripta*, & edita: *Deinde me non poſſe laborare, atque adeò neſcire, ſintne ea quæ tranſſcripſerim vera an falſa*: tertio ſe *fuiſſe mecum Côburgi in diuerſorio quodam, ibi me interrogauerint de quibuſdam ad artem ſpectantibus, ſed non potuiſſe reſpondere.* Non curo quidem de me, quid quiſque ſcurra loquatur. Imo puto illos nebulones ideo reiecisſe ſyntagma, quia non intellexerunt neque Latinitatem, neque philoſophiam meam. Si etiam omnibus placerem, hoc primum eſſet inertiæ & inſcitiæ argumentum: Veruntamen quod ad tranſſcriptiones attinet, ſi ſic tranſſcripſi, vt autorum nominibus additis tum induſtriam eorum commendauerim tum Alchymiam artificum (non enim oportet inertium commentis farcire artem) operibus illuſtrauerim, & oſtenderim præceptorum veritatem & euidentiam, quin alicubi adiecerim etiam interpretamenta, non peccatum eſſe confido, niſi forte peccant Grammatici, Rhetores, Dialectici, Iuriſconſulti, medici, &c: cum præceptis ſubiiciunt exempla ex probatis autoribus collecta. Non autem omnia ex impreſſis tranſlata eſſe, cognoſcet is qui comparationem inſtituet. Dic etiam vbi ſic elaboratum ſyntagma, vt à me eſt editum, legiſti? Tamne es gratus pro iſto labore? Poteram allegare ſaltem non nulla: Sed quam graue ſit allegationes euoluere, cum non raro libris careas, experti ſciunt.

Iudicium ſtellionum quorundam de ſyntagmate Libauii.

Iniquiſſimum autem eſt à me exigere omnium formularum quæ ab aliis ſunt editæ manuarias elaborationes, & propria experimenta. Si vera ſcripſit Penotus, Quercetanus, Crollius & alii, mea relatione non fient falſa. Si item illos artifices peritos putamus, cur non fidem adhibemus illis, ſiue à me citentur, ſiue ab alio? Et quis hominum eſt, qui omnia vnus poſſit experiri? *Neidhardum à Dungen aſſcripſerat multis formulis ita ſe habere*; multis, non reſpondiſſe. Is autem opibus præditus per multorum manus poterat multa procurare etiam animi duntaxat cauſſa. Omnia vero quæ multis voluminibus manuſcriptis habebat, non potuit imitari. Mihi ſatis eſt artificis celebris fides, etiamſi impoſtor aliquis Paracelſicus modum præſcripti non poſſit aſſequi. *Fuiſſe illos ſtelliones mecum in diuerſorio Coburgenſi*, mendacium eſt. Neque enim ſoleo conuiuari in publicis hoſpitiis, præſertim cum agyrtis, & nebulonibus. In Gymnaſio vero, vt & Rotemburgi in habitatione mea, adiuerunt me diuerſi, quos non omnes culpo, quanquam neſciam quo animo conuenerint. *Quidam reprehendebat me, quod Lullio aſſcripſiſſem lapidem mineralem, cum de ſanguine tractaret*, cui ob liberam reprehenſionem non ſuccenſebam, ſed iubebam experiri, & ſcriptum cum experimento conferre. *Aderant aliquando duo pannis & fumis fameque obſiti & fere confecti.* Vnus Italicè ſciebat tantum (ni proditor fuit) alter loquebatur Latine, & Germanice. Hi verba faciebant de lapide philoſophico, quærebantque *an non magna auri multitudo ad eam paucitatem tinctura redacta eſſet, vt millecuple mercurio, vel metallo imperfecto reſponderet, & tantum tingeret, quantum in natura fuiſſet corpus ex quo extracta fuiſſet*, cum compertum ſit granum vnum ex ſexaginta auri, iterum tingere ſexaginta; vt ſic granum multa milia tranſmutans deberet extractum eſſe ex tot millibus corporis. Sed *reſpondebam tũc paucis negatiuè, quia multiplicatio & proiectio longè aliud euinceret.* Poteram pluribus argumentis ex præparationis artificio, & axiomatica diſciplina ſapientum, ipſoque effectu idem demonſtrare; Sed *quales aues eſſent iſti ſtelliones, ex veſtitu colore & ſermone colligebam.* Itaque in veſtibulo relictis diſcedebam. Si hi ſunt illi, qui in bibliopolio Pragenſi me ſunt criminati, id mihi laudi duco: *quia à talibus nebulonibus laudari eſt vituperari.* Erat mecum etiam *Kirſtenius* cum ſuo comitatu, & aliquid monebat de *Steganographia* Tritemii, & aliis nonnullis, in ipſo Gymnaſio. Sed non arbitror hunc quicquam animo inſidiandi protuliſſe. Verum valeant maledici.

Clauicula Lullis num de ſanguine ſit.

Sitne tinctura aurifica ex magna mole in minimam contracta: Imo potius ex parua in amplam diducta.

Στεγανογραφία. operta, tectaque ſcriptura, quando aliis lectis, alia intelliguntur, quod ex ſigno manifeſtum fit.

Nunc cauſſa dicenda eſt cur ὑπομνημάτων, libellum inſtituerimus. *Hypomnemata appellantur domeſtica aduerſaria, ſeu commentarii & recenſiones eorum quæ memoriæ cauſſa ſibi quiſque ex lectione auctorum collegit, & ſeorſim connotauit.* Id in chymicis iam diu à nobis eſt factum, adeo vt luculenta volumina magna varietate ex editis, & non editis, propriiſq; obſeruationibus congeſſerimus. Contigit autem, vt admoneremur Hermeticorum præſertim, & parabolicorum formulas variè exponi, & non deeſſe ſciolos, qui ſibi ſolis arrogarent dilucidum ſenſum eorum quæ Quercetanus, qui ſtudio occultandi poſt Paracelſum inſignis eſt, & alii nonnulli, edidiſſent, cum tamen nihil minus aſſequerentur quam veram traditorum ſententiam: Interim autem iſtis iactatoribus fieret, vt augerentur impoſturæ, & vtcunque eueniret opus, id pro genuino haberetur, qui eſt mos Paracelſiſtarum. *Non quidem Oedypi & Delii natatores eſſe volumus, libenter audituri etiam aliorum eadem de re pronunciationes, & iudicia*: Veruntamen boni publici cauſa non putauimus occultandum premendumque eſſe quod prodeſſe multis poteſt ſiue ad intelligendum, ſiue ad plenius inueſtigandum, maluimuſque peccare ſtudio iuuandi,

Hypomnemata.

Suggeſtiones ſententiæ quorundam Hermeticorum.

quam

quam male faciendi, & mentiendi. *Quercetanus* sæpè in animo habuit sua medicamenta liquido ex-
pooere:sed prohibitus est infestorum hominum machinarionibus. *Rulandus* quoque eadem fuit sen-
tentia, qui etiam nonnulla in publicum dedit. Nihil tam bene dici potest, quod non inueniat auda-
cissimos calumniatores, qui vt ipsi in medicina regnent, aliorum medicamenta, & curationes diffa-
mant; & veneni accusant, quasi audito stibio, argento viuo, & similibus debellatum sit, & caussa vi-
cta. Quidni vero? Populus vel solis istorum nominibus absterretur, & medicum cum medicamen-
to deuouet. ita factum est vt Quercetanus cum stibio argentum viuum vulgi declinauerit, vulga-
res præparationes, quibus imperito vsu multi multis nocuerunt, omnino damnando; occultiores
vero per parabolica nomina philosophorum tradendo. Sed hinc nouus error existit, corruptela sci-
licet, & substitutio adulterinorum pro veris. Nos quorum possumus medicaminum secretiores de-
scriptiones recensebimus, iudicabimus pro virili, & ab imposturis vindicabimus. Est & aliquid in
nostris prioribus dilucidius tradendum, & nonnulla vberius declaranda. In his nos voluisse medi-
cinæ chymicæ & studiis iuuenum inseruire, animaduertent boni. Ne vero inimici chymicorum ob
id tripudient, cum viderint omnia apertè tradi; audebimus etiam illis os virulentum obturare, si
vixerimus, efficereque vt maledictis suis apud omnes bonos, peritosque fiant infames. Vulgi iudi-
cia semper fuerũt sapientibus suspecta. Qui populares volunt esse, delirent cum belua multorũ capi-
tum; cumq; illa saltitãtes restim ductitent. Nostra causa agitur apud tribunal sapientũ, & peritorum.

CAPVT I.

De Argento viuo eligendo ad medicinam.

QVI Hermeticam medicinam profitentur nostris temporibus, omnem ferè vim medicam quæ sit admiratione dignior & efficacior, simulque ad vsum commodior, mineralibus attribuunt, ideoque etiam in his potissimum elaborant. Ex his faciunt *vniuersalia*, & *particularia* medicamenta: Ex his promittunt *vitæ balsamos* non tantum depulsiuos morborum, verum etiam sanitatis integræ vsque ad terminum vitæ diuinitus præfinitum conseruatiuos. His iuuenturem, seu *iuuenilem constitutionem ex senili* promittunt, quod *Renouari* dicunt; His tantum robur & firmitatem corporis, quantam ex aliis nullis, vtpote confidentes argumento quodam Paracelsico, *humidum radicale & calorem insitum, spiritusq; quæ sunt tria vitæ & fundamenta & instrumenta animæ in corpore potissima, longe validius, durabiliusq; & contra putredines, aliasq; violentas corruptiones, & caussas noxias munitius consistere & permanere posse, quam vsu vegetabilium, & animalium*, quæ ne seipsa quidem à putredine sua ope defendere possint, nedum alia. Ex matre terra primam habemus originem. Quæ nos edidit, etiam conseruationis præsidia suppeditat, quæ licet sint vegetalia & animalia maximè ad nutritionem facientia, tamen ad reuocanda instauranda, & confirmanda vitæ primordia tanto minus idonea quanto longius à prima radice discesserunt. *Vnde potius peteremus noua initia quam inde, vnde primum accepimus?* Ita isti argumẽtatiuidentur. Cœlestia tamen non excludunt. Nam & hæc durabilitatẽ habent, formalitate sua ab illis plus materialib. discreta. *Essentia cœlestes* licet in omni misto inesse, & capsulis elemẽtariis ioclusæ perhibeantur, tamen *in mineralibus inueniri dicuntur copiosius & firmius ob stabiliorem concretionem.* In his ergo habẽt suos planetas, quib. vt magoi mundi gubernationẽ in cœlo assignant, ita patui in tertis. Ad tria vero reuocãtur genera medicaminũ, vt & in aliis. Nã in *mercurio, sale & sulphure* omnia esse ploasũ est. Hæc genera distinguuntur diuersitate mineraliũ quantũ attinet ad hanc classem, sicut & in vegetalib. & animalibus. Si omnia percurras, rotasq; montium fodinas in vniuerso terrarum complexu exhaurias, primas asscribi ARGENTO VIVO, quod *Hydrargyrum* certa dispositione, & alia *mercurium* appellant, comperias, iuxta axioma Hermeticum; *Est in mercurio quicquid quærunt sapientes.* iste vero non *Hydrargyri varietas.*
vno modo est affectus. Nam aut solutum, viuumq; & fluidum in natura inuenimus, aut captum; seu inclusum lapidibus, ex quibus eum expediunt metallurgi. Deinde vel *volaticus* est, vel *fixus*, seu quod euidentius, *crudus*, quem & popularem, vulgaremq; voces, aut *coctus*: vel *solutus*, aut *coagulatus*, qui termini aliquando peculiares habent significationes. Quem *coagulatum* dicimus, is concretus est vi naturæ, idq; vel imperfectè, vel perfectè. Illud vel plane crude, vel cum aliquo coctionis gradu. *Crudam coagulationem* agnoscimus in *Antimonio*, seu stibio; & *marcasithis* pluribus, aureis, argenteis, &c. (Bismutho, Zincko, Gelfo, cadmia argentaria & similibus) Aliquem coctionis gradum deprehendimus in metellis imperfectis, plumbo nigro, albo, ferro ære. Perfectè coagulatus, coctusq; dicitur in luminatibus duobus Sole, & Luna, seu auro, & argento, quæ ob id *perfecta dicuntur metalla*, quanquam argentũ à summo gradu deficiat, nec omnes numeros coctionis absolutæ expleat, vt ita respectu auri quodammodo crudum, & imperfectum dici possit, argumento minoris in igni constantiæ, siue potentialem intelligas, siue actualem, vti apparet in examinibus *copellæ*, aquarum fortium, antimonii, sulphuris, &c. Verum enimuero cum de medicinis ex argento viuo disseritur, nõ de coagulato intelligimus; sed *de soluto* seu liquido, siue talis statim ex mineris veniat, siue ex coctione lapidũ, siue reductione ex coagulato per artem. Cum autẽ cuiusmodi sit, nõ parum ad vim medicam intersit, prima quæstio est, *quinam sit eligendus*. De hoc multa Quercetanus in libello de lue venerea, in alexicaco, in Tetrade, & alibi sparsim. Non omnino reiicit *oblatum ex conflatoriis*, & tabernis mercatorũ, qui eum ex natura ac- *Delectus hydrargiri.*
ceperunt siue per se fluentem currentemq;, siue ignibus aut alia arte viuum factum: veruntamẽ magis probat *cœlum*, quẽ sic appellat; *quia artis studio per ignem & igneas medicinas iam aliquid est passus, exuitque primum cruditatis gradum.* Non tamen vnus est per eum medicandi modus. Nam aut per se in *Aqua cocta Quercetani.*
vsum venit, aut præparatus. *Per se dico*, cum nulla industria elaboratur, sed vti ex fodinis conflatoriis, vel officinis affertur, vsurpatur, siue solus, siue cum aliis, vti mos est chirurgis, qui eum

rudi

Mercurius occisus.

rudi modo occisum (ita enim appellant, cum à cursu & fluxilitate nonnihil ad quandam tractabilitatem vt commisceri aliis possit, reuocarunt, quod saliua, vel succis, &c. conse qui solent) vnguentis, emplastris, & aliis formis medicaminum externorum addunt. Nonnunquam etiam lintea, & laseo vaporant: nucibus auellanis extracto nucleo, aut culmis pennatum, similibusque inclusum pro amuleto gestant. Nonnulli medici etiam contra vermes pueris deglutiendum exhibent, quo modo contra eosdem equis equisones, & veterinarii. Eundem etiam assumunt ad præparandum præcipitata, Turpetha & similia agyrtæ Paracelsici. Si ergo de viuo hoc & crudo agitur *primum loca generationis considerantur*: Non enim ignoramus alicubi perfectiorem gigni.

Loca Mercurii impura.

Qui ex mineris crudis, plumbi, stibii, arsenici, cobalti, &c. primordia habentibus extrahitur, quique inuenitur sub vliginosis, & omnino impuris, non laudatur. Valdè enim est leprosus, & non tantum frigiditate & humiditate loci imperfectè elaboratus, verum etiam halitibus viciniorum mineralium, plumbi, marcasithæ, cadmiæ, arsenici & similium infectus.

Hydrargyrus leprosus.

Leprosum vocant, qualem nos ex Voigtlandia accepimus *adeo indigestum & impurum, vt licet detergeremus sæpe, tamen recuperaret nigrorem*, qui tandem in superficie quasi squamosa fuligo consistebat. Iste verò nigror pro *arsenicali, sulphurea, & saturnina*, imò *cadmiosa & venenata fuligine* haberi solet. Quercetanus vocat *sulphur arsenicale coniunctum cum aquositate frigida & vi deleteria*.

Loca argenti viui pura.

Purior, nobiliorque est qui effoditur ex mineris fodinis aureis & argenteis vicinis, aut etiam extrahitur ex ipsis. Veruntamen & hic suspectus est. Nam cum fodinæ argenteæ sunt plumbeæ simul, & antimoniatæ, item cadmiosæ, vti inueniri solet cadmia argentaria venenatissima plena argento viuo, quod etiam dum argentum ex tali vena conflatur aliqando in caminis consistit, non habet laudem bonitatis. Eligunt aliqui *Goriliensem* qui ex *Hydria* montis 40000. pass. distantis Goritiò, minio natiuo (lapide quem *anthracem* vocant subrubeum ex nigro, qui extracto hydrargyro minium pictoribus crematura exhibet: Est & colore cinabarino; vnde cinabarim mineralem vocant, seu fossilem:) excoquitur. *Hispanicum* probat Quercetanus ob puritatem. Is autem est *tum natus in Hispania, tum ex auriferis Indiis inuectus*, qui certè nisi vitiatus est à mercatoribus, puritate exuperat hydricum etiam sæpius lotum. Est enim argenteo splendore; cum hydricus magis ad plumbum declinet, aut stannum plumbatum, nisi studiose purgatus fuerit.

In tetrade pag. 464. & 465. cap. 33.

Vngaricum quoque commendant. Quercetanus alicubi non reprobat *Hassicum*; vtpote ex lapide rubro excoctitium. Videtur eum tam commendare, quam præparatum sublimatione per sulphur. Verum ita & *Goritiensis* placere debet.

Nota bonitatis argenti viui.

Cum autem nihil tutum sit ab imposturis, siue ex India veniat, siue Asia, siue in Europa sit collectum, proponitur *generale examen bonitatis, nimirum si postquam totus per pellem leporis transiit sine vllo recremento, includatur retorta, vel cucurbita indeque destilletur item totus sine reliquiis*. Aliqui immistum calci viuæ, cum parte aliqua tartari puluerati, aut similibus destillant, vbi necesse est alienitatem relinqui. *Quercetanus & alii particulam imponunt in cochleare argenteum, & super prunis expirare sinunt.* Si relinquit maculam nigram, vel aliam præter auream; aut argenteam, repudiant. Sed *hoc indicium suspectum est*, neque potest de tota quantitate concludere, præsertim si stannum, plumbum bismuthum, regulus, non exquisite sint permista. *Satius est per tartarum & calcem viuam bis, terue destillare.* Tunc poterit etiam vulgariter in pilulis, emplastris, vnguentis, amuletis, vaporationibus chirurgicis scirrhorum, ad vulgare præcipitatum & similia adhiberi. Quòd si *septies, aut nouies vel etiam sæpius sic repurgetur*, inseruiet essentiis quoque. Amittit crudam frigiditatem, & aquositatem cum aliqua parte terræ. Detergetur etiam ab halitibus cadmiosis & sulphureis. *Qui studiosius in eo velit versari*, præmittat ablutionem. Ita enim nos consecuti sumus in vulgari et obuio puritatem Indici. *Contudimus in ligneo mortario cum ligneo pistillo salem præparatum solutionibus, filtrationibus, & coagulationibus, & immisimus argenti viui portiones, donec totam quantitatem præsentem hausisset, interim cum pistillo diligenter subigendo, & lignea spatha à fundo mouendo. Deinde affuso aceto acri per lacinias destillato abluimus, sidenteque argento viuo liquorem nigrum, qui iam salem soluerat, effudimus. Postea aqua dulci eluimus, siccatumque per corium traiecimus. Sæpius idem saxum voluimus, donec speculi purissimi vicem redderet. Postea mistum tartaro & calce per alembicum coëgimus, iterumque triuimus cum sale & aceto, traiectumque corio repurgauimus.* Labor iste satis est molestus. Ideo per ministrum fidelem potest procurari.

Indicus non opus habet tanta cura. Probari tamen debet, num sit vitiatus siue metallis aut marcasithis, siue ignobiliore hydrargyro.

Indici mercurii probatio.

Probatio fit per corium expressione, & postea per destillationem ex retorta, aut cucurbita per alembicum in aquam receptaculi frigidam: apud Quercetanum per diuaporationem portiunculæ in argentea patella, vel cochleari. Si verò suspecta est mistura argenti viui impuri, color examinatur, cumque adhibitus ad syncerum improbus deprehenditur, prima via est ex calce viua & tartaro septies per alembicum pellere, posteaque abluere, extergere, & per corium repurgare. Rectè item *cum sulphure & sale, aut vitriolo & sale quater sublimatur, & reducitur*.

De lue Venerea pag. 375.

Quercetanus compendium ostendit, iubens cinabarim artificialem officinarum pari calce viua, vel crusta panis tosta, vel Tartaro ad nigritiem cremato, miscere, & ex retorta in aquam frigidam recipientis agere. Is modus conuenit etiam sublimato Veneto. Sed ablutio per salem & acetum addenda est, sique ignauior euasit, per tartarum & calcem destillatur, & agilis redditur. Et hæc est aqua, quam *in syntagmate pag 253.* ex sublimato dulcem vocauimus; quod notet Lector, ne illam aquam sublimationis intelligat; quanquam id etiam *alibi* declaratum sit. Quidam instituto Paracelsi, vt est *in Tetradis* Quercet. *cap. 33, nouies à sale & chalcantho sublimant interiectu suis reductionibus.* Sed detrimentum sentitur, estque is modus non præparatio, qua saltem repurgatur, vt inseruiat arti chymicæ, vel medicinis externis, verum vt loquuntur, *essentificatio, qua*, sicut legimus apud Quercetanum, *Philosophicus* redditur, (*a*) purissimus nimirum omnique pernicie exutus, & cum auro familiarissime coiens, quod ab omni cruditate & nigritie fuliginosa liberatus, iam calidus, siccusque sit factus, & igne naturæ sulphureque impraegnatus, cuius virtute Sol & Luna in primam materiam reuocentur.

Nos

Nos *quintam essentiam* potius mercurii dicimus, & spiritum cœlestem, qui cum vltimo reductus est, viscosi humoris, seu liquaminis speciem repræsentat, quod si putrefactionibus arcanis in aquam philosophicam resolutum est, *tunc demum est verus philosophorum mercurius, aqua, acetum*, &c. Nostra purgatio de qua hîc loqui instituimus est huius essentificationis quædam præparatio, vt videre est apud Gebrum, qui sublimationi essentiam extrahenti præmittit purgationem per oxalmen. *Cum etiam tincturam augere volumus, non aliter purgatur quam sale & aceto. At cum proiectionem facimus, ne hac quidem necessaria est*: quia *tinctura ignea totum mutat*: Vide ergo quid instituas per mercurium, & hunc modum præparationis æstima. Vt obiter etiam hoc attingamus, quæritur, *num debeat in præparatione argento viuo aliquid adimi*.

An hydrargyro aliquid possit detrahi.

Ratio dubitandi est, *quia ne posse quidem videatur*. Nam totum adeo homogeneum est, vt nequeat in priora separari. *Totum item dicitur in igni manere, aut si volatile est, nullo relicto excedere.* Palmarius per ignem suum naturæ absque additione & detractione præparationem eam promittebat ex Pontano, *qua purum & impurum vna maneret*, simulque mutaretur. In epistola Bernhardi ad quendam Thomam *relicitur purgatio Arnoldi & Gebri* per sublimationem, argumento, quia non debeat ei humiditas natiua detrahi, id quod actium violentia eueniat. Si hoc ita est, videntur falli *qui demum extremis medium sublimationis eligunt*, item *qui ex frigido humido calidum siccum*, etiam tactu, vt loquitur Quercetanus, *faciunt*. Id enim est naturam hydrargyri destruere, & ex fœmina masculum reddere contra omnium philosophorum mentem, *qui non mutant fœminum in marem, sed conuenienti matrimonio vtrumque iungunt*.

Contra purgationem per sublimationem.

His arietibus petitur Quercetani hyperbolica de argenti viui præparatione perfectissima iactatio. Agnoscit quidem ille præparationem externam, *qua coquitur cum aceto & halinitro*, posteaque per *coria, vel lintea traiectum* detergetur ad deponendas sordes in cute hærentes: sed in tractatu de lue venerea *Hermeticos philosophos ait non cessare mercurium suis sublimationibus & reuiuificationibus crebris toties & sine omni tædio iteratis purificare donec tandem perfecte purus, aut certè perfectissimo proximus euadat acquisito colore (b) azureo & cœlesti*, dissipataq; & consumta aquositate & frigiditate superficiaria, corpori nostro noxia, excitato vero calore, & spiritu igneo, vt ex frigido calidus ex deleterio viuificus, ex plebeio nobilis & Philosophicus ex crudo coctus & digestus fiat. *Reprehendit medicos qui crudum, mobilem & fluxilem vnguentis & emplastris admiscent.* Sublimare iubet, eo scilicet modo quem in Tetrade ex Paracelso describit; & exuere *sulphure suo arsenicali, & aquea humiditate*, &c. Penotus scribit *à mercurio omnem sulphureitatem* seu partes sulphuris cum terreis & plumbeis *auferendas esse*, licet hoc absurdum aliquibus videatur. Terreæ & plumbeæ dicuntur eum capite mortuo manere in fundo sublimatorii: sulphureæ, arsenicales, & venenatæ in alembicum ferri, in medio manente parte pura. Geber tantum *aquositatem superfluam, & terrestreitatem ipsi adimit*. Alii *semen & quintam essentiam*; alii primam materiam exugunt, argumento, quod *aurum non possit in primam materiam, quæ aqua quædam est, reduci, nisi per primam materiam mercurii quæ iam sit actu*, quod fieri etiam in aliis necesse est, cum per id quod potentia est, aliud non possit actum ex potentia accipere. Quod autem sublimatio à sale & vitriolo nouies repetita istam puritatem ei conciliet adeo certum fuit Quercetano, vt etiam scribat, id *arcanum fuisse* hactenus miris obscuritatibus velatum, atque ideo reuelati veniam poscat: Hunc esse *vere philosophicum mercurium* nigris fuliginibus & impuritatibus exutum, & *igne naturæ sulphureque impregnatum*, vnde admirandas virtutes mutuatus *verum acetum metallicum* sit, quod *Solem & Lunam in suam primam materiam reuocet* faciens *ex mortuis vitalia*, ex corporeis spiritualia cum conseruatione *virtutum seminalium & ignis sulphurisque naturæ*. Hæc ille *in tetrade*. Si tanti est sublimatio, inquies, quorsum à Bernhardo repudiatur? Cur & sublimatum ipsum reiicitur, accusanturque imposturæ, & ignoratæ artis, qui argentum viuum sublimant? Sciendum autem est, quod & ante diximus, *hanc philosophicam purgationem simul esse elaborationem essentialem* ad magisterium lapidis, ad cuius similitudinem cum respicere soleamus, etiam in cæteris ideo commendatur sublimatio. Neque vero putandum est, philosophos in sublimatione subsistere: sed hæc *tantum via est ad gradum vlteriorem*. Ideo si quis contenderet, sublimatum esse mercurium nostrum in forma crystallina, eaque immobili, & lapidea, is deciperetur. Omnino enim *non sublimatum, sed per sublimatum præparata essentia liquida, sub forma & consistentia aquæ est mercurius noster, qui insitam connatamq; humiditatem non perdidit*. Et sic arbitramur accipiendam esse sententiam Bernhardi, errare nempe eos, qui per sublimationem argento viuo humiditatem radicalem adimant, aut putent se iam habere lapidem vel mercurium philosophorum, cum crystalli speciem sunt nacti. Quercetanus cum ex mobili immobilem fieri debere contendit, non vsum magisterii transmotationis, sed medicum intellexit: Et is sane etiam contemsit chrysopœian *in disputationibus cum Riolano*. Vnde porro colligere est, non assecutum esse mentem artificum de lapide, atque ita neutiquam reuelasse, quod se opinatus est aperuisse. Qui vero negant, argento viuo naturali propter perfectam mistionem aliquid adimi, quod fuerit in substantiæ integritate, posse, idque in partes diuidi, contemplentur saltem eius in aquam, & viscosum humorem transitionem. Deprehendent non esse inuictam ei naturam vti nec auro, & argento, cæterisque mercurialibus, quæ variè corrumpuntur quanquam Nobilis Anshelmus *in suo gemmario* idem videatur sentire: sed disputans tantum contra apparentem in tria principia solutionem, non omnino negans aurum corrumpi posse.

Præparatio Arg. viui Querc perfectissima hyperbolica.

Quercetani de mercurio hyperbole.

Quercetano aliquid suboluit: totum ignotum fuit.

Mercurius Phil. est sub specie aquæ: id quod vt Sedin Vogius inquit multos scioles decepit, non credentes aquam esse in nostro magisterio.

Chrysopœiæ ignarus Querc. non potuit scire verum mercurium nostrum.

(a) *Vide, ne decipiaris inuolucris verborum, nam sic quoq; tantum est materialis. Apertum sensum inuenies suo loco. Liber librum aperiet.*

(b) *Azureus color est proximus vltramarino, cæruleus & constans in igni minus quam vltramarinus. Reuera est nomen generis, cuius species nobilior vocatur vltramarinum. Nam corrupta vox est ex Lazuli lapide, quem lasurium dicunt vulgo.*

V CAPVT

CAPVT II.

De Turpetis mineralibus, potiſſimumq́ Quercetani.

Turbith.

TVrbith, vel Turpet vox legitur apud Græcos, & Arabes. In Dioſcoridis nomenclaturis *Pityuſa* ſic dicitur. Apud Meſuen Marinus putat radicem *Thapſiæ* à Siculis & Appulis ſic dictam intelligi excogitata voce ab aliquo impoſtore. Actuarius radicem Pityulæ ita appellauit, proculdubio inductus Dioſcoridis vocabulo. Aduerſaria nomen putant Arabicum, vel ſemiMaurum eſſe, & *ſignificare quamuis lacteam radicem*, quæ pituitã deturbet. Vnde Tripolio, Pityuſæ, Thapſiæ, Alypo, aut alteri ferulæ phlegmatagogæ, vel Tithymallo Myrtitæ, attributũ, qua de re vide commentatores Meſuæ, aduerſaria Anglorum, Mathiolum, &c. apud quos nihil aliud eſt quam vegetabilis appellatio omnibus officinis ex Auicenna, Serapione, Dioſcoride, Meſue, mercatoribus, &c. notiſſima. Purgat autem per ſe parum, vt monet Lobelius ex Meſue. Admiſtis aliis fortius trahit pituitã, & phlegma craſſum etiam à remotis. Ita res ſe habet in vegetabili. Poſtquam Paracelſus ſymbolismos reuocauit, & pro ſua fatuitate ad omnia applicauit, cœlum miſcendo terræ, viciſſimq; Item humana microcoſmi titulo, macrocosmicis, & macrocosmica inter ſe quoq; comparando, vt quæ ſunt in animalibus, ea agnoſcantur ſimili eſſentia in vegetalib⁹, & animalibus: vnde tandẽ extitit ſumma confuſio omniũ medicinarum & morborum (Nam quicquid placuit perditiſſime cuiq; nebuloni, & Thraſoni arrogantiſſimo, id ſtatim pro regula eſt: Iam res arſenicalis eſt, iam mercurialis, iam ſalina; Solaris, Lunaris, & quid nõ?) inde factum eſt, vt *herbæ minerales* in officinam veniant, nõ tantum vegetabiles, & viciſſim, item cœlũ in terram, & terra in cœlum: Hinc illa: *Prunella mineralis ſal: acetum minerale, Turpetum minerale, ſol microcosmicus, Sol vegetabilis, ſulphur ſolare ſal ſolaris, ſal hermaphroditicum*, & alia de ſipientiæ potius, quã ſapientiæ nomina, quæ æmulatio partim, partim iactantia peperit, quaſi peruerſi iſti Menalcæ Turpetha Rhabarbara, &c. quoq; haberẽt, ſed eſſata, cœleſtia, mineralia. Prætendunt quidẽ illi belli doctores, non eſſe margaritas porcis proiiciendas: Sed interim ſuæ lucifugæ impoſturæ quærunt præſidium, quod euidenter patet *fictitio Turpetho minerali*, turbante corpus, & nõ phlegma tantum, ſed omnes humores turbis ſuis cõmouente, etiã quando cum correctiuis, alexipharmacis, cõprimentib. impetum, & retinentibus datur. Quidam *Turpethum minerale* ex ſolo argento viuo parant. *Dornheuſerus tum ex hoc, tum ex metallis ſingula confecit turpetha* calcinando, ſoluendo, extrahendo, reuerberando, & aliis modis, donec puluis quidam emerſit. Alii inter præcipitatũ, & Turpethum diſcreuerunt: Nam *præcipitatum* appellarunt mercurii rubentẽ puluerem volaticum: Sed *turpethum fixum*. Alii Turpethum via ſicca fecerunt eleuando id ex acribus ſpecie ſquamatũ, auripigmenti colore: alii nõ niſi via humida per aquas fortes, quibus ſubmiſerunt varias elaborationes per diuaporationes, reuerberia, incenſiones aquæ ardentis, elutiones, &c. Maiore ſupercilio arcanorũ turgentes, aurum immiſcuerunt, atq; ita quod olim erat *aurum vitæ*, id poſtea *in turpetum* transmutarunt, vt appareat, *nihil inſtabilius, & incertius eſſe Paracelſia*. Omiſſis cæteris, duos iam excellentiores inter ſe conferemus, *Crollium* ſcilicet, & *Quercetanum*. Crollii deſcriptio eſt *in Baſilica pag. 122. & ſeq. Fiat ſpiritus ſulphuris acidus per retortam fundi expertem de more. Corrigatur deſtillando. Argentũ viuum quoq́ optime purgetur, modo ſupra expoſitus ſiue ex ſublimato reducatur, ſiue cinabari, artificiali vel natiua: Siue hydrargyrus Indicus & Hiſpanicus, aut Iſtrius ablutionib. ſit mundatus deterſusq́*. Accipitur quidẽ aliquãdo & is, qui ex metallis, aut ſemimetallis (cobalto, biſmutho, antimonii regulo) eſt extractus; ſed in præſens intelligitur mineralis, ſiue per ſe viuus ſit inuentus, ſiue ex anthrace, & cinabari natiua elicitus. *Sit eius pars vna in retortam immiſſa. Affundatur ſpiritus ſulphuris duplum. Clauſo vaſe per biduum digerantur in arenario ſubiectis prunis lenibus. Recluſo poſtea collo admoue receptaculum.* (Crollius monet, retortã debere eſſe luto munitam: ſed ſi ignis modum teneas, hoc non eſt, neceſſarium. Arena enim defendit vitrum) *Deſtilla paulatim. Spiritum elicitum redde in retorta hærenti mercurio. Digere iterum, & deſtilla. Repete hoc tertio. Spiritus eſſentia coit ferè cum hydrargyro.* Ideo poſt cohobium tertium euanidus eſt, requiriturq;, vt nouus affundatur, qui viribus ſit integris. *Digere. Deſtilla ſenſim, augeq́ ignẽ paulatim, donec excandeſcat retorta. Hydrargyrus in albam maſſam vertitur. Opere frigefacto frangitur circulo ignito, vel filo ſulphurato retorta, eximiturq́ maſſa. Deinde cautanare ſuper Porphyrite conteritur, & lauigatur. Inde transfertur in patellas vitreas & pluuiali ſtillatitia calida perfunditur, ſubigitur, ſinitur in quiete, donec ſubſederit. Aqua mutatur crebro, donec acrimonia ſalſa deceſſerit, & maſſa flauo colore reſplendeat, quod eſt IV. horarum opus. Hactenus eſt præcipitatus.* Vt Turpethum fiat, *include pulueratum phiola aut oblonga cucurbita, cuius orificium lana bombycina tantum obſtruatur. Infer in arenarium. Suppone ignem per gradus, vt vehementiore vrgeatur in dies octo, diſcedantq́ partes crudæ à coctis, & fixis. Conferent autem ſe illæ in collum vaſis. Obſerua interuallum; & vbi confirmata ſunt, applica fila ſulphurea, incende, cum deflagrarunt, guttam frigidæ aſtilla.* Ita rumpetur, *maxime ſi prius veſtigium ſmiride feceris. Prudenter autem ſuperiora ab inferioribus adime, ne ſublimatum recidat in fixum. Collige ſublimatum per ſe pede leporino. Fixum perfunde aqua ardente vini, vel iuniperi. Incende. Cum deflagrauit, affunde ſpiritum omni phlegmate carentem. Denuo inflamma, ideiq́ repete tertio.* Ita Crollius putat præparatum eſſe, vt intra corpus dari queat. Signum perfectionis eſt, *ſi cum auro fortiter contritus puluis, non inficit id albo*, quanquam non extremè debeat eſſe fixus iudice eodem, *vt poſſit excitari in actum*. Reduci tamen poteſt. Ita differt à præcipitato communiter dicto, qui etiam *carbone atratus agnoſcitur affrictu auri*. Purgat phlegma & aquas, atque etiam bilem, vt ſit quaſi *Panchymagogum*. Mouet per aluum, & vomitum à tribus ad ſex grana datum. Crollius miſturas indicat. Sed eæ Medico perito per ſe patebunt. Negat dari debere *in colica*, contra quam tamen temerarii Paracelſitæ olim maxime commendabant. Prohibet etiam in *pulmonis, iecoris, pectoris, laſionibus*, ne commotio vehemens noceat. Aliquando, *vt in febribus* præmittitur *purgans catholicum*: Et in *vomitu moleſto porrigitur ius piſorum*, vide autorem ipſum, qui poſtquam ex conſerua datum eſt, iubet ſubmittere hauſtum vini. Sed vt purget

Varietas Turpethi mineralis.

Turpethum auratum.

Turpethum minerale Crollii.

Mercurius præcipitatus Crollii.

Turpetum ex præcipitato.

Correctio Turpethi.

Signum perfecti Turpethi Crolliani.

Præcipitati vulgaris nota.

Pantagogũ & panchymagogum.

Turpeth in quibus non vſurpãdum.

Crollius circumcidit Paracelſicam de Turpeto iactantiam.

à cœna

à cœna rectius dari potest; & vt vitetur vomitus, cum trahente in aluum cathartico leniore. Ita se habet primum Turpethum Crollii, quod non videtur vberiore declaratione indigere: Nisi quod mirum sit, paracelsistam paracelsistas corrigere, & catholico Turpetho præmittere catholicum vegetabile: item illud plus, quam ad cœlos sublatum medicamentum vegetabilibus spiritibus frangere, cum correctinis dare, & tamen non penitus domare.

Secundum fit cum auro dupliciter: vnus modus biennium requirens non laudatur. Alter trimestri, vel quadrimestri bono igne adhibito absoluendus, exhibet tantum *præcipitatum*, quod spiritu sulphuris figitur, & in Turpethum aureum, seu *aurum vitæ* mutatur, qua dictum est prius arte. *Quercetani perplexitates* requirunt Oedypum. Recensetur id inter *angelicas præparationes in tractatu de lue venerea*, vbi etiam excusat *suas obscuritates*, quia dubitet, nusquam se non à veris philosophis intelligi: *quasi non esset verus Philosophus, qui non sit Oedypus*. Recenseamus id primum, postea iudicemus. *Cape calcis terræ pellucidæ & fixæ: Talci calcinati singulas libras. Fiat ex eis forte capitellum. Ex hoc argenti viui libram coque horis septem: Viui vero septies sublimati, semperque reducti, vt initium veræ fixionis accipiat. Quod si è calcibus quoque istis sæpe sublimetur, putatur tandem figi. Cape illum coctum cum capitello: Solue proprio regali fœtido menstruo. Hæc esto vna solutio. Solue seorsim in alia eiusdem menstrui parte metallinæ antimonii bene præparata tres drachmas. In alia parte solue auri per stibium vnciam. Solutionibus confusis vas obtenebrabitur. Sepeli in Athannore, donec clarescant. Impone alembicum. Destilla ad siccum. Destillatum liquorem redde ei, quod mansit in destillatorio. Digere. Destilla Repete hoc quartum. Hoc facto affunde fixatoriam nouam ad IV. digitos. Digere per triduum. Destilla, ter quaterve à soluto. Sub finem da ignem sublimationis. Quod ascendit, separa à parte hærente fixa. Hanc contere, & in catino plano super prunis crema gradu ignis secundo per horas XII. interim per bacillum agitando, donec fiat Salamandra rubicundissima.* Aquarum descriptiones hæ sunt: *Phlegmatis vitrioli & aluminis an. lib. ij. ß. aceti stillatitii lib. ij. calcis terræ nostræ pellucidæ, & fixæ ℥. ß. Salis corneoli crystallini ℨj. albuminis ouorum numero XX. Destillentur bis super feces per alembicum.*

De Quercetani Turpetho, ex hydrargyro, stibio & auro.

Salamandra Turpethum. Aqua fixatoria.

Alia fixatoria paratur ex chymia, lapide sedenegi: lapide perlato: Sulphure rubicundo marcasitarum, lacetta viridi, & rubra; halinitro, sale aluminoso. ♃. *aquæ prioris libras tres: Mercurii præparati fixi lib. 1. Destilla quater à fecibus. Vltimo pelle ad siccitatem. Massam relictam tere super marmore, & noua fixatoria* (Secunda scilicet) *quater affusa destilla. Tandem vini alcool à puluere destilla quinquies, semper affundendo nouum.* Iste est præcipitatus, seu Turbith minerale ad *crassum phlegma expurgandum* dosi gran. vii. ex conserua Bethonicæ & aq. Theriacali post purgationes in *morbo venereo*. Ecce tibi. Luctatur cum obscuritate difficultas operis. *Quis propter phlegma tantum laboris sustineat?* Cur non vtimur Diatartaro *phlegmatagogo*, vel *spiritu aureo Rulandi* ex Trochiscis alhandali, quem alterare possumus mercurio vt occultius disponatur ad luem? Crollius ferè secutus est modum Quercetani; sed addita correctione & abbreuiatione. Est & simplicius Crollianum. Primum enim nihil recipit præter argentum viuum: reliqua etiam aurum, omisso stibio. Sane Quercetanus magnum auxilium intendit commistis his mineralibus quibus Paracelsici omnia asscribunt etiam sigillatim præparatis vt tria vniuersalia in vnum cogantur, & nihil non comprehendatur, licet non putemus Quercetanum sæpe vsum esse tam prægnante auxilio.

Fixio præcipitati iam fixi.

Correctio per vini spiritũ.

Phlegmatis purgatio non indiget tanto labore.

Terra pellucida fixa si recte diuinamus, est *lapis specularis*, species scilicet gypsi. Potest tamen & alabastrites intelligi. Talcum per se notum est. *Capitellum* lixiuium est; quod vt forte fiat, sæpius nouis calcibus affundetur. Sublimationem hydrargyri fieri à sale, & vitriolo aliunde patet. *Reuiuificatio* est reductio eius per calcem ex retorta in conceptaculum aquam continens. Sunt & aliæ reductiones per tartarum, crustam panis, sabulum, cineres, argillam, &c. de quibus alibi. *Regale fœtidum menstruum* aqua regia est, quæ aurum soluit cum mercurio, & stella antimonii. Hic refutantur illi qui negant Regia aliud solui quam aurum, (*a*) & argentum viuum sublimatum, qui & exploduntur à Dornheusero qui fere omnes suas fortes *sale ammonio* conficit. Dum ait *NOVAM fixatoriam affundi debere*, subolet per regale illud menstruum accipiendum esse vnam fixatoriarum, quas ibi descripsit. *Metallina antimonii* Regulus est, vel stella ex eo cum ferri lamellis & Tartaro facta. In confusione solutionum caute agendum. Nam ebullitio fit. Guttatim igitur in magna ampulla confundantur. Halitibus surgentibus vas fit caliginosum, soletque rubere. Ideo in cinere calente seu cinerario, aut stufa sicca detinetur donec halitus dispareant. Iubet destillatum liquorem *ad caput mortuum, & feces* referre impropriè, cum neque mortuum caput sit in fundo vitri, neque fex vlla, sed *magisterium solutionis*. *Salamandra rubicundissima* intelligitur fixus puluis vel massa rubra. Quæ in aquis fixatoriis ponuntur adhuc sunt obscuriora. Apparet querelam, aut reprehensionem ad ipsum Quercetanum fuisse delatam. Acriter enim inuehitur in Theones quosdam, qui nomina ista *nec gustare, nec conterere*, vt loquitur, potuerunt, cuiusmodi sunt: *Aqua stygia: Muria acida* (acetum salsum, oxalme, qua ablui solet argentum viuum) *Turbith minerale: menstruum fœtidum* (quod sanè apud Lullium legitur de aqua quadam forti soluente, sed alii aliter interpretantur) *menstruum cæleste* (id quoque diuersam habet significationem, cum vel rorem melleum destillatum designet, vel aquam soluentem circulando ad quintæ naturæ puritatem exaltatam; vel vini spiritum summe elaboratum) *calx fixa & pellucida* (calcem terræ fixæ pellucidæ scribit, per quam Talci, aut lapidis specularis, vel gypsi translucidi accipimus, quanquam aliquando in mediis saxis inueniamus *medullam quandam foliatam*, quæ pro talco esse possit, vtpote resolubilis in lamellas perspicuas: item alabastriten & similia astringentia; nec interest ad virtutem;) *salia resuscitantia* (resuscitatiua, seu reductiua, vt est sal Tartari, sal ammoniacum, vrinæ, &c. quibus viuificantur calces metallorum, aut reducuntur in metalla, quo pertinent *fluxus* quoque vt Borax, fel vitri, halinitrum, sal gemmæ, &c. Sunt tamen & alia resuscitatiua, vt cum argentum viuum sublimatum, vel cinabarim per Tartarum crudum, calcem, argillam, farinam, &c. reuocamus in viuum liquorem; sicut metalla in mercurium per aquas, & pulueres mercuriales)

Aq. regia etiam alia soluit præter aurum.

De prisca med. materia cap. 3.

Calx in sua forma propria mirum est si pellucet:

Sales resuscitatiui.

sal corneoli crystallini (quo termino vtitut in aqua prima fixatoria, videturque vel gemmæ intelligere, vel sublimatum ammoniacum vel halinitti, vel Tattari. Vnde finxerit nomen corneoli, non satis apparet. Sardam & sardonichen aliqui carneolum appellant à catneo colore: qui cum aliquando in *vitro* antimonii conspiciatut, hoc quoque *corneolum* (b) audit. A cornu corneum & corniculum deriuant grammatici, non corneolum. Hic ergo Daui sumus, non Oedypi) *Kibric* (sulphur) *Terra fœtida*, *Terra mortua* (exhausta vitalibus potestatibus: & recepto spiritu potest in vitam reuocari. Fœtida vero est damnata & abiectanea, vt in præparatione lapidis vegetabilis.) Illa quoque fœtida dicitur quæ post sublimationem restat, item post argenti viui in aquam mutationem occultior res est in artificio lapidis. Lapis *Sedenegi* (hæmatites) Lapis perlatus (Talcum, vel specularis. Est enim inter fixatoria & astringentia) *Salamandra* (calx fixa, terra fixa, puluis fixus per igneas aquas, & reuerberium præparatus, plærumque ex argento viuo, vel auro, vel vtroque rubet) *Lacertus viridis* (vitriolum viride) *Leo rubens* (Lacertum rubeum, seu lacertam viridem & rubeam ponebat in fixatoria pro vitriolo viridi, & colcotare seu chàlcitide. Alias *Leo viridis*, & *Leo ruber* in artificio lapidis non vno modo exponuntur, fereque *viridis* est cum mercurius Philosophicus adhuc est crudus: *Ruber* vero cum in opere rubeo elixyr ad rubeum est perductum, cuius resolutio est *sanguis Leonis* rubri. Alii aliud dicunt pro diuersa consideratione: Et videndum est qua in parte operis, aut quo opere inueniatur terminus) *Aquila volans*, *aquila expansa* (argentum viuum volatile sublimatum, vel sal ammoniacus sublimatus. Expanditur cum capite est in fundo vasis, alis in alembico: vel cum in liquorem diffluxit: Volat, cum totum est sublimatum) *Acetum montanum* (Spiritus vitrioli acidus, vel sulphuris: Alibi etiam salem armoniacū acidum dicit, vtpote cuius vi putat humores omnes acescere, vt in aceto, succo limonum, citri, berberū, &c.) *Sanguis medusæ* (argenti viui sublimati liquor, vel alius lapidificus, quo modo Zuingerus salem orionium, etiam Gorgonium dixisse creditur. Thomas ita vocasset lac virginis lapidificum: Dornæus in gemmis faciendis liquorem fixatiuum. Alias est tinctura coralli rubentis quod cum sub aquis molle sit, in aëre lapidescit. Anshelmo sales plærique sunt lapidifici.) Hæc nomina ibi recenset, atque esse *apprime significatiua*, & tantum ab his intelligi qui *melleum dulcorem librorum abscondita philosophia degustarunt*, &c. Sed oō ignotum est, quam libere & licenter abutantur terminis Scotici isti Paracelsistæ. Illa quoque abscondita philosophia totuplex est quotuplicia vesanorum Paracelsistarum cerebra, quæ etiam super perplexitatibus Paracelsi immane quantum discrepant, quolibet fingente sibi suam clauem. Antiquitas Hermetica si reuiuisceret, diceret se illam philosophiam Quercetani ignorare. His ita se habentibus, in prima fixatoria iubemur capere aquam stillatitiam vitrioli, & aluminis sigillatim factam: Et licet phlegma sit aquositas separato spiritu relicta: tamen hic vtrumq; simul possumus intelligere, quasi *spiritum phlegmaticum dixisset*. Deinde acetum stillatitium: inde calcem Talci, vel lapidis specularis (*glaciem Mariæ* aliquibus appellatam) salem gemmæ, (vel Tartari, aut halonitri aut similem) & albumina ouorum: In aqua fixatoria secunda recipiemus *Cadmiam*, seu lapidem calaminarem (Quæ Græcis cadmia dicitur, ea à barbaris *climia*, & *cadimia*: Estq; recrementum fornacū dum æs coquitur. Specialius lapis in laterib. fornacum cum æs ex ærario lapide & diphryge conflatur, concrescens est, quo vtuntur in orichalco faciendo. Idem etiam fit per lapidem calaminarem, quem inde cadmiam terream, vel lapideam vocant. Alias est & natiua cadmia in argentariis fodinis, &c. *Hæmatiten* (aut schistum nodum) *Talcum*, (Hunc enim putamus esse perlatum lapidem, licet & specularis possit accipi vel gypsum album, & lucidum instar conchæ margaritiferæ) *rubeum sulphur ex aurea marcasitha: vitriolum viride: colcotar: Salem petra, & alumen*, destillabimusque aquam more aquæ fortis communis. *Alcool vini* appellant spiritum vini exiccatum seu ab omni aquositate adeo immunem, vt totus conflagret si incensus fuerit, nulla relicta humiditate, nec macula. Ita liquidior fuerit Turpeti mineralis conficiendi ratio.

Aqua fixatoria prima Quercetani.

Climia.

Turpetum ex Tetrade.

Eandem descriptionem voluit reponere *in Tetrade capitulo trigesimo tertio, pagin.* 465. *In eadem aqua philosophica* (inquit) *si alterum duorum luminarium intinxeris, ac dissolueris, eidemque aqua mercurios cinnabaris mineralis, aut antimonii seorsim immiseris, ac solueris cum minore elegantis nostri reguli stellati portione addita, cuius pondus iam pridem tradidimus: omnibus rectè permistis, & obumbratis crebris cohobationibus, ac reuerberationibus exerceantur, & ex arte edulcentur, inde Turpetum nostrum minerale nascetur*, vel *Aquila cœlestis Paracelsi, ac Phadronis*: quod 3.4.5. aut 6. gran. pondere vino infunditur, daturque colatura quæ *operatur admiranda* leni vacuatione: quæ grana iterum atque iterum possunt in vsum vocari *ad omnis generis lues, Epilepsias, paralyses, hydropes*, &c. Tria soluta proponit; *Auri* vel *argenti* (cuius tamen nulla mentio est in spagyricis): *Hydrargyri ex cinabari minerali, vel stibii regulo*: & stellæ antimonii, seorsim facta per *aquam quandam Philosophicam, quæ in spagyria erat Regia*, vtpote regis solutiua: alibi vt in panacea stibiaria, proponit *aquam mercurialem*, cuius meminit etiam in lue venerea *pag.* 390. & *in Tetrade pag.* 471. hancque miscet cum pari spiritu halinitri, digerit, cohobat, destillat, vt bene vniantur, & aurum argentumque soluant, & calcem efficiunt. Sed non opus est tunc argentum viuum sublimatum addere. Sufficit enim si aquam istam soluentem feceris (c) *ex liquore salis ammoniaci per calcem viuam fixi, & spiritu seu liquore halinitri pari, vel etiam copiosiore.* In hac aqua dum vtrumq; luminare solui tradit, obiter refutat item Palmariū & alios, qui aquā salis ammoniaci tātum auro soluendo & sublimato addicunt. Dum ponit hic argentū viuū ex natiua seu fossili cinabari, vel stibio, perinde putat siue ex sublimato quinquies repetito extrahas, siue ex anthrace, siue antimonii metallina. Si hoc ita est, *sumere licet Haßicum, vel hydricum duntaxat purgatum*. Excoquitur .n. is ex minio natiuo, seu lapide hydrargyri. Quorsum opus est sublimationū difficilimarū, periculosissimarumque aleā subire? Quorsum etiā stibium torquemus, vt argentū viuū sudet? Succenti tamē modo id facilius assequaris. Quantitas soluendorū iam expressa est *in spagyria*, scil. *mercurii libra, auri vncia, stellæ tres drachma*. Solutiones sunt rectè permiscendæ, nempe sensim vnam in alteram instillando. Hinc sequitur

Explicatio probabilis mysterii. Aqua philosophica Quercetani.

fumus,

fumus, & obscuritas in vitro; vnde dicit *OBVMBRATIS*: melius DEVMBRATIS. Nam seponendum vas est in arenam vel cineres modicè calentes, donec obscuritas desinat, *fiantque omnia clara*. Id non de vitro tantum intelligendum; verum etiam de liquore ipso qui debet esse clarus, non turbidus. Inde fit destillatio per alembicum, ita vt liquor quater extrahatur, totiesque reponatur; Et post hæc affundatur nouus, procedaturq; eodem modo. (*d*) Exercēda materia etiam est reuerberationibus; hoc est; *in reuerberium per catinum inferenda*; ibique *ignium vi vrenda, vt quod adhuc volaticum est decedat*, cuius gratia quidam subinde mouent, vt in auro vitæ. In spagyria retinebatur cucurbita, cogebaturque ascendere volaticum à fixo. Sequitur tandem *edulcoratio* omissa noua fixione spagyriæ. Neque enim ea erat necessaria. *Dulcoratio peragitur per dulcem stillatitiam*, aut aquam ex albuminibus destillatam. *In spagyria* spiritus vini adhibebatur, vt patuit. Addit fieri Turpethum suum minerale, vel *Aquilam cœlestem Phædronis & Paracelsi*: Sed infra audiemus de alia Aquila cœlesti. Paracelsum quod attinet, is *in* *Aquila cœlestis Paracelsi.* *Tomo V.* ex quo locus de cura hydropis citatur, *mercurium præcipitatum vocat*, cui tribuit vim tanium aquas ducendi. In *lib. 2. de longa vita cap. 7. Tomo 6. de Hydropisi* appellat *Aquilam præcipitatam*, cui vt etiam phlegma stabat, adiicit extractum Alhandali. Opponitur ea *Aquila exaltata*, (*e*) seu cœlesti, quæ est argentum viuum sublimatum, quod elaboratum dicitur *Aquila alba* cuius gluten est pars lapidis philosophici. Dornæus accipit aquilæ vocem de *sale ammoniaco, & mercurio auri præcipitato*: quorum hoc non est admodum verisimile, quando Paracelsus simpliciter *mercurium præcipitatum* ponit, cui & illa vis inest. Crollius quoque Paracelso hunc tribuit, vti & Phædroni & Hufero. Cum item Turpethum Quercetani sit compositum ex argento viuo, auro & stibii regulo stellato, non potest esse aquila præcipitata Paracelsi. Vt autem Paracelsus hydropi remedio esse tradidit in citatis locis, alibi etiam *lui Venereæ*: ita Crollius huic ipsi potissimum, postea etiam *Hydropi, Podagræ, Pleurisi, venenis, scabiei, febribus, ictero*, &c. de quibus lege ipsum. Aliud est corallatum & corallinum. In cura *Syronum* Paracelsus *Aquilam fixam, arsenicum fixum, Realgar fixum* commendat. Ea videtur esse sublimatum fixum. In cura morbi Gallici aquilæ rubræ, quæ est præcipitatum argentum viuum, fit mentio. In ictero *lib. 7. cap. 6. de tumoribus* & in cararrhosis pustulis *aquilā non mutatam* proponit: In *Gallica* cum *podagra aquilam Hamatinam*, cuius sex grana cum aq. Hermodactylorum, & fol. ellebori ad purgandum vehementer propinat. Quomodo vero distent ista conicere est ex descriptionibus. *Aquila præcipitata* eadem est cum *aquila rubra, aquila non mutata: præcipitato hamatina: Aquila hamatino*. Licet enim præcipitatum damnet in fine lib. 10. de Tumoribus: tamen alibi commendat, & eandem vim *aquilæ rubræ* contra icterum tribuit, quam præcipitato. De corallato & corallino *infra* disseremus. Quæ de Turpethis & fixo argento viuo annotauimus, potes *in Alchemia* titulo Turpethi mineralis videre. *Vulgares Paracelsici abluunt argentum viuum aceto, & sale* (Crollius præmittit septem coctiones ex Lixiuio calcis viuæ, & cineris clauellati) *donec omnis nigredo abierit. Deinde aqua forti ex aluminis salis an. ℥j. ß vitrioli ℥iij. halinitri ℥v. destillata soluunt; soluta calci affundunt nouam, vt figatur melius. Inde abluunt toties aqua dulci, donec acrimonia abeat. Tandem reuerberant in vitro bene clauso per decensum*; sed ignem moderari oportet; alias quod volatile est resolutum cum impetu erumpet, aut prius id per sublimationem est auferendum. Reuerberatum irrigant aceto, & in vitro argilla armato digerunt primo ignis gradu per aliud decensum. Tandem in læuorem super marmore redigunt.

(*a*) *Erkero aliquando tantum aurum & æs soluit: aliquando aurum, æs, ferrum, plumbum, stannum, sublimatum, arsenicum. Si vis certus esse, ex aqua forti adiecto sale ammoniaco fac regiam, & inice aurum mistum ære & argento, vim videbis.*

(*b*) *Ansbelmus indicat Corneolum corrupte dici pro carneolo Italice, Gallice, Germanice. Is autem lapis est semiperspicuus colore lotura carnis, vel sanguinis biliosi. Est tamen quoddam rubentius, quoddam genus pallentius, vt album dici possit. Quercetanus inde nomen transtulit ad salem Petræum crystallinæ concretionis vel similem. Alibi mentionem facit Corneoli glaciati alcool, per quod videtur spiritus salis tartari intelligi: vt sic sal Tartarinus sit pro crystallino Corneolo; si fixatoriam vim respicimus, potius cogitabimus de crystallis aceti & aluminis.*

(*c*) *Aqua philosophica alias etiam fit ex destillatis simul halinitro & sale ammoniaco, idq; sic fieri oportet, & non mistione liquorum, qui se retundunt mutuo, & acres spiritus dissipant, nisi certum modum teneas, vt integris viribus vniantur.*

(*d*) *Opinio est sic magis attenuari & spiritualiora reddi corpora, vt etiam per alembicum duci possint. Est in hoc aliquid: sed id fit quoque, vt altius se insinuent potentes sales, fiantque ineluibiles, vt docuimus in via componendi philosophica. Suademus ergo, vt ista aqua philosophica non vsurpetur, nisi circulationibus cœlestis reddita, si nolumus sales adhærere, & quid opus est sales infigere per cohobia, si mox volatile totum reuerberando separatur, vbi nec essentia parcitur?*

(*e*) *Aquila volans ab aliquibus dicitur oleum rubeum vitrioli, quod primo extrahitur ex cremato chalcantho cum silicibus vstis destillato: mox affusum nouo vitriolo iterum destillatur, quod tandem itidem nouo. Tunc dicitur aurum soluere, esseque partem tincturæ. Sed aliter se res habet in vero artificio.*

CAPVT III.

De præcipitatis simplicibus variis & eorum iudicio.

Varia iudicia de præcipitato. Quilibet agyrta suum habet præcipitatum, licet eum ex officina emerit. Officinarum præcipitatũ an ex arte eiiciendum.

PRæcipitatum vocant *argentum viuum* in puluerem, calcem, vel cinerem (Nam & sic appellant ex Æginetha) ignea aliqua vi, potentiali, vel actuali redactum, ita vt non omnino sit fixum, sed reduci queat, atque etiam affrictum auro sui indicia argentea alluuione præbeat. Mira tamen est sententiarum varietas, non patientibus plærisq; se legum vinculis contineri, vt semper sit effugiendi rima, sicubi peccatum inscitia artis, aut negligentia fuerit. Cum de *præcipitati noxa* sermo est; quam tergiuersentur plærique dictis, scriptisq; negando pertinaciter suum præcipitatum (*Est enim ferè vnicuiq; suum*) in culpa esse, nouimus: Et tamen non in re, sed mala præparatione vel accommodatione, & vsu crimen hæret. Quod si de ope proficua, auxilioque ex eodem per experimenta quædam verba fiunt vix quisquam est, qui suum non vel parem dicat, vel etiã longis multisq; parasangis meliorem. Qui in officinis vulgo prostat præcipitatus, quemq; *chirurgi, balneatores, vnctores, suffitores* & huiusmodi farinæ homines coquere didicerunt, quanquã alias autoritate Nicolai Massæ Veneti medici clarissimi *puluis angelicus* audiat, & à Paracelsistis olim ferè pro vniuersali vsurparetur, tamen *nostris temporibus damnatur*, & ex arte eiicitur non à dogmaticis tantum Galenicam profitentibus, verum etiam à Quercetano Hermetico, & Penoto, aliisq; nonnullis, (Paracelsus modo commendat modo repudiat prout cerebri inconstantis vento fertur) *quasi non & istud medicamen esset opus artis chymicæ*, aut propter maleuolorum hominũ accusationes, & flagitia male vtentium vel optimis rebus impostorum, & malomedicorum artificium sit abnegandum, conculcãdumq;. Verum illos contemtores; & repudiatores nec serio, nec ex animo facere, *sed tantum, vt disputationum, obiectionumq; vehementiam vitent*, quasi declinare forum, patet explicatione sententia, & *laude etiam vulgaris præcipitati* quem cogũtur fateri insigniter, imò *ad miraculum prodesse in vlceribus virga* contagio venereo affectæ, & *caruncula* in collo vesicæ enata: In *vulneribus sclopetorum* glandibus factis: in *spongiosa carne exiccanda* aufferendaq;: in *fonticulis* deprimendis, eliciendoq; fluxu: *in occulta vlcerum* malignaq; qualitate tollenda: Coercendis etiam *serpentibus vlceribus & gangranis*, & *tumorib. duris, crassisq; pure* dissoluendo, adeo præclare vt par remedium inueniri posse negent. Vide Hieronymum Rubeum *sect. 2. de destill. c. 22.* Penotum in chymicis *de argento viuo*, & omnino recentiores autores, qui de lue venerea curanda scripserunt etiam Paracelsum ipsum in chirurgicis.

Præcipitati vulgaris vtilitas.

Præcipitatus in morsu canis.

Matthiolus in morsu canis rabidi eximiè commendat: *Vbi è vulnere crusta deciderit* (inquit) *salutiferum fuerit remedium plagæ quotidie puluerem præcipitati* (sic enim vocant chymistæ argentũ viuum in puluerem rubicundum conflatum) *inspergere: siquidem id eximium, præstantissimumque medicamentum præter id, quòd vulnus occludi prohibet diuq; patens seruat, attrahit etiam ex alto ad superficiem potenter venenum, quà in re cætera huius facultatis præcellit medicamenta*, &c. Lege & quæ habet *de morbo Gallico melancholico circa finem*, vbi extinctionem vocat præcipitationem, & ex Rasi ad vlcera commendat.

Præcipitatio; extinctio. Infumatio præcipitati.

Qui id contra dysenterias, colicas, cœliacas Iliacas; vermes, luem veneream, arthritin & similia mala in ventrem immiserunt per os eum potionibus vel forma pilularum, aut boli cum conserua aliqua, vel Theriaca demittendo, temeritate sua infame reddiderunt medicamentum; quanquam & Penotus *ad subducenda per aluum excrementa, humoresque prauos per poros expellendos vtile iudicauerit*, sed alio vsu quã imperito, improuidoq; impostorum: id quod semper aduertendum est in iudicio huius, ne videamur, siue Dei creaturam bonam, siue artis opus præclarum inscite, temereque condemnare. Verum relictis his ad modos præparationum accedamus.

Theoria præcipitati.

Materia præcipitati est argentum viuum cuiuscunq; generis siue per se in natura inuentum; siue ex minio, aut cadmia argentaria, vel marmore excoctum: siue ex metallis & marcasithis elicitum. *Formam* habet pulueris vel calcis rubentis, aut flauentis: interdum & pallidæ seu citrinæ: nonnunquam albæ. *Finis* fere medicus est, potissimumq; *chirurgicus*; aliquando tamen cum secretiore via elaboratum est; etiam interiorem vsum habet in medicina, & metallicæ adhibetur. De *efficiente* dictum est, quod fit *opus artis chymicæ* per igneam potestatem, quæ vel absorpta exiccataq; humiditate in siccum puluerem id redigat, vel saltem definiat, coerceatq; spiritibus salsis ingestis, quorum vi continuitas confluxus disgregatur, & pulueris atoma continentur circumamplexa salsis accretionibus, quibus per ablutionem ablatis redit natura liquoris, fitque denuo viuum argentum; vt prius.

Cur aqua ista puluerretur. Reductio præcipitati.

Nomen *præcipitati* traxit *à descensione*, quanquam non hac sola fiat: Cum enim ex aqua caustica ad fundum vasis se recipere cogitur, præcipitari dicitur; Subintelligitur argentum viuum, hydrargyrus, mercurius. Itaque & modo neutrali, modo masculina terminatione enunciatur. Apud Paracelsum est *Aquila præcipitata*, qui terminus tamen æquiuocus est, & comprehendit etiam *corallinum fixum*. Ex Matthiolo apparet aliquando & *extinctum* dici. Putat enim præcipitationem esse veram eius extinctionem. Sed latior est extinctio.

Præcipitatũ fixum.

Quercetanus *fixationem* esse veram eius præparationem scripsit. Eam autem *stygia*; seu aqua forti philosophica peragi docuit, adeo vt etiã igniri queat. Verum hoc Turbith potius est: quanquam Crollius pro eodem habeat vtrumque nomen præcipitati aliquando etiam *mercurio vitæ* tribuitur, quando ex liquore gummoso per aquã in farinam redigitur. *Pulueris angelici* quoque vox communis est pluribus. *Præcipitatio fit duplici modo: per viam siccam vno, per humidam altero.*

Præcipitatus per viam siccam.

De via sicca *supra in lib. de igne natura* meminimus quod argentum viuum ex cinabari, vel sublimato crystallino reductum includi debeat phiolæ, Hermeticè signandæ, & detineri in igni cum magna cautione diebus 24. vel per mensem, donec per se in puluerem vertatur humiditate consumta, cuius perfecti signum est in igni non exhalare. Miscetur & silicibus pulueratis, cumque illis agitatus infertur in circulatorium. Alii includunt eum chalybeo canali, & ignibus fatigant: alii paruis portionibus in phiola vel alio vase præcipitant: *Quidam in ignitum fictile, vel ferream ollam immittunt, statimq; clauso exitu sic co-*

ficcogunt in puluerem abire. Crollius ait, modum secretum esse, quo *mercurius sine vlla additione certis instrumentis per se redigatur in cinabarim rubicundissimam.* Is modus alias dicitur *philosophicus*, fitque cum per sulphur, vel prius sulphur, postea salem mure Paracelsico: aut vitriolum & salem nouies sublimatur, reducitur per tartarum, & includitur phiolæ, detineturq; in igni donec coaguletur, & ex albo per citrinum in rubeum abeat. Sunt & alii modi, quos recensere nihil attinet. Vno enim bono & probato cognito contentus debet esse artis veræ discipulus. Si qui alij offeruntur, ad istum collati eo meliores iudicabuntur. *Per viam humidam* duo potissimum in vsu sunt modi: Vnus vulgaris & *chirurgicus* dicitur, alter *medicus*, & interdum etiam Philosophicus, Hermeticus, Secretusque appellatur. *Chirurgicus* est quando argentum viuum aquis fortibus communibus præcipitatur in puluerem rubeum: qui tamen initio albet, post flauescit, tandemque rubedinem contrahit, non sola aquæ fortis vi, sed etiam reuerberationis: vnde *calcinatio* dicitur. Aqua illa aliquando semel in iusta copia affunditur, aliquando bis, qua de re in Alchymia.

Præcipitatus per viam humidam.

Ex ea descenditur *mercurii cinis* more aurifabrili, quo calx argẽti separatur à chrysulca per aquam & salem. Aliquando per destillationem reuocatur: aut oleo tartari præcipitatur. Soler & digestione secedere, retracta scil. aqua propter spirituum fugam. *Alio modo argentum viuum* ponitur in conceptaculo, & ex halonitro, sale, alumine spiritus fortes in id aguntur, idemq; repetitur secundo, liquore reddito capiti mortuo, & iterum in mercurium destillato. *Quidam commiscent hydrargyrum* materiis pulueratis & vetere aqua forti, vel acero irrigatis; atq; ita sicce sublimant. Vsurpant pro præcipitato, & nonnunquam *turbith* vocant. *Corrigitur* ablutionibus per aquas dulces: aliquando & acetum & vinũ ardens, vel alias spiritus inflammabiles, qui super ipso aliquoties incenduntur: Tandem resiccatus læuigatusque puluis reponitur. Quidam aquis theriacalibus & Bezoardicis in abluendo vtuntur. Peccant hic *officinæ* somnolentæ & inertes dum quouis modo paratam fortem accipiunt, & argentũ viuum impuratum, cum deberent id prius purgare diligenter coctione cum lixiuio ex calce, cinere clauellato & aqua aliquoties repetita: Deinde lotione ex aceto & sale: tertio expressione per coriũ, seu pellem leporinam, quæ & præmitti poterat cum exploratione num plumbum assit aut aliud impurum metallum.

Cinis mercurii.

Hinc Quercetanus *à vulgari præcipitato abhorret cap. 3. defensionis primæ pag. 2 5 27.* Item *in consilio de lue venerea & alibi:* quin etiamsi *duodecies abluatur*, tamen repudiat, quia arsenicales, plumbei, & realgarici spiritus per aquam fortem vna sint præcipitati, & *quodammodo fixi.* (a) In externis tamen vsum eius relinquit, vt appareat ipsum pugnare contra temeritatem Paracelsicorum, qui eo vtuntur ad expurgandas *hydropicorum aquas*, & *febrium putredines:* Item *melancholias, epilepsias* & alia, quæ vafiamenta Hermeticis obiiciunt Hippocratici. Sed *nos artificia, non scelera probamus.* Communis ille præcipitatus in vlceribus, vulneribus, *hypersarcosi*, spongiosa carne, tumoribus, *fistulis*, fonticulis, &c. valet, non est cathatticum interius, nisi velis *in balano seu globulo suppositorii instar* adbibere, in quo vsu miscetur materia pilulari, aut oui vitello, & in anum intruditur, cauendo ne exulceret.

Huic vulgari Quercetanus opponit *præcipitata philosophica* ab ipso dicta, quæ & argẽtum viuum optimum, & legitime elaboratum capiunt, & aquis philosophicis præcipitationem debent. Mercurius hic eligitur Indicus, Hispanicus, Istricus ex minio natiuo absque mistura plumbi extractus. Probatur num à mercatoribus sit corruptus. 2. Coquitur ex lixiuiis: vel destillatur ex tartaro & calce viua: 3. per corium exigitur: 4. abluitur aceto & sale: 5. Iterum destillatur ex tartaro & calce viua, & omnino purgatur solertissimo studio.

Præcipitata medica Hermeticorum.

Præparatio mercurii.

Cum exquisitissime elaborate volumus, sublimamus eum per sulphur & salem: aut solum sulphur: aut vitriolum & salem: aut salem & alumen septies, aut nouies, semperque reducimus per tartarum & calcem: vel tartarum & farinam, aut etiam acetum calidum, &c. *Loco mineralis accipimus etiã eum qui fit ex auro, argento, cupro, ferro, aut regulo, vel stella stibii.* Sed nõ ad alios vsus quam determinatos. Neq; n. quiuis mercurius ad quæuis assumendus est. Menstrua quib. fit præcipitatio sunt ad miraculũ vsque varia, & fere quilibet habet suum. Suum n. cuiq; pulchrum. Contemnitur, & exulatum mittitur *aqua fortis, regia* & omnes quas *corrosiuas* vocant, factas ex alumine, halinitro, sale, vitriolo, &c. more regiarum, & stygiarum cõmunium. Mireris Quercet. plus quam odio Vatiniano prosequi *præcipitatum per aquam fortem, & tamen in tetrade pag. 467. mercurium diaphoreticum Paracelsi probare*, qui fit per calcinationem in aqua forti graduata, & quinquies à mercurio destillata donec elegantem rubedinẽ accipiat, qua acquisita edulcoratur, & spiritu vini nouies perfunditur totiesq; destillatione eodẽ priuatur donec mercurius ignem ferat ad excandescentiam vsque. Sed fortasse Quercet. *graduatam fortem, & cœlestis puritatis participem factam* intellexit, vt absq; omni corrosiuâ sit, qua arte Lullius mẽstrua sua fœtentia parat. Respexit & aliam dulcificationem per aquam *sal taberi*, quæ est *ex calce testarum ouorum, & aqua stillatitia albuminum*, de qua dicit, quod præcipuum huius remedii momentum in perfecta eius dulcificatione cum aqua sal taberi positum sit Sed nostro iudicio plus est in aqu. forti graduata, seu exaltata. Quod etiam dulcificationem velit fieri *in momento*, non cõsentit descriptioni Paracelsi, qui vult sæpe nouã aquam affundendam, & postliminio per destillationem separandam esse. Alias præcepisset Paracelsus, vt solutio argenti viui præcipitaretur per liquorem tartari, (hunc enim Querc. videtur accepisse titulo sal taberi q. sal tartari diceres) vel halinitri, aut similem acrem; vt duo acria mutuo actu se refringerent, & medicamentum dulce relinquerent: *Menstrua non corrosiua* vocãt: spiritum salis ammoniaci fixi: spiritum salis antimonii vel oleum: spir. salis saturni: halonitri: vitrioli: sulphuris: salis communis ex calcinato: salis gemmæ: salis alcali: Aliis placent spiritus descensorii nitrosorum lignorum vt querni, fagini, guaiaci, buxi: vel spiritus lignorum vstorum in carbones, qualis cedria, vel aqua fuliginis caminariæ: Acetum: succi acidi: spiritus ætherei ex aquis fortib. & regiis: vel *ex vitrioli, halonitri, aluminis plumosi* (quod reprimit corrosiuum) *æqualibus destillã aquam fortem, donec desinant guttæ.*

Menstrua præcipitationum.

Mercurius diaphoreticus Paracelsi vt indicatus à Quercetano.

Aqua sal taberi, de qua vide in corallino infra ex lib. 10. de tumoribus Paracelsi circa finem.

Dulcificatio in momento.

Hanc *ponderatam ſepone. Capiti mortuo affunde tantum ſpiritus vini quanta fuit aqua fortis. Digere triduo. Deſtilla igne nudo vſque ad ſiccum.* Hæc eſt aqua non corroſiua. Faciunt aliam compoſitam ex ſpiritu halinitri, & ſalis ammoniaci: etiam ex tartari, & ammoniaci liquoribus. His opinantur argentum viuum longe rectius præcipitari, quam aquis cauſticis & mineralibus illis alumine, vitriolo, halinitro, ſale ammoniaco: Verum ſi dicendum eſt, quod videtur *aqua ex iſtis ad cœleſtem puritatem adacta, non erit inconueniens. Nam copia deſtillationum, & circulationum ſalſedinem impetuoſam ponere cogitur*, vt nihil contagii relinquere in mercurio poſſit.

Sunt qui *ſpiritum ſulphuris acidum*, deſtillatione correctum omnibus aliis præferant: Et hoc quidem Crollianum eſt. Quercetanus videtur *oleum ſalis armoniaci* præ cæteris commendare in lue venerea, vbi inquit: *Ab artis peritis ſolet & aliter præparari mercurius cum oleo ſalis armoniaci fixi, quod ſubito mercurium ſoluit in ſpiritum, quem ſpiritum mercurii vocant, ſeu liquorem aqua fontana clariorem fragrantem inſtar moſchi.* vide *pag. 390. de lue & 106. de priſca med. mat.* vbi & per *ſpiritum vitrioli & ſulphuris* præcipitationem commendat.

R. *Mercurii purificati ℥iiij ſpir. acidi ſulphuris rectificati ℥viij. Digere per biduum in arena. Deſtilla ex retorta. Deſtillatum repone ſuper reliquias. Digere; deſtilla. Fac hoc tertio. Tandem valido igni pelle, vt excandeſcat retorta. Fracta poſtea hac artificioſe exime albam maſſam, & aqua pluuia dulci deſtillata ſæpe ablue, donec flaueſcat. Super eo incende ter vini ſpiritum, aut iuniperi.* Ita præparatus eſt præcipitatus ille, cuius gr. iij. ad vj. dantur ad purgandum, cum conſerua roſ. *in hydrope, podagra, & febribus.*

Quantum autem iſtud præcipitatum deprædicent, videre eſt apud Crollium *in Baſilica p. 116.* vbi à tribus ad ſex grana datur contra infirmitates ex humorum putredine, & vitiis etiam in deploratis, vt *hydrope, pleuriſi, podagra, ſcabie, venenis, lue venerea*, cuius vlcera dicitur radicitus tollere. Quercetanus vere *angelica præcipitata* nũcupauit, quæ pparentur *ex argento viuo è ſublimato, & cinabari reducto.* Valore enim vult ad *peſtem, lepram, luem catholicã, febres, paralyſes, epilepſias. &c.* Vomitus aliquando bilioſos, & ardores dicitur concitare, ſed qui elutionibus & gargariſmis facile cedant. Alias præparatur vt *tantum aluum ſubducat, vel ſudores moueat*, ſi credendum eſt his quæ ſcribuntur. Addunt tamen aliquando *Eccoprotica*, vt adiuuetur deorſum motus & cohibeatur vomitio. Sed de præcipitato plura commentati ſumus *in ſyntagmate noſtro.*

Illud quæritur, *quæ ratio cogat chymicos talibus abundare, ſi in vno ſunt omnia?* Eſt *corallinum* ſublimatum, eſt *turpethum, præcipitatum, aquila* angelica, *mercurius vitæ*, & ex eo *præcipitatus* albus: Eſt medicina *de aurea* marcaſitha, & aliis: eaque plæraque ex mercurio, vel mercurialibus, item *ex arſenico, &c. Cur fit per plura, quod paucioribus obtinere poſſumus?* Quærenti reſpondere ex officinis vulgaribus licet. Si enis per vnum ſimplex tolli bilis poteſt, quorſum opus eſt tam multis aliis ſimplicibus, & compoſitis? Quanta copia eſt aquas trahentium? *Liberaliſſime autor natura prouidit imbecillitatibus humanis*, vt ſi vnũ deſit, præſto ſit alterum, & vt in agris, ita & officinis non ſunt omnibus omnia, ſæpeque diſſentiunt patientes & medicum ad diuerſa compellunt. Imo & in rebus ipſis eſt aliquid diſcrimen. Sublimatum corallinum certare viribus cum turpetho, præcipitato, aquila cœleſti, mercurio vitæ & ſimilibus poteſt: ſit tamen vt præferatur ex illis vnum. Varietatem præcipitati habes apud Rubeum *cap. 22. ſect. 2. de deſtillatione.*

(a) *Si hoc verum eſt in vulgari, quis confidat Haſſito ex minio natiuo? Cogita ſimiliter de aliis. Quo vero argumento probauerit hoc Quercetanus de abluto ante & poſt præparationem? Multa hic poterant dici, de quibus fortaſſe alibi.*

C A P V T IV.

De præcipitatis metallicis.

DE *vulgaribus præcipitationibus*, inquit Quercetanus *in Alexicaco, nullam facio mentionem, quia licet aquis fortibus ſemel atque iterum abluatur, corroſiuus tamen, & vomitiuus eſſe non deſinit, quod ignei ſpiritus illius ab aquis fortibus ſeparari non poſſint.*

Quer. probat præcipitationem abſque medio. *Illæ vero præcipitationes mihi probantur, quæ beneficio ſolius mercurii in vaſe circulatorio ad id apto concinnantur, vbi diu agitatus ope ignis gradatim accenſi tandem in puluerem rubeum mirificæ virtutis deducitur.* Hæc ille etiam *in Tetrade & conſilio de lue venerea* profitetur, quanquam mireris, quid ſibi velit, cũ ſtatim poſtquam vulgares præcipitandi modos repudiauit, *proponat pene eoſdem. Mercurius præcipitatus*, inquit, *vel cum oleis ſolis, & lunæ: vel cum ſolis auri foliis ſine vlla alia additione: vel calcinatus mediante agitatione, quæ fit beneficio ſilicum alborum fluuiatilium, cum quibus commiſcetur in matratio colli oblongi: vel cum ſimplici aqua ſtygia* *Querc. dubius in præcipitati iudicio.* *diſſolutus, philoſophice coagulatus, & in ſalis naturam conuerſus: vel cum eadem aqua forti communi modo præcipitatus reuerberatus, dulcoratus & cum aceto deſtillato eſſentificatus, atq; ab acetoſis iſtis ſpiritib. optime ſpoliatus: vel in puluerem album redactus ſolo ſpiritu vitrioli, aut ſulphuris, qui poſtea ſeparatur, ablutionibusq; iteratis dolcoratur atq; fixus redditur: horum mercuriorum vel paucula grana cum rebus conuenientib. commixta nunc ſudores,* *Quercetani varia præcipitata* *nunc aluum, atque vrinas mouent, &c.*

Tria dicit: Vnum vulgaris præcipitati repudium: (a) alterum, oppoſitas veriores præparationes, quæ alibi philoſophicæ dicuntur: Tertium, quomodo cum auro & argento coniunctis precioſior euadat.

Atqui primum & ſecundum ſibi videntur aduerſari. Nam reiiciebatur vulgare præcipitatum argu-

argumento aquæ fortis cuius ignei spiritus nequeant separari. Si hoc ita est, qui fit, vt idem Quercetanus cum Penoto, Paracelso Palmario & aliis, nihilominus *simplicem stygiam*, hoc est, *aquam fortem* in quibusdam suis præparationibus adhibeat? Si elui spiritus potest, cur non & ibi? Deinde non vsque adeo metuendus iste ignis est, qui & refringitur aquis, aceto, spiritu vini, &c. & mercuri natura assumta fit innoxius, modo adhibeas medicamentum perite. Peccatum in vsu potius est quam in præparatione. Respondendum videtur, Quercetanum quidem *in Alexicaco* respexisse ad aquam fortem præcipue: sed *in lue venerea* etiam alia considerasse, nempe vlteriorem elaborationem qualis non est in communi, vbi ablutio satis esse creditur. Nam licet aquam fortem in principio vsurpet, vt fiat solutū: noxa tamen inde nulla potest existere, quia primum non sic imprimitur vis ignea vt in vulgari: Deinde philosophica dulcoratione alteratur: tertio etiam quodammodo transmutatur. *Quæ sit ratio præcipitationis solius argenti* viui per circulationem in igni gradnato: vel per agitationem cum puluere crematorum silicum in cucurbita elatiore, facile est intellectu, & nos *præcedente capite* exposuimus. Sed *philosophica præcipitationis Quercetani singularis est modus.*

Philosophica præcipitatio Quercetanâ qualis sit.

Primum aqua forti argentum viuum soluatur, vti est moris. Deinde in solutionem guttatim instilletur seu liquor tartari, seu spiritus halinitri. Inde fit colluctatio, & in momento simul præcipitatio, & edulcoratio. Nam spiritus ignei se dissipant mutuo, exhalantq́ue. Relinquitur autem mixtura dulcis, quod fit etiam in mercurio vitæ & aliis. Cum sedimentum factum est, effuso liquore, sal seu calx relicta abluitur stillatitiis dulcibus feliciter, atq́ue ita demum eidit empyreuma igneum ablutionibus, quibus peractis amplius crematur puluis, vt erubescat, vel etiam spiritu vitrioli perfusus figitur. Ex Penoto aqua forti soluitur: deinde descenditur aqua dulci, vel etiam exiccatur destillatione subtracta aqua: tertio reuerberatur ad rubedinem vsque ita vt inclusus sublimatorio separetur simul in volaticam, & fixam partem. Fixa rubedo edulcoratur aqua dulci stillatitia, vel aqua albuminum (aliquando & vini spiritu more Paracelsico) *quæ est quarta pars operationis. Quinto per acetum stillatitium soluitur denuo, ita vt per partes affusum tandem totum in se recipiat. Solutiones confusæ destillantur si placet ad oleositatem vsq́ue, quæ in oleum mutatur sæpe addito spiritu vini, vna digesto, & iterum abstracto: vel si essentia sicca eligitur, vsq́ue ad mellis spissitudinē, quæ posita in conchas diuisa aquis dulcibus per destillationem repurgatis, dulcoratur vt est artis.* Ita conciliari potest apparens Quercetani contradictio. Sed ad tertium perueniamus; vbi *de metallorum & metallicis præcipitationibus verba facit.* Proponit ea etiam *in Alexicaco his: Citius multo idem mercurius mediante igne* AVRI *interno etiam si eidem materialiter (b) adiiciatur, præcipitari potest. At in momento & velocissime, si cum auro essentificato præparetur.*

Ex illis enim ambobus ad debitam proportionem permixtis *stupenda quædam fit coniunctio, quæ nullis non miraculis scatet, & illustratur.*

Hi sunt illi duo modi, quos attigit etiam *in lue venerea*: quorum primus fit *cum auri foliis*, quem putat innui etiam à Palmario mentione *cathartici metallici ex hydrargyro communi, & auri foliis diuturno tempore* absoluendi. Secundus *cum oleo auri vel argenti* (quod oleum beneficio regiæ, vel ol. vitrioli ter destillati à noua materia paratur) quod quādo solutioni mercurii cōmittitur momento procurat præcipitationem, vt idem ait Quercet *de præcipitatis catharticis ex mercuriis metallicis*, aut philosophicis; auroq́ue in essentiam redacto (c) in modū arcani, magisterii, tincturæ, liquoris, sulphuris, salis, &c. Aurum n. semel apertum igneæ est naturæ & dicto citius suam exerit actionem, qua de re etiam *in tetrade p. 477. & 432.* vbi de arcanis ex auro. Vt a. totum artificium de præcipitatis metallicis Tyronib. pateat, in tabulam modos nobis compertos redigemus, & quemlibet pro virili declarabimus. *Fac mercurium per mercurium, aut per aquam mercurialem*, inquit Rosarius. Hoc nos iam accommodamus ad nostrum institutum. Nam *si metallicum præcipitatum volumus, mercurium metallicum habere nos oportet.* Eum aut ex natura petimus, aut ab arte. *In natura inueniri traditur forma viscosæ humiditatis* in primo ente, seu minera cruda, in qua nondum adeptus est perfectionem. Separatur autem à montanis impuritatib. per destillationem. Deinde reperitur *forma aquæ nondum coagulatæ*, quæ tamen in metallum abit, de quali mercurio scripsit Mathesius quod *in specu quadam Ioachimica destillauerit ex pendente parte in iacentem, ibiq́ue concreuerit.*

De mercuriorum metallicorum præcipitatione methodica tractatio.

Tertio sæpe cum auro, vel argento protruditur impetu riuulorum, inclusaque ista metalla ꝓfert, tanquam matrix: vel vt lapis vesicæ iacet in suo phlegmate, & pullus in liquore oui. Arte quo modo ex perfectis iam metallis fiat, in Alchymia ostendimus, estque is merus. Ad præcipitatum vero etiam facit *metallum cum mercurio mistum forma offæ*, seu pulticulæ quam *amalgama* vocant. Hinc duplex fit hoc artificium. Nam præcipitatum metallicum *vel ex meris metallicis mercuriis paratur, vel ex argento viuo cum metallis coniuncto.* Vtrobique aut per se sine vllius adiectione præcipitatio procuratur aut adhibitis menstruis. Per se ex synceris conficitur, cum auri, argenti, ferri, æris, plumbi, stanni, mercurios phiolæ includimus, & lento calore exiccamus: Vnde facilius præcipitatum exit quam ex crudo, qui longum tempus ad sui per se coagulationem requirit. Mirum, quod Quercet. *p. 464. tetradis* scribit *hydrargyrum ex cinabari artificiosa vel minerali* (minio natiuo, anthrace) *extractum suppleturum mercuriorum metallicorum defectum*: quasi esset vna natura, vnumq́; temperamentum crudorum, & ex coctis reductorum, quod longe secus se habere ars ipsa ostendit, & alias Querc. aquas coctas crudis anteponit. Præclare in hanc sententiam Penotus: *Argentum viuum à mercurio differt plus quam aqua à vino.* Disceptatum est vtrum mercurius arte ex corporibus perfectis extractus suo corpori, aut mercurio vulgi commixtus, *veram philosophicam det coniunctionem* ad generationem lapidis sufficientem: responsum est negatiue. Pragæ *mercurius auri* per Kellæum factus *noluit aurum recipere.* Distant etiam dispositiones argenti viui communis; argēti viui philosophorum, & mercurii corporum. Lege *Dialogum Arnaldi.* Opinio Quercet. videtur inde fluxisse, quia *credidit mercurium mineralem per sublimationem crebram fieri philosophicum*, qui *idem sit cum mercurio perfectorum.* Sed rationes valde differunt.

Ex foliis mercuriis metallorum præcipitatum.

Quercet. non succurrit modus ex natura colligendi argenti viui.

Argenti viui metallici & nō metallici discrimen.

Tres mercurii discrepantes.

Neque

Neq; n. sola sublimatio arcanum facit quem philosophi desiderant, quanquam *ex sublimato reductus etiam philosophicus possit* dici. Passus enim est vim artis philosophorum: sed vt secretius sit philosophicus: præparatio vlterior, & sublimatio occulta debet accedere.

Sublimati arg vivi præcipitationes.

Sit ad manum auri mercurius syncerus: *Duæ sunt viæ per se præcipitandi*: vna *cum inclusus phiolæ, vel simili vase diuturno igne exsiccatur*: altera, *cum iunctis calcibus silicum agitatur*, & crematur igne graduato. De his loquitur Quercetanus *pag. 466. tetradis, & pag. 468. Alexic.* Similiter præcipitatur mercurius argenti, æris & aliorum metallorum.

Præcipitatū mercurii Lunaris.

Qui ex auro tincturam extraxerunt, residuum album corpus *lunam veram fixam* vocant, quam in mercurium reducunt, & hunc porro per se calore lento præcipitant: præcipitati gr. VIII. præbent contra *epilepsiam, febres, hydropem.* Quercetanus hæc præcipitata fere *diaphoretica* esse scribit, tartarumque vitium, vt fateatur *ad laudes eorum celebrandas sibi deesse orationem: pag. 466. tetrad.* Est tamen & tertia ratio præcipitandi *per fumum sulphuris.* Sed hoc induratum, fixum, coagulatumque potius vocant, habetque illa vaporatio *vim spiritus sulphuris*, & verius pertinet ad alium modū, sicut & cum *halitu plumbi mercurii coguntur.*

Præcipitatio mercurii metallici per medicamina.

Iam ergo si placet mercurios metallorum *per medicamina* præcipitare, assumitur iudice Quercetano *spiritus vitrioli* acidus, aut *sulphuris* per campanam, quem prætulit Crollius. Alias & *salis, gemmæ, communis, halonitri*, spiritus idem efficiunt, vtpote quos Quercetanus putabat eiusdem esse naturæ quantum scilicet hoc effectum attinet. Alias *liquor salis tartari, salis vrinæ, nitri, ammoniaci*, maiorem habent cognationem. Prope accedit *sal gemmæ.* Et sunt sui sales suis metallis analogi; vt *sal ammoniacum auro* conuenit: *nitrosus argento, communis, marti*, &c. Verum elaboratio sæpe multa mutat. Hucvsque de synceris mercuriorum metallicorum præcipitatis: sequitur *de compositis.*

Sal solaris, lunaris, martius.

Componuntur metalla ad præcipitandum duobus modis. Prior est tantum *medicus* seu pharmaceuticus: Posterior etiam *philosophicus, & artis magni magisterii sapiētum. Pharmaceuticus* fere est *duplex.* Nam aut per *amalgamationes* perficitur: aut *solutorum confusiones.*

Aurum vitæ vulgi.

Per amalgama etiam vulgo faciunt, quod AVRVM VITÆ appellant, & tum ab aliis, tū Penoto describitur quod conficiatur *ex sex partibus argenti viui* sæpius abluti, vel cocti lixiuio, & postea eluti per salem & acetum: *adiecta vna auri* in puluerem vel folia redacti. Amalgama fit more communi aurifabrorum calefacto prius hydrargyro. Quidam tamen operosius in eo versantur: vtpote qui *molitionibus frequentioribus toties miscent aurum donec attenuatum vna per corium transeat*; aut etiam per retortam agant.

Alii postquam diligenter pulticulam triuerunt, separant mercurium superfluum, & quod in corio post expressionem remansit, id assumunt, præcipitantque per aquā regiam, aut oleum vitrioli ter à materia noua colcotaris destillatum aut spiritum salis ammoniaci. Obseruatur deinceps modus turpethi. Student enim vtrumque simul figere, ita vt *puluis nec halet amplius si in catino ferueat, nec aqua albuminum reuiuiscat.* Ideo menstruum sæpius abstrahendum est, & aliquando aquæ regiæ fixatorium vitrioli oleum submittendum. Inde reuerberatur aureus puluis aut pro sublimatione partium volatilium in cucurbita crematur, vt quod volaticum est assurgat. Fixa pars postea etiā per se in aperto catino, vel patella super prunis versatur, & spiritu vini super eā crebrius incenso corrigitur. Dicitur *mercurius ab auro perfici*, vt Luna à sole. Ideo etiam *luna* appellatur *terrestris*, & *mulier* seu *fæmina cuius perfectio ad generandum vir est.*

Penotus prædicat *ad dolores colicos, iliacos*, & maiora quoque miracula à 5. gr. ad 8. propinando. Est tamen & minor dosis prout præparatum est medicamen, seque habent circumstantiæ. Quercetan. *in Alexicaco* scribit *pag. 500. mercurius solus philosophice purificatus, & mortificatus virtute magnetica potest solis formam & tincturam attrahere. Hunc mercurium sic impragnatum præcipita cum aceto metallico halonitri, vel sulphuris (spiritu) fietque hydroticum præstantissimum, dosi gr. 3. vel 4. cum conf. alkermes, vel de hyacintho, &c. Intelligit aureum præcipitatum* per argentum viuum sæpe sublimatum & reductum. Potes tamen etiam solutionem auri per aquam mercurialem, quæ descenditur spiritu halonitri, accipere: de qua suo loco. Vide in notis adiectis modum.

Præcipitata imperfectorū metallorum.

Plura vide in Alchymia. Par ratio potest esse *argenti vitæ ad epilepsias*: nec alio modo poteramus præcipitare *mercurium martis, & veneris ad hydropes*, & varia mala externa. In hoc autem est duplex ratio. Nam *aut vulgaribus amalgamationib.* commiscentur, vbi necesse est martis & veneris scobes prius detersas esse *aquis purgatoriis* acribus: *stannū & plumbū tantum lauari conuenit*, cū facilius cū argento viuo coeant: *Aut per stibium cuius stella vel regulus accommodatur omnibus metallis imperfectis*, eaque vna secum in argentum viuum transfert, quasi materia singulorum susceptiua. Modus potest esse multiplex. Nam *aut stibium* in mercurium reducimus, posteaque simpliciter cum purgatis metallorum ramentis miscemus: aut *vtrumque seorsim* seu solutum, seu præcipitatum contemperamus. *Vel capimus* vnam metalli, sex stibii, & commista, eliquataque catinis effundimus pro regulo, qui si non satis impragnatus est metallo, denuo cum eo funditur. Hunc regulum in argentum viuum vertimus, quod est præcipitati materia.

Præcipitata metallorum imperfectorū ope stibii diuersa.

Præcipitatū ex omn. planetarum cōiunctione.

Hac ratione potest fieri *præcipitatum ex omnibus metallis simul*, omnib. nimirum iusta proportione illiquatis. *Alio modo* vtitur Suctenius, facitque mercurium ex tribus simul, nempe ex *marte luna, & antimonio*, adhibito *hydrargyro* communi. Præcipitationes horum mercuriorum fiunt *per aquas soluentes*, vt in vulgari. Ingeniosior ratio est exercitatiorū. Nam vt aureum p̄cipitatum faciant, prius *per neuē sublimationes* & reductiones *philosophicum* faciunt *mercurium*, nempe miscendo argentum viuum cum sulphure, & conterendo misturam cum sale ammoniaco, itaque sublimando sæpius. (Pro sale ammon. potes salem gemmæ, vel communem purgatum capere aut ammoniacum cum communi sublimatum,)

Aureum præcipitatum magis philosophicum.

limatam.) Si nolumus sublimatum sulphureum, facimus vitriolatum de more, donec adeo purus & tenuis, subtilisque fiat mercurius iode reductus, vt quam amicissime aurum rapiat, & argentũ. Hinc pulteculam seu amalgama factum etiam per se præcipitant, quo modo fortasse erit exponẽdns Crollius cum *in Basilica* scribit, *se aliquando præcipitasse amalgamata auri & argenti seorsim per duos annos, & puluerem rubicundum, vlterius tamen figendum, nactum esse*: quanquam breuius tempus esse debeat, si assumitur argentum viuum dicto modo elaboratum.

Pag 125. Præcipitatiõ biennalis.

Alias etiam addunt calces silicum, & procedunt sicut cum argento viuo solo. Illa *melior præcipitatio est*, cuius idem meminit Crollius, scilicet *idem præcipitatum ex amalgamatis fieri tribus vel quatuor mẽsibus bono igne, vnde cupressina figura assurgunt*: deinde massam exemtam conteri *sæpius, vt exsiccetur materia per oleum sulphuris in puluerem flauum præcipitanda & figenda.* Hæc Crollius, cui lucem afferre potest confectio antimonii diaphoretici *pag.* 155. Si non libet per se præcipitare, facilis, & compeodiosa via est per liquorem salis ammoniaci fixi, vel oleum vitrioli solutiuum, & fixatiuum simul: aut per regiam circulando exaltatam.

Præcipitatũ aureum Crollianum.

Atque hæc est primi modi varietas. *Alius est cum argentum viuum philosophice per sulphur aut vitriolum sublimando præparatum per se soluitur aqua mercuriali, aut stygia cœlesti*: Deinde aurum item per se spiritu salis ammoniaci, vel regia cœlesti, vel ol. vitrioli aliove menstruo luminarium solutino. Deinde vtrumque confunditur, *fitque in momento præcipitatio*. Vel Amalgama ex auro & mercurio solue simul aqua regis circulata: aut vegetabili menstruo ex tartaro & vino: vel spiritu salis ammoniaci fixi: vel aqua philosophica ex ammon. & nitro: vel spiritu vrinæ, &c. Dein de solutionem præcipita per oleum tartari. Præcipitatum fige spiritu vitrioli: Elue porro, & elabora vt fixum præcipitatum adipiscaris. *Est & cum argentum viuum philosophice præparatum oleo auri, vel argenti præcipitamus.* Paulo occultior ratio est *quando aurum sua regia per se soluimus: Deinde sublimatum essentiale, aut humorem vnctuosum, vel crystallinam ex eo crustam etiam per se: Solutiones coniungimus industrie, & immisso liquore tartari præcipitamus: præcipitatumque ex humore collectum edulcoramus.* Incredibile est, quantum hæc medicamenta commendentur in grauissimis malis, *peste, venenis, hydrope, quartana, melancholia, arthritide, paralysi, apoplexia, &c.*

Secretiores præcipitationes.

Tandem *sapientum præcipitatus* in arte magni magisterii pro absolutissimo habetur, & vere catholico. Auingere hunc modum voluit Quercetanus cum *in tetrad. fol.* 458. scripsit: *Ex nouena sublimatione mercurium impregnari sulphure & igne natura, à quo cœlestes proprietates, admirandasque virtutes nactus vere philosophicus, & verum acetum metallicum philosophorum appelletur, qui solem & lunam in suam primam materiam reuocet, & ex mortuis viua, ex corporibus spiritualia metalla faciat, &c.* Nos modum apertissime tradidimus *in syntagmate*, vbi de vniuersali disseruimus.

Præcipitatus sapientum vide syntag. p. 288. & seq. Item sept. adũ Hermeticũ.

Etenim ex cœlesti sublimato per descensum vnctuosa humiditas extrahitur: Hæc per philosophicam putrefactionem in aquam resoluitur, quam si vis incedere via catholica prolixa poteris, vti exposuimus, elaborare, vt fiat Elixyr: Sed pro præcipitato sufficit, illi aqua tripla, aut quadrupla addere vnam partem calcis, vel pulueris aut foliorum auri (aliquando amalgamatorum: aut saltem per mercurium calcinatorum) & postea in phiolam indita in Athannore coagulare, porroq; gradibus ignis perficere vt rubea lacerta euadat.

Rubea lacerta vel salamandra.

Hæc augeri potest si in sua aqua soluatur, & argento viuo præparato affundatur. Nam præcipitat hoc, & in sui naturam vertit. Si amplius augere, & vires aureas multiplicare cupis, iterum solue & amalgamato auro cõmisce, inque athannore ad perfectionem coque. Qui student rei metallicæ, sæpius auctum hunc præcipitatum colliquant cum auro, & sic in aurum vertunt. Alias *in magno magisterio per triplicem rotam procedendum est, antequam Elixyr rubeum habeas.* Hoc postea soluitur, & auri anima impregnatur: & vna coquitur, vt *ex nigredine per albedinem in rubeum transeat*: vel si argentum pro fermento sumtum est, in perfectum album: quod iterum solutum & coagulatum, proiicitur super argentum viuum millecuplum, fitque tinctura præcipitata: quæ secundo proiecta in argentum viuum medicinam metallorum transmutatoriam exhibet. Sed ad pharmaciam humanam satis est vel Elixyr rubeum, vel eius cum auri, argentiue fermento compositio & elaborata tinctura.

Cæterum vt hoc magisterium amplius illustretur, non pigebit nonnulla adiicere ex aduersariis nostris, quæ iuuare possint studiosos. Dictum est de aureiamalgamatis præcipitandi menstruis, inter quæ est & *oleum vitrioli*.

Oleum vitrioli pro soluendis & figendis amalgamatis aureis in syntagmate p. 432.

Hoc ita facies: *Vitrioli Vngarici libras duas contusas minutim pone in patinam terream vitratam humilem (vel ollam in latus stratam) super prunas mediocres fornacula lateritia tumultuario opere constructa. Eliquescat vi caloris: Liquefacto immisce salis communis præparati selibram, idque per partes subinde cum spatha lignea versando, vt à fundo & lateribus amoueas: Sic crema, donec flauescat, non tamen nimis. Inde refrigescat. Auelle à patina materiam: Contere: Immisce filicis inter strata lignorum, vel prunarum optime calcinati & à puluere abluti (nam glarea tantum vtilis est) duas libras. Misturam mitte in retortam, vel cucurbitam VValdeburgicam bene & pure lutatam, inq; latus inclinatam. Hanc in reuerberatoriam fornacem pone, qua tecta sit laterculis planis, & luto obstructa, relictis quinq; vel sex spiraculis, quibus assint coni obturatorii ad regendum ignem. Conceptaculum adapta magnum, armatum argilla & vna in parte perforatum, in foramine hærente ligneo paxillo, vt possit in impetu spirituum recludi. Ignẽ suppone lenem, vt aquosi vapores prorepant paulatim. His egressis sequuntur spiritus albi, quibus vitrum intus albescit, vt linteum album, turbaturque. Sine ita, donec iterum clarum fiat. Inde ignem sensim intende, exibitque spiritus igneus ruber, instar cupri sanguinei.*

Sine hunc tarde destillare, cumq; desinere incipit, & vitrum depurari, ignem denuo auge gradatim, vt non amplius in vitro halitus volans conspiciatur, fitque vitrum totum purum, & perspicuum, & cucurbita iam decem horis excanduerit, incipiatque fere cum luto liquescere. Tunc neque albus, neque ruber spiritus apparet, estque factum oleum vice prima.

2. Capẽ

2. *Cape deuuo vitrioli Vngarici bene tusi lib. 2. Mitte in patinam luteam vitratam humilem assatoriam vt prius. Colloca super prunas mediocres. Ibi eliquetur sensim, subindeque moueatur rudicula lignea, ne fundo & lateribus accrescat, idque donec rubedinem acquirat neq; tamen nimium comburatur propter spiritum. Posthac frigefacta materia à patina auellatur; Contere. Recipe contrita lib. 1. Adde silicis cremati glarea lib. 2. Misce: impone in vitrum commodum argilla armatum. Affunde oleum vitrioli prima vice factum. Claude diligenter. Stent in digestione loco frigido, horas 24. Tunc vitrum in reuerberium prius infer, & si cucurbita recta est, in latus prosterne, admoueque receptaculum capax vt prius. Suppone ignem initio lentum, statimque exibit aquositas. Tu vero caue, ne auctiore calore vasa corrumpas. Cum oleum prodit, incipit ascendere albus spiritus, & turbare vitrum. Sine, donec iterum clarescat. Auge ignem sensim, vt igneum spiritum elicias, quem appellaut aquilam volantem. Intende ignem gradatim, vt vas 10. horis candeat, euanescantque spiritus albi, & rubei iu recipiente. Sine frigescere. Hoc est oleum vicis secunda.*

Aquila volans.

3. *Cape denuo vitrioli Vngarici lib. 2. calcina ad rubedinem, & misce glarea silicum vt prius. Immitte in vitrum. Affunde oleum secunda vicis. Claude statim luto, ne bulliendo spiritus effugiant. Sine in loco frigido digeri horis 24. Hinc transfer in fornacem, & igne leni aquositatem exuge; vt prioribus vicibus. Age per omnia, vt prius intendendo ignẽ gradatim, donec magno igne spiritus igneus procedat. Tunc oleum vitrioli absolutum, quod aurum soluit habes.*

Rectificatio olei soluentis

Repurga id à phlegmate per destillationem hoc modo: Immitte liquorem totum in cucurbitam altam & capacem, luto inductam, & iam resiccatam saltem parte inferiore. *Affixo alembico, colloca in catinum dimidio cinere, & arena impletum, ne spiritus nimis impetuose, nec nimis tarde phlegma propellatur. Adducto conceptaculo ignis subiiciatur paruus ad instar caloris solaris. Ita sensim destillet aquositas saporis amarusculi. Perge lente, donec acescere incipiat, quod vt deprehendas, guttas sæpe gustato. Cum acescit, spiritus scandit, & tunc cessa.* Ita parasti oleum vitrioli auri solutiuum, quod in ampulla forti lapidea seruabis, aut vitro spisso, sæpius mutato, cum vnum perrumpat, corrodatque. *Si iam vis præcipitatum aureum facere: Solue auri calcem hoc oleo: Et affunde solutionem argento viuo: vel hoc ex sublimatione vitrioli reductum solue alia parte. Duas solutiones prudenter confunde propter feruorem in ampla longaque cucurbita in cinereo catino stante. Solutiones confusas præcipita liquore tartari destillato. Humores tandem abstrahe, & præcipitatum edulcora, & reuerbera, vel elabora pro arbitratu.*

Purgatio hydrargyri facilior.

Vt etiam minore cum labore hydrargyrum purges: *Contere eum cum sale communi præparato in pila marmorea, donec sal prorsus niger fiat, & argentum viuum occultetur. Tunc inmitte in retortam luto inductum, & colloca in reuerberii furnum eo situ vt rostrum retortæ in aquam frigidam satis profunde dependeat. Ea vero ante furnum debet esse in olla vitrata. Succende ignem lentum, eumque auge paulatim. Mercurius ab igne fugiet in aquam frigidam relictis in sale sordibus. Exemtum ex aqua secundo tere cum sale, & destilla, idemque fac tertio. Si nondum placet: contere eum cum vitriolo præparato solutionibus, filtrationibus, & coagulationibus ad puritatem vsque, donec occultetur, vt feceras cum sale. Massam include cucurbitæ luto munita, & in cineres illata. Non opus est alembico. Orificium bombycino tantum claude mediocriter, vt vapidi spiritus exire possint. Suppone ignem lenem, per duas horas. Auge eum duabus horis aliis sensim. Ita ad partem superiorem cucurbitæ ascendet sublimatum album & splendens, quod per calcem & tartarum reduces.*

Alia præcipitatio aurati mercurii.

Cum hoc reducto misce dimidiũ solutorũ auri (℥ß. ad ℥j) vt fiat amalgama subtilissimũ. Hoc præcipita leni igni in phiola per octiduum detine ita, vt post biduum extrahas, iterumq; teras (aucto nimirum mercurio.) Deinde reponas per aliud biduum, idq; sic toto octiduo quater facias. Si vis, potes per se præcipitare: sed citius expeditur opus, si affundas oleum vitrioli paulo ante descriptum, & in vase vitreo exacte clauso, inq; arenam calentem illato soluas, iterumque coagules *in lapidem rubrum, quem soluere in oleum potes.*

Lapis ad argentum in aurum mutandum.

Si sublimatum non reducis, sed per se cum auro conteris, in igni detines vt dictum est, octiduoque elapso ol. vitrioli soluis & coagulas in lapidem, habes *particulare ad decem partes argenti liquati proiectione in cera rubra in aurum mutandas.* Vide tamen vt vitrum coagulatorium sit aptum. Quo modo debeat fieri iste sublimatus, inuenis *in syntagmate pag. 340.* nosque infra suo loco etiam pueriliter descriptum reponemus.

Vniuersale Alueldi.

Refertur autem id artificium transmutatorium ad *Augustum Alueldum*, & diligentius sic describitur: *Cape auri purissimi à bractario ad acus iudiciũ æstimati & in folia redacti vncias duas: Mercurii crystallini (infra ponendi) tantundem. Tere prius mercurium in marmore: deinde particulatim adde auri folia (vel calcem ex amalgamate) & vna tere, donec homogeneus fiat puluis. Misturam hanc immitte in cucurbitulam accommodatam, quæ claudi possit Hermetice. Infer in arenarium in furno operariorum, seu Athannore. Da ignem initio lenem, sicque detine per dies 28. Mercurius incipiet modice assurgere, quasi sublimaretur. Tunc aperi vitrum. Medicinam deterge subtiliter totam, exemptamq; in marmore lauiga. Repone ad suum vitrum, & iterum diebus 28. in igni detine. Caue ne maior sit ignis, quam est solaris calor. Non festina. Diebus istis peractis, extrahe misturam ex vitro. Tere: adde noui mercurii crystallini partem quartam, hoc est, vnciam. Include vitro. Infer in Athannorem, & coque igne leni vt prius per dies 28. vt probe vniantur vnione animæ, & corporis.*

Hoc facto extrahe totam materiam exacte à vitro detersam, contritamq; exactissime iterum include vitro in arenario. Caue ignem magnum ne damnum incurras: Et tamen ignis catinum arenarium bene debet tangere. Ita relinque per alios dies 28. quibus elapsis, extrahe quod intus est: contere: adde aliam vnciam crystallini sublimati (quod lac virginis vocant) commisce: Misturam denuo impone vitro & fornaci. Claude optime. Da ignem blandum diebus 28. quasi ad exemplum caloris solaris. Deinde exime: tere; & aliis diebus 28. repone in fornacem. His decursis auge denuo, coque: Exime, tere: fige: donec quater nouo mercurio misturam tuam auxeris, semper primum coquendo per 4. septimanas: post figendo lento calore, seu singulis octo septimanis quater potando, & quater conterendo. Tunc comminue in exactum laeuorem, & pone in phiolam longi colli, quam luto clausam in arenam colloca per dies 14. Ita fiet præcipitatum rubeum igni fortiore adhibito.

Diebus

Diebus istis transactis affunde olei vitrioli à phlegmate suo repurgati vnciam vnam guttatim. Claude vas cōno vitreo, & luto bono. Infer in cineres vel arenam, & adhibito calore solari medicina soluetur. Solutam coagula diebus 14. in lapidem rubeum. Hoc facto, affunde denuo vnciam olei vitrioli. Pone in arenam, vt ante per dies 14. His cōsumtis, tertiam vnciam olei instilla, atque ita procede soluendo & coagulando, donec sex vncias absumserit. Tempore hoc elapso auge ignem gradatim, & fluet medicina instar ceræ. Verte phiolam, cum assurgere incipit, vt discat in fundo manere. Vltimo præcipita magno igni. Habes lapidem philosophorum, tingentem argentum viuum in aurum constans.

Athannor sapientiæ.

Athannor ad hanc rem: Primum fiat cinerarium pedamentum, seu conisterium cum suo ostiolo. Deinde imponatur rotundus canalis pro fornace, altus duos pedes. Craticula imposita sit pedamento. In ima parte fiat ostiolum, per quod dari possit ignis ellychnii per prunas. Superius catinus sit, seu olla pro cineribus, & arena, itaq; distet à craticula vt lampas imposita catinum non attingat, seu vt calor ignis intercedere possit. A lateribus in parte superiore sint 4 spiracula pro halitibus prunatum transmittendis. Catinus arenam cribratam, vel elutum resiccatumq; cinerem contineat, vt in his recubet vitrum nostrum. Totũ catinũ claudat operculum testudineatum, ꝗ Capellæ seu catino appius iũgi debet ita vt spiracula fornacis extra testudinem promineant. Luto quoq; sit oblitum circa iũcturas, vt calor inter Capellã & operculum penetret intro ad vitrum (operculum non debet connecti copellæ: sed aliquantulum distare, vt calor præter latera ergasterii vectus in ipso vitro reuerberet.) Præterea fornaci impone cameram, seu capsam in vertice patentem, quæ amplectatur quatuor foramina seu spiracula ita vt calor intret per ista, & maneat in fornace tangatque pileum cameratum. Tandem aliud tegumentum supremo tubo camerati operculi impone, quod in vertice habeat foramen, per quod fumus exeat. Hæc est fornacis descriptio. Iubemur conisterium erigere à terra quadratum, vel rotundum cum suo ostiolo. Deinde imponere craticulam: Et circa hanc rotundum ergasterium duos pedes altum statuere. In hoc catinus cineratius, seu arenarius (copellam vocant) eà altitudine ponitur, vt ignis calor intercedere possit. In arenis vitrum cum materia iacet. Catino imponitur pileus quatuor locis exectus, vt foramina sint per quæ calor in catinum interius penetrare possit. Nō enim debet immediate vitrum tangere. Super isto pileo concameratum tegumentum cum tubo in vertice statuitur.

Explicatiõ.

Hoc tegmentum calorem coercet, & repellit, vt per foramina intrare possit. Ne vero halitus ardentis materiæ, & fumi intus maneant, in vertice tubum habet, qui alio operimento angustioris foraminis insternitur, vt calore coercito fumi elabantur. Ista est *fornax Alueldi*. Sed cogita ita debere adaptari, vt pateat ad vitrum aspectus. Nam colores debes videre posse. Cogita etiam de *contritione*. Philosophi eam non manu peragunt. Ideo si putas Alueldum sensum potius, quam literam intendisse, *sublimatus tibi erit reducendus in aquam vnctuosam, quæ erit lac virginis, quo cibatur primum præcipitatum.* Ita perges etiam in cæteris. *Si tuum Elixyr seu præcipitatum vis augere,* ita perge. *Inuestiga pondus tuæ medicinæ. Adde ei tantum mercurii (ex sublimato reducti, seu lactis virginei) sublimati triti, cum dimidio olei vitrioli. Misce lac virginis minutissime tritum cum medicina. Oleum vitrioli affunde, & infer in fornacem per octo septimanas, vt quatuor prioribus contemperentur posterioribus figantur. Vel de medicina cape partem septimam, apponeq; ei septimam lactis virginei (mercurii crystallini) & olei viotrioli dimidium. Hoc perpetuo potes continuare, & indesinente thesauro frui.*

Contritio philosophica.

Augmentatio lapidis.

Tingere hydrargyrum in aurum.

Si vis tingere: *Cape catinum aurifabrorum. Duc eius labra, super porphyrio vt lauigentur, exacteq; sibi respondeant. Elige copellam docimasticam, quæ catini oris conueniat, seu testam fulminatoriam. Fac & huius labra aqua, vt cum catini oris coeant exacte. Illine testam & catinum linimento ex aqua & creta intus, forisq;. Sine resiccari. In catinum immitte mercuriũ crudum ter, quaterue expressum per corium. Pone vero tantum, quantum putas à tua medicina mutari posse.* Nam pro vt parasti, ita tinget. *Quo magis exaltasti eam, eo plures partes transmutat. Postquam hydrargyrum in catinum imposuisti, iniice portiunculam medicinæ debitam, & claude catinum copella adaptata, & lutum bonum alline. Sine lutũ arefieri. Infer in ignem, sineq; sensim incalescere: postea fortiter aspira follibus, vt probe eliquescat materia.* Sic argentum viuum in aurum transibit.

Monachus quidam sic scribit.

Fermentatiõ & ingressio.

R. *Medicinæ ex lacte virgineo perfectæ partem 1. auri per antimonium purgati p. 3. Folia huius misce cum medicina conterendo. Immitte in catinum fusorium. Da lentum ignem horis 12. Inde transfer in ignem fusionis per tres dies & noctes.* Ita habes *medicinam spiritualem, & penetrantem. Sine auri fermento lapis non potest operari* & tingere propter nimiam subtilitatem. Cum auro accipit ingressum. *Huius fermentati partem vnam proiice super fusi metalli imperfecti partes mille. Vertetur in aurum.* Corpus corpori sociatur, & spiritum communicat inseparabiliter.

Præcipitatum dulcem sic facies.

Præcipitatum aureum dulcis.

R. *vitrioli, halonitri, aluminis plumosi æquales. Destilla more stygiæ vulgaris, donec desinant guttæ. Quantũ aquæ exiit tantum spiritus vini affunde reliquiis in destillatorio. Digere per triduum. Destilla postea igne nudo, donec cessent guttæ. Cape mercurii ex cinabari reducti, & optime purgati partes duas. Auri p. 1. Fac amalgama, quod sæpius aqua calida ablue, & per pellem exprime, vt purgetur mũdissime, poteris reductum ex sublimato mercurium pro cinabarino assumere. Amalgamati affunde aquam prædictam. Digere: post biduum destilla ad mellis consistentiam. Aquam abstractam repone relictis. Digere: destilla vt prius. Fac idem tertio. Tandem auctiore igne ad siccitatem perducito. Cape hoc præcipitatum. Affunde ei aquam albuminum. Digere. Destilla. Affunde nouam, similiterq; perge. Idem fac tertio, vt omnis acrimonia extrahatur. Postea imbibe hunc præcipitatum spiritu vini. Satis potatum in cella solue deliquio. Fiet liquor dulcis. Coagula. Serua. In vsu soluitur, vino vel alio liquore,* nec petit fundum. Dosis à grano ad plura.

Aqua ouorum sic fit.

Albuminũ aqua dulcis.

Albumina discussa vt aqua instar appareant, putrefac in fimo per decendium. Destilla in balneo maris. De-

ratoria: aq. sal tabe- ri: q. d salu albi ex calca alba. & albo ouorum.

stillatum serua. R. *testas ouorum contritas, easq; inclusas firmo luto in reuerberio calcina. Cum vides ignitam materiam, restingue eam aceto. Denuo in reuerberium infer. Ignitam iterum restingue, idemque fac tertio. Calcem collectam adde aqua albuminum. Digere: Destilla fortiter.* Quæ primo emanat, apta est labori nostro. *Quidam discussa centum albumina in cucurbita luto armata digerunt quatriduo in fimo, ita vt indies nudetur cucurbita, & aer accedat. Cum in aquam abiit materia, feces separa: & liquori adde calcis ex testis ouorum crematis ter & aceto restinctis selibram. Digere dimidio mense. Extractum ex vase liquorem filtra & destilla.*

Quo modo dulces præcipitatos faciat sine auro Fincelius, vide *in libro eius de peste qui editus* est anno 1582.

Præcipitatus Veneris.

Præcipitatus Veneris.

Limatura cupri pars vna, argenti viui sublimati p. 2. salis ammoniaci aliquanto maior portio. Puluerata tenuißime commisceantur. Indita catino inferantur in arenarium reuerberii. Da ignem subtus, & in circuitu, vt instar ceræ liquescat materia. Hanc subito in aquam immerge & existet argentū viuum subviride. Detrahe ei tunicam viridem ablutionibus vel expreßione per pelles. Præcipita per spiritum sulphuris. Hunc sæpius affunde, & reuoca, donec aurei coloris medicamen prodeat. Ablue id, & dulcifica. Dosis gr. 1. vel 2. *ad sudandum in peste cum aqua Bezoardica ante* 24. horas pestilentiæ. Vide Quercet. *Alexic. p.* 487. & Heliophilum *de percis.*

Est & cinabaris præcipitata.

Cinabaris officinarum vncia conteratur cum salis duabus drachmis. Mißis in cucurbitam affunde spiritus acidi sulphuris ℥iij. Digere in cinere calente per triduum. Tandem aucto igni humiditas expiret, & massa alba quærenda quæ relinquitur, edulcoretur crebris lotionibus. Dantur gr. 4 6. 10. in morbo Venereo. Vide an non Quercetanus, cum præbet cinabarim, ita paratam voluerit.

Aqua mercurialis resuscitatiua.

Vt omnium metallorum mercurios compendio parare possis, cura tibi aquam vitæ, seu resuscitatiuam mercurialem confici hoc modo.

Argentum viuum mitte in cucurbitam. Affunde aquam fortem altitudine 4. digitorum. Digere in cinerib. Destilla. Quod destillatum est, redde calci in cucurbita relicta. Digere iterum. Destilla. Repete id tertio. Aquam serua. Calcem vocant viuam. Adde huic salem ammoniacum sublimatum duplum, aut triplum. Contere & commisce diligenter. Solue deliquio. Soluto liquori affunde caute aquam fortem nouam, ita vt instilles paulatim, ne nimis efferuescat. Diuide misturam in duas partes. In vna solue argentum viuum sublimatum contritum. Alteri sensim affunde aquam primo loco ter ab hydrargyro destillatam. Digere probe. Postea duas istas aquas compositas prudenter in vase amplo confunde. Digere vt bene vniantur. Destilla in cineribus. Destillatum redde calci reliqua in destillatorio. Digere per octiduum. Post aquam extrahe destillando ex cineribus. Destillatum denuo repone super caput mortuum. Macera octiduo. Destilla, donec in fundo restet liquor, qui dicitur aqua *viua* AETERNA, *cuius si quatuor partes ad vnam metalli calcinati, aut limati ponas, conficitur mercurius metallorum.*

Aqua viua æterna.

Eadem aqua si lente & per partes imbibatur suæ calci, & lenissimo igni reuocetur, relinquit vires in ea, fitque medicamentum puluereum *quod in momento aurum vertit in argentum viuum. Si lamina argentea concisa in aquam illam calentem imponantur, statim fit mercurius lunæ.*

Medicina resuscitatiua.

Cum autem mercurius factus est, potes destillando aquam reuocare, aut decapulando. Si vis mercurium (lunæ vel alium) ita præparatum multiplicare: *Cape mercurii istius partes duas: Limaturæ argenti natiui partem vnam. Fac amalgama* (quod erit acris. Nam mercurii corporales non facile recipiunt metalla, nisi cogas ingredi aliqua aqua detersoria.) *Affunde ei aquam viuā, totumq; mutabitur in mercurium lunarem, quem sic multiplicabis ad millecuplum.*

Mercurius solis & lunæ.

Verum si opus ad hanc rem est mercurio lunari aqua viua & argento, superuacaneum est amalgama facere. Nam per se argentum in aqua viua viuescit. Ideo tantum vulgari mercurio misce argentum, & amalgama adde mercurio viuo Digere mutuo, & præcipita, habebisque pcipitatum auctum quem tandem viuificabis aqua viua. Quidam tamen putant *præcipitatum istum reduci posse cum argento in argentum, vt augmentum habeant, seu particulare tam in argento, quam auro,* secundum doctrinam Lullii, quem vide in clauicula, seu apertorio: aut *infra in posteriore parte apocalypseos Hermeticæ nostra in* Azotho.

Particulare.

(a) *Paracelsus lib 10. de tumoribus, &c. Præcipitati inuentionem plurimi sibi asscribunt, cum omnes ex veterum artistarum scriptis eum sint suffurati. Est vetus remedium, quod multo tempore delituit, cuius vsu omnia vlcera cauernosa, non corrosiua & serpentia perfecte sanantur. Oleum maiore cum fructu adhibetur in icteritia nihil eo præstantius. In lib. 7. de tumorib. cap. 6. aquilam rubram vocat, quæ in ictero cum betula valeat.*

(b) *Exempli gratia: Misce argentum viuum ex cinabari reductum cum parte auri octaua (vel etiam argenti) Mitte in cucurbitam longicollem in fundo lutatam. Loca super laminam ferream in arenario. Adhibe ignem continuum per dies 40. Debet autem collum prospicere 6. vel 8. digitis. Primis 12. diebus assurgit mercurius: sed detruditur pecia alligata bacillo ferreo. Ignis tandem augetur, vt ignescat fundus. Fit puluis ruber, cum quo si quid crudi mansit, id separetur diuaporando. Sic etiam per se potest præcipitari.*

Aliter amalgama fit, idque ex retorta destillatur solo hydrargyro exeunte, sed quem calci auri repurgatæ à fecib. debemus reddere, digerere, iterum destillare, idque repetere tertium. Tādem calcinatur aqua forti totū amalgama, & aqua aliquoties ab eo destillatur, interpositis digestionib. & noua aqua forti sumta. Vltimo valido igne propellunt fugacia, & puluerē rubeum in catino cremant inter prunas

ardentes

ardentes spatha ferrea semper mouendo per horæ quartam circiter partem. Corrigitur etiam aceto stillatitio vitriolique vel aluminis phlegmate à calce ouorum destillatis. Post cum spiritu vini circulatur, &c.

(c) *Paracelsus in chirurg. magn. de lue, libr. 2. capit. 4. Mercurius metallorum præcipitatus est reductio metallorum in suam primam materiam, quæ dein deorsum propulsa sit, seu in seipsam subsidere coacta.*

CAPVT V.

De argento viuo sublimato.

QVanquam & *in Alchymia, & syntagmate* varios modos sublimandi hydrargyrum proposuerimus: tamen in mnemoneuticis his non est de eo tacendum, tum *vt constet de quo potissimum sentiamus, quando philosophicum nominamus, tum vt intelligi facilius ex eo magisteria sequentia queant.* Sublimatum esse compositionem argenti viui cum spiritibus quorundam, sulphuris, & salis naturam habentium, ita vt cum eis penitus mistũ in sublime vi ignis subiecti in sublimatorio suo ascendat, & in corpus lapideum coeat, notum est. Ista corpora sunt sulphur, & vitriolum, aut alumen: Pro sulphure etiam arsenicum, eaque vel sola, vel cum salibus, vt communi, marino, gemmeo, halonitro, ammoniaco, &c. Cum sulphure sublimatum appellatur cinabaris artificialis, ex qua reuocatum hydrargyrum probat Quercetanus aliquoties. Qui hanc velit facere studiosius, assumere flores sulphuris debet, aut id sulphur quod per se purum in natura efflorescit, & pro floribus habetur natiuis. Crollius id appellat *scissile.* Sed & in agro Craconiensi Poloniæ & in Campania prope Puteolos efflorescere purum & dulce tradit, quale & Islaodicum ostenditur. Sic meminit de Salisburgico quodam *volatili,* quod assurgit, excipiturque pollinis specie caminis *dum* [illegible]*baltam buim seu venam vitrioli assant*, ad cuius imitationem potest excipi etiam in crematura marcasitharum, & aliorum lapidum sulphur cum cæteris succis cõplectentium quanquam vulgo id negligatur, vt in lapide fissili, pyrite ærolo & similibus cremandis. *Arsenicum* non conducit, nisi prius venenatis spiritibus exutum. Sed relictis istis sublimationib. de ea dicendum est *quæ fit à vitriolo, cuius beneficio accipit sulphur quoddam occultum & metallicum, quod ignem naturæ appellauit Quercetanus. Sale quoq; essentiali locupletatur, vt trium principiorum potestatibus sit instructum.* Eius apparatus est huiusmodi:

Quid sublimatum. *Cinabaris artificialis.* *Sulphur scissile.* *Sulphur ex vena vitrioli.*

Primum *oportet materias præparare, nempe vitriolum, salem & argentum viuum: Vitriolum* soluitur aqua fluminea ad purum per lacinias destillara. Digeritur vt expumet, & sedimentum faciat. Spuma sublata, liquor purus per filtrum traiicitur, & sedimentum sine turbatione separatur. Deinde coagulatur purum. Et si adhuc aliqua impuritas est, repetitur opus. Ne autem nimia aquositate scateat, nõ transfertur ad vsum nisi prius assatum nonnihil, in quo cauendum ne tota humiditate spolietur. Etenim tanta remanere debet, quanta satis est ad liquationem.

Sublimati pro arcanis chymicis selectum. *Vitrioli præparatio.*

Sal soluitur aqua pura filtratur: coagulatur si quidem est cõmunis cibarius, qui fere assumitur. Interdum tñ mistum est nitrum, ita vt halonitrum salsius non repudietur. Hoc n. metallicum esse, docet extractio ex mineris. Accedit aliquando fusio in catinis fictilibus, quem *salem fusum* vocant. (Non *fusilem.* Hic enim est alius, nempe ita præparatus vt in igne fundatur ceræ instar, sicut purum halinitrum, sal ammoniacus fixus, & similia, quorum naturam cum habeat lapis Philosophorum inceratus, inde nuncupatur SAL PHILOSOPHORVM FVSILE.) Quidam salem soluunt aqua vt muria fiat. Hanc in olla coquunt, & despumant: postea filtrant: effundunt in lebetem ex ære & coagulãt super flagrante pruna ita, vt, cum iam concrescere circa fundum, & in grana aut farinam consistere cõspicitur, spatha extrahatur, inferaturque in vas vimineum super lebete collocatum, vt defluẽs liquor recidat in residuum, & porro item condensetur, qua arte alias vtuntur in maiore opere muriæ in salem densandæ. Adhibenda vero simul est clarificatio per albumina, vt solet fieri in officinis. Sal collectus super tabulas extenditur, & calore solis, aut hypocausti exiccatur.

Salis præparatio. *Aliud sal fusum aliud fusile.*

Argentum viuum si ex Iridia purum adest, tantum exploratur num sit adhuc *virgo*: Deinde per pellem mundicies probatur. Si assunt sordes coquitur lixiuio acri filtrato: exprimitur per pannum: recoquitur aceto, &c. Supra dictum est si quid alieni metalli adhæret, quod destilletur ex calce & tartaro aliquoties, vel etiam ex sale tosto, postquam cum illis ita contritum & commistum est, vt plane lateat. Alias sale mistum aceto abluitur, donec nulla nigredo appareat.

Argentum viuum virgo.

Cape iam vitrioli Vngarici (Vel Romani in Cypro allati. Id enim Romanum est, nõn viride Goslaricũ, quod in album abit crematura) *præparati libram vnam: salis communis præparati vncias decem. Subtiliter cõterendo super porphyrite commisce. Deinde mitte in patinam fictilem vitro illitam, humilem: hanc impone parietibus lateritiis, vt innitatur. Deinde prunas subiice leni calore, vt mistura saltem incipiat mollescere, & fluere, seu liquari. Mox astet socius, seu minister, qui in sacculo habeat argenti viui purgati libram, quod sensim super liquatam materiam exprimat roris modo, te interim assidente, & subinde per spatham ligneam immiscente, subigenteque hydrargyrum, donec totus sit subactus, & occultatus. Tunc sine paulatim resiccari & in massam coire. Caue excessum caloris, ne mercurius exhalet.*

Massam arefactam ex patina extrahe, & in puluerem contere, in quo nullum argentum viuum possit conspici. Mitte in cucurbitam fundi latioris, quæ sit in parte inferiore luto munita. Hanc in arenarium catinum aperto orificio colloca. Impone vero laminam ferream, vt possis iudicium capere de spiritibus ascendentibus. Suppone ignem lene initio vt spiritus humidi paulatim discedant: His cessantibus auge calorem remota lamina à foramine, donec mer-

curius ex massa prorepserit, & iaceat super ea instar telæ araneæ. Tunc laminã iterum admoue & vide, num adhuc quid aquosi ascendat. Si nihil amplius animaduertitur, claude cucurbitæ foramen (neque enim opus est alembico cœco aut nasuto, licet & hi possint applicari) *luto sapientiæ, & ignem intende, vt mercurius eleuetur adinstar niuis candidæ. Iterum auge ignem, vt totus exeat, quod cum factum coniicis* (quidam recluso foramine demittunt baculum terreum vsque ad feces, ex quatum adhæsu argumentum capiunt) *sine refrigescere, & vbi videris confinia esse fecum, & mercurij eleuati, ibi scinde cucurbitã circulo ferreo candente, vel sulphurato filo incensis. Mercuriũ adhærentem vitro detrahe, & abrade. Ita & feces à fundo libera, & vtramque partem denuo tritam. Commisce, & in simile priori sublimatorium mitte, quod sit argilla seu luto parte inferiore loricatum. Sublima denuo, vt ante, quanquam nisi humiditatem aliquam* (vt acetum) *commistionis causa aspersisti, non opus sit tamen exacta per lamellam ferream exploratione. Eodem modo aucto igni exit mercurius ex fecibus totus. Vltimo da ei ignem validum, vt niuea specie eleuetur. Inde refrigescat opus. Aperi cucurbitam vt ante. Sublimatum argentum viuũ collige prudenter, ne fecibus inquinetur. Sublimatum pondera. Adde ei dimidiam partem noui vitrioli optime contritam & commistam. Sublima vt prius. Sublimatum remisce fecibus, & sublima quarto.*

Tunc dicitur argento viuo vnitum esse sulphur inuisibile, incombustile, inuictumque quod philosophorum vocant.

Ea res etiam *impragnatio* dicitur, *qua matrix mercurialis capit ignem naturæ, & mulier amplectitur virum. Da operam, vt sublimatum à fecibus quam mundissime separes. Pondera hunc mercurium. Adde ei dimidiam partem salis præparati purissimi optime exiccati. Commisce exacte. Impone in cucurbitam nouam* (quæ iam est quinta) *sublima priore industria ita, vt sub finem ignem fortiter intendas, vt totum argentum sublimatum ex capite mortuo expellatur. Fracto solerter vitro sublimatum à fecibus seiunge. Redige id in puluerem subtilem, & per se sine additamento sublima, quæ est sexta sublimatio, in arena peragenda, vt si quid fecum adhuc superesset, id in fundo maneat ascendente mercurio puriore. Videbis sublimatum ad foramen fere vitri assurrexisse, idque circundasse testudine, aut saltem reliquisse in summo spiraculum. Tunc cum refrixit, fracto vitro exime sublimatum. Iam ad septimam sublimationem accede. Contere sublimatum in pila marmorea, pistillo eburno, vel ligneo. Tere etiam in marmore, munita vesicis facie auersa à flatu aura sub dio, vel aperto in loco cœli sicco. Prægustare solent tritores butyrum, & haustum vini zedoariæ. M[illegible] in cucurbitam longicollem inferius luto obductam. Pone in arenam aperto orificio, & subiice initio ignem lenem: postea sublima calore bono vt assurgat specie lapidis specularis, quam Mariæ glaciem vocant. Iste est mercurius crystallinus. Contemplare num circa fundum aliquid impuri restiterit. Tunc alio vase denuo sublima, sique iterum aliquid deprehendis, etiam nona vice.*

Mercurius crystallinus.

Hic enim finis est, si totus mercurius puri crystalli, vel vitri Veneti forma eleuatur nullis sordibus circa fundum apparentibus.

Hæc est minera in summitate montium nascens. Debet semper manere homogenea quoties etiam sublimatur. Ex hac minera porro *scaturiunt pulcherrimi fontes, & riuuli ad medicinã corporum humanorum, & imperfectorum metallorum, si aqua ex saxea ista petra per baculum Mosis elicita amplius coquatur per elementorum mutationem, donec aereum fiat Elixyr, album pro albo: rubeum, quod vberiore coctione ex albo fit, pro rubeo fermento: Et tunc artis verum est initium, constans solutione & coagulatione, coniunctioneq; animæ, corporis, & spiritus. Sol & mercurius philosophorum mediante aqua philosophica, qua vtrumque soluendum est, coniunguntur, inclusaq; phiolæ coquuntur miris modis per artificiosum ignis regimen coloribus procedentibus ordine, factoque ascensu & descensu, donec totum in lapidem rubrum vertatur, qui non amplius ascendit, sed amice cum coniunctis in igni quiescit, quæ est intentio philosophorum.*

Minera philosophica.
Fontes mineræ nostræ.
Artis initiũ verum.

Lapis noster fit *ex liquore minerali, sale rubeo terræ, & sulphure solis. Imò totum artificium est in sole & mercurio*, quæ coniuncta lapidem philosophorum constituunt, & tincturam habent infinitam. Artificis est soluere, & coagulare legitime.

Lapis noster ex quibus.

Nihil enim aliud est opus nostrum quam facere perfectam solutionem, & coagulationem qua corpus in spiritum vertitur, & spiritus in corpus, vna operatione. Neque enim fit vnum sine altero. Soluitur lapis in aquam quæ dicitur *mercurius* NOSTER *& philosophorum*. In solutione ignis semper lenis est. In sublimatione secreta mediocris: In coagulatione temperatus: in dealbatione continuus: in rubificatione fortis.

Ignis regimẽ.

Est lapis vilis ex quo extrahitur volaticus ignis: ex quo igni ipse lapis (philosophorum) est factus, neque *compositus ex albo* (luna matre quæ est mercurius) *& rubeo* (sole patre) *Ex eo lapide fonticulus ortus* (aqua hylealis: mercurius philosophicus potentia) *patrem suum submergit, & deuorat* (id fit cum primum coagulatum iterum soluitur & coagulatur) *donec reddatur ei anima, & mater fugitiua fiat ei æqualis.* Sol in sua senectute matrem volaticam vincit excellentia per Vulcanum. *Corpus, anima, spiritus, sunt in duobus. Venit tantum ex vno, estque vnum, constans ex fixo, & volatili. Sunt tria, duo, vnum. Adamus ponit eum in balneum Mariæ in quo venus habet suum compar. Balneum parauit vetus Draco, cum amitteret robur suum. Nihil est nisi duplex mercurius.* (Ex eodem diuersimode disposito masculus & fœmineus, fixus & volaticus. &c.)

Ignis volaticus.

Ita se habet philosophorum sublimatum. *Quo vtuntur Medici, id potest etiam aliis modis fieri*, de quibus in syntagmate.

Sublimatũ medicum.

Ex. Gr. *Purga argentum viuum sublimatione per cinabarim, vel sale & aceto, sæpeque ablue, & per corium traiice. Cape huius libram, & tantundem vitrioli rubefacti, item libram salis communis præparati, halinitri trientem. Irrigata aceto misceantur vt massa fiat de more. Sublima s.a. Cape sublimatum primum. Ad vncias eius 16. adde salis præparati ℥xij. vitrioli ℥iiij. Sublima. R. huius libr. 1 salis præparati ℥x. Sublima tertio: Quarto sine additione, si nondum est crystallinum, nec pure ascendit, repete sublimationes, donec voti compos fias.*

Quercetanus

Quercetanus ex Paracelso nouies sublimat, totiesq; reducit: aliquando tamen contentus est crystallina specie. Declarat a. suas sublimationes, quod *mercurius ex vitriolo assumat spiritum acidum*, eoque congelascat, seu attrahat sal armoniacum acidum. Ait artifices addere vitriolum nouum & repetere sublimationem donec crystallo assimiletur, quod aquæ iniectum reddat eam acidam, & mercurium sistat viuum, qui iam sit philosophorum: aquam si coquas vt aquositas diuapotet, vult *liquorem restare acidum, spiritualem, domitorem epilepsiæ*, si cum aliquo liquore detur: quod sane tunc verum est, cum omne venenum ademtum est sublimato, vt in aquila alba corallina. Vocat *essentificatum crystallinum*, quod *ex deleterio fiat viuificum*, ex frigido humido, calidum siccum, ex crudo coctum & philosophicum, quod inseparabili vnione cum auro iungi queat, exuta humiditate aquea & sulphure arsenicali per varias sublimationes à vitriolo, & sale, subsequentib. reductionibus vt tandem *a zureo colore contracto* cum auro coite possit quod putat esse fundamentum magisterii philosophici. Vide quæ retulit *pag. 21. de med. prisc. mat. &* 105. Item *de lue venerea p. 373. 374 & in tetrade pagin.* 456. 457. 458. *&c.* Cæterum cum auro iungitur duobus modis, primum forma pulueris, vt in arcano Alueldi: postea reducti liquoris.

Quercetani de suo sublimato iudicia.

Quercetanus *in tetrade* habet modum tertium. (*p. 459.*) Nam *liquore salis ammoniaci fixi, seu aceto philosophico* (quod potest & regia esse vel simile soluens de quo suo loco) *nouies sublimatum mercurium soluit: in alia eius parte soluit aurum. Solutiones confundit prudenter. Menstruum abstrabit destillando. Reliquum sublimat.* Sublimatum vocat *Elixyr mirabile* ad vitam conseruandam, quod vt verum sit, venenum debet subtractum esse, vt in aquila cœlesti. *De rubris sublimatis* nos alias *in Alchymia & syntagmate: Si sublimatum fixum requiris*, inspice descriptionem Penoti, quæ est: *Mercurium ex ter præparato sale communi, & vitriolo tosto sublima secundam artem. Sublimato primo adde nouum salem & vitriolum. Sublima secundo (inter miscendum irroratur parum aceti.) Repete id septies, quanquam non semper noua materia assumatur, satiuque est id bis fieri, ita vt quinta sublimatione per se sublimetur, prima capiti mortuo redditur, vt & tertia sicut supra. Cum euasit crystallinum, solue id aqua forti ex alumine & halinitro, quæ rectificationibus, & circulationibus sit exaltata. Digere. Destilla primum humiditatem per alembicum. Deinde sublima auctiore igni. Sublimatum contritum secundo solue: eadem aqua forti quæ abstracta est per destillationẽ. Digere. Destilla: Sublima. Hoc sublimatũ tritũ noua forti solue: digere, destilla, sublima, idque toties, donec nulla nigrities in fundo restet. Sublimatũ hoc aqua fixatoria maceratur donec in fundo totum maneat. Solet a id contingere inter sublimationes, si aquam salis ammoniaci fixi affundas, soluas, destilles, sublimes, idque cum sublimato repetas, donec totum sit fixum. Sic & rubeum colorem acquirit.*

Aureum sublimatum.

Elixyr mirabile Quercetani.

Sublimatũ fixum.

Apud Crollium extat sublimatio rubra sine auro, titulo Arcani, Corallini Paracelsi. Summa est: *Mercurii purgati libra: halonitri à sale purgati: vitrioli Vngarici ad rubedinem calcinati an. libr. 2. cum aceto stillatitio per pistillum ligneum commisceantur ad occultationem argenti viui. Massa includatur cucurbitæ parte ima lutata lateribus puris imposito alembico in arena fiat destillatio per noctem vt humiditas acida exeat. Postea successiue auge ignem per horas 24. & hydrargyrus viuus in alembicum inferetur subniger: In collo cucurbitæ concretam flauitiem inuenies sicut in eo quod alias turbith minerale vocant: circa caput mortuum colorem rubicundum. Frange vitrum inter feces & sublimatam materiam per circulum ferreum candefactum, ablato prius alembico. Collige vtrumque puluerem rubeum, & flauum. Adde halonitri, aluminis vsti citra vehementiorem ignem an. libr. 1. Impasta per aceti phlegma priore destillatione extractum. Sublima vt prius. Absoluitur 12. horis puluis ascendet in collo cucurbitæ flauus, infra ruberrimus. In alembicum illatum quod est, nigricat. Cum refrixit opus, caute capitellum deme: cucurbitam super fecibus diuide. Rubedinem seorsim collige: flauitiem item seorsim, quam in catino mediocri igni cremabis vt & ipsa rubescat. Vtramque partem coniunctam ablue aqua melissæ, vel borrag. vel rosarum, &c. Fundalia, & in alembicum illata abiiciantur.*

Arcanum corallinum rubrum Crollii collationis gratia repositum: quod non Paracelsi dici debuit.

A gr. 3. ad 5. datur in hydrope, & Gallico. Hæc quidem ita Paracelsi nomine Crollius proposuit. Sed *videtur vel ipse vel Huserus inuentor esse.* Neq; n. sic extat in operibus Paracelsi & Penotus in chymicis vbi de podagra agit p. 101. *arcanum Corallinum ex auri essentia confici tradit*, quasi sit *tinctura separata à tartaro albo auri per spiritum vini*, vnde sit *perfecta cura & purgatio podagræ*. Vide ibi de quinta essentia, oleo, & præcipitato solis immensarum virium *ad omnes morbos, lepram, Hispanicum, vlcera fistulas, pestem, obstructiones viscerum, &c.*

De arcano corallino dissensio.

Dices, licet non descriptum extat illud arcanum apud Paracelsum, nihilominus eius esse posse, cum multa passim lateant non edita. Verum hoc argumentum friuolum est. Aeque n. incertum est sintne illa non edita Paracelsi. Multa dicuntur Paracelsica, non quod ea Paracelsus excogitauerit, aut sciuerit, vel etiam vsurpauerit, sed quod chymicum & Paracelsicum pro eodem habeant. Dornæus *in diction. Paracelsi* ait, mercurium corallinum esse eum, qui per oleum ouorum & alias aquas in rubedinem corallinam adducatur.

De mercurio corallato inuenies in Alchymia lib. 2. tr. 2. c. 41. titulo de turpetis. An a. Penotus quoq; recte diuinauerit, quæri potest. *Paracelsus sane in chirurgia minore ista diuina asseripsit essentia antimonii tr. 2. cap. 5. cum c. præcedente*, de tinctura auri disseruisset, quæ fiat cementato auro ol. salis resoluto, & coagulato, extractoq; per vini spiritum: quod ponitur etiam *in magna chirurg. tr. 3. c. 2. lib. 3. chir. mag. de male curatis, c. 25 corallatum diaphoreticum*, quo argentum viuum ex corpore exigitur, descriptum extat.

R. *Liquorem aquili. Exicca eum in liquore vitrioli præparato. Deinde imbibe spiritu calcinati tartari* (obscure dictum in latina versione: Liquorem aquili exiccatum in liquore vitrioli præparato, imbibito dein, veluti à calcinato tartaro spiritum abstrahere chymicorum regulæ præcipiunt, spiritum abstrahemus.) *Abstrahe vicissim, & corallatum confectum erit. Diuinamus: sublimatum argentum viuum solue in liquorẽ. Huic affunde spiritum vitrioli sensim, fietq; præcipitatum. Destilla, vel abstrahe humorem. Calcem perfunde vini spiritu, sæpeq; eum hinc abstrahe, donec in rubedinem mutetur.* Præmittendam autem esse edulcorationem per aquam ouorum, vt coincidat artificium cum Dornæi sententia facile est intelligere.

Corallatum Paracelsi.

Aliquando vero & præcipitatum vocat Aquilam. Hoc si intellexit, sensus erit, solutioné præcipitati coagulandam esse: Deinde spiritu vitrioli potandum puluerem; & abstrahendum crebro. Veruntamen ratio ipsa euincit edulcorationem requiri à vini spiritu, & aqua ouorum. Ita est & in *2. de lue c. 12.* vbi vocatur *mercurius laxus*, seu laxatiuus: *Mercurii pulnerati* (præcipitati) *quantum vis, perfunde aqua ouorum. Destilla hanc ab eo donec corallетur*: cuius corallati gr. 8. dantur cum aliqua aromatica confectione in fluxionibus à sparadrapo excitatis. Idem *lib 2. de vita longa c. 1: de podagra: podagricus purgetur arcano corallino* ad eliciendos fluxus podagræ. In hoc *corallino quod ex essentia auri est*, tanta vis ac virtus inest vt podagram nisi hac purgatione à medico deprehendi impossibile sit, &c. (In Germanico loquitur euidentius, quod de essentia auri est.) Nominat hic arcanum, licet in lib. 4. de V. Ess *tantum 4. arcana sciat*, nempe, *primã materiam mercurium vitæ, lapidem philosophorum, & tincturam: alias omne perfectum medicamen arcanum est.* Apertissime se explicat *lib. 10. de tumoribus circa finem*, vbi hæc habentur: *Balsamus dulcis argenti viui sic* præparandus est vt nec sublimatio nec calcinatio (præcipitatio) accedat sed *per aquam ouorum* supra suam calcem, in qua mercurius extinctus sit destillatam in rubicundũ puluerem reducatur, vnde tanta ei dulcedo comparatur, *vt vulnera & vlcera perfectissime curet*, &c. Reiicit ibi eos qui præcipitati *hamatinam rubedinem corallinum hoc esse putarunt*, negatque *præcipitatum mercurium ob impressionem corrosiuam aquæ fortis, perfectum remedium esse posse.* Sed Paracelso proprium est variare. Patet ei triplex corallinum esse: vnum iam dictum: alterum ex præcipitato: Tertium ex auro, vt sit quasi tinctura eius mercurialis, de qua ex Penoto in mercurio vitæ: Atque ita & *Penotus, & Dornæus recte declararunt corallatum.* Quoniam autẽ descriptio *in lib. 3. de ægrotis male curatis* non multum dissentit à Crollii formula, sit sane hoc tertium Coralliuum *si non Paracelsi, saltim Paracelsicum.*

CAPVT VI.

De dulci sublimato, salutifero, aquila cœlesti, corallino albo, &c.

CRollins *in Basilica pag. 130.* inter *duos secretissimos tractandi mercurii* modos alterum esse scribit, *quo mortificantur corrosiui spiritus vitrioli & salis in mercurio sublimato*, è quo miro, & simplici artificio homogeneo fiat *puluis crystallinus plane insipidus, quod sit vnum ex præstantissimis chatarticis per se, vel cum catapotiis in vsu medico radicaliter omnia noxia è corpore humano pellens*: quia mercurius sit *balsamus naturæ in quo virtus incarnatiua, & regeneratiua mirabiliter renouans & clarificans ab omnibus impuritatibus.* Hæc Crollius satis magnifice, & more Quercetanæo, Paracelsicoq;, quanquam ipse Paracelsus mercurius istas regenerationes *non per se, sed ex accidente* asscripserit in chirurgicis, vbi etiam succensens istis immodicis præconibus in hæc verba erumpit: *Præcipuum, quod me de vobis experimentatoribus male habet, est, quod sic vno, eodemq; ephippio (quod aiunt) ad omnes vtamini equos*, &c. Hæc ipse parum memor quid arcanis suis ex antimonio, mercurio, auro, &c. tribuerit.

Loquitur autem Crollius de *medicamento illo mercuriali ex argento viuo sublimato, & hydrargyro crudo*, cuius inuentio, cui debeatur, dubium est. Primam eius mentionem, quantum nobis constat, in publico fecit Quercetanus, alias à Martino Rulando ex secretis Imperatoriis nobis communicati, titulo PANACEÆ Cæsariæ: à Dauide vero Rungio ante aliquot annos detecti. Crollius & Palmarius

Panacea Cæsaria.

Latraton ille Gallus tanquam secretum paucis attigerunt. Quercetanus *in tetrade pag. 460.* vocat *Leonem, & suauem columbam ex omniuoro dracone, & aquilam cœlestem*, Item *theriacam theriacarum*: (*pag. 465. tetrad.* etiam turpethum vocabulo aquilæ cœlestis commendat:) *In pharmacopœia aquilam* SVAM (NOSTRAM pro sua persona) *cœlestem* nuncupat *p. 314. 315.* in Alexicaci *p. 473. mercurium dulcem purgatiuum*

Aquila cœlestis.

dicit, quo nomine etiam in studiosorum Gallorum & Germanorum manibus Patauii, vt nobis indicauit amicus noster, versatur, certatimq; ab illis elaboratur, quando, vt est *p. 481. Alexicaci*, hodierna

Sublimatũ catharticum dulce.

die in satis frequenti vsu habetur tum in aula Imperatoria, tum Gallia, Hassia & alibi. Possis *corallinũ album* vocare à colore & consistentia, siquidem Crollii arcanum nomine *corallini hæmatini*, seu rubri sit afficiendum.

Descriptiones apud Quercetanum sunt hæ: *In mercurio sublimato crystallino* (inquit *in tetrade*) *latens ignis internus natura potest sistere, coagulare, & conglaciare, inq; crystallinam duritiem vno momento propria suæ aqua metallica, & fluentis iustum pondus, vel circiter compingere: à qua vicissim ille sic extinguitur, & contem-*

Descriptiones Quercet.

peratur vt ex contrariis vtriusque effectis ne minima quidem de substantia illorum portio depereat. Ita ex dracone fit columba, &c. Item: *Aqua illa debet extrahi vel ex omnibus Planetis simul, vel ex fonte illo vberrimo cuius scaturigo in excelsioribus montibus oritur.*

Mercurius vitæ.

Aquila cœlestis debet liquorem bibere ad satietatẽ, quantũ potest, &c. Potest mercurius vitæ dici, si paretur cũ mercurio solis, vel lunæ, item arcanum. Hæc ille *in tetrade*, quantum ad descriptionem attinet. *In Alexicaco* longe apertius *pag. 472. Octo partes mercurii in meteoron redacti, & sex vulgaris comminuuntur, & ad integram vsque hydrargyri liquescentis mortificationem permiscentur. Omnia in matratium iniici debent, & ignis sublimationis per sex horas adhiberi, vt tota materia sublimetur, & in formam crystallinam reducatur. Reiterata sublimatio-*

Mercurius dulcis catharticus.

ne habebis mercurium dulcem purgatiuum, pagin. 481. Mercurius sublimatus multo peior magisq; corrosiuus quam arsenicum, ita gustui probatus & gratus sola sublimatione, postquã sua aqua in debita porportione mixtus fuerit, reddi potest, vt nullum vomitum, nauseam, aut stomachi causet perturbationem, in quo præterea illud obseruandum, quod nihil de suo pondere & quantitate deperdat, &c.

Declaratio descriptionis.

Hæ sunt Quercet. descriptiones, in quibus vt scientifice verseris, *notanda primum materia est, & eius electio.* Nominatur mercurius, isque sublimatus. Constat a. hunc fieri ex argento viuo sale & vitriolo:

Ideo & Crollius dicebat, *spiritus corrosiuos salis & vitrioli mortificari.* Sed electio est apud Quercetanum, ne sumatur quilibet obuius, verum studiose elaboratus, vt crystalli instar, vel vitri Veneti resplendeat. *Mercurius debet in quintam essentiam redigi*, inquit in Alexicaco: Nam vulgaris sublimatus noxius est. Debet esse crystallo clarior. Mireris tamen electionem hanc cum bis scribat, *Draconem omnivorum assumi, & sublimatum arsenico nocentius*, vt fiat mirabilis illa exangue in columbam, ex lupo in ouem, ex veneno in Theriacam transmutatio Hac de caussa, studiosi capiunt *Venetum ex officinis sublimatum*, idemq; perscribebat Rungius: Et qui passim hodie factitant, non sumunt istum operosum laborem, assequunturq; idem medicamen. Ita & Crollius exprimit sublimatum corrosiuis spiritibus prædictum. Neq; tamen putandum est inutiliter monuisse Quercetanum. Nam in medicina quam lectissimæ materiæ, elaboratissimæq; sunt assumendæ, *cum agatur de salute hominu*, maximeque possit suspicio malignitatis, aut incuriæ in minerale istud alias per se veneni reum incidere. Altera pars compositionis est *aqua eadem ex qua sublimatum erat conflatū*, seu hydrargyrus, & *argentum viuum crudum*. Hoc tamen debet elotum purgatumq; esse aliquo supra dictorum modorum. Quercetanus viuum quidē & fluens probat, sed omnino crudum reiicit. Ideo inquit: *Argentum viuum debet ex cinabari esse, nempe vel minerali, vel artificiali: aut etiam ex ipsius sublimati parte alta.* Hæc enim est sententia verborum: *Ex fonte vberrimo, cuius scaturigo in excelsioribus montibus oritur.* Montibus comparatur alembicus, aut superior pars sublimatorii: Et inuenitur etiam minera minii in montibus. Nihil autem prohibet *si sublimatum crystallinum diuidas in duas partes*, & vnam irreductam capias, alteram reductam. Ita implebis illud Philosophicum, quo iubemur sumere *vnius radicis duas substantias*, & *mercurium διφυῆ bis genitum.* Inter has proportio est primum indefinita. Nam *crystallino mercurio in lauorem detrito tantum argenti viui crudi immiscendum est, quantum misceri potest.* Deinde definitur, nominanturque *octo partes sublimati, & sex crudi*, quæ est proportio sesquitertia. Alias & sesquialtera probatur qualis est 24. ad 16. 12. ad 8. 6. ad 4. *Modus mistionis est*, vt primum in marmorea pila sublimatum conteratur, deinde in marmore ducatur in pollinem: Hinc in patinam vel concham vitream, aut lapideam inferatur vbi particulatim affunditur ei liquidus hydrargyrus, & celeri manu eburnum stylum, vel versatorium ligneum habente aucia, vel munita nare permiscetur. *Ibi videas viuum mercurium odore contactuque quasi torpere, & pigrescere, fatiscentemque ab illo deuorari, qui inde nigrescit & madescit expirans halitus quosdam acres*, à quibus cerebri membranæ vellicatæ sternutamentis crebrioribus se purgant. Si non sis cautus etiam dentibus imminet periculum. Hoc est quod Crollius dicebat *spiritus corrosiuos mortificari*, id est, actione illa & passione mutua discedere, & relinquere puluerem quasi mortuum, seu *aspidem veluti aconito*, aut *serpentem corylo tactum.* Hæc mistura infertur in sublimatorium non nimis altum, seu in cucurbitam angusti orificii absque alembico, vel etiam in retortam. Sublimatio instituitur in arena. Ita surgit tandem massa alba albi coralli, vel eboris (his enim comparare albedinis & densitatis merito solent, cum alias rectius assimiletur silici semiperspicuo, seu crystallo opaciori, quanquam differentia sit in elaboratione. Lapidea sane & puluerabili est consistentia) instar, qua vitro adhæret glabra, sed interiore concauaque superficie aspera, spissitudine inæquali. *Tubum dicas, crassitie parietum quanta est pennæ scriptoria*, vel etiam ampliore pro copia, & vasorum capacitate. Interim si adhibuisti capitellum, in id infertur nigra quædam fuligo, quam aliqui dicunt esse venenatam; aliqui negant, quod canibus data sit citra noxam: Et sane minor est pernicies. Iam enim inter commiscendum actione mutua spiritus noxii sunt dissipati. Quod in fundo hæret, abiicitur. Alii feces vocant, easque cum sublimato denuo conterunt, & secundam sublimationem moliuntur, vt totum quod inest essentiale eliciatur: quanquam etiam alias puritatis maioris caussa secunda sublimatio atque etiam tertia & quarta fit instituenda. Abiicere solent etiam si quid farinaceum accreuit. Hæc est præparatio medicaminis ex materiis suis. *Efficientem caussam* vides artificem esse qui sciat industrie commiscere, sublimare, & alia peragere mediantibus instrumentis chymicis, potissimumque igne. *Forma est* crusta alba lapidea, quam beryllo compares, aut silici albo corneo magis, minusve perspicuo. Crollius vocat *puluerem crystallinum*. Gustu nihil acrimoniæ percipias, nihilque accidi, aut acrimoniæ, quale alias in sublimato sese exerit. Hinc accipit nomē *dulcis*, cum sit potius res *insipida* prima solidi ad linguam admotione. In recessu tamen habet quid acrimoniæ, & vim occultam, qua præparare eliceréque materiam, & incitare naturam possit. Visui albet: cum aliqua ad lumen perspicuitate: quanquam purior esse possit: Si radas, flauet. Tactu res dura & solida est, nisi pulueres. Farina tamen quædam adiacet, suam consistentiam habens. Non est fixum corpus. Nam vel ad candelam halat, abitque in fumum tenuem. Fibris concrescit oblongis gliscentibus à conuexa superficie in concauam recta versis. Dentibus teritur sine offensa, fitque læuor seu farina tactui se subducens. Virtutem exprimit nomen CATHARTICVM. *Purgat enim aquas potissimum*, vt Paracelsus scribit, sed non sine phlegmate. Quercetanus, & ii, qui *panaceam* esse dictitant, quam magnificentissime deprædicant. *Nobilissimum est remedium*, inquit, *in Tetrade: Deterget. mundat, rectificat, purgat, mouet modo aluum, modò vrinas, totamque sanguinis massam emundat:* Ad *Lepram, luem veneream, morphæam, febres putridas, scrofulas, pestilentiales affectus, grauidis & infantibus tutum remedium: Omnia venena è corpore eiicit;* Item *vermes;* qualia leguntur *in Tetradè, Pharmacopæan, alexicaco.* Quidam asserunt *purgare blande etiam pluribus diebus; donec totum quod in corpore est excrementitium sustulerit.* Dosis definitur *scrupulus*, vel *dimidia drachma* ex conserua (rosacea, cichorei, fumariæ, anthon, Bethonicæ, &c. pro morbi genere) vel vini cochleari, vel liquoris conuenientis. Non est magna moles. Est enim pondero solum corpus. Vide Crollianas laudes. Dari ferè solet in substantia post cœnam, vt per noctem distribui possit, & vires capere. Mirum cum tanta possit, *cur tam mitis columba appelletur.* Nos cum hæc scriberemus, particulam linguæ admouebamus. Ea initio apparebat insipida: paulo post *acredo* emergebat, & *vitriolatus* quidam sapor licet remissus, qui paulatim progrediebatur versus fauces, *qui mos est vitrioli & argenti viui.*

Si expessime veneno fieri debet optima medicina, electio ista non multum ad rem facit.

Montes chymistarum.

Proportio miscendorum.

Cauendum in istis mineralibus.

Habent enim in recessu aliquid, & vt Paracelsici negẽt, & vt noua sua commẽdent etiam balsamos naturæ esse falso dictitent.

Vitriolatus liquor Quercetani.

Varietas aquilæ cœlestis.

Detergentem potestatem bene sentiebamus. Data dosis cuidam, ventrem mouit aquis eductis. Videtur ergo *paulatim per totum corpus serpere*, & sic naturam vbiuis stimulare, ad expellenda præternaturalia. Illud *cauendum* ne crebriore vsu totum sic alteret, vt non amplius seruare modum naturæ possit. Neque enim tam mite agens est. Ideo & Crollium putamus *excessisse metas veritatis* cum tantopere laudat, quanquam nihil alienum ab instituto Paracelsicorum commiserit. *Theriacam theriacarum* vocant, quia *ignem* quendam *expiatorium* esse credunt quanquam in hoc *minime sit theriaca quod purgat, & dandum sit cum familiarioribus natura*, veluti cum conseruis, vel catapotiis, vel vino, &c. *Aquilam cœlestem* dicunt argumento sublimationis tum quia cœlo comparatur superior locus vasis, tum quia cœlestem vim habere creditur, quæ non ab elementis, sed essentia interiore, & crasi tota æthereaque influentia pendeat. *Aquilam* alias dici sublimatum volaticum, vt & sublimatum armoniacum, in schola chymica est notissimum. *Potest porro solui in liquorem & oleum*; potest etiam in *rubeum corallatum* mutari, & sane repetita sublimatione more argenti viui & vitrioli magis magisque flauescit. *Si velis facere mercurium vitæ cum regulo*, hoc sublimatum conducet præ cæteris. Ex aqua recipientis in quam ex retorta agitur fit *vitriolatus ille liquor*, de quo Quercetanus dicebat, quod epilepsiam specifice tolleret, si modo aquositatem abundantem subtrahas vt acor emineat. In eo & crystalli chalcantini nasci possunt. Nos non possumus magniloquentiæ Paracelsicæ astipulari. Caueat sibi quisque. Sed missis his ad varietatem & cognationes accedamus. In diuulgatis libris extat hæc forma: *Argenti viui sublimati ℥viij, hydrargyri purgati (per cinabarim, vel oxalmen) ℥vj. cõmisceantur per se cita manu in lapideo, vel vitreo vase. Deinde contere cum colcotaris perfecte rubificati lib. 1. sublima ex humili cucurbita in arena, horis 5. vel 6. sublimatum lapideum extrahe fauilla & fecibus obiectis. Adde colcotaris lib. ß. sublima denuo. Loco colcotaris licet capere etiam salem communem præparatum. Tertio per se sublima sine additamento. Massa puluerata sæpe eluatur rosacea.* Exiccatæ dosis est à gran. 20. ad 30. Quercetanus primum proponit tanquam ex *vulgari sublimato, & hydrargyro.* Is est primus modus: Deinde consultius iudicat si *crystallinum sublimatum* accipiatur, & *argentum viuum ex cinabari* reductum. Hic est secundus. Præterea sumi argentum viuum non commune sed *vnum aliquod metallicum*, vt Solis, Lunæ, Martis, Veneris, Antimonii, &c. posse: qui est modus tertius: *Insuper ex omnibus simul planetis* coniunctis, hoc est, vel ex omnium seorsim factis mercuriis, coactisque in vnum: vel *ex minera stibii*, in qua perhibentur omnes conuenire, ita, vt *qui regulum vel stellam in argentum viuum mutat, is omnium metallorum mercurios habere dicatur.* vel ex *stibio quidem, sed in cuius liquatione omnia metalla sint adhibita, aut saltem omnium vena, sicut Suchten solet martem, venerem Lunam, Solem, antimonium in vnum hydrargyrum ex stibio cogere, cui si postea adiicias calces Saturni & Iouis, omnes planetas habebis. Iste est* modus quartus. Tandem sublimatum posse imprægnari spiritu vel tinctura auri, qua ratione docuit *aureum sublimatum* conflare, vnde fiat æquiualens mercurio & arcano vitæ medicina. Hanc varietatem exhibet lectio Quercetani. Apud *Clauæum est & sublimati nobilis & præcipitati artificium, quanquam ratione aquilæ cœlestis mancum.* Sublimetur quater argentum viuum de more, vt niuem albedine superet, crystallique instar transparens ab humiditate frigida liberetur. Inter sublimandum feces manent in imo: humiditas nimia pulueris specie in summo concrescit: *Purior pars in medio vase consistit estque quodammodo temperata.* Hoc fundamentum est nostri laboris. *Partim aliquam eius reduc per oleum tartari & repurga. Reductum mercurium amalgama cum auri calce, vel argenti, putrefac in fimo. Exprime per linteum crassius, & vide vt totum transeat amalgama, quod fiet tandem aucto mercurio: aut per alembicum propelle totum. Huius animati mercurii partem per se præcipita: partem priori sublimato commisce, atque iterum sublima iuxta artem supra expositam.* Ita nanciſceris duplicem medicinam nobilem deminuto labore. Clauæus suum *præcipitatum adhibet ad transmutationem.* Sed tu medicinæ studebis.

Animatus mercurius.

Palmariana ex argento viuo.

Deliria Palmarii Zoili.

Notandum securitatis grâtia de mercurio sublimato.

Cosmeticum Aquilinum Crollii per extractionẽ essentia.

Reposuit ista latrator & criminator Palmarius *cap. 20.* suæ stultitiæ aliena verba sine sano iudicio sonans. Serpentem vocat sublimatum in cuius cauda & capite venenum (si credere libet) solo vẽtre vtili & medicamẽtoso. Vna sublimatione putat has partes secretas exhiberi cauda in fundo (vt stultitiam hominis agnoscas) subsistente, capite per summa volitante (ne quid desit delirio) corpore fixo (ne imperitia cedat stultitiæ) sociato caudæ. Mediam substantiam affigit vasis lateribus, negatq; ascendere altius quantumuis ardenti igne: crystallinam, (si crystallus est species gypsi illius quod lenæ in fissuris montium, & super lapidibus inuenitur, cui simillimum est istud sublimatum duabus operis confectum) solidam, & malignæ istius auræ (ne loqui quidem recte potuit conuitiator) expertem affirmat, ita vt nunquam accidentia quæ commemorat, proferat. *Fides non placet.* Nos curauimus septies sublimati argentum viuum, ita vt crystallos purissimos repræsentaret. Non certe ita mite erat. Nam horridum gustui, & penetrantissimum, & verè Draco omniuorus erat. Cum vellemus *elutionibus* temperare, *assecuti* quidem *summe dulce sublimatum*, sed *aqua ablutionis venenata & erosiua adeo erat, vt cum eam infunderemus magna satis copia ex parua mole in peluim stanneam, statim eam occuparet, & nigredine indelebili inficeret. Cum gustaremus, periclitabamur faucibus.* Caue ergo tibi ab istis sublimatoribus. Illud melius quod addit: *Vere magistrali modo præparatur, quo tota fit benefica; tota medicamentosa, & ex summo veneno summum venenorum & magnorum omnium morborum alexiterium: qua arte etiam sandaraca Græcorum elaboratur, &c. Eadem & duæ substantiæ mercuriales vnius radicis componuntur: Eadem mercurius per mercurium extrahitur ex corpore magnesia, quæ regina minerarum, &c.* Hæc ille nugator, qui putauit Libauium tam fatuum esse, & imperitum harum artium, vt ista nesciret. Modum *primum* iam iudicauimus. *Secundum* ponemus in sequentibus. *Tertius* est hic quem præsente capite tractamus de *Aquila cœlesti. Quartum* ex *Suchtenio* reposuit de mercurio ex stibio per argentum viuum vulgare, cuius fiducia negauit ex auro, & argento eliei, homo rudissimus, & alieno vitio tumidissimus. Verum valeat iste. *Crollius in sua basilica Cosmeticum* quoddam eodem parare docet artificio *pag. 277. ♃. mercurii optime purificati, à quo omnis nigredo sit ablata* (nempe coquendus est ex lixiuio calcis & cineris clauellati, deinde sale & aceto accurate purgandus) *lib. ß. Misce in paropside terrea non vitrata cum mercurii sublimati* (crystallini) *puluerem*

uerem deducti pari quantitate (ex superioribus proportio est sesquitertia, vel sesquialtera, aut quanta potest esse) Hactenus congruit artificium. In sequentibus discedit. *Ponantur in cucurbitam angusti orificii* (inquit) *Affundatur acetum stillatitium ad digitos 3. vel 4. Digere triduo, vel quadriduo aliquoties die mouendo. Acetum extrahit album pulverem* (essentiam.) *Liquorem subalbidum decapula per inclinationem. Repone in vitro: Et post aliquot dies fidet puluu, seu farina candida.* (Qualis etiam ex Lithargyri soluto, & praecipitati) *Aceto abiecto pollinem collige. Debes autem acetum sapius mutare & extrahere tantum quantum potest, vt iusta tibi sit essentia copia. Hanc, nisi velu, non est necesse abluere: Non enim est corrosiua. Per se potes siccatam reponere, & saliua propria madefactam illinere maculis faciei, & serpigini. Cauendum tamen ne oculos aut dentes attingat.* Hæc Crollius. Si non est corrosiua hæc essentia etiam acetum stillatitium passa, vel amisit vim istam in prima mistione pulueris, & hydrargyri, vel aceto commisit, quod tamen validam alias impressionem relinquere in rebus solet. Vtrum sit, sublimatio repetita non sustulit venenum, videturque roborari eorum opinio, qui negant nigritiem in capitellum eleuatam, & caput mortuum virulenta esse. *Securius tamen Cosmeticum facies si aquilam albam in essentiam redigas*, sicut Penotus suum præcipitatum. Nam non absolui omnino potest *si dentes & oculos lædit*, quo ipso magna pars ambitiosissimarum laudum ipsius perit. Per totum corpus progreditur. Quid si ad ossa perueniat? Mirum, cur ægrotent aut moriantur præmature declamatores isti, cum habeant, vel potius polliceantur tam salutifica medicamenta.

Aquila cælestis dentes & oculos lædens non est adeo tuta vt volunt Paracelsici.

CAPVT VII.

De aquila præcipitata fixa pura.

Aquilam cælestem volaticam salutiferam, de qua iam satis dictum, solue in liquorem, quo modo solet sublimatum. Liquorem hunc præcipita spiritu salis nitri, vel vitrioli. Sæpe eundem ab eodem præcipitato abstrahe destillando, donec rubedinem consequaris, quā aqua ouorum, vel etiam spiritu vini aut iuniperi super ipsa accenso corriges.

Alius modns.

Cape stanni per calcem purgati partem vnam. Funde id in catino. Cape argentum viuum purgatum circiter partes duas. Calefac in catino alto. Confunde vtrumque, & seorsim ab igne commisce per baculum ligneum, vt optime concorporentur. Sine refrigescere. Massam induratam explica super marmorea tabula in cella ita disposita vt deliquio solet. Cape sublimati crystallini parem quantitatem. Redige in puluerem. In semina massa extenta: vel etiam conterendo immisce. Sine ita supposito recipiente. Qui defluit liquor, secum vehit essentiam salutiferam. Nam quod fieri solet in commistione sublimati venenati & argenti viui, id etiam cum in tabula amalgamata seu concorporantur, seu dicto modo ad soluendum sternuntur. *Liquor est coagulandus spiritu tartari, aut simili*, qui etiam sæpius à coagulato abstrahitur, donec sub sua rubedine figatur. *In tabula vero à stanno retineri dicitur fex maligna*; sed vt dictum est, etiam actione mutua spiritus noxii fugantur partim, partim reprimuntur, constatque genera plumbi habere quandam dulcedinem salium corrosiuorum mitigatiuam.

Modus Martini Rulandi medici Imperatorii hic est: *Cape sulphuris puri selibram. Eliquato in patina fictili, immitte sensim argenti viui bene purificati trientem, seu quatuor vncias spatha lignea. Rulandus lebetem ferreum, & spatham ferream requirit, propter fixionis compendium, quod est à ferro. Agita semper, donec mercurius occultetur, vt in cinabaris artificio solet. Fiat massa tandem. Hanc exiccatam comminue in puluerem. Huic admisce salis ammoniaci fixi tres vncias. Conterantur probè. Immitte in cucurbitam non præfectam. Sublima secundum artem. Ascendet sulphur & sal cum parte mercurii. Fracto vitro extrahe vtrumque tam sublimatum, quam in imo hærens. Contere & commisce Sublima iterum. Repete hoc sexies, septies, aut toties, donec figatur. Vltima vice igne fortissimo quicquid volatile est in sublime age Mercurius solus in imo subsistet Exemtū in pollinem super porphyrite leuiga.*

Argenti viui per sulphur fixio ad medicinam.

Iste est mercurius, qui in quibusdam catharticum se exhibet, in quibusdam Diaphoreticum. Rulandus dosin definit robustioribus semidrachmam. Asscribemus ipsius verba: *In pauco aloës mollificat. Cum syrupo aliquo idque mane, bulliant duæ vel tres drachmæ tartari crudi puluerisati per semiquadrantem horæ: & patienti post vnam, vel sesquihoram à sumto medicamento, vel pilula exhibeatur.* Primo & secundo die aluum lenit. Reliquis sequentibus *sudorem prouocat. Ego* (inquit auctor) *huius medicamenti aliquot 8. vel 9. doses quotidie absq; nausea, vomitu fluxu oris, magno cum successu sumsi. Est idem in operatione, & efficacia cum mercurio vita: Sed dosis maior est.* Hactenus ille. Videtur velle cum aloe in pilulas redigendum esse puluerem: pilulam sumendam sub aurora: post horam vel circiter submittendum haustum Tartari purgati (cremoris) in aliquo syrupo soluti. Quod adddit cotidie doses octo, vel nouem sumtas esse, sic accipimus totidem diebus continuis, singulis nimirum vnam dosin esse consumtam. Quis enim se mercurio vna die octies purgaret, aut nouies? Facile erat Rulando nobilius id medicamentum facere, & fortasse omissum est aliquod retinaculum. Nam alias *argentum viuum cum sulphure eleuatur vt in cinabari*, quæ aliquando salem coniunctum habet, vt fiat perspicua; aliquando more paracelsico prima vice per se fit, secunda cum halinitro. Videndum de tali quadam præparatione: *Cinabaris trita infundatur liquori salis ammoniaci fixi. Digeratur. Deinde subtracto liquore fiat sublimatio. Contritis denuo adiiciatur sua aqua, & peracta digestione sublimatio repetatur, idq; sæpius vt fixum argentum viuum separatum à sulphure fundum occupet.* Quercetanus sane cinabarim pulueratam liquore sulphuris perfundit, atq; isto modo extractam præbet pro præcipitato ad purgandum & sudandum pro diuersa diuersorum dispositione in epilepsia, paralysi, &c. vide *Tetradis pag. 481. Pagina antecedente* pene similiter ait: *Sulphuri liquato in terreo* (Rulandus ferreo) *vase vitrato immisce dimidium mercurii, agitando spatula ferrea vel lignea, vsq; dum spatula nigra calce* obducatur. *Hæc calx nigra in apto sublimatorio iubetur sublimari, vt fiat medicamentum minium aut cinabarim referens, cuius grana tria, quatuor, aut quinque iubentur dari ad sudores excitandos effectu præstantißimo.*

Rulandi mercuriale. Arcanum fixum mercuriale. Præcipitatū cinabarinū candidum (extracta essentia.) Cinabaris medica Quercetani.

Plinius. Quis ista inuenit, & primus ausus est sine Dei metu hominibus daret Hydrotica cinabaris.

Hæc

Quid poſſit cinabaris vſta.

Hæc ille. Cum in inueſtiganda Ambaldi panacea eſſemus, ſæpe tum puluerem iſtius, quem nos ad imitationem eius ex cinabari feceramus, diuerſis præbuimus. Quantum erat in vno, tantum in altero, hoc eſt in vtroque nihil. Perinde enim afficiebantur, ac ſi lapillos pulueratos cancrorum, aut teſtas deglutiuiſſent. *Non pauci tamen cinabarim artificialem pro veneno habent*, audentque exemplum neſcimus cuius pictoris, qui penicillum linxerat, male inde habentis proferre. Non ignoramus mineralia iſta diuerſe præparari. Itaque fieri poteſt vt vna cinabaris altera ſit peior: eſtque aliud vſtione ſpiritus venenoſos diſſipare, aliud omnino crudam dare. Quercetani vero audaciam in tot granis miraremur, niſi ſuſpicio eſſet occultationis cuiuſdam. Nam fit etiam *cinabaris ex ſulphure florido & amalgamate auri*: Et fors eadem eſt ars cum Rulandina, qua de penes alios eſto iudicium. Si literam ſequimur, mercurius cum ſulphure aſcendere debet. Si quid occulti ſubeſt, vel aureum illud eſt, vel hoc: *Cinabarim vna atque altera vice ſublimatam tertio à ſale nitri ſublima. Deinde pulueratam miſce mercurio currente ex eadem reducta, vt factum eſt in aquila cœleſti. Sublima bis denuo.* Hac cinabari quis vti eodem modo poſſit. *Quod autem præcipitatum cinabarinum attinet*, ſane id etiam ex communi fieri poteſt per modum extractionis, adhibito vel acero ſtillatitio, vt in præcipitato vero, vel liquore ſulphuris deſtillato. Extractio poteſt ad ſiccum deſtillari: vel tamdiu ſeponi, donec acrimonia refracta calx ſidat, vt *Crollius* monuit in ſuo *coſmetico*: vel infuſo oleo tartari, aut aceto ſtillatitio ſimiliue acri deſcendi, vt ſic non tam extractum ſit, quam præcipitatum medicamentum modis dulcoratiuis amplius elaborandum. Præbet alias Quercetanus etjam *cinabarim mineralem*, ſeu *foßilem* perſpicuam *contra vertiginem*; quam nos non putamus eſſe lapidem argenti viui, ſed *Gelſum Vngaricum* rubrum, aut *venam argenti rudem rubram* tranſlucentem, cuius meminit Mattheſius: aut *ſuccum mineralem*, qualis & nobis miſſus eſt titulo *cinabaris foßilis* perſpicuæ. *Zincki* ſpeciem aliqui vocant, ſeu *marcaſitha aurea* ſulphure perſpicuo plenæ.

Aquila cœleſtis rubra.

Præcipitatũ cinabarinũ.

Pag. 481. Tetradis.

Cinabaris foſſilis contra vertiginem.

Hypomnema ſeu Cap. VIII.

De Mercurio vitæ.

DE hoc quidem prolixe diſſeruimus *lib. 6. cap. 9. ſyntagmatis*; ſed vt hoc loco repetamus nonnihil collatio ſententiarum, operumque facit, & annotatio eorum quæ ſubinde noua, vel auctiora occurrunt. Eſt *Mercurius vitæ tertium arcanorum Paracelſi* de quo agitur in *lib. 5. archid. tom. 6. pag. 51.* *Ait excellere reliquorum trium arcanorum* (primæ materiæ, lapidis, & tincturæ) *vires, adeo vt nullum ſimplex ipſi vim ex ſua natura habenti poßit æquiparari.* Nomen vnde acceperit facile eſt dictu, nempe ab effectu. Tribuitur enim ei *potentia transmutandi homines*, & *quaſi ad nouam vitam reducendi*, hoc eſt, reparandi, & renouandi; Et *metalla vetera in nouam eſſentiam immutandi*, vt ex ferro fiat prima materia, quæ denuo in perfectam ſubſtantiam perducatur: imo tantum ei tribuit Paracelſus, vt *pro ſolatio ſenectutis*, ad quam tamen non peruenit, dubiumque eſt num in alio vllo probauerit, vim iſtam habeat. Hunc quidem ita ſinamus. Quercetanus in *Tetrade p. 462.* terminum iſtum arbitratur deberi etiam *Aquilæ cœleſti* ex mercuriis duorum luminarium paratæ. Vt in ſyntagmate indicauimus, quidam vocant etiam *Aquilam præcipitatam*, quia vnctuoſus liquor aqua frigida deſcenditur, vti ſolet in ſolutionibus metallicis fieri. Sed huius tituli magna eſt æquiuocatio, cum detur etiam *præcipitato hæmatino, auro vitæ, præcipitato fixo*, &c. Neque vero ſine ratione ſic nuncupatur. *Aquila* enim eſt propter materiam, quæ eſt *ſublimatum argentum viuum*. *Præcipitata* vero, *propter deſcenſionem* ex deſtillatione. Cum autem modi præcipitandi non ſint ſimplices, euenit, vt nec vni rei id nomen aſſignetur. Quidam putant eſſe *Catharticum minerale* Quercetani, quem titulum ſane defendere effectu poteſt. Sed illi non eſt vnum tantum eiuſmodi. Crollius *Flores butyri antimonii* dixit, quaſi in hoc medicamine antecelleret antimonium quod ſecus videtur. *Floris* quoq; terminus Catachreſticus eſt. Nam qui verè & vniuocè flos eſt, ad ſummum emergit, non ſidit. Verum chymici nulla lege aſtricti habent etiam *deſcenſorios flores* ad imitationem puriſſimæ farinæ, quæ item flos vocari ſolet. *Cremorem* vel *butyrum* appellant in ſulphure: in Bryonia, Aro & ſimilibus *fæculam*. Sic nos *florem lactis virginei* dicimus *puriſsimam eſſentiam ex Lithargyro per acetum* *Butyrum* vero erat liquamen viſcoſum quod ex ſublimato per deſtillationem elicitur: quod aqua frigida fathiſcit & in pollinem iſtum floridum abit. Poterat & *mercurius eſſentificatus*, aut *eſſentia mercurii*, vel *ens primum* & *prima materia* dici certo quodam reſpectu: Sed diſciplinæ conſtanti conſultum eſt, vt certis rebus certa vocabula accommodata habeat, ne ſub optimorum medicamentorum titulis irrepant fraudes, quæ in arte chymica vitio impoſtorum creberrimæ occurrunt. *Mercurii eſſentificati* voce plærumque intelligunt ſublimatum ad quintæ eſſentiæ puritatem elaboratum, non eo conſilio, vt additamenta vnà veniant in eſſentiæ ius & complexum, ſed vt his poſtliminio reuocatis pura mercurii eſſentia habeatur, quæ pura eſſe ſine illis medicaminibus non poterat. Simplex ergo eſt mercurius in eſſentiam redactus: Sed *mercurius vitæ res eſt compoſita, cuius ingredientia eſſentialia ſunt argentum viuum in ſublimato contentum*, & *regulus* vel ſtella *ſtibii*, vel *eſſentia antimonii* ex ipſo quoque crudo elicita, quam alias *ens primum*, tanquam ex minera ſpiritum ſublimatione protractum appellant. Præparatio eſt per ſublimationem, deſtillationem, deſcenſionem & rectificationem, vt fiat *candidißimus quidam Pollen*, qui porro etiam *in liquorem*, & *oleum* poſſit perduci. Multum eſt in præparatione, quanquam Paracelſus ſcripſerit *vim non ex arte eſſe, ſed ex proprietate ſpecifica*, in quo ſuæ ſententiæ liberalius iuſto indulget. Eſt quidem fundamentum in diſpoſitione naturali: Sed quis alius compoſitum facit ex ſimplicibus quam artifex? Quis alius ex veneno medicinam vitæ? Quis alius quoque ad hunc ſcopum prudenter accommodat? Qui non tractat materiam, adhibetque periitè, *mor-*

Vires mercurii vitæ Paracelſi.

Aquila præcipitata alba.

Flos butyri antimonii.

Flores deſcenſorii.

Mercurius eſſentificatus.

Præparatio mercurii vitæ.

Mercurius vitæ an ab arte vim nullam habeat.

tè, *mortis non vitæ mercurium* parat, quod in *Morauia*, & alibi compertum. Non vno elaboratur modo ab omnibus, suntque vt in aliis, ita hic quoque fere tot sensus quot capita, quæ res valde implicat, incertosque reddit Alchymiæ studiosos. Primus autor creditur Paracelsus, quanquam fortasse ipse non tam autor est, quam diuulgator, qui ab aliis acceptum medicamen propagauit. Postea id repetiuerunt Penotus, Quercetanus, Crollius, &c. Est & aliquid apud Zuingerum. *In Syntagmate* propositimus modos Eduardi Iordani, Michelii & aliorum quorundam. Nuper etiam ex Rulandinis aliquid innotuit. Fere autem conueniunt Crollius, Quercetanus, Michelius, Iordanus, Paracelsus. Cæteri nonnihil mutant. *De Michelii quidem & Iordani descriptionibus, quæ sunt in Syntagmate hic nihil.* Collationis gratia repetemus cæterorum præceptiones, quod sine crimine tautologiæ & transcriptionis fieri posse putamus, quamuis *stellionibus Paracelsicis*, qui semper noui aliquid captant, nec dum vetera vnquam cognouerunt, non placeamus. Odiosum certe est allegationes persequi, cum quod volumus compendio possit sisti, & produci.

Varietas faciendi mercurium vitæ.

Qui interpretationis & doctrinæ caussa ex autoribus prioribus aliquid repetit & illustrat non est accusandus vitii.

Paracelsi hoc est. Cape mercurium essentificatum. *Separa purum ab impuro, sublatis omnibus nimirum superfluitatibus. Deinde sublima ipsum cum antimonio, vt vtrumque ascendat & vniatur. Solue in marmore. Coagula. Repete hoc quartum.* Iam habes mercurium vitæ. Ita *in quinto Archidoxos* Hic quæritur 1. *Quis sit ille essentificatus*, & quæ ratio in essentiam perducendi. Neque enim est vnus modus, & proponitur sublimatio, præcipitatio, aliæque elaborationes quæ essentiæ dicuntur inseruire. Vidimus qui iuberet *in primum Ens perducere, accepto minerali mercurii.* Id autem est *minium natiuum*, seu cinabaris fossilis. *Primum Ens* vocatur spiritus, qui per sublimationem ex mineris (marcasithis, Zinkiis, venis, &c.) elicitur, quanquam Paracelsus tradat eandem methodum primi entis mercurii, auri, & antimonii, quæ est *pulueratam mineram cum quadruplo salis circulati in fimo digerere vt in aquam abeat, qua separata in lapidem cogatur, indeque spiritu vini extrahatur, & separato hoc vicißim coaguletur: quod coagulum deliquio in aquam deducatur, quæ per mensem digesta, fit primum Ens mercurii.* Hoc si sumendum, facile vides quantum operis requirat præceptio Paracelsi, quantumque huius mercurius vitæ distet ab aliorum. 2. *Quæritur de Antimonio*, sitne crudum, an essentiale capiendum; & erat fortasse item eius minera in primum ens redigenda, vt ex duobus essentificatis fieret tertium. 3. *Suntne liquida, an sicca iungenda?* Nam solemus & liquida in sublimationibus componere, vt eo melius vniantur, posteaque extractis spiritibus humidis, siccos eleuare. Si non sumseris essentialia & ad salis naturam perducta, quomodo soluentur in marmore, per deliquium? Hinc factum credimus vt sublimatus sit prius à sale communi, vel halonitro, vel sale ammoniaco: aut sale & vitriolo, vel alumine mercurius, vt ope salium deliquescat. At Paracelsus vult ante compositionem debere institui separationem omnis superflui. Id quidem fit sublimatione: Sed vt postea super marmore liquescat sublimatum repurgatum à superfluis, & cum stibio exaltatum, non videtur ita simplex esse. 4. *Dum perficitur ille mercurius quarta* solutione, & coagulatione, argumento est, posteriores Paracelso, *non mercurium vitæ vniuocum, sed æquiuocum architectari*, id quod tamen in chirurgia vetuit ipsorum magister. Conferamus ergo primum, quæ scripsit titulo mercurii huius Quercetanus.

Mercurius vitæ Paracelsi.

Primum ens mercurii.

Paracelsi sequaces non retinent Paracelsi mercurium vitæ.

Is *in consilio de lue venerea* ait: *Fit & mercurius vitæ, quem vocant: qui non ex mercurio vulgari sed ex præcipuis metallis extrahitur, opere artificum nouitiis incognito.* Ecce tibi. Dissentit statim à Paracelso ipsa materia. Nam quæ sunt præcipua metalla, nisi aurum & argentum, siue cruda, siue excocta? Si hic est mercurius vitæ, *non Paracelsi* est, sed *Quercetani*, qui sane alias suam *aquilam cœlestem mutat in vitæ mercurium* accessione auri, vel argenti. *In Pharmacopœia pag. 335. circa finem capitis* 16. ita habet: *Docemus preparationem mercurii NOSTRI vitæ, in nostra Tetrade. Nostri* ait, ne putes Paracelsi esse. Descriptio est ita: *Preparatur ex duabus substantiis metallicis, quarum vna sumitur ex Regulo magnesiæ: altera ex mercurio eiusdemmet magnesiæ in meteoron redacto æqualiter mixtis: ex quibus extrahatur vi ignis per retortam liquor gummosus, qui præcipitatur in aquam frigidam in forma cremoris, seu floris lactis; qui optime à sua aciditate pluribus ablutionibus edulcatus, in puluerem niuei coloris conuertitur.* Hæc præparatio est, sed tyroni obscura. Videamus, quid *in Tetrade* ponat, quoniam inde repetit. *Ex hoc mercuriali liquore* (inquit pag. 472 *circa alterius dissoluentis solaris, aut lunaris additionem fit præcipitationis artificio puluis etiam candidus, quem nonnulli mercurium vitæ vocant; qui optime præparatus dulce fit vomitiuum & solutiuum medicamentum*, &c.

Mercurius vitæ Quercetani.

Primus merc. vitæ Querc.

Secundus ☿ vitæ Querc.

Tertius mercurius vitæ Querc.

Hic nec sublimatum, nec stibium ascisit, sed liquorem mercurialem, cuius descriptio est *in Panacea pag. 398.* nec quicquam est aliud, quam *vna pars argenti viui sublimati in essentiam crystallinam vitri Veneti æmulam, soluta in tribus partibus liquoris ex sale ammoniaco per calcem viuam*, vt ibi præcipitur, *fixo. In Alexicaco pag. 470.* hæc ponuntur: *Mercurius vitæ primum inter prædicta purgatiua specifica gradum obtinet:* Ille autem eo modo conficitur: *Duæ hydrargyri partes in meteoron modo communi redactæ cum vna parte metallinæ stellatæ, & magnesiæ saturninæ, quæ omnibus metallis ad debitam proportionem sit impregnata, permiscentur omnia in puluerem reducuntur: redacta simul commiscentur, & in cornueam subito coniiciuntur: alias enim sic momento citius isthæc incalescerent atque fumarent, vt ne manum quidem liceret admouere. Dein accenso igne per gradus liquor tandem gummosus destillabit cum portione aliqua mercurii currentis, qui facile separari poterit, & seorsim ad alios vsus reseruari. Est enim mercurius Philosophicus. Gummosus autem liquor in aqua frigida in oculi momento præcipitatur in puluerem niuis instar candidißimum, qui plurîes abluendus, donec planè dulcescat.*

Liquor mercurialis.

Quartus merc. vitæ Querc.

Ex aqua vitriolica aciditate impregnata verum spiritum vitrioli antepilepticum verus chymicus eliciet. Puluis iste candidus iuxta præscriptum artis ad ignem lentum exiccetur, quem tandem cum spiritu vini, aut aqua vitæ semperi accensa circulare & fixare poteris. Hæc in Alexicaco.

Spir. vitrioli antepilepticus verus.

Hunc

Diſcrimen inter primū & II. Merc. vitæ Querc.

Hunc quartum mercurium vitæ Quercetani dicimus, differentem à ſecundo 1. quia ibi tantum duæ ſubſtantiæ ſumuntur, ſublimatum & regulus: hîc tres, ſublimatum, regulus, & *magneſia Saturnina hoc eſt ſtibium.* 2. Ibi ſublimatum fit ex mercurio ſtibii: hîc eſt vulgare ſublimatum. 3. Magneſia Saturnina hîc debet impræגnata eſſe iuſta proportione omnium metallorum, quod ibi non requirebatur. 4. Ibi æquales miſcebantur: hic inæquales, duæ ſcilicet ſublimati, & vna ſtellæ & antimonii. 5. Ibi puluis minus eſt elaboratus: hic elaboratior. Veruntamen duo iſti modi conciliari poſſunt ſi dicamus, Quercetanum mercurium vulgi rectè præparatum, & extractum ex ſtibio perinde accepiſſe. Rectè autem paratum cenſet eum qui ex cinabari reducitur. Deinde ſtella, regulus, & antimonium metallis impræגnatum poſſunt pro eodem eſſe, ita vt dum regulum facimus, & hunc in ſtellam mutamus ex magneſia Saturnina, id eſt, crudi ſtibii vena ita procedamus, vt in colliquatione adhibeamus metalla more Suctenii: vel ſumamus eam venam ſtibii quæ eſt matrix metallorum iam iuſta proportione à natura commiſtorum. Sane ſi arte velimus excoctum aurum miſcere inter liquandum nihil egregii obtinuerimus, quod aurum integrum & illæſum maneat in antimonio. Ideo in vena ſumendum eſt. Ea vero eſt ſtibium ipſum. Elaboratio in ſecundo videtur abrupta eſſe, in quarto integra data. Ita redigentur quatuor mercurii vitæ ad tres tantum. Iam confer iſtos cum Paracelſico. Diſcrimen facile apparebit. Quater repetita ſolutio & coagulatio videtur hic compenſari præcipitatione; qua ſi vti nolimus, itidem poſſumus coagulationem, & ſolutionem tantum adhibere. Mirum autem *Paracelſiſtarum iſti Deo* non ſuccurriſſe compendium iſtud, quod tamen ignoraſſe dicere velle nefas eſt in auribus Paracelſiſtarum. Quercetani modo ferè reſpondet ſequens: *Pulueris ſtibii ℥iiij. Sublimati hydrargyri cryſtallini duplum. Miſta deſtilla ex retorta in ampullam aqua communi ſemiplenam. Da ignem per gradus. Gumma adhærens collo vaſis viua pruna admota cautè ſoluatur, vt in aquam defluat. Auge ſenſim ignem, donec exeat humor rubens. Mutato tunc recipiente ignem intende per horam vnam atque alteram, vt in collum retortæ cinabaris eleuetur. In aqua inuenies album puluerem. Hunc aqua ſeparata dulcifica digerendo cum aq. dulci deſtillata, quæ ſæpe eſt mutanda, & tandem aqua cordialis affundenda, qua iterum abſtracta calx leniſſime ſiccatur.* Datur in aſſo pomo de bilibus gran. i. vel ij. vel iij. Robuſtis 4. vel 5. *ad febres, peſtem,* &c. Aqua recipientis vtuntur ad *coralia,* & *perlas* ſoluendas, quod nobis eſt inconueniens, nec conſultum.

Crollii mercurius vitæ, titulo Florii Butyri Antimonii.

Sed quid tu CROLLI? Primum ingratum tibi fuiſſe titulum mercurii vitæ apparet. Qua vero de cauſſa? *Deſtillatum liquorem,* inquis, *vulgo vocant MERCVRIVM VITAE, cum tamen ſit ſumme corroſiuus:* Et fuerunt quidam ita temerarii qui cum illo impune *luſerunt de corio humano.* Benè.

Mercurius vitæ Paracelſi odio dignus.

Abuſus ſtultorum adeo inuiſum fecit medicamentum, vt aures ſapientum auditum titulum ſtatim faſtidiant, & medicinam execrentur. Ideo aliud nomen excogitandum eſt, vt re forte ſeruata (Quidenim impoſtoribus Paracelſicis inauſum?) vox placeat. Sed ſi liquor ille ſtillatitius eſt *ſumme corroſiuus,* an non eiuſdem criminis reus eſt etiam Paracelſi mercurius & aurum potabile? Si peccatum eſt temeritate, quo auctore niſi Paracelſo? Is iuſſit *mercurium eſſentificatum* ab impuritatibus ſeparatum capere.

Eſſentificatum argentum viuum.

Quid aliud accipitur, quam *ſublimatum purum?* Id enim Paracelſiſtæ *eſſentificatum* vocant, *ſi cryſtalli inſtar pelluceat.* Hæc eſt philoſophica eius præparatio, cuius reductio Quercetano exhibet mercurium philoſophorum. Iam adde ei antimonium. Sapientiores regulum acceperunt, vel ſtellam: alii crudum, & fortaſſe Paracelſiæ conuenientius ſi venam, quia in his *ſumma arcana ille recondita* agnoſcit. Sublimentur. Quid quæſo fit? Compoſitum vnum ex vtriſque. Num perdit ſublimatus ſuum virus? Neutiquam vna ſublimatione; & eſt fortaſſe Paracelſus hic occultior quam vt à diſcipulis ſit intellectus. Porro quid fit? Soluitur & coagulatur quater. At hæc operatio ſubtilius facit venenum, non tollit.

Paracelſus autor venenandi.

Quidni ergo Paracelſus ſuis ſociis dederit venenandi anſam? Sed tu perge. *Antimonii Vngarici & ſublimati mercurii capis libras ſingulas.* Nihil hic de regulo, ſtella, mercurio eſſentificato, cryſtallino; Quid ni intelligamus iſta vti ſonant verba? Quercetano cruda diſplicebant procul dubio non bonis exemplis. *Terantur iſta* (inquis: nempe ſeorſim:) *Miſceantur diligenter* (Hoc Quercetanus ſatis declarauit) *& in retorta vitrea luto obducta in arena mediocri igne diſtillentur* (per gradus tamen)

Glacies mercurialis.

Tunc liquor inſtar butyri, ſeu glaciei (nam aliqua, cum adhuc nonnihil calet, liquaminis & vnguenti inſtar eſt: aliqua glaciem repræſentat, quam Quercetanus miratur inter calores conſiſtere) *egreditur. Si in collo retortæ concreſcit,* vt ſæpe, *admota pruna liqueſcat. (a) Si aqua calida* (frigida aliis: Sed perinde eſt. Neque enim deſcenſio fit frigoris, vel caloris merito, ſed refractionis acrimoniæ, & coagulationis, partim diſſipationis ſpirituum) *illi affundatur: Salia corroſiua* (vitrioli & ſalis) *reſoluuntur, & flores albi petunt fundum; qui diligentiſſime ab omni ſalſedine* (etiam aciditate) *multoties aqua calida* (ſtillatitia dulci, & quidem actu calida, ne quid de eſſentia pereat) *edulcorandi.* Ille puluis ſiccus ſeruetur ad vſum medicum.

Zuingeri mercurius vitæ.

Qui *butyrum illud antimoniale prius volet rectificare* (per deſtillationem repetitam, quam plærique exigunt) *ei liberum eſto. Ita enim habebit flores candidiores* (imo non tanti eſt candor quam ab hærentibus fecibus ſeparatio, & attenuatio, exaltatioque virtutis.)

Nota varietatem iudicii autorum qua medicamentum iſtud ſuſpectum reddit, ne facile credas ampullis Paracelſicis.

Hæc de præparatione Crollius, qui item à Paracelſo, Principe ſcilicet ſuo, diſceſſit, dum non vniuit vtrumque ſublimatione, nec deliquio ſoluit, coagulauitque ſæpius ſublimatum. Diſceſſerunt & Iordanus & Michelius, quorum vterque habet aliquid ſingulare, de quo in ſyntagmate. *Zuingerus ſequitur Crollii propoſitionem in ſumendis æqualibus, & deſtillando per retortam more aquarum fortium.* De butyro in collo hærente monet eſſe *ſubſtantiam Diaphoreticam diſtinctam à cryſtallina glacie.* Sed ſi corroſiuus eſt liquor iuxta Crollium, ita ne ſit diaphoreticus? *Ex glacie* deſtillat *oleum cauſticum.* Hoc præcipitat in aquam calentem, conſequiturque ſedimentum album, à quo aquam effundit. Ipſum vero ſpiritu vini edulcorat *pro vomitino. Si velis purgatiuum, infundit vino generoſo,* & digeſtione præmiſſa deſtillat ad oleoſitatem, vt *ſit liquor purgans.* Ita ne Zvvingerus quidem eſt Paracelſicus.

Penoti mercurius vitæ vel febrifugum.

Penotus etiam vlterius quam [illegible]ingerus proceſſit. *Febrifugam enim facit ex ſublimati ſepties libra vna, & ſtibii dimidia: conterit: commiſcet; in retortam luto armatam indit: Igni lento initio deſtillat, quem gradatim auget, vt in aquis fortibus. Butyrum exceptum ex receptaculo ſoluit deli-*

quio

quito in oleum, quod rectificat destillando ex humili retorta cum alembico in cineribus vt exeat primum liquor clarus: deinde aucto igni oleum medium inter rubrum & citrinum à quo translato in aliam cucurbitam destillat phlegma vt oleum rubrum in fundo maneat. Si hic vellet puluerem album consequi, posset id quoque per præcipitationem. Sed porro *adhibet oleum ad essentiam quandam cum auro & tinctura vitrioli veneris compositam*, vti videre potes apud ipsum in denario. *In chymicis pag.174.* mercurii sublimati duas, reguli vnam partem capit, & destillat aquam primam *ad scrofulas:* Secundam lacteam *ad pestem carcinomata, luem veneream febres.* &c. & quod mirum sic factam audet propinare. Vnde videtur eum Crollius notasse, vel potius istos, qui nimis concise loquentem litera tenus sequuntur. *Si ter rectificetur, putat mirabilium effectorum operatricem fore.* Sed audiamus & Rulandum nostrum, qui policetur nobis optimum vitæ mercurium. *Antimonii crudi puluerati quantum placet, imbibe spiritu salis, & per triduum in loco calido digere. Deinde mitte in retortam. Pelle primum lento postea forti, tandem vehementi igne. Exibit primum liquor aqueus. Cum videbis guttas ponderosas, & crystallinas in recipientem cadentes, muta receptaculum, & ignem auge. Ex antimonio habebis partim oleum, partim crystallos. Hos misce cum oleo. Immitte in retortam vitream. Destilla. Accipies oleum pellucidum. Cape hoc oleum. Adde ei parem quantitatem argenti viui sine vitriolo sublimati. Digere. Destilla per retortam. Exibit oleum subflauum. Rectifica hoc destillatione secunda ex retorta. Oleum erit limpidissimum. Hoc proiice in spiritum vini euadet puluis albus, cuius dosis est gran. iij. vel iiij. Adiumentum est promptissimum ad morbos venereos, podagram, lentiginem, cutaneos omnes. Datur cum aliqua conserua (vt Rosarum, &c.) ad sudandũ sub operimento lectuli.* Hactenus Rulandus. Nos in aduersariis nostris habemus etiam *alios modos.* Ex istis est hic quoque: *Argenti viui sublimati Therialalis, quod sit expers veneni: vel præcipitati* (probamus maximè aquilam cœlestem dulcem) *lib. 1. stellæ antimonii puluerata, & spiritu vini alcalisato aliquoties correcta* (spiritus vini alcalisatus affundi debet: digeri, abstrahi destillando: nouus suffundi, & sic pergi ad placitum) *lib. ß. Sachari candi tres vnciæ, commisceantur ita vt primo loco sacharum cum stella trita teratur in marmore, deinde per se crystallinum sublimatum dulce, aut optimum præcipitatum immisceatur.*

Penotus ol. mercurii vita auro tingit.
Penotus dat aquam lacteam sublimati ad internos morbos: preclude bio non sine correctione accurata.
Optimus mercurius vita Rulandi.
Crystalli antimonii.
Sublimatũ sine vitriolo magis placet in vita mercurio.

Ita enim cauetur periculum, quod est à venenato sublimato. *Commista irrigentur vino alcalisato, & digerantur horis 24. loco calente. Deinde inclusa retorta destillentur in ampullam amplam, vt solent aquæ gradatoriæ. Insumuntur ferè horæ XII. graduatim destillando. Sine postea refrigescere. In collo retortæ inuenies vnguentum, quod tamen si velit ante finem obstruere meatum, cinere feruente, aut arena calente rostro lutato imposito promouebis. Est instar olei nucista expressitia: quod posses dare cum decocto Zedoariæ, & ligni pondere gran. 1. sed satius est id rectificare. Mitte ergo in aquam stillatitiam Guaiaci, & cum ea relinque horis 24; Deinde abstrahe aquam; & consequenter oleum per gradus ignis vltimo dando violentum. Oleum autem seorsim excipe, idque primum descensorie præcipita per spiritum halonitri, aut tartari:* (b) *postea edulcora per aquam albuminum.* Hoc medicamen vtiliter adhibebitur *Gallicanis* breui sanandis. Fit ista arte etiam *sanguis antimonii; aqua glacialis, sal fusilis, soluens auri & tincturam abstrahens;* sed ista sufficiunt pro mercurio vitæ.

Mercurius vita diuersus.

Videamus iam, an noster Tyro possit aliquid, quod vindice dignum sit, requirere, & quidem poscimus latinæ linguæ, & terminorum artis gnarum, quorum vtrumque cum *stelliones Paracelsici, qui Germanice, Gallicè, vel Italicè cornicari tantum didicerunt*, nnoquam sint consecuti, euenit vt nostra vituperent. Sed ad coruos, aut anticyras illos. *Quercetani loquendi genus perplexum* & obscurum maxime videtur, non quidem ideo quasi artem bonis inuideret, sed vt iudices, cum quibus litem habuit, luderet ipsisque inscitiam exprobraret; indignos vero & stultos Paracelsistas tanquam hiantes coruos deciperet.

Explicatio quorundam terminorum in modu.
Perplexitates Quercetani.

Primus modus requirit *mercurium ex præcipuis metallis auro, & argento.* Hi vt extrahantur docuimus in syntagmate, quanquam sit etiam *modus alius per stibium, alius per amalgamationes.* Cape *mercurium aliquem ex his. Solue suis soluentibus, de quibus in menstruis & alibi. Solutiones descende per oleum antimonii.* Nam ad mercurium vitæ, vtrumque coniungendum est: licet putemus, Quercetano etiam aliam mentem fuisse, quarto modo expressius dictam: *Præcipitatam sic aquilam ablue dulcibus aquis stillatitiis calentibus, atque etiam spiritu vini super ipsa accenso.* In secundo modo nominatur Regulus. Hunc ex antimonio fieri discis in Alchymia & syntagmate. *Magnesia* est stibium. Cum apponitur *SATVRNINA*, intellige *plumbeum & crudum antimonium* vt ex mineta effoditur, ferax metallorum pene omniũ. (c) Est tale antimonium Galenæ plumbi adeo cognatum vt vix possis discernere, imò vnà sæpissime fodiuntur, & regulus etiam per salem plumbi facile in plumbum abit. Non tamen id stibium accipimus quod est plumbatum, sed potius quod auratum, nisi elaborare placeat ad instar essentiæ plumbeæ. Si venam capimus, per alueolum diligenter eluimus vt leuis fuligo abscedat. *Mercurius magnesiæ fit ex stibii regulo,* arte *Valentini* de qua alibi: *In meteoron redigi,* vel meteorizari, est sublimati, quod fit adminiculo salis, & vitrioli, vel aluminis. Cætera sunt manifesta si intelligis commistionis rationem, quæ in quarto modo liquidè exponitur.

Primus modus Quercetani expositus.
Magnesia saturnina:

Tertius modus item est dilucidus. Si eo modo velis mercurium vitæ facere, sublimatum essentiale quidem solues liquore salis ammoniaci fixi: Sed solutum præcipitabis spiritu halinitri, vel salis tartari liquore, quanquam possis etiam aqua simplici. Quod si ad partes essentiales respicias, mercurius vitæ non erit sine antimonii. *Solue ergo regulum spiritu salis, & postea misce solutionem aqua mercuriali: vel oleum antimonii confunde cum mercuriali aqua, & deinde destilla; rectifica, edulcora.* In quarto modo *metallina stellata* est stella antimonii quæ metallum refert. De magnesia impregnata sæpius diximus. Reliqua sunt perspicua. Quod putat *verum vitrioli spiritum elici ex aqua præcipitationis destillati,* dubium habet, & videndum ne impostoribus ansa fallendi præbeatur. Zuingerus ista aqua vtebatur *ad soluenda coralia,* quanquam & ad hæc satius sit succis berberum, limonum, acetove stillatitio contentum esse.

Ex vitriolo & salē com. forti igne item butyracea seu crassi olei instar materia elicitur.

Ad quæ faciat mercurius vitæ.

Stupenda.

Chronici morbi.

Rulandi sublimatus debet sine vitriolo esse. Ideovel ex solo sale vel sale & alumine sublimandum argentum viuum: ni cinabatis intelligenda sit. *In Crollii descriptione* quæri potest *cur Antimoniale* potias, quam *mercuriale butyrum* vocet. Num inuidia nominis? Est tamen vt ex stibio quoque crassum quod exeat, sed ex sublimato mercutio verius cuius est & glacies. Restat *quæstio de dosi & vsu.* Hunc debere esse peritum & prudentem, non temerarium, qualem empirici indocti passim sine iudicio inculcant, satis testantur *mercurii mortiferi historia*, cumque medicamentum recte præparatum dicatur esse *nobilissimum*, tanto plus periculi subetit, quanto agilius & actuosius præclatiusque plum. *Omne enim Pharmacum præstabile simul est actuosum, cum omnis virtutis laus in actione consistat.* Quoniam autem medicinæ vel per se iuuant nocentve, vel per accidens, *adiumentum mercurii vitæ per se est in purgando vomitu, aut secessu*, aut vtroque, quanquam id faciat *irritando naturam*, & materias expediendo potius quam eo modo quo agunt vegetabilia, vel saltem agere existimantur ab Hippocrate. Per accidens perhibetur *renouare, confortare, instaurare*, & alia *stupendo* modo perficere. Ex consequente, quia singularis est modus in purgando & alterando simul dicitur tollere *omnem morbum ex cacochymia*, præsertim chronica: quippe quod *chronicis affectibus mineralia maxime conueniant.* Ideo nominatim exprimuntur *lues venerea* cum symptomatibus, vt nodis, tuberculis, doloribus, &c. Deinde *morbi articulares*: Insuper *fœditates cutis*: Præterea *pestis* & omne contagium cum putredine. Hinc *febres putridæ, Asthma, cancer, lepra, Hydrops*, & alia. Paracelsus *renouationem in metallis, vegetalibus, & animalibus* ei tribuit, qui sibi inde frustra senectam policitus est. Eum secutus est Palmarius vt Quercetanus *in Alexicaco pag.* 466. scribit. *Dosis est discreta* pro præparationis industria. Michelii modus habet dosin à gran. 4. ad 9. Iordani à gran. j. ad ij. Penotus etiam dimidium tantum granum exhibet Rulandus tria vel quatuor. Quercetani modus tertius *vno grano linguæ tantum admoto vomitum ciet*: Vnde æstimare violentiam licet. Sed modus ii 4. & 5. grana tolerat: Ita & quartus. Dant plerique *cum conserua rosacea in substantia*: vel *in tabulis ex sacharo*. Interdum & *infusum* in vino, aqua, &c. pro affectu patientis. Nonnunquam *cerasio condito* infercitur puluis: vel datur cum *medulla pomi assi*, aut *pulpa prunorum*, &c.

Pil. benedictæ Querc.

Vnis pilulis omnes cæteras cum toto purgantium pharmacopolio exulatum mitti.

Laudat *pilulas suas polychrestas* propter *admirandas* virtutes, vti loquitur Quercetanus *pag.* 298. *suæ pharmacopœiæ*, additoque *parte vitæ mercurio* conficit quas *Benedictas* appellat à *stupendis in lue venerea* effectis, etiam cum *cancer, pustulæ, nodi, dolores* assunt; operando *sine vomitu & syalismo* aut conturbatione tantum per *diuresin* interdum quæ soleat esse vera in istis affectibus *crisis*, si continuetur vsus in dies per dies 15. vel 20. etiam à *pueris*, & *mulieribus grauidis*. Non dubitat producere posse eius rei *infinitos testes*, idemque secum asserturos omnes veros & sapientes medicos, propter *admirandas mercurii* virtutes. Libenter credimus viro docto & perito, si demas hyperbolas à paracelsi admiratione tractas. Sed veremur vt in manu aliorum, inque Germania tantum polleant, & sint suspectæ nobis laudes immodicæ Paracelsistarum. Quod si respondet experientia, *quantum pyxidum pilularum possumus ex officina profligare*? Si succurrunt diuersis *maniacis & melancholicis* affectibus, sanantque *quartanas, psoram, lepram, cancrum, morbumque catholicum* Hispanorum, & totam massam sanguineam expurgant dosi scrupulari, vel semidrachmæ sine mercurio vitæ *ex cremore tartari, polypodio, senna Turpetho, elleboro* nigro, *Epithymo, myrrha, essentia aloës scammonii, Rhabarbari, senna, Alhandali*, quantum poterunt pati omnibus adiecto vitæ mercurio?

Pag. 297. 298.

Antipodagrica Quercetani:

Antipodagrica considerati.

In consilio de *arthritide & calculo pag.* 315. præstantissimam omnium aquam *antipodagricam* facit *ex fontana simplici, in qua aliquoties extinguit quædam metalla, adiicitque duas substantias metallicas, quæ rite præparata vel per os dari solent, & quarum spiritus aquæ impressi vim ei tribuant penetrandi ad radices vsque morbi, vere resoluendi, vacuandique materias gypseas, tartareas, salsas in iuncturis concretas*: vide & cætera *pag.* 316. *pag.* 317. vult ea præstari beneficio salis quem metallica ista in se contineant; quique aquæ imprimatur per macerationem, & infusionem, &c. Si licet diuinare, aqua fontana subiectum est potestatum receptiuum. Metalla, quæ in ea extinguuntur sunt *æs & ferrum* aut venæ horum, vel recrementa dum fornacibus excoquuntur. Duæ substantiæ metallicæ sunt. *Mercurii vitæ partes constitutiuæ*, vna, *sublimatum* ex sale, alumine (vel vitriolo, quod Rulandus in suo reiecit vtpote qui alumen prætulit propter acrimoniam, & vim corrosiuam vitrioli maiorem) & argento vino: *altera stella*, vel *regulus antimonii*, vel etiam minera antimonii; quæ duæ partes siue per sublimationem, vt in Hochryso Quercetani, vniuntur, siue per destillationem, vt in mercurio vitæ, & Polychresto. *Mercurius ergo vitæ maceratus aqua extinctionis superiore confert ei vim diuinam in nodosa podagra*, quam alias ab antiquo negant medicinis cedere. (*d*) In pharmacopœa *pag.* 101. *& seq. tres podagricas* proponit, quarum *prima ex metallicis* habet vitriolum, salem fusum, alumen, quæ cum aquis è spermate ranarum Tapsibarbati (semperuiuii maioris) filicis, vrina pueri œnopotæ, & Theriaca destillantur, cui destillato additur sal ex colcotare: *Secunda* tantum est aqua stillatitia ex foliis & floribus sambuci: *Tertia pro aqua Martini Rulandi à Germano quodam data est*, quæ ex mineralibus capit salem fusum, & phlegma vitrioli, alias destillata ex spiritu vini, melle, Terebinthina castoreo, Tartaro, lixiuio sarmentitio, vt est pag. 163. Sed *istis omnibus aquis præcellit prima ex mercurii vitæ infuso, quæ non iniuria optima dicitur.* Rulandinam quod attinet, scimus *Martino Rulando patri diuersas esse attributas*, & ipse fortasse, vt solicitatores compesceret varia obiecta offa à se dimisit. In vna erat aqua aurifabrorum mortificata, seu terpressa: cum aliqua parte aquæ causticæ irrefractæ & decocto chamæmeli, & meliloti. Addebatur aliquando *succus myrtillorum*, & *solutio argenti viui sublimati*. Decoctum fiebat ex *aqua extinctionis ferri*, aut *calcis antimonii*.

Rulandi aq. antipodagrica.

Alte-

Alteram descriptam exhibuit, *capientem aqua terra sancta* (Ea est semiuitrificata calx antimonii, vel etiam vitrum ipsum. Duo enim specimina ipse ad nos misit: Tertium à filio accepimus speciè calcis albæ (e) *lib. 1. aqua martis* (quæ non tam extinctione videtur fieri quàm solutione ferri in aqua forti, vel simili, affusa fontana copiosa vt in descensoria aurifabrorum) *lib. 2. liquoris mercurii* (vitæ, vel similis. Alias solutio sublimati est in aqua fontana, vel aliqua destillata apud Alexium) *semunciam: croci metallorum drachmam, quæ commista sunt coquenda, & vase vitreo seruanda.* Inquirebamus aliquando de hac compositione apud filium. *Is scriptis literis negabat crocum metallorum accedere. In Alexicaco contra Oberndorferum pag. 34.* repudiat *tum eam, quam à Mentzelio acceperat Oberndorferus*; estque illa à nobis quoque reposita paulo antè, tum *Libauianam*, & *Quercetanaam*, quæ diuinando partim, partim etiam publica fama, & ipsius aquæ resolutionibus, viribusque credebantur Rulandinæ esse. Non peccatum ea in re opinamur, & stochasmum nostrum non omnino à scopo aberrasse, quanquam ingeniosus autor, cum videt sua inuenta, quæ cupit clam omnibus esse, fieri palam, facilè possit aliud quid comminisci, & instar Protei in diuersas formas se mutare. *Pag. 330. Pharmacopœa* Quercetanus alia vtitur coniectura. Aquam Rulandi *vomitiuam, & catharticam, diaphoreticamque* conijcit esse *infusum croci metallorum in vino, aqua carduibenedicti* vel simili liquore, quam ipse imitatur *Pag. 107. & 108.* faciendo *crocum ex vitro antimonii per halonitrum sulphure purgatum*, & deinde *infundendo istum aq. carduiben. vel cinamomi*: Vide quæ ibi commentatur. De hac aqua loquemur in Antimonii medicinis. *Aquam terra sancta* vomitiuam sudatiuamque & spiritum aureum similiter emeticum & catharticum iudicat ex mercurio & antimonio ritè præparatis, id est, mercurio vitæ vel affini aliquo esse, quod vires respondeant. Sed nos ex patre vti & filio cognouimus *aquam benedictam & terra sancta esse eandem, nempe stibii calcinati vel cremati aut vitrificati purgantisque infusum: spiritum aureum* fieri ex *spiritu vini, & Trochiscis alhandali*, quod & gustus ipse probat: *Crocus metallorum à terra sancta non differt materia, sed elaboratione & colore.*

Alia coniectura Quercetani de Rulandinis.

(a) *Ante annos 30. annotauit Rubeus ex stibii vna, & sublimati duabus libris per retortam destillari chirurgicum liquorem ad vulnera malignaque vlcera, qui & sit escharoticus: In destillando totam retortam cineribus calentibus esse obruendam, ne oleum gelascat. Si huic (ille feces ponit) spiritum vini affundas, factaque digestione destilles, oleum diuersum consequaris. Nimirum tunc præcipitatio erat secretior & vsus medicina externus apud bonos.*

(b) *Si aqua dulci aut saltem sale acriata fieret, medicamentum foret tutius.*

(c) *Est quidam modus loquendi Quercetano proprius: Magnesiam saturninam imprægnari planetis omnibus. Huius sententia est duplex: vna explicatur in expositione termini crocus metallorum: altera tum ex aliis arcanis dilucida est, tum ex antidoto Theodoro in Tetrad. p. 409. vbi hac: Iunge iusto & debito pondere, mensura, proportione & ordine sex inferiores planetas terrestres cum sublimiori sphæra stellata saturnina tanquam cum cæterorum prima radice, vt vna bene amalgamentur, & philosophice calcinentur. Hæc translata sunt ex Suctonio, aut saltem ibi declarationem habent. Potentia enim sex metalla in regulo dicuntur esse, quæ in actum educuntur per animas singulorum. Deinde quomodo in argento viuo concurrant, ibidem habes.*

(d) *Imitor: Cape aquam præmissoriam descensionis mercurii vitæ. Adde aquam meliloti, in qua extinctum sit ferrum. Misce pro gradu morbi & loci affecti teneritudine.*

(e) *Quod pater misit, est antimonium vstum, & fit, si salis com. & halonitri pares misceas cum pari antimonio, & in crusibilo tecto saltem spiraculo relicto reuerberes, donec totum vas excandescat. Sal incumbit regulo, cuius aspectus est quasi lapis metallicus ferrugineus opacus: decusso sale regulum tollige.*

CAPVT IX.

De mercurio vitæ cognatis quibusdam aut etiam ex eo eductis.

CVm Crollius praxin, seu modum præparandorum florum ex Antimonii butyro, vel potius ex mercuriato stibio (nam ex stibio per se alios flores fieri notissimum est) finisset, addidit *de oleo*, cuius tamen conficiendi rationē non indicauit, inquiens: *Num in chymia aliquid præstare possit hoc oleum, iudicent ii qui illud cum auro radicaliter soluto fermentare, & per rotam philosophicam secundum artem requisitam deducere norunt.* Hæc ille. Videtur innuere esse quosdam qui ex mercuriali butyro oleum faciant, quod habeant pro mercurio philosophorum, cui si aurum adiiciatur, sperent solutionem & coagulationem illam sæpius repetendam, quam in magisterio lapidis requiri monent sapientes, vt tandem ex oleo isto & auro fiat tinctura imperfectorum metallorum perfectiua. Indicatur ergo *philosophici mercurii vim & essentiam esse in argento viuo sublimato*, cumque vt Suctenius *in lib. 2. de antimonio* retulit, in stibio quoque, tanquam matrice & minera solis natiua, sit vis & tinctura auri, seu primum ens, primaque materia, per quam in actum per mercurium viuum productam, aurum naturaliter consummatum possit item in primam materiam reduci (siquidem non est absurda ratio; *si ex auro fieri debet materia prima quæ porro per artem moueatur, & plus quàm perfecta virtute ad alia in sui naturā mutanda donetur: id optime præstari per materiam primam iam actum auro homogeneum habentem: Simile enim in sui naturam familiare vertit: natura gaudet natura; natura naturam mutat, &c. materiam autem aurificam primam in antimonio aurifico esse, idque potentia, ex qua nisi per familiare actum iam habens nequeat produci,*

Querc. obscure attingit materiam maioris artificii seu lapidis phil.

An stibium iungendum sit argento viuo in aurificio.

actum autem habere argentum viuum auro cognatissimum, si ita elaboratum sit, vt spirituale, & quintæ essentiæ affine euaserit) ideo stibium coniungendum esse argento viuo ad metallicam naturam per sublimationem, qua simul ex chalcantho & sale duorum principiorum salis & sulphuris inuisibilis, atque adeo ignis interni vim accipiat, adducto, & spirituali remotis superfluitatibus ad penetrandum facto, quin simul fixionis veræ primordio donato, vt sit in eo omne artis momentum ratione superiorum & inferiorum, fixi & volatici. Hanc coniecturam secuti alii eo modo mercurium vitæ præparauerunt, quem in syntagmate ad mentem Eduardi Iordani proposuimus. *Ex præparato oleum destillationibus repetitis ad tincturam ex auro extrahendam elicuerunt.* Basilius quoque Valentinus istum processum obseruauit pag. 203. & 204. currus sui *pellucidum sublimatum pari stibio iungendo, conterendo, destillandoque per retortam validam tertia vice vt prodeat liquor albus, consistens glaciei vel concreti butyri instar, qui denuo destillatus & per vini spiritum rectificatus in oleum sanguineum mutetur.* Et pag. 228. *ex regulo, & lapideo serpente* (sublimato) *docuit facere lapidem, seu materiam igneam sæpius per ignem ducendo donec regulus vniatur sublimato & in eius naturam concedat, ex qua materia porro per deliquium item fiat oleum,* quod *vlterius per destillationem ex alembico sit exaltandum.* Paucis iudicat artificium in isto magnum absconditum latere, vnde & postea *lapidem ignem*, tanquam particularem tincturam ex eo, vt in superioribus patuit, conflauit.

Oleum sanguineum ex stibio & sublimato.

Verum hoc consilium nos iam duntaxat attingimus, vt appareat *non paucos philosophiæ chymicæ magistros mercurii vitæ praxin attigisse*, & in eo summam tam medicinæ humanæ, quam metallicæ quæsiuisse. Si voluissent isti, qui tincturam ex oleo spectant, in medico puluere acquiescere, sane rubrum, vel album facile parassent: Et est *albus* quidem ille quem antecedente capite descripsimus: Sed *rubrum* quoque fieri ex rubro liquore posse quis est qui inficietur, qui scit *sub albedine latitare rubedinem*, quæ non nouo opere debeat produci, sed tantum caloris instantia, & repetitione aliqua elici? Ita certe philosophorum arcanum habet. *Ego sum albus, & ruber:* Item *materiam eam sumi debere, quæ rubri & albi simul habeat principia* & facultates vt cum rubris rubra, cum albis alba possit fieri, & similia sibi ex dispositis gignere. Qui ergo satagis mercurium vitæ rubeum consequi, *album liquorem reuoca ad retortam, & destilla bis terue, deinde spiritu vini perfusum elabora, vt rubescat penitus. Oleum rubrum præcipita, aut alio modo coagula habebisque mercurium vitæ rubeum, qui in liquore soluatur, possitque intus, forisque commodissime contra maxima mala vsurpari.* Est mercurio vitæ cognatum etiam illud *medicamen, quod fit ex argento viuo cum sulphure*, vel *arsenico essentiali sublimato, & stibii minera.* Nihil hic differt in toto processu, nisi quod pro sublimato atramentoso sumatur cinabaris artificialis. Basilius *cinabarim, arsenicum, antimonium & crocum martis composuit*, de quo videre potes *pag. 206.* in editione Tholdeniana.

Mercurius vitæ ruber.

Mercurius vitæ cinabarinus seu miniatus.

Alia ratio est cum cinabarim potamus spiritu sulphuris imprægnato antimonii essentia: Imo potius vitrioli, qui item ex stibio essentiam, seu tincturam assumserit. Probamus in hoc opere magis *vitriolata*, quia hoc est vnum ex metallicis principiis, quod etiam corporaliter ex plærisque elicitur, & sulphur, ignemque metallicum secum habet. Ideo & licet pro sublimato vitriolato substitui cinabaris possit, tamen nisi *sulphur vitriolatum, & spiritus* accedat, negamus opus propius ad magisterium magnum accedere, & tam potens esse. *Vitrioli* autem vim assequitur *alumen* quantum ad hoc attinet, vt in perfectis cernere est, quorum infusiones non attant, sicut ferri & æris, in quibus atramentum abundat. Quidam hinc voluerunt *perfectorum principia* potius esse *arsenicalia*, & *aluminosa*, quam atramentosa, ita vt mercurius sint per aluminis & arsenici virtutem coagulatus, atramento æs & ferrum potius constituente. Verum nos in istis inuenimus interiorem quandam concordiam de qua alibi.

Aquam glacialem & salem fusilem qui parare docent, eadem vtuntur materia, & operatione, quanquam forma externa differat, re in chymis non insolente. *Pares stibii & argenti viui sublimati destillantur ex retorta de more.* Opere frigescente consistit *glacies*, quæ resoluitur retorta in aquam calentem immissa, aut in arenam calidam. Iste est *sal fusilis, & glacies mercurialis*: Sed quæ non sui causa paratur. *Fit enim aqua fortis ex paribus halonitri, aluminis, chalcanthi, destillando per alembicum. Fit alia ex vitrioli ad rubedinem calcinati libra, æruginis, & sulphuris an. selibra. Destillantur in ampullam cum aqua præmissoria vnciarum quatuor, quanquam si vitriolum crudum duplum sumas, non opus sit illa aqua, quæ ideo ponitur in recipiente vt spiritus siccos excipiat, & in aquam vertat. At humidos spiritus in aquam consistentes præmittit crudi vitrioli destillatio. Diuide iam aquam tuam glacialem in duos alembicos. Instilla in vnam priorem fortem, in alteram posteriorem, idque guttatim propter feruorem. Ita ex tribus fiunt duæ, quas postea etiam confunde, vt vniantur. Vnitas destilla ad tactum 3. 4. 5. in arena. Caue naribus tuis cum aqua est transfundenda. Nam etiam cum refrixit, valentes spiritus halat. Hac solui aurum penitus traditur.* Discimus itaque mercurii vitæ modum ad hoc quoque prodesse. Vin' aliam similis vsus? *Fac sublimatum ex hydrargyri, & chalcanthi singulis libris: aluminis selibra: halinitri sextante. Sublimatorium sit cum alembico rostrato, ex quo primam aquam defluentem excipe, cumque sublimata est materia sicca puluerata eam redde, & solue mercurium sublimatum propria aqua. Sublima denuo humidis spiritibus præcedentibus quos in aquam versos similiter cape, & sublimato iterum affunde, sicque tertio & quarto procede donec mercurius tuus sine fecibus ascendat. Caput mortuum aqua solue, & salem extrahe, solutioni adde salis puri duas vncias. Misce cum sublimato, & include vesicæ instituram. Sepeli in balneo vaporis vbi sit fœnum humidum vaporibus aheni madefactum. Iaceat ibi donec totum sit in aquam versum. Hanc destilla vt spiritus aquosi discedant, maneatque oleositas. Affunde ei oleum Tartari, vel liquorem halinitri, vt præcipitetur. Calcem collectam edulcora.* Potes eam deliquio soluere & coagulare sæpius, vel etiam destillando in oleum perducere.

Aqua glacialis.
Sal fusilis.

Sal fusilis glacies mercurialis.
Aqua præmissoria ratio.

Auri solutiuum.
Aquila præcipitata.

Sangui-

Sanguinem antimonii hac industria obtinebis, & ex eo porro alium mercurium vitæ rubentem facies. Contere sublimati libram; itemque libram mineræ antimonii auriferi. Commisce celere manu, & dispone in cella super porphyrio, ibique sine, donec humorem capiant. Tunc inclusam materiam cucurbita cum alembico, qua tota sit luto armata. Destilla per gradus. Exit primo materia alba: post auctiore igne rubra, qua etiam in rostro alembici consistit. Hanc seorsim collectam ter quaterue destilla, & sanguinem spiritu halinitri præcipita. Inde elue & serua, quanquam etiam alia arte possis sæpe coagulare & soluere.

Sanguis antimonii & ex eo hamatinus vitæ mercurius.

Quidam non expectaturi madefactionem in vapido aere aquam salis adiiciunt, & post digestionem triduanam in ampulla cucurbitina destillant, accipiuntque album liquorem, qui septeodii in cella mota erubescit. Hoc vtuntur *ad vlcera maligna* siue forma liquida, siue coagulata. *Non desunt* qui soluant argentum purum aqua gradatoria & fixatoria: Deinde in solutionem guttatim immittant oleum istud rubrum, dicantque descendere *auream calcem*, quæ cum auro reducta augmentum sit auri. Fides esto penes ipsos. Cæterum mercurio vitæ affines sunt *calces illa qua ex præcipitatis mercurialibus aquis fiunt.*

Auri augmentum.

Præcipitantur autem oleo vrinæ, spiritu vitrioli, aquis regiis, & similibus acribus, præsertim liquore salis tartari. Earum vsus est in *vlceribus* & aliis externis, nisi operationibus altioribus per aquas competentes, vini spiritum, iuniperi aquam & similia elaborentur, destillentur, circulentur, vt etiam internum vsum habeant. Plærumque fiunt rei metallicæ causa, vt metalla in mercurialem liquorem resoluant.

Aquarum mercurialiũ præcipitata.

Quercetanus in hoc argumento suas delicias habuit, comminiscendo ζώφιλα, πολύχρηστα, ἰσόχρυσον, Bezoardica, Diaphoretica, &c. Nam *Zoephilon in tetrade* concinnat *ex calce antimonii, seu potius antimonio cremato, & alba fuligine mercuriali per sublimationem, vnde quod factum est, edulcoratum aceto antimonii, quale Valentinus proposuit, immacerat, extrahitque tincturam, quam aqua pluuia stillatitia ad dulcedinem ablutam exaltat extrahendo per spiritum corallinum; & extractiones circulatas tandem validis ignibus distillat, vt oleum sanguineum eliciat. Polychrestum pene nihil differt à mercurio vitæ.* Nam fit *ex stellæ libra; & sublimati sesquilibra commistis; & gradatim ex retorta destillatis in gummi crystallinum seu glaciem, & butyraceum liquamen*, quod denuo destillando rectificat. Hoc *oleum* per se dicunt: sed quod coagulet descensorio artificio. Quercetanus vero mutat in elaboratius digerendo id spiritu ex vino & hydromelite destillato (potius ex œnomelite, vel hydromelite vinoso Penoti) & post digestionem destillando. Destillato nouum addit spiritum; macerat, destillat, idque donec in oleum dulce mutetur, à quo spiritus postliminio separatur.

Quercetani deliciæ in mutando mercurio vitæ in alia quadam medicamina.
Zoephilum.
Polychresti mercurialis.

Essentia ipsa nihil aliud est, quam mercurialis *ex duplici mercurio, sublimati* scilicet, *& stellæ.* Ne vero facile coagulet, sed olei specie persistat, atque etiam dulcedine vinosa & mellea corrigatur, digestio cum istis spiritibus facit, quæ tum alterat medicinam, & hominis naturæ familiariorem reddit, tum ex se oleosum humorem confert, vt olei humidi instar contra siccitatem perduret, atque etiam suauius veniat in vsum.

Isochrysi compositio est ex æqualibus reguli per martem parati ex antimonio, & argenti viui sublimati. Mistura sublimatur, vt in mercurio viuo Paracelsi, quo etiam differt à destillatis sine sublimatione. Sublimatum eluitur, vt acrimonia facessat. Elutum soluitur aciditate sulphuris ex campana destillata, vel vt ipse præcipit spiritu halitri, quod sulphureo sale scatet. Sæpe abstrahit, & nouum spiritum affundit fixionis, seu præcipitationis caussa. Præcipitatum in libero athannore cremat per ferream spatham mouendo, vt volatici halitus abscedant vt fieri solet in auro vitæ, & præcipitatis corallinis fixis, quanquam etiam in alembico separent. Medicinam istam postquam stillatitia pluuia abluit, redigit in tincturam per *acetum philosophorum* (antimoniatum; quanquam sint & aliæ eius species) perinde vt in Zoephilo remanente *fecula alba.* Menstruo abstracto rubeum puluerem edulcorat denuo, quem tribus horis reuerberatum, secundo cogit tincturam reddere beneficio spiritus iuniperi. Confer modum cum Zoephilo: *Videbis quantum peritia ingeniosa possit ex vnius præscripto extruendo alia multa:* Inuentis nimirum facile est addere, eaque in nouam faciem mutare, aut saltem tunica alia, modoque velare. Veruntamen istis non tantum luxuriatus est, quantum exultauit obtento quodam *diaphoretico* quod quasi *Palmarium* sibi putauit, atque ideo etiam ænigmatibus inuoluit.

Isochrysum:

Titulus est Bezoardicum minerale. Id est ipsi septimum magisterium; atque adeo septima pars Theriacæ cœlestis pag. 529. Pharm. Compositio eius dicitur *mirabilis: Mirabilis mixtio: Stupendi*, imò *diuini* effectus. Hoc est prooemium lusus. Compositio quæ? *Fit*, inquit, *per spumam venenosam, quam euomunt duo Dracones simul coniuncti: agitati: & tandem calefacti manu artista. Hæc spuma venenata ad temperiem adducitur, & bezoardica redditur sola admixtione illius ignis balsamici naturæ: qua mixtio non fit sine magnarum turbarum ebullitionum, & seditionum excitatione; tandem imbecilliori & fortiori superato, belloque confecto, amica & salutaris adducitur pax, adeo vt venenum tantum, quodque vel ipso viperino longe deterius, & nocentius est, conuertatur in summam theriacam, summum alexiterium, & saluberrimum remedium Bezoardicum*, quod *tantum sudores prouocando effectus demonstrat suspiciendos in omnibus pestilentibus, & venenatis affectibus.*

Bezoardicum minerale Quercetani.

Hoc magisterium autem acceptum fert *Hartmanno*, tanquam opus mulierum, seu post primam præparationem leui muliérculæ alicuius opera facilimè perficiendum. Hæc ille in pharmacopœia, quibus indulsit aliquo modo genio suo, & coruos hiantes ænigmatico docendi genere Hermeticis familiari delusit. Ne vero & philosophos, filiosque doctrinæ medicamentum tam salutiferum lateret, *id in alexicaco pag. 488.* titulo *sudorifici Bezoardici specifici* declarauit. Aliud *ingens*, inquit, *& specificum sudorificum Bezoardicum comparatur cum liquore gummoso ex mercurio in meteoron redacto & metalli-*

Opus mulierum.

na stellari cum cæteris planetis sociata. Hic *liquor gummosus, benè purificatus cum spiritu salis omnia animantis permisceatur. Mira videbis propter duellum inter istos duos Dracones, qui tandem pacem inibunt & in puluerem mutabuntur. Dosis gran. 5. vel. 6. cum confectione de Hyacintho, vel alia cardiaca forma pilulari.* Ita in alexicaco, cum istum in Pharmacopœia Theriacæ suæ partem fecisset. Hinc iam explicatum erit ænigma.

Explicatio ænigmatis Quercetani.

Spuma venenosa est liquor vnctuosus partim glaciatus, partim butyraceus in rostro retortæ, & conceptaculo. *Duo dracones* sunt argentum viuum sublimatum, & regulus vel stella antimonii metallis impræguata, seu fetax metallorum quanquam hæc Draconis titulum catachresticè sustinet. Hi dracones coniunguntur, id est, per se contriti commiscentur agili manu super lapide vbi etiam agitantur, & in luto munitam retortam inferuntur vbi non tantum incalescunt ista contemperatione per manum artistæ, sed & supposito igne coguntur euomere *spumam istam cerberеam*, id est, destillatione ex arena per modum aquarum fortium reddere gummosum liquorem, vel humiditatem vnctuosam, quæ paruo frigore gelascit; calore vero iterum soluitur. *Venenata* dicitur *spuma*, quia adhuc corrosiua, vt & Crollius indicat, quanquam mutua actione efferuefactæ materiæ aliquid spirituum perniciosorum perdiderint. Est autem iste liquor diligenter agitandus in conceptaculo calefacto, vt satis fluidus euadat.

Hinc effunditur in retortam aliam calefactam, & circa fundum luto inductam, destillaturque per se semel atque iterum. *Hoc oleum* dicunt. Id ad temperiem adducitur, fitque salutiferum instillato guttatim liquore seu *spiritu salispetra*, qui dicitur *sal omnia animans* iudicio Quercetani, quasi à sale sit vita, & virtus rerum. Est autem vterque liquor acris. Quod ergo fit cum aqua fortis, & spiritus vitrioli, vel aqua regis, & liquor tartari similiaque confunduntur, id & hic accidit. Feruor nimirum, & ebullitio excitatur, adeo vt ni guttas sensim instilles, & cucurbita sit iustæ altitudinis, & capacitatis assurgens humor exundet. Vas quoque incalescit vt manu nuda teneri non possit, & ideo ferreo tripodi, aut arenæ vel cineri nonnihil calenti imponi debeat. Feruor ille & ebullitio spiritibus dissipatis paulatim sidit, proditque quod ante latitauerat in complexu spirituum terminum conspicui inhibentium, nempe *farina candida, niuis instar* circa fundum vitri consistens. Actio ista feruida venenatos halitus disiecit, & edentulum reddidit draconem vtrumque inter se duello præliatos.

Draco.

Vocabulum enim Draconis non tantum tribuit sublimato & stellæ antimonii; verum etiam *oleo mercuriali & spiritus halinitri*, vt videre est in alexicaco. Manet tamen salsedo quædam acris, & vitriolata cum farina. Ideo postquam præcipitata est, liquor innatans decapulatur, & albus pollen aliquoties mutatis ex pluuia stillatitiis aquis, interdum, & vini, vel iuniperi spiritu eluitur, vt offendere acrimonia non possit. Perit ita *cathartica* potentia, tantumque remansit *diaphoretica, seu hydrotica*, cum occulta quam alterandi facultate. Quod dicitur ante illam præcipitationem vtrumq; esse nocentius veneno viperino, facile probatur de incorrecto butyro. Liquor quoque halinitri per se vitæ est infestus, quanquam non isto gradu quo sublimat & stibii humor vnctuosus. Ita simul intelligis, quid sit *mercurius in meteoron redactus*, quo non accipitur quoduis sublimatum, sed *crystallinum ex sale, vitriolo, & hydrargyro*, cui nondum adempta sit vis perniciosa vt in aquila cœlesti. *Liquor gummosus* quoque iam est apertus, quod nimirum fit ex stibio & sublimato simul iunctis per destillationem elicitus forma vnctuosa, qualis est gummi resoluti. *Metallina stellaris sociata* cæteris planetis hic nihil est aliud quam stibii regulus in formam stellæ deductus. Planetæ cæteri ei sociantur, quia sumitur non infœcundum antimonium; sed metallicum in quo nasci solent omnis generis metalla; potissimum aurum, quale est Vngaricum. Alias sicut regulus fit cum ferro, etiam cum cæteris potest præparari. Sed melior est naturæ copulatio.

Liquor iste *gummosus* benè est purificandus ante quam committatur cum spiritu halinitri, id est, semel atque iterum repetitis per se destillationibus rectificandus. Ita se habet hoc mysterium, quod ad *Iohannem Hartmannum* Hassiæ chymicum refert: *qui tamen aliud Bezoardicum suum Martino Rulando Imperatoris archiatro professus est*, nempe id, quod Crollius descripsit *in Basilica pag. 155.* de quo nos *in syntagmate, & sequente capite*. Videtur ad hoc alludere Quercetanus *pag. 462.* vbi de viribus aquilæ cœlestis, seu sublimati cathartici dulcis agit, mentionem faciens mercurii vitæ ex mercuriis auri & argenti & aquis eorum. Fieri potest, vt Hartmannus vtraque medicina vtatur: Quercetano autem istam, vtpote à Crollio, & ab aliis non descriptam communicauerit, quanquam ex Crollianà sumtam esse, res loquitur.

Pag. 489. Alex. & 533. Pharm. citat & in Tetrade p. 462. de aquila cœlesti. Dicitur lapidem suũ Bezoardicum appellare in Alex.

Quod si eadem vtrobique est sensus, non autem litera, Quercetanum crypsi quadam indignos remouisse dicendum est, id quod Hartmannus quoque in epistola ad Rulandum alia scripsit, nempe Quercetanum putasse se à peritis intelligi, licet nonnulla dissimularit, quæ est frigida valde excusatio, medici doctoris synceritatem & candorem suspectum reddens.

Ein Hoffpoße.

CAPVT

CAPVT X.

De mercurio vitæ animato.

ANimatum mercurium dicimus quia per perfecti metalli coniunctionem (a) ad certam speciem ex vaga, & indeterminata generalitate est perductus, & veluti in materiā forma inuecta. In magno magisterio postquam *philosophica aqua per duas suæ decoctionis rotas transiit, & exhausta videtur viribus omnibus, fermento auri vel argenti recreatur*, atque ita dicitur *animam accipere*, quæ corpori iungitur mediante spiritu, tanquam vinculo. Est tamen, vt fit in hoc mysterio, etiam *alius huius animationis, & reuiuificationis sensus*, nempe *quando iam ex tribus commissis per putrefactionem ascensum, descensum, coctionemq; circularē fit vnum homogeneum. Quod à terra ascendit in cœlum, anima est. Quod manet circa fundum, corpus mortuum dicitur: sed reciproco astu mox depluit iterum animalis succus, & redit in corpus per coagulationem, donec omnia fiant eiusdem naturæ, & sine motu in igni durant.*

Ad imitationem, & veluti paruū simulacrum vitæ mercurius item animari perhibetur. Id a. non vno fit modo. *Nam primum postquam humor vnctuosus in oleum est conuersus, in promtu debet esse solutum auri, quod in hoc oleum sensim infundatur, & descensione exhibeat medicinam, quæ dulcorationibus suis amplius elaboretur.* Solutio auri aliquando fit per regiam compositam: aliquando per simplicem armeniaci fixi spiritum aut liquorem: Nobis probatur oleum vitrioli, aut spiritus salis calcis solaris solutiuus. Atq; hic est modus primus. *Secundum ponimus cum sublimatum* fit ex mercurio antimonii qui auri calcem ligueriit. Id sublimatum ex hac, & alumine saleque factum deinceps non indiget additione stellæ, sed per se destillatur in butyrum & glaciem exaltationum artificiis nobilitandam.

Tertius est cum aurum vel argentum in hydrargyrum soluitur, & ex hoc fit sublimatū quod posteà cum minera antimonii destilletur. *Quartus* cum amalgama aureū pro hydrargyro accipitur. *Quintus* cum idem fit cinabari aurea. *Sextus: fac sublimatum aureum cum vitriolo & sale de more. Adde huic stibiē venenum aurificam. Sublima. Sublimatum per retortam age. Destillatum præcipita oleo vrinæ in quo auri folia soluta. Pro vrinæ oleo potes capere salis spiritum, vel tartari, qui fit calcis aureæ solutiuus.* Est & cum præcipitatio fit per liquorē auri & argenti: vel per liquores auro, argentoq; respondentiū gemmatum, qui sint ex calcib. solubilib: per spiritum aceti terebinthinati concinnati. Inde & *gemmati, corallati, perlati*, &c. titulos pōt nancisci, nec fiet malum medicamentum, vt quisq; existimare pōt. Si fit aurum potabile vegetabile, id quoq; proderit. Sed non opus est plurib. Ingeniosis viā monstratam esse sufficit. Huc referri potest lapis philosophorum Paracelsi, cuius vna descriptio habetur *lib. 3. de vita longa c. 8. p. 179. tom. 6.* Huleri. *Reduc mercurium in eleuationem tantisper, donec in fixum crystallum abeat: Deinde in resolutionem, ac coagulationem digere, & cum auro coniunge ita, vt fermentum eius hoc fiat. Proinde iuxta præscriptum Hermetis age vsq; in finē lapidis, cuius dosis gr. 1. cuius vis & virtus corpus reseruat integrū.* Hæc ibi. *In lib. 5. Archid. de arcanis in eodem tomo p. 50.* Recipere iubet quiddam characterib. obscuris designatum, quasi *essentificatum mercurium* voluisset scribere. Id separandum est, vt à puro decedat impurum. Deinde reuerberandum vsq; ad albedinē, quæ sublimetur per salem ammoniacum donec resoluatur. Id calcinandū, iterumq; soluendum est: Postea in Pelicano digerendum per mensem, inq; corpus vicissim coagulandum, q̃ fit incōbustile, & incorruptibile, faciatq; vt, cum quib. cōmiscetur, ea maneant in cineritio. Dicitur ē. omne imperfectum & corruptibile tollere in sensibilib. & insensibilibus, si libet credere. Verū hic modus falso vocatur lapis philosophicus, cum perfecto metallo careat. Rectius simile lapidis Arcanum dicitur: nisi imperfectam formulam esse putandum sit. Est a. vtraq; descriptio eiusmodi vt intelligi sine interpretatione vix possit. Videbimus num facem accendere aliis queamus. Modus primus: *Argentum viuum minerale per vitriolum, alumen, & halonitrum sublima secundum artem, donec fiat crystallinum, totumq; sine fecib. ascendat, & porro figatur. Sublimatum resolue in liquorem. Digere: Coagula, iterumq; solue, vt quam purissima fiat aqua. Hac imbibe auri calcem tamdiu, donec nihil amplius possit recipere, & aurum solutum in aquam abeat, vel per aquam hanc duodecuplam aurum solue triplum, vt sit proportio vnius ad quatuor. Solutionem include phiolæ Hermetis, & in athannore igne temperato tādiu foue, donec in rubeum puluerem conuertatur.* Hic est simplex sensus. Est alius secretior, *quo sublimatum destillatione in oleum deducitur, quod aliquoties coagulatur vicissimq; resoluitur vt plane fiat homogeneum. In hoc solui calx auri potest, & deinde procede vt dictum est. Modus secundus* declaratur *tom. 6. p. 437.* vbi exponitur *aqua mercurialis*, per quā ex corporib. extrahitur mercurius seu vapor viscosus, continens inuisibiliter mercurium & sulphur naturæ, principia omnium metallorū adeo, vt sit ineffabilium virium & secreta diuina possideat, vt ibi loquitur. *℞. mercurii septies per vitriolū, sal nitri & alumen sublimati tres libras: Salis ammoniaci ter à sale cōi sublimati clari, & albi sesquilibram. Trita in exactum lauorem commisceantur & per arenam sublimentur, quod fit horis nouem. Opere frigefacto, reclusisq; vasis sublimatum detrahe per pennam Remisce id capiti mortuo & sublima secundo. Operationem hanc quater repete, donec non amplius sublimetur, sed in fundo subsistat massa nigra calore ignis liquescens instar ceræ. Sine refrigescere. Post exime: Tere: Pone in patinam, vel concham vitream. Imbibe liquore salis ammoniaci fixi artificiose parato. Resicca. Iterum irriga eadem aqua, idq; nouies, vel decies repetendum, donec fere non amplius coaguletur. Tere: Sparge super porphyriten in cella: Soluatur deliquio in pulchrum oleum. Hoc rectifica per destillationem in cineribus, vt ab omni fece purgetur.* Hæc est illa præparatio Arcani lapidis: Verum, vt diximus imperfecta. Sequitur ergo: *Olei huius cape vncias octo, laminarum* (scobis vel foliorum) *solis, aut lunæ optime mundatarum sescunciam. Immitte in phiolam, aut cucurbitam Hermetice obsignandam. Hanc in cineres calentes impone, ibiq; detine horis octo. Corpus circa fundum vasis transmutabitur in subtilem vaporem, qui est mercurius. Solutione totius facta, separa aquam à materia soluta destillando per alembicum. Ita habes verissimum corporis mercurium in reb: desperatis miraculosum.*

Lapis philosophorum Paracelsi.

Arcanum lapidis per aquam mercurialem.

Aq. mercurialis Paracelsi.

Sublimatū fixum & fusile.

Arcani philosophici declaratio.

Hæc ille. Vt nostrum institutum consequamur: solutionem præcipitabimus iniecto liquore salis tartari: Præcipitatum elaborabimus dulcorando, vt iam sæpe dictum. Ista quidem nomine Paracelsi descripta exstant: sed edita ab ipso non videntur. Neque enim iam luculente exposuisset ænigmata, neque duo tantum principia metallorum professus fuisset. Quoniam autem litera nonnihil dissonat ab arcani descriptione: haud grauatim explicationem accommodabimus.

R. Mercurium essentificatum: h.e. sublimatum modo dicto. Separa purum ab impuro h.e. iterum atque iterum sublima, vt purus fiat lapis. Reuerbera, donec albescat: hoc est, massam nigram in igne detine, donec procedat albedo, quæ sub nigredine latebat. Hanc siue sublima per salem ammoniacum secundo, siue liquore eius imbibe. Perinde enim est, modo fusilis efficiatur, & in vapore cellarum deliquio solubilis. Liquorem coagula, & solue sæpius, vt omnis alienitas decedat, tantumq; cœlestis substantia maneat. Hanc digere in Pelicano, vel elabora destillatione repetita, quæ res item eodem redit.

Digestum iubet in corpus coagulare: sed nos intelligimus deficere artificium. Debet enim hic interponi solutio auri, vel argenti, quæ tandem in corpus reducitur incombustibile, quodq; ingressum metalla cum eis manet in copella: quanquam metallici operis causa iam non laboremus, sed in medicina subsistimus. Ad eundem autem modum fieri possunt *mercurii vitæ animati & præcipitati etiam per alias aquas mercuriales.* Quidam non soluunt sublimatum, si non sententia, saltem litera, vt qui bracteas auri duplo argento viuo sublimato incorporant, & digerunt; postque affuso oleo vitrioli soluunt, coagulant, & alia agunt de quibus supra quoque dictum. Huius loci est & *aurum vitæ Antonii Galli* de quo in syntagmate scripsimus. Vltimo loco addendum est aliquid de *Antimonio diaphoretico Crollii.* Hoc quidem congessimus in nostrum syntagma, sed iam monendum censemus id ab aliquibus vocari *Bezoardicum minerale*, cumque Crollius antimonium Vngaricum sublimato hydrargyro iungat, illi calcem substituunt.

Bezoardicũ minerale.

Proponunt & hanc formam titulo auri sudorifici, & Bezoardici metallici: *Auri puriss. ℥ij. Solue aqua philosophica (ex sale petra, & armeniaco) solutioni instilla oleum ex sublimato hydrargyro destillatum, & septies rectificatum circiter ℥j. Ebullient. Pone vas super calentes cineres in horas tres aut 4. Postea præcipita affusa aqua communi. Puluerem inde collectum sæpe abluæ dulci stillatitia, tandemque cordiali. Sicca.* Dosis gr. 6.

Bonus Crollius, (b) inquit quidam, *dum omnia voluit significare aperte: duo tamen, licet minima, præteriit ἐγχειρήματα, quæ nisi fuerint animaduersa, non respondet finis; nec tam multum Bezoardici nascitur.* Hæc ille. Videtur loqui de calcinatione antimonii, & fixione per digestiones. Cum enim tandem validissimis ignibus medicina sit vrgenda, nisi prius bene fixa fuerit, parum resistet. Fixio autem fit calcinando, & circulando, seu digerendo, ita vt cum aqua regis in oleum mercurii vitæ instillatum fuerit, vnioq; facta, adhibenda sit quædam digestio donec tota materia sit omnino soluta, cui postea affunditur solutio auri, succedente itidem digestione fixatoria, antequam reuocetur menstruum, & medicina penitus crémetur, reuerberetutque. *Miratur Crollius examen copellæ sustinere:* sed hoc ei conciliat aurum, & fixatio. *Miratur & corrosiua mortua esse.* Id præstitit actio passioque mutua draconum commissorum, vt loquitur Quercetanus.

Sublimatum dulce Lunare.

Sublimatũ dulce lunare.

Argentum viuum oxalme purgatum, & per corium expressum misce cum vitriolo rubefacto, & sale præpar. an lib. 1. halinitri ℥iiij. Sublima. R. Sublimati lib. 1. (℥xvj.) salis præpar. ℥xij. vitrioli ℥iiij. Misce, & sublima. Sublimatum hoc tertio sublima tantum cum sale, & quarto per se. R. huius ℥vj. foliorum argenti ℥ij. contere vt misceantur. Sublima ex arena in matratio. Vase frigefacto spiritus volaticos tolle. Partem crystallinam tritam remisce fecibus. Sublima secundo. Idem fac tertio. Puluis ablutus rosacea purgat suauiter dosi à gr. 6. ad 8.

(a) Mercurium animam ex corpore perfecto accipere debere, scimus etiam ex perfecti magisterii opere. Ista perficitur, cum cæteris non item. Ad medicinam tamen ausi sunt quidam etiam stannum addere, & facere sublimatum Ioviale diaphoreticum, cuius formula hæc est: Limatura stanni Anglici ℥ij. argenti viui sublimati ℥iiij. mista, destilla ex retorta igne arenæ in ampullam aqua semiplenam. Cum incipit destillare, ignem suppressum (gedämpfft) adhibe, vt sit moderatus, donec omnis liquor exiuerit, & in aqua appareat puluis præcipitatus: Item adhæret aliquid collo retortæ. Hoc abrade & immitte in ampullam, vt cæteris accedat. Relinque vna per noctem, vt sidant. Aqua separata calcem dulcifica aqua stillatitia dulci sæpe mutata. Exiccati pulueris dosis est gr. 3. vel 4. ex aqu. cardui bened. confectione alkermes alterata ad sudandum.

(b) Crollius & Hartmannus nihil noui protulerunt. Id enim medicamentum ex sublimato, regulo, & auro seorsim solutis, confusis destillatis cum cohobio fixis, & in rubeum colorem crematis. Rubeus descripsit ante annos 30. neque tamen ipse est inuentor.

CAPVT XI.

De mercurio vitæ solari Quercetani.

Processus 1.

Mercurii vitæ solaris & lunaris descriptio Quercetani.

SOlarem suum vitæ mercurium appellat Quercetanus *in tetrad. pag. 472. & seq.* Cuius descriptionem ponit huiusmodi: *Liquori mercuriali in polychresto descripto tantundem aut amplius sudoris hermaphroditici virilis & fœmineæ natura, aquea & terrestris, volatilis & fixæ adiice: Digere, cohoba: destilla, vt fiat dissoluens solare & lunare admirandæ operationis. Vtrumque luminare sic solutum corpus recipere potest, etiam cum proprio menstruo coniunctum, atque vno momento in puluerem siccum reduci cum liquefactiuo, & humectatiuo omnium*

rerum

rerum primo. De hoc puluere ad summam dulcedinem adducto exhibentur à 5. ad 7. grana ex duabus vnciis infusionis vini albi, aut alterius liquoris congruentis. Rarißime vomitum concitat, & si concitat, tam leniter id fit, vt potius saliuatio aut exputitio quam vomitus dici debeat. Per secessum electiue, & citra molestiam humores noxios expurgat; quibus etectu licet repetatur maiore dosi remedium, non tamen operatio sequitur quod non habeat subiectum in quod agat. Operatur spiritaliter magis quam materialiter. Semel infusus vino, iterum atque iterum venit in vsum & purgat sudore, diuresi, secessum prout procliuis est natura, nec quicquam perdit de pondere. Hæc ibi. Exoptandum certe medicamentum nostra ætate in tot delicatulis, qui verbis, vel intuitu curari malunt, quam officinalia, quæ *apothecissare* dicunt, sumere. Obscura tamen est descriptio. Lucem petimus ex Alexicaco, vbi hæc: *Philosophus liquorem gummosum spiritu salis solaris impragnat: omnia digerit philosophice; & in essentiam redigit, qua potest metallum preciosißimum perfectißime dissoluere; sua tinctura spoliare, vel in liquorem reducere, qui per alembicum traductus, magisterium est ad quæuis venena pestis, luis veneriæ & omnium contagiosorum & astralium, quorum causæ nobis sunt occulta, expellenda, quod in minima quauis quantitate datum, erit excellentißimum.* Similia sunt quæ supra recensuimus ex p. 500. *Alexicac. Mercurius solus philosophice purificatus, & mortificatus potest solis tincturam attrahere. Hunc sic impragnatum mercurium præcipita si velis, aceto metallico nitri, vel sulphuris, fietq; hydroticum præstantißimum dosi gr. 3. vel 4. cum Cardiaca confectione, &c.*

Ex Apothecksis. — *Processus 2.* — *Processus 3.* — *Hydroticum*

Tres sunt descriptiones affines chrysolyti Hermetici: (Ita vocamus quod solarem vitæ mercurium Quercetanus, cum sit auri solutio, & præcipitatio.) In prima menstruum auri solutiuum iubet conficere ex liquore mercuriali & sudore Hermaphroditico. Qui sit ille liquor mercurialis indicat remittendo lectorem ad polycrestum. At in hac nulla est liquoris mentio, sed *gummi crystallini* per destillationem ex reguli antimonii lib. 1. & sesquilibra mercurii sublimati crystallini, quod gummi vna atq; altera destillatione sit rectificandum. Supra sæpe dictum est sic fieri *oleum mercuriale*. In Panaceæ apparatu est titulus *liquoris mercurialis* q fit ex soluto salis ammoniaci fixi, & argẽto viuo in crystallinã puritatem sublimato: quo liquore charta emporetica delibuta destillatur, fitq; aqua quæ etiam sola possit aurum soluere. Cum autem in mercurii vitæ solaris formula non assumat solutum salis ammoniaci fixi ad mercurialem liquorem, sed *sudorem Hermaphroditici salis*, id est, *liquorem, vel spiritum halinitri*, quem pag. 24. de medicinæ priscæ materia iisdem terminis circumscripsit: manifestum est solutiuum non ex Panacea petendum esse sed denuo præparandum ita vt *oleum mercurii vitæ & liquor halinitri primum prudenter confundantur: Deinde digerantur aliquandiu: vero destillentur vt homogeneum menstruum fiat.* Cum addit cohobandum esse, intellige quod post primam destillationem, id quod elicitum est in receptaculum, debeat ad reliquias in destillatorio reponi, digeri, iterumque destillari, donec mercurium circa fundum hærentem vna producas. Non negare possumus eodem labore etiam menstruum in Panacea indigere, idque etiam propius accedere ad regiam propter salem ammoniacum, Vnde quis arbitrari possit perinde esse vtram aquam sumas, nisi charta retineret crassiora, & sic liquidior fieret destillatio in Panacea. Parum tamen interest. Sequendum institutum est, & præceptio magistri.

Chrysolithi. — *Declaratio processus primi.* — *Ol mercuriale.* — *Liquor mercurialis.*

Cum menstruum paratum est, affundi debet calci, vel foliis auri, aut argenti circiter trium digitorum altitudine, & solutio per suas digestiones procuranda, vel per modum tincturæ *(a)* & extractionis essentiæ, vel per magistralem duntaxat solutionem, in qua digestio & circulatio adhibetur, donec metallum circa fundum vitri vt nubes hæret. Tunc deminui menstruum potest, & educi destillando vsque ad oleitatem, in qua si nondum totum corpus solutum foret, nouum menstruum requiritur.

Si iam hoc oleum auri soluti vel argenti in aquam communem infundas, fit descẽsio calcis aureæ mercurialis: aut si liber salis ammoniaci soluti, aut tartari aliquid immittas, fitque itidem præcipitatio. Depleto humore sedimentum est dulcificandum.

Liquefactiuum primum est aqua elementaris. Proprium auri menstruum intelligimus aquam regiam, vel salis ammoniaci, aut simile auri solutiuum, *(b)* sicut aqua fortis, & quæ similem vim habent; est lunæ: de qua tamen in isto mysterio Quercetanus potissimum non loquitur. Ita se habet primũ. *Secundum cum primo* conuenit, nisi quod non tantum auri liquor petitur; sed & *tinctura*: Et liquor vel extractiones tinctæ iubentur per alembicum destillari, in quo proculdubio multæ repetitiones erunt necessariæ antequam transeat tinctura. Requiretur etiam diminutio menstrui per destillationẽ in balneo, & olei aurei per crebram spiritus vini affusionem destillationemque elaboratio. Ita guttatim potest dari. Qui tædio huius laboris afficitur, cum fere pariter magna vtrobiq; sint præconia: is tincturam oleo tartari præcipitare, & edulcorare potest.

Tertius modus non facit compositum menstruum, sed ex solo sublimato parat oleum, vel potius aquam mercurialem ad tincturam ex auro eliciendam, nisi manca est præceptio, atq; etiam per tincturam accipienda est solutio, qualis fit per aquas mercuriales. Præcipitatio fit spiritibus acidis sulphuris, halinitri, aut vitrioli. Hæc annotare propter tyrones ad Quercetanæa voluimus. Sunt autem istiusmodi medicamenta etiam apud alios, *ne quis putet autoritatem ea habere ex solo Quercetano.*

Penotus laboriose admodum ex mercurio sublimato in fimo, vel loco eius balneo vapido, facit liquorem in quo aurum soluit. Solutionem destillat. Reliquias eximit ex destillatorio, & irrigatas aquæ, quæ inde fuit destillata, aliqua parte terit in marmore, tandemq; totam commiscet, digerit, destillat per alembicum tam sæpe, donec aurum vna prodeat relictis fecibus rubentibus, quas *salem solis* vocat. Hunc salem solue noua aqua mercuriali. Abstrahe liquorem. Refunde: Digere: Iterum abstrahe, & refunde donec figatur. Fixum solue deliquio. Liquorem coniunge cum priore destillato:

Totum

Totum tandem præcipita per oleum tartari, & calcem edulcora. Si veram auri ſolutionem expetis, ſublimatum redige in quintam eſſentiam ſublimationibus & circulationibus cum menſtruo cœleſti, Reſolue in aquam claram. Fiet prima materia. Per hanc aurum in primam materiam rediges: ſiq; feſtinas ad mdicinam, præcipita ſolutionem ſpiritu tartari.

Sanguis auri ſolutiuus.

Alia auri ſoluti præcipitatio.

Fit & oleum ex calce ſolubili auri beneficio olei ex tartaro. Hoc præcipitatur mercurio vitæ in oleum reſoluto, & habes item præclarum medicamentum. Ex ſtibio calcinato per multum laborem *ſanguis auri ſolutiuus* elicitur. Hic poſtquam aurum deglutiuit, oleo mercurii vitæ iungitur, & vtrumque ſpiritu tartari deſcenditur. Sanguis ille qui fieri debeat, docet prolixe Baſilius, Quercetanus, Toldenius, Penotus & alii. Fit & *acetum alcalieatum*: ad aurum in liquorem gummoſum diſſoluendum. Solutio ſeponitur.

Medicina del oro Algureti.

Deinde alia parte aceti extrahitur eſſentia ex calce ſtibii, & ſinitur coagulare in cryſtallos, quorum liquor vel oleum deſtillatione factum commiſcetur cum ſoluto auri. Vtrumque præcipitandũ eſt *liquore aquilæ albæ*: Et tantum quidem de Hermetico chryſolyto. Quod ad *aurum medicinale Victorii Algureti*, cuius mentio eſt *in tetrade pag.* 479. attinet, nos quoque putamus flores fuiſſe ſtibii auriferi, ſeu marcaſithæ auri cum ſtibio coniunctæ. Ita quæ Venetiis & ex aliis Italiæ partibus mittitur *medicina del' oro* ſtibiatũ quid eſt non diſſimile mercurio vitæ, cuius infuſum ſaltem extra ſubſtantiam præbent, & eſt ſæpe non ſatis elaboratus puluis. Vnde non mirum aliquos pro vita mortem mercari. Ponunt particulam in calicem vini vel alius liquoris per noctem. Colatura ſumpta vomitu & aluo violente purgat.

Obſeruatio de medicinis metallicis & cautela neceſſaria.

Sed & hoc notandum eſt de medicinis ex argento viuo, ſtibio, ſulphure, vitriolo, ferro, ære & ſimilibus quod vel debeant ſumme fixæ eſſe, hoc eſt, ita elaboratæ vt in medico gradu, qui ſalutaris ſit, perpetuo maneant, donec denuo præparandæ ſint ob defectum: vel recens ab induſtrio, perito, & aſſiduo artifice factæ non ſine ſtochaſmo accurato dentur. Nam ſi non ſunt ſic præparatæ, vetuſtate redeunt ad maliciam, fiuntque lethales quæ prius auxilium poterant attuliſſe. Ratio eſt, quia præparatione imperfecta tantum reprimitur gradus noxæ, non tollitur totus. Interim autem ex relicto ſeminario tanquam ex ſcintilla ignis in fomite, reſuſcitat ſe maleficium, & vltra gradum primum quoque aſſurgit, vt ſi tunc alicui medicamentum id dare velles, veneficium, non beneficium faceres.

Hoc a. non adeo obſcurum & incompertum eſt quin etiam metallurgis innotuerit, & halurgis. Sciunt enim hi ſcorias & recrementa inſtaurari, ſicut & ferri æriſque fodinæ longo tempore renaſcuntur ita, vt ferrum excoqui poſſit ex ea terra quæ pridem ne micam quidem eius habuerat. Marcaſitha argentea, ſeu ſtannea quæ biſmuthum dicitur in doliis quoque creſcit, & vim recuperat exhauſtam.

Ita chalcanthum etiam cum iam oleum eſt ſemouet. Vidimus id in floribus ſulphuris, (c) & in variis artificiis ex ſtibio, adeo vt etiam colores cum odoribus; & ſaporibus ſint mutati: nec ignorauit Galenus atramenti ingenium mutabile. Qui ex crematis lapidibus ſuccos excoquunt, & halonitrum ex terris faciunt ſalſuginoſis, idem ſciunt. Monemus ergo diligenter de metallicis primum vt bene ſint elaborata & fide artificis peritiſſimi munita: Deinde ſint recentia. Alias vitentur. Idem accipe de arſenico, mercurio vitæ & ſimilibus. Ipſe guſtus probat mercurium dulcem eſſe non ita mortificatum, vt non ſapiat vitriolum. At hoc ſe reſtaurat, vti & vis ſalis. Caue ergo tibi.

(a) *Pag. 410. Tetradis purgat aurum ter per ſtibium: 2. amalgamat cum argento viuo antimonii: 3. amalgama abluit. 4. præcipitat in rubeam calcem, quod in phiola longo tempore etiam per ſe poteſt fieri. 5. Ex hac tincturam ſeparat per ſpiritum iuniperi. De ea vide magiam Portæ, &c.*

(b) *Aquam philoſophicam alias deſignat, quæ aurum ſoluit ſine ſtrepitu. Halinitri repurgati & ſalis Ammoniaci an. ℥ij. Miſce. Inijce in retortam. 8. circiter librarum capacem. Deſtilla caute in magnam ampullam leui luto commiſſuris perlitis, vt ſpiritus validi modice penetrent.*

Deſtilla vere ex cineribus, donec omnes fumi exierint, qui ſane magna cum violentia prodibunt, & nulla gutta amplius cadant. Retortam adhuc calentem amoue, & capiti mortuo adde nouam materiam eadem quantitate. Deſtilla vt prius. Continua id opus, donec ſufficientem habeas liquorem, quem rectificabis. Eſt aqua philoſophica, quam Quercetanus ſic nominaſſe creditur. Ceterum eum in proceſſu primo ait, Luminaria ſoluta corpus recipere etiam cum proprio menſtruo coniuncta, interpretamur non de reductione in naturam metallicam: ſed de coagulatione per repercuſſionem, qua prius ſpirituale & inuiſibile fit corporeum viſibile affuſa aqua. Poterat id fieri per deſtillationem humoris. Sed Quercetanus indicat etiam manente proprio menſtruo contingere. In proceſſu ſecundo videtur aquam iſtam philoſophicam liquorem ſalis ſolaris appellare, niſi velis ſimplicem ſalis ammoniaci ſolutionem deliquio factam intelligere.

(c) *Habemus ſulphur florum ſpecie contortum ex vena atramentoſa excoctum. Id pulchre erat coloratum & purum valde primo aſpectu. Sed poſt annos aliquot nigredine impura vitiabatur. Tale fortaſſe fuit Quercetani ſublimatum dulce, quod male ceſſit cuidam.*

Capvt XII.

De magisteriis & essentiis liquidis ex argento viuo.

HYdrargyrus, & argentum viuum ex argumento, cum suum est, liquor, & species quædam succi fluentis, seu humoris est, si quidem de minerali loquimur. Vnde & à Plinio appellatur *æternus liquor*, qui ob aeream naturam, & spiritus (Hinc enim & inter spiritus refertur) coogelascere(*a*) nequit, secus ac aquæ elementares, & olea quæ crassescunt. Inde & liquidum argentum, & viuum nuncupatur, quod cum argenti speciem habeat, non tamen concretum est, sed semper liquidum, quasiq; viuum, spiritibus mobilibus in se instructum, instar eorum quæ principio interno agitata viuunt. Verumtamen quia ex genere mistorum est, in aliquod prius reduci potest, & in aquam, sulphurque resolui: imo separatur studio artis in aquositatem vapidam, terrestreitatem, & quintam naturam, tametsi alias adeo sit homogeneum vt cum sibi relinquitur, vel totum in igni maneat, vel totum euolet. Nec in radice ractum habet suas super fluitates, sed & in superficie, seu cute vt loquuntur. Ideo & nigritiem expuit, quæ ablui potest, estque interdum adeo impurum vt cum sedulo quoque abluisti, & speculari nitore expoliuisti, tamen mora temporis iterum situm contrahat, & fuliginem nigram euomat, quæ quod penitius sit confusa, apparet etiam ex tractatione, qua manus fuscat, aliaq; candida, quibus affricatur, & atteritur, vt in contritione cum sale fit manifestum. Sicca tamen illa fuligo non obstat fluori eius tremulo, & rotundo.

Aqua ficca.

Aquam siccam, non madefacientem manus vocant aliqui, idq; ipsis suo modo licet. Sed philosophi, & magistri artis arcanæ ad aeream naturam respiciunt, quanquam ea à Peripato humida censeatur, sed non madefaciens, aut madida. Alii crystallum purum ex hydrargyro, & additamentis sic appellarunt, vnde & nomen *lapidis*.

1. Materia hydrargyri est aqua.

Verum istis missis ad artificia respiciamus. Vertitur argentum viuum arte *in primam suam materiam, quæ fuit aqua secundum Hermeticos*, & Thaletem Milesium. Omnium enim origo aqua censetur, sentitq; Trismegistus, *vt mundus factus est, ita nasci etiam tincturam philosophorum*. *Aquā istam hylealem* appellant, quod materia sit tum argenti viui, tum metallorum & semimetallorum præcipua. Verum enimuero tum de aqua verba facimus non intelligimus *aquas vulgarium solutionum*, vt cum argentum viuum aqua forti vel simili acri resolutum in liquorem iactat, inque eo inconspicue latitat: sed aliud quiddam. Sciendū n. ex mercurio seu hydrargyro liquores fieri diuersos eosque vel ex crudo & minerali: vel artem iam experto.

Aqua argenti viui crudi.

Ex crudo fit limpidus quidam humor, cuius artificium descripsimus in Alchymia ex Hieronymo Rubeo. Eius meminit etiam Basilius Valentinus de antimonio *pag. 167. quod particulatim per canalem initiatur, innuens ollam quandam fictilem sine orificio, aut saltem exacte obstructo in fornacem inferri, itaque disponi vt tubus quidam promineat sursum versus, & iuxta fundum fistula in receptaculum amplum intret. Cū itaque prunis aut igne viuo excanduit, per tubum porrectum immittitur portio, quæ cum tonitru perstrepit, resolutaque in vapidum spiritum partim aquæ forma decurrit, partim terræ instar in fundo colligitur. Interdum & aliquid adhuc viui prodit.*

Variant autem vasorum dispositiones, vt videre est apud Rubeum. Aliqui ferreis gyris vtuntur. Hæc autem aqua chirurgica quædam medicina contra *tumores* est, & *inflammationes*. In arte chymica nullius est vsus, nisi quod à Basilio ad quandam ex auro, antimonio & ferro extractionem, seu medicinam pro caustica vsurpetur, qua medicina creditur voluisse *particularem tincturam*, vt etiam lapide, quem *ignem* vocat, perficere. *Aqua prima materia* non fit isto modo, neque ex crudo argento viuo.

Mercurii ol. diaphoretici Paracelsi.

Apud Paracelsum *lib. 2. de lue Gallica cap. 11.* Mercurii diaphoretici descriptio proponitur, iuxta quam ex crudo mercurio fit *oleum*, vti creditur. *Capit mercurium stanno occisum, eumque in puluerem redigit tenuissimum. Hunc in auream scutellam mittit, quam in acetum imponit, ita ne superet marginem. Affundit vinum sublimatum, seu vinum alcoholisatum, hoc est, spiritum omni aquositate priuatum. Digerit aliquandiu. Deinde accendit, sinitque conflagrare. Post aliud supponit, factaque digestione incendit, quod opus repetendum est, donec videamus vinum, stannum, & mercurium in quandam oleositatem resolui; cuius olei granum vnum propinat ex Alsatico, vel Aminæo vino ad sudandum in lue venerea.* Hæc ibi. *At in tertio chirurgiæ de cura morbillorum, cap. 4.* paulo aliter procedit: *Iubet enim corporalem mercurium cum pari pondere stanni in amalgama deducere, idq; fundere (permittas fluere) & in aquam verti, quæ cum æquali sulphure destillata abeat in oleum ponderosum dulce.* Priorem modum reposuit Rubeus *de destillatione sect. 2. cap. 22.* idemque Martino Rulando sic placuit, vt inter secreta sua retulerit, quanquā nonnihil mutauerit.

Secretum Rulandi.

Ex mercurii duabus vnciis, & stanni sescuncia concinnat amalgama, quod abluit aceto, resiccatque. Deinde spiritum vini affusum accendit (procul dubio præmissa digestione aliqua) *vbi conflagrauit, recentem apponit, iterūq; incensum comburit, repetens operationem, donec ex argento viuo oleum appareat. Vas continens amalgama vel aureum, vel auro perlitum esse debet, & in aceto vini acri vsque ad marginem stare.* Dosis definitur grano, vel sesqui ad *luem veneream, podagram; & impuritates cutis* (scabiem, morbillos, variolos, &c.) per sudorem tollendas. (*b*) Ei æquiualet *oleum* quod Paracelsus iubet facere *ex minera argenti viui, seu minio natiuo dum adhuc est in primo Ente*, seu prima coagulatione, nec dum induruit.

Oleum primi entis mercurii.

Accipit mineræ huius mollis libr. 20. coquit ex pluuia per horam vt impura ramenta separentur. Purum effusum, reseruatumque destillat igne vehementissimo vt exeat liquor ex albo cæruleus. Destillatū rectificat in balneo extrahendo phlegma ab oleo ponderoso, quod vocat immaturæ mineræ liquorem, quem triplo oleo spicæ iungit, vt fiat linimentum ad morbillos. Sic fere ex crudo parantur liquores.

Alii con-

Liquores præcipitati & sublimati.

Alii conficiuntur ex præcipitato, vel sublimato: Et ex hoc vel per se, vel cum auro, aut argento: vel cum stibio. vocantur *spiritus, aquæ mercuriales, olea* (fixa, volatica) *balsama, manna, dulcedines, liquores dulces*, &c. Et quidem *spiritus dicuntur* quando per spiritum aliquem fit resolutio, vt per spiritum salis ammoniaci, vitrioli, sulphuris, salis, &c. Item cum ex spiritualiter elaborato argento viuo elicitur *aqua philosophorum*, quæ ipsorum est mercurius: aut cum olea circulatione transeunt in cœlestem liquorem, aut destillatione extrahitur ex eis spiritus. *Balsama* appellant ratione effectus in vlceribus, & oleositatis. *Mannam* Paracelsus dixit *dulcedinem* quamuis ex rebus extractam, vt ex vitriolo, magnete, vrtica, vt est in *1. de morbis metallicis, c. 4.* Vnde & *manna mercurii* erit eius dulce oleum potissimum ex sublimato, siue solo, siue cum aliis composito.

Spiritus mercurii.

Manna mercurii.

Aquæ mercuriales sunt ex sublimato variis modis; quorum quosdam supra attigimus: quosdam in Alchymia, & syntagmate. Qui plures cupit, consulat Penoti Denarium, & Theophilum de petris cum Quercetano.

Ol. ex præcip. & sublim.

M. Camillus Ferrara Milesius præcipitatum iubet calcinare, inq; phiola ponere in balneum donec in liquorem soluatur: sublimati vero lib. 2. cum auripigmenti sesquilibra destillare per retortam, vt excipiatur oleum clarissimum: quæ præceptiones sunt nimis præfractæ. *Penotus* in oleo ex præcipitato liberalior est.

Primum facit puluerem angelicum massæ, seu cinerem Æginetæ per aquam fortem. Ex puluere per acetũ stillatitium sæpius mutatum, fit resolutio donec totus ab aceto sit absumtus. Solutiones confusæ destillantur, vt aceto separato restet massa, quæ aq. pluuia stillatitia coquitur per diem medium vt acrimonia aceti & aquæ fortis abscedat: Et hic fit quasi extractio quædam. Nam *post coctionem sidere permittitur, & quod innatat, sedimento decapulatum diuaporatur, aut destillatur vsque ad melleam cõsistentiam, quæ in conchas diuisa exsiccatur. Deinde diuiditur in duas partes. Vni affunditur vini spiritus, fitque digestio octiduana. Postea destillatur ex retorta in amplam ampullam, in quam ingreditur primo vini spiritus: postea mercurii, qui forma crystallina accrescit parietibus. Sed ampulla frigefacta post horas 12. soluitur, quo facto moto vase totus humor colluitur, & in cucurbitam illatus destillatur in balneo. Spiritu vini elicito, mercurius restat in fundo, specie olei cinerei. Huic oleo misce alteram partem, quam prius reseruasti ex diuisione. Pone in cineres, & paulatim coagula, ebibitq; in rubeum præcipitatum, quem soluere in liquorem potes, si colloces in balneum vaporis inter fimum equinum, aut coctum fœnum.*

Aliter: *argenti viui partes septem præcipitantur cum liquore qui fit deliquio ex sale præparato & ammoniaco. Cum facta solutio est, sinitur expirare humiditas manente cum sale mercurio. Hoc postea in cella soluitur in oleum clarum, cuius vsus potest esse in vlceribus putridis.* Alias solutio destillatur cum cohobiis, donec mercurius in oleum abeat.

Balsamum mercurii.

Balsamum parant ex præcipitato per liquorem tartari & aquam ouorum. Sed videtur non vulgaris præcipitatus sumi debere, verum *sublimati dulcis*, vel *mercurii vitæ*, ita vt sublimatum cum stibio destilles in gummosum liquorem, quem præcipites oleo tartari, & eluas aqua ouorum, tandemque destilles in oleum: tametsi alias hoc oleum etiam citra præcipitationem fiat, gummoso humore sublimati & stibii bis, terue destillato vt dictum est in vitæ mercurio. Ex *sublimato per se* primum fit liquor dum puluis eius soluitur in marmore, vel vapore balnei: aut etiam in radice Bryoniæ ad Cosmetica: meliusq; est si sublimatum dulcem quam aquilam cœlestem nuncupant, aut fixum capias. Alio modo fit oleum dulce suauissimum.

Liquor sublimati.

Solue sublimatum crystallinum (c) aceto stillatitio. Solutiones digere: Destilla ad siccum. Huic affunde spiritũ vini ad tres, vel 4. digitos. Digere, donec in mucosam pinguedinem fatiscat. Destilla hanc ex arena gradatim, exibitque tandem igne fortissimo humor lacteus, quem fecibus iterum redde: digere: destilla, accipiesque oleum candidum & suaue, quod etiam per os dari potest *ad exulcerationes, & calculos renum.* Hunc modum etiam Fincelius ad *pestilentiam* commendat. *Alius:* in aquam frigidam destilletur sublimatum, vt fiat puluis qualis mercurii vitæ. Hic resiccatus, iterum atque iterum destillatur. Inde inhumatur diebus 40. vt in oleum abeat, quod destillando rectificatur.

Ol. dulce sublimati.

Quercetanus de lue venerea scribens ait, quosdam artificioso inuento didicisse mercurium redigere in *oleum*, seu liquorem quo sola *palmarum, & plantarum inunctione nullo ptyalismo plurimos restituant catholico morbo affectos*: Esse *liquorem dulcissimum, & gratissimum, qui etiam ad duas, tresue guttas per os exhibeatur* cum aqua competente, vt non tantum per sudores moueat, verum etiam per aluum, & vesicam sine violentia: *Dolores immanissimos tolli de die in diem sine extrinseco linimento*, cum sit solum argentum viuum *specificum luis deploratæ remedium, & alexipharmacum verum.* De oleo quidem vide *in syntagm. nostro p. 150. 310. 423. Quidam vitrioli oleo soluunt argentum viui: Digerunt: destillãt ad oleitatẽ. Huic perfundunt vini spiritu. Digerunt in calore: Abstrahunt in balneo: alium affundunt, idemq; repetunt, donec oleum vini cum mercurio coierit in oleosam substantiam dulcem. Mannam in Alexicaco* nominat Quercetanus *dulce oleum fixum*, quod videtur confecisse ex sublimato in butyrum redacto & rectificato. Inde fit oleum. Hoc spiritu vini circulatur sæpe mutato, iterumq; abstracto, donec placeat oleositas.

Ol. mercuriale ad luem foris adhibendum.

Ol. mercurii vegetabile & minerale.

Alius est liquor dulcis, fragrans, & moschum olens, nempe hic, quem & spiritum mercurii appellat. *Oleum salis armoniaci*, inquit, *fixi, soluit subito mercurium in spiritum, seu liquorem aqua fontana clariorem, fragrantem & odoratum instar moschi.* Sed imperfectam esse valdeque præfractam descriptionem apparet ex tetradis p. 471. vbi scribit in consilio de lue venerea descriptum esse liquorem mercurialem instar moschi fragrantissimum, pstantissimum nimirum Diaphoreticũ, cuius formulam fusius docuerit p. 398. *tetradis* vbi de Panacea antimonii egit. Nisi ergo & illo modo fieri posse sensit, ex sale ammoniaco per calcem, vt in Panacæa scribitur, fixo, liquor per solutionem in humido est faciendus, in cuius purificati partibus tribus soluatur vna mercurii crystallini. Et solutio absorbeatur charta emporetica non glutinata: postea ex alembico igne arenæ destilletur liquor mercurialis, qui rectificatione per destilla-

Liquor mercurii moschatus.

Pag. 390. de luis.

destillationem aliam fiat pellucidus, & moschum redolens. Ita Quercetanus, qui videtur imitatus esse Penotum *in denario p.151.* qui primum *facit oleum fixum salis armoniaci* (*vna pars salis amm. duæ calcis viua contrita infundantur in aq. calentem. Deinde bulliant ad ignem in olla: Filtra aliquoties ad clarum: Coagula in salem: hunc liqua in catino per quartam horæ: Effunde in mortarium calens: Contere. Solue deliquio in oleum*) *olei huius vnam partem* (*iuxta pondus*) *& mercurii à vitriolo, sale & halinitro septies: per se semel sublimati, duas commiscet, & in vase forti in calente cinere soluit. Solutione imbibit puluerem pumicis* (pro charta Quercetani) *fingitque ex potato globulos. Hos ex arena per alembicum graduatim destillat, elicitque primo aquam dulcem vsque ad acidum liquorem. Hic vbi apparet* (sæpe gustando guttas facile eum deprehendes) *muta receptaculum, & ignem auge, prodibitque essentia mercurii subtilis, & acris, quam aliquoties in balneo rectificatam serua.* Hactenus Penotus. Vt autem Quercetanus hic non subsistit, sed ad Panaceam per flores stibii, perlas, coralia & tincturam solis progreditur: ita Penotus auri calcem acero terebinthinato aliquoties extinctam factã a. prius per aquam regis, vel oleum salis, & floribus sulphuris super ea incensis turgefactã, aquæ mercurialis sex partib. soluit per mensem aut duos in balneo vapido. Ita abstrahit tincturam manente albo corpore. Extractiones destillat in balneo ad consistentiam olei punicei quod in aere gelascit; calore leni liquescit. Hæc tinctura spiritu terebinthinæ perfunditur: Digeritur: spirituque denuo abstracto nouus additur, & sic pergitur ad corrosiuæ sublationem. Sed ne sapor terebinthinæ molestus sit, is eluitur vini spiritu vna digesto, & sæpius per destillationem reuocato. Gelascit & hoc in aere estque admodum preciosa auri tinctura, *qua veri auri potabilis antiballomenon esse potest*, & Panacea quam si vis, facile potes essentia margaritarum, coraliorum & sanguine dulci stibii miscere. Nam inuentis, quod dicitur, facile est addere. Ita simul apparet modus animandi, & impraegnandi oleum mercurii stibio, & metallis. Quod stibium attinet, de eo supra multa diximus in vitæ mercuriis. Auri exemplum iam posuimus *De stanno & aliis* habes formulam apud Penotum *p. 142. Denarii*: Et sane illa ipsa aqua mercurialis, quæ paulo ante descripta est, ex omni metallo, atq; etiam croco martis extrahit essentiam, quæ elaboranda est iuxta modum in auro propositum. Hoc interest, quod facilius fiunt calces cæterorum metallorum quam auri. Sed & in calce auri arte ode ne fulminatoriam accipias ante quam per sulphur sit refracta. Nam periclitatur in igni si soluisti aurum regia, & calcem oleo tartari præcipitasti.

Ol. salis ammon. fixum Penoti.

Penoti Panacea & antiballomenum auri potabilis.

Ol. mercurii animatum.

Est & cum *ex cinabari fit oleum mercuriale.* Ex vna sulphuris, & tribus argenti viui fit cinabaris, quæ alternis cum cereis orbibus strata in cucurbita destillatur per alembicum, fitque oleum album. In mercuriis Penoti animatis notandum est *TARTARVM, sal, & aqua*, tanquam principia tria. *Calx stanni* (*plumbi, æris, ferri, argenti*) *vel scobs elimata soluitur triplo aquæ mercurialis digerendo in balneo vapido per octiduum. Solutio ad siccum destillatur. Fecibus tritis & relatis in cucurbitam aqua propria redditur. Digestio fit in fimo. Destillatur materia. Cohobia tot adduntur, quo ad fex nihil amplius in aquam deponit. Ex hac aqua septies destillando spiritum metalli inflammatilem elicis. Feces extrahuntur pluuia stillatia, quæ salem assumit, relicta terra; quam tartarum vocat Penotus, quaq; solui deliquio potest.* Consule autorem ipsum, qui propter arcana *in isto libello* merito magni est faciendus, atque etiam Paracelso præferendus.

Cinabarinũ oleum.

Tartarum metallorum & principiũ.

Spiritus metallorum inflammatilis.

(a) *Indurari modo variis notum est. Cum iungitur metallis per amalgamationes, animaduersum est iam separatis illis frigore congelare in ramenta oblonga quasi pruina vel crystallorum sulphuris.*

(b) *Oleum per vini spiritum super amalgamate accensum corpus nancisci videtur ex spiritu: vim ex argento viuo & stanno.*

CAPVT XIII.

De antimonii medicinis.

ANtimonium merito iungimus argento viuo, quando *in hoc quoque vltra modum insanitum est à Paracelsicis* propter tincturam auream quam in se habere videtur, quanquam etiam non raro sit vena, & matrix auri, credíditque Quercetanus esse *communem omnium metallorum mineram*, quo nomine ad nos missum ramentum seruamus. *Sucten* sane omne genus metallorum ex stibio parare se posse confisus est, ipseque suum experimentum in imperfectis producit, sociorum autem in perfectis, quãuis idem eadem specimina postea falsi redarguat. Vnde patet non tam vera perfecta, quam vmbras perfectorum fuisse. *Greuerus presbyter* inter lapidis materias etiam stibium reponit, quod tamen verorum philosophorum nullus agnoscit. *Plumbum* quidem illi suum, & *magnesiam* nominant, vt & *Saturnum*: Sed si de opere aurifico sermo est, neque vulgare plumbum intelligunt, neq; stibium. Vnde & in vtroque frustra hactenus est desudatum.

Vt vt autem in lapide stibii elaborarunt, non omnem luserunt operam, quia *medicinas egregias sunt consecuti*, quo argumento, cum omnino persuasum esset *in stibio latere quicquid quærunt Hermetici*, concluserunt metalla sapientum non esse vniuoca & naturalia, sed parabolica & hieroglyphica, non transmutationem imperfectorum in perfecta promittentia sensibiliter, sed tum crudorum medicamentorum incocta, ignobilium in nobilia, elementarium in essentialia, terrenorum in cœlestia & astralia: tum morborum in sanitatem auream, & argenteam ex mala constitutione ærea, ferrea, plumbea, atramentosa, arsenicali, realgarica, &c. licet in explicatione huius opinionis quilibet sibi sapiat, omnesq; mirifice variet, vt fieri necesse est in re fundamento scientifico carente, quæque ex comparatis similibus tantum dependet: simile vero non est idem, & eidem infinita possunt comparari, idē-

que plurimis propter rationes quæ ipsum comitantur multas. *Fiunt porro medicamenta vel ex primo ente stibii, venaque crudaria: vel ex minerali maturo*, quod cum mare & fœmina distinguatur, hæc propter

Colores tres niger, albus, ruber, dominantur in stibio licet & alii elicianatur.

fœcunditatem metallicam eligitur potius. *Mas enim venenata quædam & confusa fuligo est*, ad cadmiæ venenatæ species potius referenda quam ad antimonium. Vocatur *magnesia* trium specierum, *nigra, alba, crocea*. Quercetanus ob plumbi colorem, (nam Galenam refert) *saturninam* fere appellat. *Alba* nascitur cum silice albo, splendetq; fibris longis: quanquam alii albam appellent *marcasitham* à Germanorum fossoribus *bisinuthum* dictam, quæ fere etiam in albo lapide nascitur, licet per se cum sua est, niteat argenti instar cum intermisto cæruleo; alias etiam nigra. Eligitur & illa magnesia cruda, quæ ferax est auri, vtpote cuius seminarium in ea est, quæ inde indicatur optime disposita esse, cum alias

Lectio stibii.

non posset optimum in ea metallum nasci, quæ tamen ratio fallit in argento, & hydrargyro, quod etiam in vena venenata crescit. Stibium excoctum si ad manus venit, videndum, ne scoriis & impuritatibus abundet. Hoc enim plus fœtoris virulenti habet, quam vtilis essentiæ. Debet & hoc albedine quadam minerali nitere, vt quam proxime accedat ad Reguli dicti speciem: Et est sanc, vt pc-tamus regulos istos, seu conos, à quibus separatum est aurum, iu quorum apice vel stella crinita conspicitur, vel granulosa superficies.

Ad quædam opera non assumitur, nisi purus regulus, aut stella: ad quædam vitrum, aut calx, sicut docebunt descriptiones plæræq;. Rogerius ad medicinas assumit mineram antimonii puram digestam, candicantem, quæ intus plena sit venis citrinis, vel croceis & cæruleis: quæ in Germania rarissima est inuentu. Ideo fere aurifera, puta, gliscente, in cæruleum inclinante suspectu, & quæ regulum argentum præbeat, contenti sumus.

Fiunt medicamina vel ex solo, vel ex coniuncto cum aliis, quæ sunt argentum viuum, potissimumque sublimatum, aut cinabaris; vel metalla, sulphur, sales & similia. Quædam sunt solida, siccaque; vt Regulus, stella, lapis, quæque porro ex istis fiunt metalla (plumbum, stannum, æs, ferrum) vitrum, calix, cinabaris quædam: genus quoddam sublimati: vitriolum: spuma: Quædam sicca indefinita, vt puluerea, flores fixi, volatici, albi, citrini, rubri: calx: crocus: terræ quædam non vnius coloris, ex quibus est & terra sancta Rulandi: Præcipitatum album, rubeum: Sal, sulphur nigrum, aurum medicum, sulphur aureum, &c. Quædam liquida sunt; vt quod oleum vocatur, idq; varii generis: Item liquor, mercurius, amalgama: quo pertinent etiam infusiones variæ, vt aqua benedicta Rulandi & Quercetani: aqua terræ sanctæ: ophthalmica, podagrica, vomitiua, cathartica, antepileptica: Itē acetum. Quædam vtraque consistentia solent parari, vt tinctura, rubra, citrina, viridis: sulphur (quod sæpe idem, cum oleo, & tinctura rubra) mercurius vitæ, & multa alia quæ specie pulueris, vel olei, vel liquoris ab artificibus proponuntur pro arbitratu. Multa sunt, quæ hactenus ex stibio per tot ingeniorum tormenta sunt conflata: sed cum instar Morphei sit, & Protei, mireque versuta seu ingenia laborantium, seu scelera & imposturæ, numerum medicinarum ex eo non possumus inire: suntq; hac in parte mire insolentes, & contentiosi iactatores. Iam vidimus qui nigrum stibii puluerem pro croco metallorum venderet. Vidimus qui flores albos seu fuliginem, fumumque album ex marcasitha, seu aurifero (si modo auri ferax assumeretur) antimonio, quod & Geber in sublimatione marcasitharū attigit, pro medicina ex auro proderet: Creditus etiam Assyluanus est suam Panaceam ex cinabari stibiata conflasse. Alii aliud mentiuntur. Itaque de plena & perfecta medicinarum ex antimonio

Fraudes circa stibium.

tractatione desperandum, vt non mirum sit, si inter alia hoc quoque argumento inducti sint nonnulli ad penitus damnandum & proscribendum ex pharmaceuticis interioribus antimonium, præsertim cum experiamur rarissimos esse qui bene præparent, & si bene quoque præparatum sit, nisi tamen omnino fixum & constans redditum, ad ingenium reuerti tempore, vt non tutus sit eius vsus nisi elaborati perfecte & fixi, aut saltem optime præparati & recentis.

Petiuimus aliquando oleum stibii ex loci celeberrimi pharmacopolio famosissimo, ad externa quædam mala compescenda. Sed tam fœdum accepimus, vt miraremur: qualia eueniunt etiam *in spiritu vitrioli*,

Sp vitrioli in liquamen degenerans.

qui procedente tempore desinit esse spiritus, & in liquamen album pingue, sebaceum transit, vt videatur nihil aliud esse quam proflata vitrioli albi fauilla oleositate quadam sulphurea, & sale acido tincta. Qui farraginem medicinarum ex antimonio scire desiderat, librum Ioannis Tholdenii Hassii *de mysteriis antimonii autore Suctenio* videat, qui & currum triumphalem Antimonii à Basilio Valen-

Autores medicinarum stibii.

tino collectum, vnde nos in superioribus, transtulimus medicinas, edidit, cum tractatu Rogerii Baconis de stibii oleo, seu tinctura, & opere saturni Isaaci. Quercetanus totum caput 31. Tetradis farsit stibii mirificis medicinis, quarum mentionem facit etiam *in Alexicaco, pharmacopœia & alibi*, plures quoque præparationes sibi domi esse in aduersariis professus. Multa sunt apud *Paracelsum, Hieronymū, Rubeum*, & alios. *Crollius* quoq; & *Penotus* in istius mineralis anatomia nec imperiti fuerunt nec segnes quanquam, vti fas est, non probauerint quæcunq; quisq; proferret. *In manuscriptis Monachorum libris* inuenimus innumeras formulas, quarum quasdam in nostra aduersaria coniecimus partim metallurgiam spectantes, partim medicinam. In præsens non instituimus aliud quam *de nonnullis hypomnemata quædam non inutilia studiosis.*

Non ita pridem peste per varias Germaniæ vrbes vagante quæstio nobis proposita est de huiusmodi medicatione.

In prima inuasione detur puluis vomitiuus astraliter præparatus cum haustu aquæ oxalidis. Iste vero est donum

Aenigmatica pestis cura cuiusdam Paracelsista.

veneris & vocatur artemisia, qua inuenitur sub viridi tentorio Veneris niuea tunica vestita, habens potentiam placandi martem & saturnum. Sequetur operatio hora dimidio. Secundo post vomitum statim propinetur niueus puluis, quem pater minerarum Tarbason ex promtuario suo clauso non nisi intercessione boracis, & coactus iracundi martis fumo, ardoreq; porrigit.

Hoc

Hoc sudor prouocetur sumto ex haustu aqua acida. Vires reficiantur epithematis alexipharmacis. Tertio diureticum ad reliquias per vrinam exigendas prabeatur. Id est astrale & fixum, Halcyon volatilis de citrinis vaccis, iunior cribrit, deplumatus, intus forisq; bene assus, & totus fixus. Dari debet cũ diuretico liquore profiti ad satietatẽ. Sequuntur confortantia ex vegetabiliũ classe. Est & globulus loco suppositorii ad attrahendum arsenicale venenũ. Hæc est illa meditatio parabolica. Nos quidem Daui sumus, nõ Oedypti. Si autor, quisquis est, vult latere sua, lateant sane. Amico vero nostro sic respondimus. *Vomitiuus puluis* videtur idem esse cum *pracipitato ex mercurio veneris*, cuius mentio est in *Alexicaco* Quercetani & Elia Artista. *Fiat ex venere argentum viuum, vt Theophilus describit. Id in superficie viride est: intus niueum. Pracipitetur per spiritum sulphuris, vel vitrioli in album puluerem.* Quercetanus in croceum reuerberat, & non ad vomendum dat, sed ad sudandũ, vide in Alexic. p. 487. Non mirum est vomitiuam perire calcinatione, & ablutione. *Secundus puluis hydroticus* ex antimonio minerali est. Id Paracelsici vocant *Tarbasonem*, quæ vox deprauate ex Plinio (modo Paracelsici legerint Plinium) *lib. 33. c. 6.* transcripta est. *Larbason* n. legitur. Sed isti suis monstris delectantur. *Turbasonem* dixeris rectius ex parte Paracelsistarum, vt & *Turpethum* à turbando. *Pater aris*, seu metallorum vocatur, quia matrix & minera auri, argenti, aliorumq; metallorum est si non actu, at potentia. Vnde & Paracelsici metalla ex regulo eius fabricant. Vt *calx hydrotica* fiat, liquandum stibium est per boracem aut halonitrum addito aliquando & tartaro, ferriq; squamæ apponendæ, vnde valde flagrat & æstuat. Crematur tandem calx ad albedinem, & abluitur stillatitia dulci. Si placet, prius regulus aut stella conficetur, & ex his diaphoreticum concinnetur. Tertius puluis videtur mercurius quidam vitæ esse ex glaciato liquore per spiritum, aut liquorem sulphuris præcipitatus, reuerberatusque & fixus. Globulum metallicum loco suppositorii (potest ex regulo fieri, aut vitro stibii, aut calce plumbi vitrificata, &c.) ridere possis. Si enim vera est illa attractrix purgantium Hippocratica, recte in anum intruduntur medicamina, vt ad locum secretionis per familiaritatem naturæ alliciantur. Sed hæc valeant.

Puluis vomitiuus.

Tarbason pro Larbason

Calx stibii hydrotica.

Suppositorium minerale.

Quæsitum deinde aliquando est *quid de vitro antimonii sit sentiendum*, nullamne habeat prædestinationem, sicut *Seuerinus* asserere videtur, & *Quercetanus* etiam sæpe affirmauit repudiato omnino illo ipso vt consentiret scholæ Parisiensis damnationi. Quod ad *pradestinationem* illam attinet, agnouimus Paracelsicam opinionem. Reuera n. scimus *in naturalib. esse dispositiones multas secundum quas bene vel mali possint praparari*, aut *adhiberi*. Prædestinatio omnis, omnisque potentia naturalis in salutem humanam collata est. Ita ergo debet etiam elaborari materia, & vsurpari, vt quam optime scopum suum assequatur, nisi diuino consilio propter certas caussas impediatur effectus, aut male cedat, cum Deus etiam per hæc media pœnas infligere delinquentibus soleat. Ponimus ergo si materia antimonii sit recte lecta, præparataq; & in vitrum perite conflata, quod tunc ex potentia remotiore euocata sit δύναμις, vt in vsu medico prodesse possit iuxta ordinationem diuinam. *Non enim si aliqua maior, excellentior, & vlterior aut perfectior pradestinatio sit, ista inferior est neganda.* Idem probatur experientia & testimonio sapientum. Infusum certe vitri prudenter à medico, *non à sterquiliniis Paracelsistarum improborum* datum, aliquando & substantia ipsa multum boni attulit ægrotantibus, vt *Matthiolus* cum pluribus testatur, de quibus in syntagmate.

Quæstio de vitro stibii.

Pradestinatio medicamentorum.

Crollius certa constitutione cœli fudit vitrum: Deinde potentiorem eius vim *refregit aceto destillato*, atque adiectis nonnullis suum *antimonii Electuarium* mirabilis operationis in *peste, quartana, hydrope, chronicis morbis, febribus putridis, cachexia, melancholia, deliriis, venenis*, modo non detur in obstructionibus alui, colica, læsione membri principalis, & abstineatur à venæ sectione confecit. Purgat quidẽ vomitu: sed hunc si cætera recte habeant non esse formidandum veteres cum recentibus atque adeo etiam Quercetano ipso comprobant. *Si vitrum detestamur, quid fiet demercuriatis, & stibiatis aliis Quercetani* quæ non satis possunt laudari? *Rulandi terra sancta, & calx non multum à vitro absunt.* Nos *vitrum opalinum* ex quo Quercetanus alicubi *crocum suum magnificum* concinnat, aliquando macerabamus bis aut ter aceto non destillato. Deinde resiccatum denuo fundebamus in catino.

Refringere impetum vitri stibii.

In pharm. p. 331. & seq

Fiebat *vitrum non pellucidum*, quod tritione abibat in puluerem citrinum nullius violentiæ. Sed & sit violentum remedium. Hocne magis culpandum an is qui non refringit, nec prudente vsu salutare facit? *Fit tamen vitrum etiam vlteriorum medicaminum causa*, vt videre est apud *Basilium*. Quercetanus *pag. 345. & seq. Crocum metallorum & vitrum quantitate drachma, vel dimidia infundi posse in liquore cõpetente statuit*, & subiici postea pro clystere: sed nec clystere solum verum etiam potu, si assit peritia cũ prudentia coniuncta. Si placet in globulum conforma perforatum eumq; filo alligatum alte in intestinum rectum pro glande intrude, quanquã non desint, qui globulos integros, vt & ex vitro plumbi vel regulo, vel marcasitha, &c. deglutire malunt, quam puluerem sumere. Sic enim alterabit tantum formaliter, seu spiritaliter: non nocere poterit infarctu corporis.

Frustra damnatur medicamentũ, vbi is, qui vtitur, in culpa est.

Clyster ex vitro stibii.

Suppositorium

Fuit Rulando *calix chymicus*, in quo per noctem infusum vinum, cereuisia, aqua, serum lactis, hydromel, iulepus, brodium, &c. pro gula cuiusq; mane bibetetur ad euacuandam hesternam crapulam vomitu, secessu, sudore, in dispositis. Quercetanus putat eum ex vitro antimonii, vel calcis plumbeæ cum silicibus conflatæ factum.

Calix chymicus.

Non itaque sic improbauit vitrum, vt plane ex medicina pharmaceutica exulatum ire iuberet. Quod ad calicem attinet, si quidem diuinandum est, cum Rulandini arcanum reticeant, fuerit is sane ex *vitro*, vel *calce*, vel *croco*, quæ tria in idem redeunt. Nos eum curaremus fieri non ex meris istis: quis enim vim sustineret? Sed fundum saltem tabella pro gemma, aut alio vitro obduceremus, fieretque id quod alias per *annulos purgantes. Cape vitri antimonii gemmam. Include eam solido auro forma annuli, ita vt ab vtraque parte emineat: aut si non tabella places, nodos quosdam facito, & horum vnũ atque alterum vel plures per circuitum auro infige, potes & nummos tales purgantes facere.*

Annulus purgatorius vel nũmus.

Cum vis vti, cape vinum, vel hydromel, vel aquam, &c. Iniice tuum annulum, aut nummum sine per noctem. Mane circumactum liquorem bibe, & in lecto te compone quasi sudaturus. Annulum autem, vel nummum extractum absterge, & reconde in vsus plures.

De tinctura. Auri ab argento separatio in fluxu.

Tertia quæstio est *de tinctura, quanam inter tot proponi solitas sit vera: & sitne vltima prædestinatio stibii & verum eius sulphur.* Sciendum est aliam à sophistis fieri ad argentum in aurum vertendum, quanquã *Rogerius arbitretur non verti, sed separari beneficio pulueris qui fit ex tinctura stibii, halinitro, sale ammoniaco & alumine*, proiiciturque in fluxu, & in conum seu calicem infusione pro regulo: aliam ad medicinam, tametsi & hæc ad metallurgiam adhibeatur.

Sulphur stibii.

Sulphur si dicitur, ex distinctione principiorum appellatur, sicut & oleum. Alias aliud sulphur ex stibio elicitur, quod inflammari potest, nosq; id habuimus colore cinabaris, cuius instar etiam in catino ardebat subiectis prunis: Imo in prunis immediate facile flammam capit, maxime si sit purius.

Pro tinctura aliqui habent quemuis colorem ex crudo vel præparato extractum, vt sic etiam ex reguli vel stellę scoriis *aurum medicum* vocatum, aut *sulphur* illud quod *auratum* dicit Quercetanus; aut *essentiam coloratam ex vitro opalino, &c.* tincturã antimonii appellent, siue sicca sit consistentia, siue oleosa. *Quidam contendunt veram non fieri, nisi ex florib. rubris*: alii minerale stibium crudũ eligunt. Quidã hanc pbant q̃ fit per acetũ stillatitiũ: alii aliã, q̃ p acetũ stibii: alii per sulphur, estq; omnino difficile in tanta sententiarũ varietate certũ quid dicere, sicut & num simplici extractione parari debeat per infusiones & putrefactiones, an violenta destillatione, rectificatione, circulatione.

Tinctura aurea seu auratum sulphur solare.

De *sulphure* quidẽ *aurato*, quod est tinctura quædam citrina ex spuma reguli seu scoria, habes apud Quercet. *in pharmac. pag.* 621. vbi *diaphoreticum* esse tradit. Ipse *capit feces reguli in aqua dissoluti, & in lixiuium redacti, in quo argentũ colore aureo tingatur. Lixiuio huic addit parum aceti, descendit que crocus, qui decapulato lixiuio edulcoratur & ad sudandum dari iubetur scrupulari pondere.* Est & ingrediens antidori maioris contra pestem *p.* 420. & elect. de ouo *pagin.* 427. Item pil. de angelicæ extracto *pagin.* 574 Verum descriptio ista est valde obscura.

Tu fac regulum per ferri squamas, & halonitrum adiecto tartaro pauco. Ab illo decussas scorias, seu spumam contritam & lauigatam super marmore laua, vt salsedo decedat (quanquam parum interfit) *Dein de lixiuio forti perfunde. Macera, donec in eo argentum coloretur. Tunc lixiuium laciniis abstrahe in patinam, seu scutellam vitream. Immitte acetum acre: stillatitium malunt aliqui: alii ipsius antimonii. Descendet rubedo, quæ depleto lixiuio colligitur. & pluuia stillatitia sæpe repetita abluitur.*

Quercetanus istum *crocum* in substantia adhibet: sed nisi lixiuium est destillatum, non potest esse pure antimonii, quia fauilla in lixiuio latens vna præcipitatur, adeoque vnitur, vt non facile separetur. Quidam ex hoc croco tincturam mediante aceto eliciunt: alii resoluunt in liquorem; alii circulant eum vini alcohole.

Quidam sic iubent: *Pares stibii, tartari, & halonitri misce. Iniice partem post partem in catinum candefactum, statimq; opposito operculo sine deferuescere. Omnibus partibus consumtis valido igne liquefiat massa, & effundatur in calicem, pulseturq; pro regulo. Scorias decussas & tritas coque lixiuio acri. Cola per filtrum, dum adhuc calet. Cum refrixit instilla parum aceti destillati, & coagulabit rubedo crocea, quam lixiuio separato edulcora.* Dant ad sudandum à ℈j. ad ʒß. At sunt sudorifica potiora.

Aliud sulphur auratũ

In nostris aduersariis integra est descriptio non ex spuma martia: sed ex stibio ipso crudo. *Ex paribus calcis viuæ, salis vsti & tartari calcinati per aquam fit lixiuium, quod sæpe colendo clarificatur. Hoc puluerato stibio ad 4. aut 5. digitos infunditur, & coquitur per horam. Deinde sedimentum quiete colligitur. Lixiuium transfunditur si est clarum: fecibus additur nouũ, proceditur q; vt prius, donec extracta sit tinctura tota. Lixiuium confusum descendi iubetur pluuia destillata:* (potius aceto) *sulphur sidit. Liquor remouetur. Coagulum abluitur, siccatur, seruatur. Dosis gr. 1. 2. 4. &c. Post digestiua, ex aliquo liquore, vel syrupo, ita vt post horam brodium carnis propinetur. Hydroticum & Emeticum esse scribitur.* In leuiore morbo non datur in substantia, sed eius infusi liquor tantum. *Sierpinus* fertur *in magnis morbis, chronicis, melancholicis, phlegmaticis* vsurpasse.

Alius modus.

Fac Epar stibii per halinitrum detonando. Affunde trito lixiuium ex cinere clauellato calce viua & cinere cõmuni paribus. Digere in arenario calente per noctem, vt fere bulliat. Lixiuium effusum muta. Collecta cola & per acetum præcipita, vt secedat sulphur aureum.

Omnium facilima ratio est: *Stibium crudum contritum misce cum pari halinitro. Mitte in catinum. Pone in fornaculam ventosam patente vase. Paulatim sine incalescere, donec sal flammam corripiat, & deferuescat nec amplius fumet. Tunc sine refrigescere. Extractam totam massam croceam & salsam albam contere. Affunde aquam, Coque, donec sal delicuerit. Decoctum purum transfunde in concham vel scutellam. Immitte acetum colatum acre, statimq; mutabitur in lac croceum. Ex eo secedet crocus ad fundum. Abstrahe aquam per lacinias. Crocum dulci ablue.* Ita syncetum habes compendio cum altero croco confectum. Florem croci rectius voces.

Tinctura Rogeriana.

Verum hoc sulphur non est vera tinctura, quæ fere *oleum rubeum* antimonii appellatur, de quo vide syntagma nostrum *pag* 421. 422. Item de tinctura *400. & seq.* Inter omnes tincturas principatũ obtinere creditur *Rogeriana*: quæ fuse descripta extat Germanico idiomate *in Tholdenianis*. Summa est: *Cape vitrioli, halonitri an. lib. jß. salis ammoniaci, gemmæ an lib. 1. stibii, aluminis crudi an lib. ß. Fiat aqu. Regis. Hac perfunde stibium ex minera puluerątum, vt calcinetur* (quod fit magna cum turba) *statim vt calcinatum est, regiam effunde. Nam ignis caustici, vt & actualis flammei violentia perit. Elue calcem stillatitia pluuiali, vel hydromelitis. Siccata affunde acetum, stillatitium altitudine palmi. Repone in cupam vaporis inter herbas coctas, vel fimum equinum vapore semper subeunte, aut vulgari scrobe fimi per calcem viuam calefacti. Stet dies quadraginta, vt acetum fiat sanguineum, quod extracto, & reposito, aliud infunde, itidemque digere.*

Repete

Repete idem quartum, vt dies 160. consumantur. Solutiones in balneo ad siccum destilla. Si destillatum acetum adhuc acre est, repone id super tincturam in destillatorio: si non: nouum affunde. Digere per horas 24. Destilla, idque iterum secunda vice. Postea abluatur tinctura de more ad dulcedinem, & arefiat. Transfer in cucurbitam nouam. Affunde vini spiritum. Digere in balneo, vt color extrahatur. Muta spiritum, donec color omnis surreptus sit. Feces abiice. Spiritum abstrahe in balneo, & iterum affunde. Digere. Destilla. Repete hoc, donec tinctura in alembicum consurgat, & cum spiritu decurrat. Tunc aucto igne coge exire, vt procedat sanguineus humor. Porro quod est in conceptaculo, rectifica, & spiritum vini leniter abstrahe, vsque ad oleum rubrum. Vti potes spiritu in morbis non paucis, cum vim aliquam antimonii detulerit. *Oleum prudenter collige.* Eius vsus dicitur esse in *renouatione hominis, depulsione grauissimorum morborum, & senectutis inhibitione.* In *podagra* paroxysmo ineunte tres guttas præbent ex vino arthritico, idque triduo.

Apoplecticis gutta linguæ affricatur: *Leprosis* sex guttæ cum iulepo de fumaria & scolopendrio porriguntur primo die: sequentibus pauciores. *Hydropicis* cum aqua vel vino asari singulis diebus gutta vna, septimo tres propinantur. Sic in *epilepsia, peste, febribus putridis, melancholia, quartana, &c.* Quidam dolia vini aminæi ista tinctura alterant, & singulis mensibus aut etiam sæpius, vt singulis quadraturis aliquid de eo capiunt ad conseruandam valetudinem.

Paracelsus *in magna chirurgia libro 2. tractat. 3. capit. 5.* scribit *prædestinationem antimonii esse solum aurum & hominem ad summum vsque puritatis gradum euehere, reliqua omnia absumere instar ignis, & catharticum esse sine excrementorum resectione.* — *Paracelsi tinctura Panacea.*

Inuentionem & præparationem sibi soli arrogat frustra ante se in eo sudantibus summis philosophis, *si fas est credere mendacissimo & superbissimo monarchæ. Iubet antimonium in subtilissimũ Alcool, seu læuorem & pollinem deducere: in reuerberio in mensem cremare, vt euadat volatile, leue ex nigro primum album, deinde luteum, tertio rubeum, tandem violaceum. Id LILIVM est, quod perfundit spiritu vini: Digerit diebus 20. vt extrahat essentiam nobilissimam, ad omnes morbos curandos præsentissimam.* Hæc Paracelsus. — *Lilium.* Basilius Monachus *flores* eodem quidem fine, sed alia dispositione conflauit, sicut & multi alii. Vnde factum est vt *tinctura ista vera ex solis floribus rubris iudicetur petenda esse.* Eos autem à Paracelso designari, colligitur ex volatilitate, & leuitate, vnde & modus reuerberationis intelligitur.

Quidam enim sic siue interpretatus est, siue imitatus: *Antimonii & salis ammoniaci pares commisceantur, conteranturque. Deinde in retortam coniecta igni per gradus fortificato proflentur, vt essentia antimonii prodeuntis solæ feces remaneant. Quod in ampullam recipientem proflatum est, abluatur stillatitia dulci, donec tota salsedo sit abstracta, quod frequentibus repetitionibus fieri necesse est, vt dulcedinem consequamur. Resiccata essentia in pollinem, quem alcool vocant, redigatur, inferaturque in reuerberium quatuor spiraculis ad graduandum ignem instructum. Includi solet ouo, seu phiola cattino tecto, vel pyxidi cæmentatoria & super tripode collocari. Inde accenso flammarum igni, vnoque saltem spiraculo aperto crematur sub testu reuerberii concamerati, donec quod rubeum fuerat, in albedinem transmutetur.* — *Singularis modus tinctura Paracelsica.*

Albo colore acquisito, spiraculum secundum expeditur, vt ignis vno gradu sit fortior, & albedinem in flauitiem conuertat. Hac apparente liberatur spiraculum tertium fitque ignis gradus tertius qui dicitur citrinum procurare. Ab hoc quarto spiraculo aperto via est in perfectam rubedinem, qua spiritu vini rectificato extrahitur in vase clauso, donec non amplius ab essentia tingatur. Spiritu tandem reuocato per balneum remanet vera Paracelsi tinctura. — *Paracelsus de Monarchia detractus.*

Quicunque est hic artifex, qui istum laborem est commentus, non explicare, sed superare Paracelsum voluit, atque istum de gradu monarchiæ quanquam modeste præcipitare. Neque enim idem est præparandi artificium. 1. Paracelsus stibium, proculdubio minerale crudum, in quo est integra tinctura, assumit: hic vero artista stibium quidem, sed prius per salem ammoniacum fractum, & ex retorta destillatum. 2. Paracelsus in flores volaticos redigit: hic autor nullos habet flores: 3. Paracelsus ex nigro facit album, luteum, rubrum: Iste ex nigro rubeum: Et quod alias insolens est apud chymicos sine additamento rubedinem, quæ summa est colorum, ad carceres, & quidem omissa nigredine ad albedinem reuocare, ex rubro reducit album solo igne. Cæteri istam rubedinem destillatione elicitam statim extraxissent: at hic volaticam putat esse, & inconstantem. Ideo fixam quærit non malo consilio. 4. Paracelsus ex albedine flauitiem, & ex hac rubedinem inuehit sua sublimatione.

At noster *Monarchinica* ex rubro album, ex hoc flauum: ex flauo citrinum, & tandem circulo peracto iterum ad rubrum diuertit: ex quo quæri posset cur citrinum flauo submittat, cum flauus color citrino videatur esse posterior. *Est enim citrinum spissum*, & exaltatum, ex quo via est in puniceum, hincq; in rubrum. 5. Paracelsus non quiescit in rubro, sed in purpureo & violaceo. At Paracelsi doctor rubrum statuit perfectionis finem, quæ etiam est sententia cæterorum chymicorum, cum ratione conueniens: Nam *violaceum* ex cæruleo & nigro intermista aliqua lucida albedine est, atq; ita non color purus.

Ecce tibi: Paracelsus gloriabatur sua opera primum perfectum esse illud medicamentum ad summam sanitatem reducendã, vt illa perfectio perfecto fine æstimetur. Inuentus est qui quinq; notis Paracelsum superaret, & perfectionem eius rusticam, imperfectamque esse doceret, quanquam non sine mendacio officioso vt vocant, ne manes Paracelsicos læderet. Non enim sibi tribuit artificium, cuius nomen adhuc inter obscuros latitans eius detrahere existimationi posset, sed vt eo speciosius incedat, cupidiusq; excipiatur, Paracelso famosissimo quanquã contra Paracelsi interdictũ, qui in chirurgicis vetat suas formulas mutari, aut alienas substitui. Verum hæc transeant. Sunt enim vsu Paracelsistarum adeo trita, vt non amplius habeantur pro peccato in magistrum, sed quilibet quod forte fortuna inter carbones somniauit, Paracelso autori, quem solus intelligat, ascribit, qui

est fructus perplexæ doctrinæ. Crollius noluit postremus in exornando antimonio videri. Paracelsus superiorem Lilio suo præparationem ignorauit.

Crollius Paracelsinica.

Crollius optimam dedit. *Flores albos sublimatione per ollas plures factos, aut per retortam ex crudo antimonio arenis misto sine omni capite mortuo ignis violentia proflatos, miscet sale tartari elaboratissimo, & spiritu aceti stillatitii impragnato proportione hemiolia* (florum parte vna, salis sesqui) *& in catino in massam colli, vel coloris fere sanguinei. Hac fusa effundi in marmor iubetur* (tabulam ex porphyrite) *vt refrigescat, mutata rubedine in cinereum, quæ inde falsa rubedo fuisse intelligitur, vt & in paulo ante descripta formula habet in præparato spiritum vini potatum tinctura aromatum* (Galanga, Galliæ moschatæ, caryophyll cinamomi, macis, croci.) *Hunc trita massa affundit in vitro competente, adiicitque magisterium perlarum & corallorum salis instar fossili. Digestione interposita quanta satis ad vnionem spiritus vini abstrahitur destillando ad siccum medicamen caryophyllorum colore puluereum, quod in aere liquescit: & ideo reponendum est clauso vitro in loco sicco.* Vocat flores mirabilia operantes in *peste, febribus acutis, mania, filtro, delirio, fascino, omnibus melancholicis, & epilepsia*: vt videatur esse etiam *plus quam Panacea, purgans vomitu, sudore, deiectione, & insensibili perspiratione* copiose absque noxa dosi à 7. ad 10. grana.

Flores antimonii mirabiles.

Pantagogū.

Si hoc sciuisset Paracelsus, *Lilium suum* hinc extraxisset. Quid ni enim possit per vini quintam essentiam ex ea mistura potto extrahi essentia cœlestis, & ad minorem dosin reuocari? *Quid autem facit vt ista præparatio sit optima antimonii?* Flores in substantia relinquuntur, & sociatur non ignauo medicamento, sali essentiali ex tartaro: neque huic tamen soli, sed qui sit exacerbatus aceti stillatitii, quod alias est solutiuum, & corrosiuum lapidum, spiritu ad satietatem recepto. Vnde necesse est fieri acerrimum medicamentum. At nec flores isti magistrales sunt contemnendi effectus. Si viuerent Palmatius & Quercetanus cum similibus miraculorum naturæ venatoribus fortasse aliquid argumenti peterent ex commistorum fermentatione in qua alterum alterius vim reprimit. Veruntamen adhuc efficaciam magnam restare indicat illa copiosa *expurgatio per emunctoria quatuor naturæ*, etiam perlis, corallis & aromatibus frustra retundentibus.

Verum in talibus experientia solet rationem remouere, modo accedat prudentia & medicinæ sufficiens cognitio, quæ temeritatem Paracelsicum excludat. Si volumus tincturam ex illa massa parare, composita vocanda erit, & non simplex, cum sit *stibiata* potius, quam stibii, & quantitas virtusque salis longe excellat pondus & vim florum.

Penoti antimoniata summa laude.

Desperati per antimonium sanati.

Tantum de tinctura antimonii. Similis ei est *balsamus antimonii* apud Penotum *in chymicis pagin.* 81. qui etiam per acetum stillatitium ex crudo coloratam essentiam elicit diebus 20. in fimo detinendo, acetum reuocando, tincturamque vini spiritu circulando (aliqui denuo extrahunt, vt sit tinctura essentialior.) Quas laudes tum huic, tum aliis ex stibio, etiam sua experientia in apoplecticis, cœliacis, epilepticis, peste infectis, contractis, nodosa podagra, seu arthritide afflictis, vlceratis & aliis desperatis, vulneratis, transfixis, insanis, &c. adscribat, legis à *p.* 70. vsque ad 81. editionis Feyerabendinæ an. 1584.

Quercetan. de tinctura.

Loquitur autem de quatuor istis, de floribus, oleo dulci, extracta essentia, & tinctura. Illud nō omittendum est quod *in Alexicaco suo* scribit Quercetanus *pag.* 476. *& sequ. ex floribus rubicundis extrahi remedium quoddam excellens purgatiuum, & vomitiuum simul in peste tuto dandum.* Id tincturam esse per acetum primum, & secundo per vini essentiam extrahendam facile est videre. Sed quod addit *si flores ante extractionem per halonitrum figantur, aut cum sale communi sublimentur, non fore vomitiuum*, non credidit Crollius, vtpote qui catharticam ab Emetica separari non posse in ista materia persuasum habuit.

Quæstio nū Emetica antimonii tolli possit salua cathartica.

Atqui plures promittunt vel solam diaphoreticam. Purgatiuam vim esse spiritualem ostendit infusio, & plurium medicamentorum ætate, coctione, reuerberatione, & aliis modis exolescentia: soletque acetum antimonii vitrum mitigare, quid ni flores? Quidam adiectis in aluum trahentibus vomitionem prohibent, quæ nec alias quoque semper comes est, cum non omnium ventriculi pariter sint affecti. Halinitrum floribus mistum incensumque, & dissipare spiritus vomitiuos potest, & alterare corpus. Ita & sal vna sublimatus. Poteramus etiam spiritu vitrioli eosdem figere.

Non desunt qui stibium cum pari sale tosto horis 12. per gradus ignis reuerberant. Deinde crebris ablutionibus acrimoniam tollunt. Dosis dicitur esse à gr. 25. ad 35. & purgare tantum per inferiora. Diaphoreticum tantum fiet, si misceatur pari halinitro, & misturæ vnciæ duæ coniiciantur in feruentem catinum vt ibi detonent. Materia relicta postea reuerberatur, prius tamen eluta, in catino clauso horis 24. vt in album puluerem abeat, qui dosi granorum 15. sudorem mouere possit. Sed *quid opus est hac cura fatigari, cum si tantum purgare per secessum volumus alia abundemus medicina?* Mineralia fere omnia purgantia dicuntur inde purgare, vbi materia est, & naturam excitare vt à proximo se exoneret. Si quid noxæ est in vel circa ventriculum, id vacuat per gulam plærumque talibus assumtis, quo modo agunt etiam alexipharmaca, si venenum est circa præcordia. Ita & si quid est in pulmonibus.

Nam & hi camarinam vomitu per accidens remouere solent, sicut & Thorax. Si nihil est circa superiora, nihil per ea mouetur: si in pluribus locis simul est aliquid vacuandum, pluribus effunditur quasi emissariis, modo concussio, & irritatio sit intra gradum naturæ, & non nimis violenta, id quod medicus, & chymicus tam in medicamento, quam homine, aliisque circumstantiis attendere debet, non minus ac veteres Elleborum porrecturi.

De croco metallorum quæstio.

Quæritur porro de croco metallorum appellato. Rulandus senior primus est huius vocabuli inuentor.

inuentor. Quercetanus arbitratus est *à colore habere nomen croci*: à minera metallis communi, titulum *Pag. 408. Alex.*
& adiectionem *metallorum*. Agit de experientia eius Rulandus in centuriis: Quercetanus de mate-
ria & apparatu, viribusque non vno in loco: Vt: *in Alexicaco pag. 406. 407.* vbi duplex, *vnus Diaphore-*
ticus, alter catharticus: pag. 432 vbi ex eo *clyster*, si infusio fiat vnius, vel duarum drachmarum: *pag. 477. &*
478. commendat *infusionem* ℥ vel 8. gran. *ad omnes morbos epidemios.* In Pharmacopœa pag. 430. *aquam*
suam benedictam ex eo facit cuius præparationem docuerat *pag. 107. & 108.* vbi tamen dubitat num
Rulandi crocus, & benedicta aqua cum sua conueniat, monetque filium vt artificium publico bo-
no donet. *pag. 545. pharm.* admirandas operationes per os sumti prædicat, & in clystere quoque vsur-
pandum suadet. Vult parari *ex paribus halonitri per sulphur fixi, & pellucidi stibii vitri per deflagrationem*
in olla, vnde contrahat colorem *epaticum*. Abluit autem salem aqua dulci. *(a)* Ita *pag. 407. alexicaci*, vbi
tamen videtur etiam *crudum antimonium* assumere *crocum catharticum* vertit in *Diaphoreticum* ter *Crocus Diaphoreticus.*
eundem inflammando per halinitrum; deinde ablutum aquis dulcibus in reuerberio per quinque
dies detinendo, donec colorem aureum, qualis est *florum calendulæ*, adipiscatur. Is est Lysiponos *in*
tetrade pag. 414. cuius dosis 20. aut 30. gran. ex aq. cardui benedicti. Vocat & Bezoardicum metalli-
cum ad omnes epidemicos vtile.

Croci metallici titulum communicat etiam *cum sulphure aurato*, seu *solari* cuius apparatus est *pag.* *Crocus metallicus auratus.*
406. Alex. vbi stibium minerale tartaro & halinitro separat in partem mercurialem (quæ alias est flos
albus, alias regulus, alias aqua) & feces, quas coquit cum aqua, donec tingat argentum flauo: (alibi
lixiuium requiritur.) Inde per acetum præcipitat: aquositate separata extractum abluit: siccat lenis-
simo igni; *dat pondere scrupulari cum aqua Bezoardica ad sudandum in prophylaxi, & therapeusi pestis.* Hæc ille *Quercetani crocus triplex est.*
de suis crocis, quos vides esse triplices, vnum catharticum ex magnesia saturnina; alterum ex vitro
opalino: tertium ex calce; vel fece post abstractos flores mercuriales. Nos supra ex spuma martia
confici indicauimus quartum. Et videtur ipse quoque Quercetanus in *pharmacopœa pag. 621.* nihil a-
liud velle nominatis reguli fecibus. Addidimus quintum ex epate: Dicat tamen aliquis eundem *Vnumne fuerit Quercetano sulphur solare stibii an duo.*
modum esse, qui *in alexicaco* ponitur, & qui in pharmacopœa, verbis saltem mutatis. Cum hoc nos
certare nolumus, scientes chymicorum parabolicorum versutiam. Litera certè atque etiam termi-
nis artis diuersa sunt, feces reguli in aqua dissoluti & in lixiuium redacti; vti scribitur in pharmaco-
pœa: Et magnesia saturnina à qua cum tartaro, & sale petræ pars illius mercurialis separatur, & seor-
sim seruatur, vt ex illa remedia quædam conficiantur: Ex fecibus autem lixiuium rubicundissimum
sola aquæ ebullitione comparatur, &c. Vt est in alexicaco. Ibi regulus & reguli feces opponuntur:
hîc feces & pars mercurialis. Vtrobique aqua sumitur vt fiat ex eis lixiuium rubicundissimum, &
quidem *quod absurdissimum, regulus in aquam dissolutus, & in lixiuium redactus scribitur:* quod sine calcina-
tione fieri non potest. Num ergo calcinandus est regulus, & ex calce per aquam faciendum dilu-
tum rubicundissimum? At id vix aceto, eoque stillatitio, & sale tartari vel ammoniaco exasperato
vt vult Rubeus: aut acerrimo lixiuio consequimur, nec si spumam martiam capias, & aqua mace-
res voti compos fies. Lixiuium, vt supra dictum est, requiritur vel acetum. *Nos minerale stibium mi-*
scuimus halonitro, & in catino eliquauimus, donec videretur vitrescere, idque sine calcinatione. Vitrifactum effudi-
mus in peluim, & obtinuimus vitrum sanguineum opacum, cum scoria lucida rubra. Vitrum pulueratum lixiuio
macerauimus, donec aureo tingeret argentum vel cochlear ligneum. Deinde lacinii extractum aceto præcipitaui-
mus, sidque essentia auricolor grauéolens quæ multis aquis est eluenda. Alius modus est apud Rubeum: *Sunt*
(inquit) *qui ad vncias quatuor salis tartari crebris solutionibus & coagulationibus correcti, & ad puritatem sum-*
mam adducti, addunt stibii semunciam. Hoc aqua soluunt: Digerunt & coquunt. Coctionem quæ rubidinem ex-
hausit, effundunt purè & addito aceto præcipitant. Decapulata aqua essentiam collectam dulcificant, exiccatamque
in puluerem rubentissimum deducunt, cuius dosis granum vnũ, aut dimidium cum liquore competente, aut cõserua
contemperatum. Hæc ex mente illius, perinde est ac si lixiuium ex calcinato tartaro fecisses; illoque
coxisses pulueratum stibium, & deinde reliqua vt suprà peregisses. Quercetani epar aliquoties, in-
deque crocum confecimus. Dicas aloës succotrinæ speciem referre. Flos inde collectus penè ger-
manus est croco orientali puluerato. Longe differt ab eo crocus Rulandinus, cuius descriptionem
paulo post dabimus. Differt & hic quem ex rubeo reposuimus. Videntur autem autores à quib. ista
sunt transscripta stibium minerale auriferum intellexisse, aut martiam reguli spumam, aut rubeum
vitrum. *Dosis grani vnius vel dimidii male congruit cum scrupulari Quercetani.* Laudanda in talibus circum-
spectio est, videndumque, quam pridem ista medicina sit facta. Nostra enim rediit ad crudam stibii
naturam, vt falsum sit, quod dicunt; coctum non recrudescit si quidem eiusmodi mineralia spe-
ctemus. Sed quem tandem crocum metallorum Rulandus fabrefecit? Si manus iunioris Rulandi
archiatri Cæsarii fidem inuenit, ecce tibi eum: *Recipio* (inquit) *stibii, salis petræ & salis communis partes*
analogas, easque minutissime tritas, & commixtas in tigillo optimo luto munito, ita tamen vt in superficiei medio *Crocus metallorum Rulandi manu descriptus.*
aliquod foramen paruulum relinquatur, per quod arsenicales, & venenati spiritus exhalare queant, in furnum
venti pono, ignemque fusorium accendo, & si libet, follis etiam ministerium adhibeo, vt in tigillo sufficienter
fluant. Hic autem studio animaduertendum est, quandiu fumus per foramen illud in superficie relictum ascendat. Ille
siquidem adhuc euaporans materiam non satis calcinatam esse subindicat. Sed quando omnes eiusmodi spiritus fu-
mantes euanuerunt, ignem prope ad viuum adaugeo ad quadrantem horæ, ac tandem crucibulum eximo, infrigi-
datumque aperio, nec non materiam extraho: vbi antimonium in fundo à salibus, sicut regulum à scoriis separa-
tum inuenio. Hoc antimonium à salibus malleo aliquo detrunco, atque in puluerem tero, qui instar cinabrii ru-
bicundissimus, & in medicina vtilissimus. Hactenus Rulandus. *(b)* Conferatur cum Quercetani epa-
tico, & deprehendetur in Rulandino maior fixio, & coctio, adeo, vt si paululum excedas ignis
gradum euanescat fere tota rubedo, & relinquatur regulus stibii ferrugineus, quod stibium vstum
est, & TERRA SANCTA quædam. Si moderatior sit ignis, vitrum fit sanguineum, instar cruoris

concreti quod tritum ruborem accipit floridiorem: Vt cinabarim referat, ignis prudenter est regendus, valet hic exercitatio magis quam præceptio. Quercetanus *Cap.5. defensionis primæ* indicat pleuritidis curam à Rulando inchoatam fuisse *aqua benedicta purgante, & lenem vomitum excitante*, cuius basis constitutus sit crocus metallorum aqua vlmariæ, vel carduibenedicti dilutus. Addit credidisse eum *crocum esse magnesiam*; primam scilicet originem, & radicem metallorum, *cum nitro calcinatam* (c) philosophis veris chymicis noto modo, quo nigrum colorem in rubeum mutet, croco non dissimilem, qui sapore omni destitutus per inferiora purget, & simul leuem vomitum moueat. Iudicat præterea illum ipsum virulentis *pleuriticorum* putrilaginibus abigendis congruentissimum, maximeque proprium esse & *specificum remedium.* Patet ex dictis non longe abfuisse Quercetanum à Rulandino artificio. Creditur autem Rulandus variasse, & interdum vitrum antimonii crebris infusionibus exhaustum, aut acero maceratum recoxisse, & in calcem modo rubentem, modo cineream deduxisse: imò & terram sanctam seu stibium vstum permutasse croco. Neque enim ex hoc tantum facta est benedicta illa aqua (vbi errat Quercetanus ex aq. stillatitia carduibenedicti factam arbitratus, cum etiam ex fontana, & quidem sæpius concinnetur ab effectu vero nomen obtineat) verum etiam ex calce, & terra sancta. Nam quam terram sanctam appellat, aut eadem est cum croco, aut eiusdem originis: argumento; quia centuria VII. *tam aquam benedictam, quam terra. S. appellat panaceam*: vtramque etiam *Holagogum* esse indicat *in febribus putridis vulgaribus & pestilentibus: Hydrope, pleuritide: Epilepsia, quartana, asthmate,* &c. Vtrumque infusum fit quolibet liquore competente, aqua, vino, cereuisia, mulso, &c. Vtrumque vacuat ore, aluo, sudore: *Centuria 5. curatione 95.* scribit aquam benedictam (d) fieri infusione croci metallorum, vel ebullitione in vino, cereuisia, hydromelite, &c. Infundi vero pisi quantitatem, & dari colaturæ semunciam ad vncias duas: *Centuria 4. Cur. 53.* Aquam terræ sanctæ parat ex vini selibra, infusa terra sancta magnitudine hordei. Vbi per noctem stetit, mane bibitur colatura. *Cent. 7. cur. 62.* panaceam ponit ex infusione croci metallici in vini vnciis quinque. Omnino conueniunt in omnibus; excepto quod aquæ benedictæ dosis sit minor vt ℥vj. vncia vna, sescuncia vsque ad tres vncias: sed aq. terræ sanctæ ascendit ad octo vncias ab vna: vt colligere possimus aq. benedictam esse fortiorem ex croco: debiliorem alteram ex terra sancta, vtpote ex calce stibii, vel vitro refracto. *Centuria 4. Cur. 75. poculum chymicum vomitorium* per noctem infuso liquore aliquo propinat, cuius itidem materia videtur esse antimonium catharticum. Habet *conseruam benedictam*: sed quæ est esulæ. *Spiritum vitæ aureum panchymagogum* esse *infusum Troch. alhandali in vini spiritu,* tam notum est. *Centuria* 10. meminit aliquoties vini sublimati *παντονοσαγωγῦ* vacuantis per aluum, & vomitu, quod forrasse est antimoniatum, licet sæpe peccetur hyperbolis.

Cent. 9. Cur. 51. vomitiuũ vel aq. benedictum, vel infusionem poculi chymici in podagra exhibet.

Diaphoreticum antimonium Rulandi.

Præter ista in Rulandinis est *antimonium diaphoreticum*, cuius descriptio huiusmodi datur: *Puluis antimonii de minera crudi calcinetur per aquam fortem, pauca quantitate semel in cucurbita capace. Repetitis calcinationibus calcem collige pro libitu. Debet autem sine digestione longa aqua fortis per inclinationem effundi, aut per alembicum abstrahi. Calx abluenda est dulci stillatitia, donec acrimonia abscedat. Puluerem exiccatum particulatim iniice in halonitrum in olla super prunis liquatum, & relinque in igni donec materia non amplius bulliat, sed quiescat. Posthac exime: contere: ablue primum aqua calente; post frigida vsque ad dulcedinem. Huius pulueris dosis est à gran. iiij. ad 27. vel etiam 30 cum aliquo liquore, aut conserua pro morbi conditione.* Vsus est *in febribus intermittentibus, cachexia, coloribus fœdis virginum, peste,* & *chronicis.* Notabis in febribus vna hora ante paroxysmum capi debere bonum vomitorium, & mox à vomitu postremo sumendum esse aliquid de hoc diaphoretico, & sub lecto sudandum. Eadem methodo *virgineus morbus* curatur. In peste non requiritur vomitorium, sed oportet vt diaphoreticum quam citissimè sumatur cum pauca Theriaca ad sudandum duabus, tribusve horis: Inde abstergatur patiens, & post tres, quatuorve horas iterum sumat eandem medicinam, idque repetat tertiò si opus est, semper sudando. Sudores abstergantur, & lintea mutentur. Hæc Rulandus. Vide tamen ne in colluuie putrida etiam vomitiuum conueniat, à quo Quercetanus & alii non abhorrent, nisi quid impediat. Vt ex stibio florem, tincturã, & calcem non plebeio modo habeas, *selecti stibii lib. 4. & salis præparati lib. 5. commisce, & in lebete terreo super fornace anemia crema, ita ve non liquescat, sed tantum in calcem abeat. Moue vero materiam spatha ferrea continuo per 5. vel 6. horas, donec cesset fumus. Tere postea, & elue. Si vis, potes vitrum facere borace adiecto igni vitrificante. Dum autem abluis, priores aquæ sint calidæ, posteriores frigidæ. Exiccatam calcem per se sublima horis 12. in albos, vel 24. in citrinos, vel 36. in rubeos flores Reliquias tritas per mensem reuerbera, vt rubescant. Hinc extrahes tincturam per acetum radicatum. Extractiones filtra, coagula, & aquis cordialibus rectifica.* Ex tanti laboris res est stibium. Quæ præterea aquæ ex infusione arcanorum stibii fieri possint, vt *aqua ophthalmica* Quercetani *in pharmac. pag. 74. &* 110. *Epileptica pag. 111. pharm. vomitiua* (Speywasser in Hassia dicta) & *cathartica pag. 107. 327. 328. 330. phar. & 408. 415. Tetrad.* suis in locis videatur. Nos in ophthalmia, lippitudine, epiphora, tumoribusque oculorum iubemus stibium, Tutiam, lapidem calaminarem, vna; vel seorsim cremare, & aliquoties in aq. rosacea, vel euphrasiæ, rutæ, verbenæ, Chelidoniæ, &c. restinguere, additoque sacharo crystallino, & pauco vitriolo albo oculis imponere primum ad canthum maiorem guttam vnam atque alteram, postea puluillo vel spleniis super oculum. Est præclari effectus, si continuetur. In *Catarhacta* addimus nonnihil halonitri, vel salis ammoniaci. In podagra eadem aqua mercurii vitæ liqoore, vel alumine adaptatur, apponiturque calide per puluillos, qui resiccati denuo imbuuntur. Plura haberemus de stibio, sed quæ alia occasione proferentur.

Aq. ophthalmica.

Aq. antipodagrica.

(a) *Sic epatis stibii per halonitrum facti in substantia præbent gran. 12. vsque ad 20. in febribus. Oportet autem salem absolutionibus esse retractum. Præparatum cum sale tosto etiam maiore dosi exhibetur.*

(b) Vide

(b) *Vide cap.32. de igni natura, vbi epistola Rulandi producta est, in qua sulphur & tincturam antimonii vocat more eorum. qui per nominum abusum latebras quærunt.*

(c) *Catachresis est pro reuerberatione, quam veteres dixissent vstionem. Rulandi quidem stibium sic in sanguineum regulum mutatur vase clauso: sed Quercetani in flauum. Quæ hic sit caussa? Num vasis occlusio & adiectio salis communis?*

(d) *Nomen hoc ab effectus adiuncto impositum esse verisimile est. Transferri vero etiam potuit ex disciplina lapidis, vbi aq. benedicta est merc. philos.*

Capvt XIV.

De vitriolo.

CVM vitriolum vnum sit minerale; alterum artificiosum metallicum, quotum illud ex aquis, terris, lapidibus, marcasithis, venis sulphuris bituminum speciebus, & similibus excoquunt, aut etiam sine coctione ex naturalibus dilutis densatur, seu coagulatur: hoc arte ex metallis iam siue arte siue natura, suis comparatur. (Nam quod ex venis eorum per coctionem resoluitur ad minerale accedit) quando chymici de eius medicinis agunt, *potissimum intelligunt minerale*, excepto spiritu, vbi nonnulli malunt *id quod fit ex marte, vel venere tum natiua, tum per artem ex marte transmutata*, quod tamen etiam ad alia potest adhiberi. Est autem minerale non vniusmodi, quod ex Dioscoride quoq; & Galeno cæterisq; priscis, qui de medicamentorum materia commentati sunt, constat, apud quos inuenitur chalcanthum vel chalcitis, misy, sory, melanteria, &c. Et colore atramentum distinctū viridi, violaceo, cæruleo, albo, citrino seu aureo, rubro, cinereo, vario. Chymici ad præstantiora opera *album* non desiderant, vt neq; *viride* effœtum, quod facile in album transit. Eligunt viride fœcundum, & efficax: vel cæruleum & violaceum quod Cypri fodinæ exhibent, vel Vngaria circa æris metalla. Romanum olim fuit in optimis. Sed id Cyprium esse quidam tradunt hyalinum; quidam viride. (a) Nos Germani *Vngaricum viride*, aut *cæruleum*, vel *violaceum* petimus, cum metallico æris, aut ferri si haberi possunt: Et tamen in his quoque electionem instituimus pro diuersitate operum. *Album* siue sponte natum, siue ex viridi effœto factum, vti & viride ignobile relinquimus mechanicis, & chirurgis, quanquam & hæc aliquando in essentias redigantur, sed rarius. Vidimus qui *ex viridi Goslariensi spiritum facerent*; sed eum minime probum. Ad sublimationes mercuriales conferre potest, & sunt, qui omni exhaustum metallo, ne propositum lapidis arcani vitiet, postulent: alii tamen *Vngaricum, & quod ex marcasithis auri, argentiue* coactum est, non repudiant. Quod si aliquid metallici ramenti vna est, id in fecibus relinquitur, cumque addatur sal, & argentum viuum, anima iam ad certum metallum imperfectum disposita, facile reuocatur in indeterminatum, primæque materiæ conditionem; vt nullus sit metus, inde potius æs, aut ferrum fore, quam aurum, & argentum. Assumtum minerale chalcanthum primam habet anatomiam, qua repurgatur. *Soluitur aqua pura. Locatur in dolio ad digestionem. Ibi sulphur immundum spuma specie emergit: fex sidit. Ablata spuma, purum effunditur paulatim per colum in vas aliud cauendo, ne feces suscitentur.* Ita in tres substantias discessit, quarum prima pro *sulphure* habetur, secunda pro *medulla*, tertia *fecis* nomen habet. Si purius volumus, postquam coagulauimus denuo soluimus, digerimus, & separamus: sed tunc melius est sulphure abstracto ad purum, liquorem laciniis transferre, & non coagulare si quidem spiritum spectamus. Aqua enim tanta adhibetur quanta solummodo ad solutionem requiritur; Deinde cum phlegmate in destillatione secedit. Ideoque & consultius est destillatam ad solutionem asciscere. Ita sane placuit Crollio *in Basilica pag. 186.* vbi iubet *sumere vitriolum Cyprium, vel Romanum, vel Vngaricum, aut Silesiacum argenti, auri, ferri & æris primordia habens, quod fit in Zugmantelio: (Germanis sonat locum latrociniis infestum, quod ibi pallia surripiantur à prædonibus) aqua stillatitia, vel rore maio destillato (vt sit purior, cum ab herbis sæpe inter colligendum inquinetur; potest tamen sufficere destillatio per lacinias) soluere: in cineribus, fimo aut arena calente digerere cucurbita negligenter clausa, per mensem: feces spumosas (sulphur fœtidum) auferre, denuo digerere, donec nulla spuma emergat: inde purum dilutum per colum transfundere sedimento immoto: tandemque destillare secundum artem, vt primo exeat aquositas phlegmatica horis circiter tribus; sequantur acidi spiritus alio vase excipiendi, & porro elaborandi per rectificationes & circulationes, vt odore & gustu placeant,* &c. Verum non in omnibus is est processus, quanquam si continuetur labor, oleum, sal, colcotar & alia obtinere porro possimus. *Alia anatomia tria principia*, & ex his *tres essentiæ*, cum *quatuor elementis* ex vitriolo colliguntur. Quidam, vt *in syntagmate* retulimus, *septem diuersas res ex eo faciunt*, quas vocant, sulphur, phlegma, spiritum humidum, spiritum siccum acidum temperate: oleum acidissimum, colcotar, & salem. Sed si penitius laborem exactiorem consideremus triplo plura inuenimus, vtpote: 1. *Phlegma* aquosum, mercuriale, emeticum solum: 2. *Phlegma spirituosum*: 3. *Spiritum acidum* temperate: 4. *Acetum minerale* proximum oleo: 5. *Spiritum circulatum* violæ odore: 6. *Oleum rubrum* simplex 7. *Oleum rubrum regium*, plurium destillationum ad soluendum aurum: 8. *Oleum dulce colcotarinum*: 9. *Oleum dulce* repercussum: 10. *tincturam viridem* aut violaceam vitrioli: 11. *Colcotar*: 12. *Essentiam*, & florem seu tincturam colcotaris, quam aliqui *sulphur* vocant: 13. *Salem*: 14. *Terram* virginem: 15. *Sulphur vitriolatum* metallicum: 16. *Sulphur vitriolatum* commune: 17. *Sulphur vitriolatum* anodynum: 18. *Florem sulphuris* anodyni: 19. *Salem impregnatum* spiritu proprio: 20. *Tincturam seu essentiam* colcotaris spiritu suo animatam: 21. *Colcotar oleo rubeo* animatum: 22. *Lapidem elixyr* ex terra virgine sale, spiritu, oleo sulphureo & tinctura. Hæc omnia ex solo vitriolo minerali concinnantur. Quanta farrago erit si vitriola metallica immisceamus, & metalla ipsa; vel mercurium, sulphura, sales, vegetabilia & animalia? Infinitus enim est compositionum numerus ad quarum finem scientiæ peruenire non possunt. Iam cum Quercetanus *in Tetrade*, Crollius *in Basilica*, Penotus *in chymicis*, nosq; *in Alchymia & syntagmate* plæraque exposuerimus, in præsens tantum de quibusdam, quæ instruere Tyronem vberius possint, monebimus.

Vitriolum minerale.

Vitriolum electum à chymicis.

Anatomia purificatoria magistralis vitrioli.

Purificatio vitrioli.

Septem res ex vitriolo.

Vitrioli sectio in res 22.

In syn-

Lib. 8. c. 16. pag. 402. Tinctura vitrioli.

In syntagmate proposuimus *tincturam vitrioli caruleam ex chalcantho Cyprio, vel Romano, vel metallico aroso*, & cum ista etiam alias partes anatomiæ vitriolatæ quas ibi vide. Aliam policetur Quercetanus in *Tetradis pag.* 378 (*b*) itidem cum fœnore plurium medicinarum, quas cognoscere operæ precium fuerit. Assumit vitriolum viridissimum, quale putat esse Cyprium, aut Romanum, repudiato cæruleo, quale Germanicum scribit, quanquam in Germania, vt in Alsatia, Saxonia circa Goslagiam, & alibi viride conficiant; cæruleum autem, seu violaceum fere ex Vngariæ ærosis cuniculis comportent mercatores. *Viridissimum* autem rectè petit, qui tincturam affectat viridem, tametsi & cærulea non sit contemnenda. (Optimum cæruleum esse, cognoscere potes ex Cæsalpini *lib. de metallicis cap.* 22. In Italia viridi colore præstantius est quod Bagnateæ paratur, vt idem inquit, sed pulchrius, & efficacius ex viridi & cæruleo mistum: Germaniæ tribuit cæruleum Cyprii æmulum. Quod Huserus teste Crollio probauit *Silesiacum ex Zuckmantelio*, id *Casparus Schvvenckfeldius Medicus Hirschbergensis* in Catalogo fossilium Silesiæ scribit viride fuisse excoctum ex pyrite atramentoso in *Riesengrund, Schreiberau Cupperbergi & Zuckmantel*, hoc est, in valle gigantum, campestribus scribæ, monte Cupri, & *Helcesichitonio*, seu *harpagitribonio*, valde astringens, escharoticum, &c.) Pondus relinquit arbitrio artificis, quanquam non paruum debere esse copia phlegmatis, quod requiritur, indicat. *Ponantur libra xij. aut xv. Hæ diuidantur in plures cucurbitas. Igne cinerum destilletur phlegma spirituosum, seu in quo spiritus acidus contineatur, quod & suum vsum habet in scammonii correctione.* Quod abstracto liquore restat, *Colcotar* vocat. Hoc iubet conterere, & suo liquore ad excessum quatuor digitorum perfundere: reponere loco frigido indies bis mouendo, donec viridi colore phlegma imbuatur. Sic tinctum sensim inclinato vase effundit in aliud. Fecibus affunditur phlegma nouum, iterumque elicitur tinctura smaragdina, idemque repetitur quo ad cesset exire color. Si interim phlegma deficeret, possunt priores extractiones destillari ad eam consistentiam, qua coagulare & consistere lapilli solent; & destillata aqua pro phlegmate vsurpari. Omni exhausta tinctura, liquor in crystallos densatur secundum artem, nempe destillando vt phlegma in sequentibus ad lapidem prosit: vel etiam si negligimus phlegma diuaporando, donec crusta incipiat nasci. Tunc enim reponitur dilutum vt lapilli concrescant, quibus exemtis, copia humoris iterum deminuitur donec seosari incipiat, atque ita pergatur. Quercetanus iubet ad melliram consistentiam destillare. *Fiant crystalli smaragdini.* Quid postea? *Imponantur in cucurbitam. Affundatur optimus vini spiritus. Vase clauso circulatio instituatur. Hoc peracto destillentur ex arena. Procedit vini spiritus, cum spiritu vitrioli, colcotare oleum rubrum secum retinente. Hoc colcotar transferatur in retortam. Affundatur liquor paulo ante abstractus. Digestione intercedente fiat destillatio gradatim procedet spiritus vterque coniunctim.* Sequetur aucto igni *oleum rubrum.* In balneo leni vini spiritus elicitur: In cineribus *spiritus vitrioli*: oleum subsistit in fundo, quod Quercetanus ait esse *ex acido dulce, suaue, rubrum, admirandarum virium.* Vt iucundum quoque sit & dulce: *Persunde id suo proprio spiritu acido. Circula in Pelicano ad plusculos dies. Euadet dulce, suauissimum, admirandarum virium contra epilepsiam, & alios affectus astrales,* præsertim *si aurum solubile fuerit adiectum.* Dosis gutta vna cum aq. competente. Hoc *oleum vocat* TINCTVRAM. At o bone Quercetane nos non ex transmutatione oleum sanguineum colcotatis expectabamus, sed tincturam vitrioli viridissimi? Cur enim non cæruleum sumere iubebas ex quo etiam efficitur oleum rubeum? *Tinctura viridis rei viridis esse debet.* Sic *oleum vitrioli subviride smaragdinum* Crollius parabat *p.* 223. *Basilica.* Verum Quercetanus ambigue vtitur termino, sicut cum de tinctura philosophorum loquimur.

Spir. vitrioli & ol. rubrū.

Ol. dulce vitrioli reperussum.

Ingeniosa præparatio vitrioli à Quercetano inuenta.

Quod attinet primam destillationem phlegmatis spirituosi, & extractionem *coloris smaragdini*, si hic non est tinctura, saltem præparatio quædam est vitrioli, vt separata terrestri parte crassiore, subtilior, magisque essentialis in vsum veniat, & simul sit menstruum circulandorum crystallorum, ex quo postea acidus spiritus separatur. Quatuor iam res habemus *ex vnico vitriolo*; nempe *colcotar primum, colcotar secundum. spiritum vitrioli, & oleum*, seu tincturam sanguineam. Adde, si libet, quintam, *phlegma* scilicet Ponimus enim hoc saluum, seruatumque. Sequitur sexta. *Colcotar calcina in reuerberio.* Videtur secundum intelligere Quercetanus. Sed nos nec primum negligere oportet. *Vtrumque ergo coniunctum cremetur. Deinde affundatur tritis phlegma. Coquantur vna, vel etiam ad calorem macerentur vt sal soluatur, & phlegmati se insinuet, quod repetitis affusionibus consummabitur. Ex phlegmate sal separetur per destillationem vsque ad syrupi consistentiam, qua postea sinatur in salem in patina concrescere. Sal soluatur aqua stillatitia. Filtretur, coaguletur: iterum soluatur, coletur, & densetur, quo ad purus, & essentialis fiat.* Ita se habent simplicia ex vitriolo. Sequitur *Vnio philosophica admirabilis. Prima est salis cum anima spiritus coniunctio, vnde sal prius q. mortuus animam recipit. Illum ergo mitte in cucurbitam idoneam. Affunde spiritus vitrioli proprii, & valentis tantum, vt emineat duobus digitis. Vide vt inuicem commisceantur, digeranturque. Digestione sufficienter peracta leni balneo retrahe aquositatem. spiritu cum sale manente. Quod exit, nihil habebis aciditatis aut potestatis essentialis. Affunde spiritum nouum. Misce, digere, destilla item leniter. Perge sic, donec affusus spiritus tam validus exierit, quam est impositus. Tunc enim certus es, salem nihil amplius combibere.* Quercetanus ait procedendum esse, donec sal volatilis sit factus, in quo pars volatica excedat partem fixam, & hanc secum possit in alembicum euehere. Cum ergo humiditas tota abstracta est, sublima, ascendetque sal purissimus, quem Quercetanus vocat *aquilam cælestem, mercurium philosophorum, & salem armoniacum*, quibus titulis ornatur etiam *sal Tartareus* in lapide vegetabili de quo *cap. 6. in lib. de materia medicina prisca.* Sed æquiuoca sunt nomina. Si enim velis ista intelligere de opere vniuersalis, & vniuocæ chrysopœiæ, quam Quercetanus neglexit, erraueris. *Aquila cælestis* supra dicebatur etiam ex argento viuo sublimato medicamentum dulce: quanquam & hoc parabolicè. Verum non satis est salem & spiritum mercurialem coniunxisse: *Sulphur quoque ad integritatem elixyris requiritur. Cape ergo salem sublimatum. Tere: imbibe oleo suo rubente particulatim, non plus dando vna vice quam queat deglutire. Coagula lenissimo igne clausa phiola. Cum sitire vides, plus suffice, & sic perge, donec tantum combiberit, vt inde in igni instar cera fluat, qui sal fusilis*, & *inceratus* dicitur.

Sal vitrioli essentialis.

Sal animatus spiritu.

Sal sublimatus in aquilam cælestē.

Sal armon. philosoph.

Mercurius phil. medicus.

Sal fusilis hermeticorū.

Est &

Est & elixyr vitrioli. Hoc ergo cum satis potasti, claude phiolam Hermetica signatura, & in igni temperato sine ascendere, & descendere donec quiescant vnà & ignem, instar salamandræ, non curent, percurrendo vt vult Quercetanus *omnes colores, & in summo, qui est purpureus seu puniceus, sanguineusque, quiescant.* Hæc ita philosophicè præcipiuntur; sed cum defectu. Habebis sic salẽ puniceũ, & fixum, qui in *oleum per deliquiũ* perduci potest, facilioris vsus, & penetrantioris virtutis, quã in forma arida lapidis, vel pulueris. Vt ergo fundamentum habeas, terramque non omittas, *cape colcotar secundum, & ex eo extrahe tincturam rubeam per vini spiritum. Huic adde terram virgineam colcotaris primi diligentissime elaboratam. Fiet terra quadam sicca. Hanc exicca quam optime. Exiccatam imbibe sale exaltato, & animato suo spiritu iam in liquorem resoluto. Cum totum salem accepit, submitte oleum rubeum eodem modo.* Vel vt parcas tempori, oleo salem resolue vt sint vnus liquor.

Oleum elixyris vitrioli.

Anodynum vitriolatum Quercetani essentiale.

Hoc esto *lac virginis quo potare debeas sitientem terram. Cum totum oleum quantum recipere potest combibit, tunc assa in igni salamandram in phiola Hermetica vt dictum est.* Si augere velis, post fixionem eodem oleo iterum solue, & coagula. Ita accipies *sulphur vitriolatum anodynum Quercetani essentiale*, maximeque elaboratum, quo suum *Nepenthes* nobilitauit, quanquam pro vsu vulgari sufficiat etiam rudior ille quem in superioribus proposuimus ex colcotare, & oleo rubro commistis, & in vitro clauso philosophice fermentatis. Libet amplius procedere? *Oleum rubrum vitrioli nouo colcotari affunde, digere, destilla magna vi ignis ex retorta. Repete idem tertio. Isto oleo solue calcem auri. Solutione imbibe terram tuam, & adde salem spiritu suo impragnatum. Desine in igni donec figantur. Hic est lapis, quem sperant posse tingere.* Sed in solutione attendenda est legitima digestio, vt aurum totum solutum in primam materiam reuertatur, fiatque *aqua permanent* quædam. Hoc arcanum videtur notare voluisse Quercetanus *pag. 382. & seq. Tetradis.*

Sulphur vitriolatum aureum.

Quoniam autem sulphuris vitriolati mentionem fecimus, tametsi de eo in superioribus quoque locuti simus, & *in syntagmate lib. 7. cap. vlt. pag. 361.* aliquot sententias posuerimus; tamen & hæc non prætereamus. Crollius spiritu acido ex Chalcantho abstracto, oleum validiore igne prolicit. *In huius partem vnam sex spiritus vini omni aquositate nudati infundit. Oportet autem prius oleum illud repetita destillatione rectificatum esse Digestione in aliquot menses procurata destillatur, & oleum innatans colligitur.* Id *in syntagmate* scripsimus *non esse vitrioli, sed spiritus vini.* Quidam tamen *vitriolatum* vocant, quod si de alteratione intelligendum est, non dissentimus. *Oleum* autem *sulphur* appellatur. Inde *primum sulphur vitriolatum. Secundum* ponit Crollius in descriptione vitrioli ex ære & ferro. Crystallis enim ex diluto exceptis sidit quiddam feculentum. Id *sulphur vitriolatum* appellatur. *Tertium* est oleum ex illis vitriolis post spiritum segregandum. Id nominat *sulphur vitriolatum sine corrosiuo preparatum*, in quo sit *acetum esuriuum*, seu *aciditas appetitum cibi, & esuriem concilians.* Est enim oleum istud admodum acidum si recte præparetur. Iam ergo habemus tria sulphura vitriolata apud Crollium. *Quartum* est *impurum, & fœtidum*, spuma nempe quæ in purificatione vitrioli soluti per digestionem calidam emergit, quam & Tanckius sulphur appellauit. Sed hoc non est essentiale. Quercetanus *Quinti* meminit *in pharmacopœia* vbi Theriacam recenset *pag. 513.* iudicans ex vitriolo Hungarico, Romano, aut Cyprio, quo nihil præstabilius ad hoc opus, elici debere *SVLPHVR DVLCE verum anodynum; & narcoticum, atque ideo Opio præstabilius.* Modum extractionis putat esse perspectum plærisque Hermeticis, *basinque Nepentheos* constituere, quod sibi seruet. Sed bonus ille Quercetanus ignorauit per *laborantem pecunia auidum ad plurimos peruenisse, atque etiam in Bohemiam ad Martinum Rulandum, & Patauium in Italiam*, vbi studiosorum Germanorum manibus teritur, abiisse. Est qui Rulando scripsit *Quercetanum voluisse 200. coronatis redimere, & non potuisse.* Hæc si verum esset, Quercetanus male sibi id assereret.

De sulphure vitriolato.

Oleum vitriolatum.

Sulphura vitriolata varia.

Acetum esuriuum.

Sulphur dulce vitriolatum.

Vide cap. 32. de igne naturæ.

Sulphur ducentorum coronatorũ.

Quidam tamen aiunt confidenter ab illo ipso in Hassiam missum fuisse. Reuera id *sulphur non est, sed elyxir vitrioli*, quod putamus à Quercetano sub TINCTVRA occultatum esse, vt ante monebamus. Fit eius mentio *in consiliis circa finem pag. 430.* vbi Nepenthis ingredientia recensentur. Ita est quintum sulphur vitriolatum. *Sextum* est apud Rupescissam *in lib. lucis cap. 3. & 5.* vbi probat *sulphur album & rubeum vitrioli esse in mercurio sublimato*, quod *album quidem externo aspectu dicitur, sed intus & in recessu rubeum est, vt tam albo, quam rubeo lapidi inseruiat.* Dicitur & *sulphur viuum inuisibile* à Quercetano *ignis natura* quo impprægnatur mercurius dum à vitriolo sæpe sublimatur, estque spirituale. Vnde *spiritus* quoque *vitrioli* apud Rupescissam nuncupatur. Vide *cap. 6. lib. lucis. Est* autem *& aliud in lapide fermentato* ex argento vel auro, de quo suo in loco. *Septimum* habet Paracelsus in curatione luis Gallicæ *lib. 2. cap 4.* vbi sulphur vitriolatum vocat *sulphuris quandam speciem ex vitriolo excoctam*, seu vt *in minore chirurgia lib. 3. de morbillis cap. 2.* loquitur, *à vitriolo per elixationem tractatã.* Dornæus in onomastico addit per aquam communem à vitriolo decoctione trahi, & innatare aquæ. Aliud in Paracelsi scriptis non inuenitur, quanquam *anodyni* cuiusdam mentionem faciat, sed sine descriptione. *(t)* Hinc Crollius *in Basilica pag. 223.* scribit se *oleum vitrioli dulce, oleum antimonii dulce, & genuinum sulphur vitriolatum fixum*, cui anodyno Paracelsus stupendas vires tribuat, nondum apud quenquam vidisse, & mirum est ne apud *Huserum* quidem. Laudanum autem laudatissimum Paracelsi nomine propositum *pag. 173.* ex opio fit Thebaico, &c. nihilque habet de vitriolo. *Octauum sulphur vitriolatum est natiuum*, quod cum vitriolo crescit, & eius aciditatem secũ vehit, de quo Crollius *p. 230. Basilicæ. Nonum* est ex soluto vitrioli, & aqua atramentosa natiua per repercussionem factum. Nam feces sidentes iniectu acris liquoris vt spiritus salis tartari, vel olei, sulphur vocatur. Hoc aliqui appellant *ochram vitrioli.* Sed distinguendum est. *Ochra est prima fex* quæ in purgatione sidit. *Sulphur citrinum* ex iam purissimo soluto descenditur, siue id naturale sit, siue per artem factum. Nam tria principia sunt in chalcantho puro sal, mercurius, & sulphur, quæ facile agnoscit chymicus. Si magisterũ arte & non essentiali elaboratione sepates, flauities illa sulphuris locum obtinet, vt & in crystallis æruginis, aut æris ferrique solutione vitriolata. Est in aliquibus metalli ramentum, Quercetano aureum.

Decimum item est repercussorium ex oleo sulphuris per liquorem tartari aut spiritum vitrioli separatum. *Sulphur vitrioli anodynum*, inquit quidam, *vere & philosophice paratum est basis* Nepentheos *Quercetani: Sed quam ille olfecit tantum, non vidit. Est enim vnum ex præstantißimis arcanis, solum iis cognitum, qui viua anatomia ipsum vitriolum in sua resecare norunt principia. Circumfertur vulgo anodynũ vitrioli à Wolfgango Thalero, medico quondã Augustano: item simile à P. Montano confectum & descriptum per deliquium sulphuris vitrioli à sale tartari in solutum iniecto. Sed sunt crassa admodum, & culinaria præparationes, & dosis earum est ad scrupulum augenda non sine periculo eius, qui sumit.* Hæc ego auersor nec philosopho digna esse arbitror. *Sulphur vitrioli verum anodynum etiam odore suauem somnum inducit. Dosis est gran. ij. vel iij. Sedat omnes dolores acerbos, quietemque inducit & corpori & morbo.* Hoc, inquam, *parare nesciuit Quercetanus. Vidit aliquando, & vsus est, cum ante quinquennium esset in Germania. Sed descriptionem* (d) *& præparationem etiam* 200. *coronatis habere non potuit. Est enim longe carius & pretiosius donum, licet ex re vili extractum, & factum.* Hæc ille. Sed fallitur arbitrando Quercetanum ignorasse, nec vidisse, cum, vt diximus, ex eius laboratorio multis sit communicatum. Si etiam iis est cognitum, qui *viuam anatomiam vitrioli* sciunt: Quercetanus autem eam scriptis quoque docuit; non potuit adeo imperitus istius sulphuris esse. Quod autem reiicitur Thaleri præparatio, iniquum videtur. Si enim verba recte assequimur, ex vitriolo oleum sulphureum est extrahendum, & hoc imbibendus sal proprius, vt fiat massa. Hæc exiccata soluitur deliquio. Solutio præcipitatur spiritu tartari vel halonitri, aut vitrioli. Inde fit oleum dulce, cuius sedimentum colligitur, abluiturque & *sulphur vitriolatum dicitur, non quod solum sit vitrioli, sed quod vitriolo affectum.* Quod autem ex laboratorio Quercetani distributum est, & à Iohanne Hartmanno ad Rulandum perscriptum, non est sulphur vitrioli, si quidem tertium principium anatomiæ eius intelligimus, sed compositio ex dulcorato colcotare & ol. vitrioli rubeo vt *cap. 32. de igni natura* posuimus. Sulphur vitriolatum anodynum vocant, cum sit corpus vitrioli crematum, oleo non illius ipsius cremati, nisi imperfecta est formula, & in descriptione aliquid omissum; sed alterius imbutum, saleque excluso coagulatum. Quanto rectius terra virgo, vel tinctura colcotaris rubea proprio oleo potata elaboratur? Si vis etiam per repercussionem: Solue deliquio, & proprio spiritu alcalisato præcipita. Separa liquorem à sedimento; vel vtrumque vna relinque & coagula. In hac compositione est quidem sulphur vitrioli, sed ipsa tota aliud quid est. *Sulphur vitrioli vndecimum* est quod pinguedine sulphurea ignem concipit, quale etiam ex antimonio segregatur, & in excoctione metallorum flagrare cernitur cærulea, rubraque flamma. Id est congeneum cum illo Crolliano natiuo, tantumque differt quod hic in ipsam vitrioli substantiam sit receptum, & inde separetur tum concreta forma per efflorescentiam, tum soluta, specie olei, vnde & oleum spissius & pinguius sulphuris appellationem attraxit potius quam æstimationem principii tertii in essentiam redacti. *Duodecimum* quorundam iudicio est, quod per spiritum vini elicitur ex vitriolo non destillato, sed ad rubedinem duntaxat cremato, ne pereat interior oleositas, tantumque aquosa pars decedat. *Hoc crematum vitriolatum spiritu vini, vel iuniperino perfunditur. Maceratur aliquandiu. Deinde lenißimo balneo reuocatur humor, & spiritus nouus affunditur, factaque digestione denuo abstrahitur, quod repetitur donec spiritus eadem bonitate per destillationem decedat, qua erat affusus. Illud colcotar sic nutritum postea destillatur ex retorta. Destillatum segregatur in oleum & spiritum.* Sal seu aqua stillatitia dulci, seu phlegmate proprio, si ad manum est extrahitur. Deinde per acetum stillatitium possumus ex amplius vsto calcinatoque seu reuerberato capite mortuo rubedinem separare, quæ est tincturæ quædam species. (e) Si iam velis anodynum elixyr Quercetani facere, hanc ipsam oleo rectificato committes, & in phiola Hermetica concoques, donec amice vniantur, & conquiescant. Id erit longe melius anodynum, & naturæ nostræ familiarius quam crassa illa, & culinaria mistura Hartmanni, tametsi nec hanc repudiemus. Verum hæc de sulphure vitriolato sufficiant. Vt enim diximus etiam in syntagmate, & de igni naturæ de eodem disseruimus non quod tautologiis delectemur, sed quod alia affectione, alioque tempore alia succurrant & plærumque posteriores cogitationes vel corrigant, vel illustrent priores, quod videmus etiam aliis interpretibus, & commentatoribus vsu venire, quanquam in scientificis præceptionibus nihil tale sit committendum. Adde istis etiam hoc: *Vitriolum solue aq. pura, filtra, coagula: Iterum solue, digere, & filtra. Tunc coque in arena vt fere bulliat impone laminas ferri tersas & nitidas. Sine ibi per octauam hora. Inuenies in eis sulphuream quandam accretionem, quam abrasam collige, & laminas iterum inmitte, repeteque hoc quousque nihil amplius adhæreat.* Sulphur vitriolatum vocant, quod ablutum siccant. Mars allicit venerem ex chalcantho. Volunt esse narcoticum. *Phlegma vitrioli* (ita vocari aquositatem à spiritu & oleo separatam, tam notum est; respondet autem elemento aquæ, estque cognatum mercurio magistrali) aut per se in vsum venit, aut cum spiritu vitrioli. Per se est *emeticum*, quanquam non sit necessarium hoc vti tot vomitiuis præsentibus, vt *supra* enumerauimus. Crollius *pag.* 119. *crystallos vitrioli martis vel veneris phlegmate acido, quod primum in spiritus destillatione prodit, digerit, circulatque octiduo, & ad vomendum præbet scrupulum vnum ad duos.* Sed & ex albo vitriolo essentiam aqua stillatitia (pro qua esse potest phlegma destillatione rectificatum) elicit, soluendo id, filtrando, coagulandoque tertium, donec leni calore exiccatum in puluerem abeat cum saccharo crystallino præbendum. Quidam aqua rosacea vtuntur, & *tam efficax vomitiuum faciunt, vt lingua impositum statim in fauces irrepat, seque ad neruos recurrentes distribuat, conuulsoque orificio ventriculi vomitum moueat*, quod facit etiam Quercetani *puluis descensorius* ex liquore sublimati destillato. Alii vitriolum Goslariense vrunt vt fiat vitriolum album. Id soluunt aq. communi. Digerunt filtrant, coagulant. Repetunt idem secundo. Tertia vice aquam rosaceam pro communi sumunt, & coagulatum dant à ʒ.ß. ad ʒj. *Gramanus* ex minera æris colligebat *salem veneris*, qui nihil aliud erat quam *atramentum*, hocque cum cereuisia, vel grato alio liquore dato expurgabat ventriculi camarinam & proluuiem, quo ipso bene consulebat crapulosis. Sed minore cum periculo Hippocratici vtun-

NB.

Paulo ante non vidit: iam vidit.

Quid est viua anatomia?

Sulphur per modum sublimationis florum.

Subtilior modus sulphuris anodyni.

Phlegma vitrioli.

Vomitiua quadam.

vtuntur *radice Asari, hydrelao, agarico* cum *oxymelite* elleborato, vel stillitico. Hippocrates nec a *peplio*, & *elleboro* abstinuit, vti vulgus audet grana Thymelææ, vel cocognidii, aut semen Cataputiæ, &c. deglutire. *Phlegma vitriolatum* melius adhiberi potest in sordidis vlceribus eluendis, *phlegmonis*, & *tumoribus*, calidis, influxibusque reprimendis. Si in eo soluas lapidem illum *medicamentosum chirurgorum*, adhuc præstantius medicamentum consequaris. Alias ad *cacoëthe* ex colcotare per aquam stillatitiam pluuialem aut rorem maium destillarum coctione extrahitur *dulcedo*: Et colcotar semel coctum reuerberatur, iterumque coquitur, quod fit & tertio. Tandem aquæ decoctæ coagulantur in salem dulcem, qui potest deliquio solui. Quercetanus scripsit *in pharmacopœa pag. 291.* ad præparandum succum scammonii, myrrham & gummata egregie facere, si phlegma vitrioli suo spiritu non sit priuatum, quod *in solo spiritu vitriolato lateat vera calidorum excessu præparatio*, vnde & spiritus idem verum *euphorbii* sit correctiuum, & inseruiat etiam *Aloë*. Videtur his verbis *spiritui vitrioli frigiditatem* ascribere, cum plærique paracelsici caliditatem, vt & acido spiritui sulphutis, & salis ammoniaci ex fuligine caminaria: alii tanquam rei cœlesti nullam elementarem qualitatem tribuunt, qua de caussa etiam volunt accedere ad naturam coniunctorum, eamque in sua virtute exaltare. Si cum phlegmate abundantiore sit, vt eum in correctionibus dicto loco Quercetanus adhibendum docet, sane plus frigoris obtineat mistura, quam caloris. Nos spiritum etiam syncerum non possumus absoluere à qualitatibus elementaribus. Est enim essentia vitrioli diluta aquoso liquore. Itaque & efficitur frigore hyemali, ioque glaciem vertitur. Astringit præterea, penetrat & calcinat margaritas, & coralia: dentibus vt acre acetum inducit stuporem, & alia agit; vnde colligitur non vna facultate præditum esse, nec vacare elementis quicquid dicant Paracelsici.

Qualitas spiritus vitrioli.

De ipso spiritu vitrioli, qui vel à phlegmate, vel oleo separatur nihil attinet scribere, cum iam sit vulgatissimi vsus, & paucis studiosis eius conficiendi ratio ignota (f) olim tres dies, noctesq; per retortas in magnas ampullas igne reuerberii erat agendus cum phlegmate, & oleo rubro quæ postea separabantur. Nunc fere muliebri, & lixatum opera horis 10. aut 12. conficitur. *Crollius duos habet modos*: Primo aqua destillata vel rore maio solutum vitriolum ad putrescendum reponitur, factaq; separatione spumæ, & fecũ purus liquor in balneu vel arena destillatur, vt duabus, tribusve horis phlegma secedat, inde aciditas gustu dignoscenda mutato conceptaculo colligatur. Si pergas aucto igni, oleũ elicies, quod cum vini alcohole circulatum in vapidi balnei dolio per aliquot menses, destillatione exhibebit *oleum* ionatans destillato *dulce* propter spiritus vini pinguedinem. Vnde & *oleum vitrioli dulce* aliquod vidit, si fecit, Crollius, licet alibi neget. Spiritum autem oportet Pelicano includere & circulare, *donec violam oleat*, fiatq; essentialis. *Colcotar* seu caput mortuum *dat salem, & tincturam & terram virgineam*. Si tincturam oleo satures accipis dictum sulphur vitriolatum. *Alio modo ex purgatione reductũ chalcanthum destillatur* per gradus, & fortissimo igni pellitur oleum. Sed oportet in recipiente aquam esse, præsertim si vitriolum fuit aliquanto magis exiccatum. Crollius libras duas fortiter destillat: Liquori vero destillato duas partes aquæ stillatitiæ adiicit, & post digestionem in balneo destillat aquã cum spiritu, qui postea ab illa segregatur. In fundo restat *oleum acidissimum*, quod per se in vsum venire potest, aut cum terra virgine colcotaris combinari pro libitu. Qui plura de spiritu & oleo volet, legat Alchymiam, & syntagma nostrum aut si mauult alios quoq; autores consulat, & manu opus aggrediatur. (g) *De vsu scribunt plus quam miracula*, in omni genere morborum, præsertim in *febribus* phlegmaticis, & *melancholicis*, *epilepsia*, *podagra, calculo*, &c. Vsurpatur & ad *calcinationes perlarum & coraliorum* item *lapillorum ex cancris &c. exaltat tincturas florum rubrorum; emendat cathartica* vegetalium valida, &c. Quercetanus cum suum mercurium vitæ abluit, putat inde *alio modo vitrioli spiritum nasci*, de quo & *supra* mentio facta est. Sed nos non censemus temere periclitandum esse. Non quicquid fieri potest, statim etiam fit recte & ex arte. Spiritus hic dulcescit si cum ol. halonitri vel liquore tartari confunditur. Ita & *oleum dulce* conflatur ex colcotare spiritu vini nutrito: vel oleo acido eodem spiritu immutato: vel acido oleo & liquore tartari: vel ol. caustico vitrioli, proprioque spiritu, &c. vide de his *Tetradem pag. 375.* & *in consilio de calculo pag. 302.* vbi eius commendatio. In superioribus oleum vitrioli adeo forte per triplicem destillationem factũ proposuimus, vt nequeat diu eodem vitro contineri, quod vsurpant ad aurum soluendum pro lapide quodam particulari, qualis est & Lapis ignis monachi ex antimonio. De oleo smaragdino vide Crollium *pag. 223. in Basilica*, quem *supra* citauimus. *Sal ex capite mortuo* vel colcotare elici iam manifestum est. Eum quidam amplius elaborant, nempe miscendo cum calce viua, & reuerberando, extrahendo, filtrando, coagulando, quomodo Penotus, & Quercetanus tractant salem armoniacum. *Crollius vetat amplius igniri* & calcinari. Is iunctus spiritui proprio, hunc *alcalisatum* exhibet. Alias quomodo in *aquilam cœlestem* & mercurium philosophorum sit euehendus, ex Quercetano ante indicauimus. Penotus in chymicis fuse de eo scripsit singulari capite *a pag. 60. vsq; ad 67. & 70.* ait *si per mensem sale vtaris indies in iusculo carnis, præseruatiuum esse ab omni ægritudine*. Fit hic sal ex eodem vitriolo ex quo & spiritus. Alius *vomitiuus* paratur ex atramento albo, vt Crollius indicat. Eius mentionem facit & Quercetanus *in pharmacop. pag. 331.* præbens grana 7. vsque ad 10. ex vino, brodio, aut alio liquore. Ideo vitriolum esse putamus ex quo rum vulgo fit *ophthalmica aqua* (Augenstein vocant, hoc est, lapidem oculorum) tum apud Quercetanum *in pharmac.* qui libras duas vrinæ puerilis per putrefactionem optime separatæ & purificatæ temperat cum Thutiæ, & vitrioli singulis trientibus, & facta aliquot dierum digestione destillat in cineribus ad siccum, tandemque guttas destillati ophthalmia affectis oculis instillat. Similem compositionem habet *in tractatu de signaturis rerum internis*, quanquã alio processu. *Decem libras vrinæ pueri œnopotæ bene per putrefactionem separatæ viginti libris vitrioli Romani vel Vngarici itidem probe purificati misce. Diuide in duas cucurbitas, aut Pelicanos capaces. Digere in balneo tepido per octiduum, & in fine aucto calore coque, vt bulliant. Transfer postea in destillatorium. Prima aqua, quæ profluit, ocu-*

Destillatio vitrioli Crolliana.

Spiritus violam olens.

Spiritus vitrioli dulcis.

Ol. dulce vitr.

Sal chalcanthi.

Ophthalmica.

 laris est:

laris est: Secunda antipodagrica. Destilla vsque ad mellis consistentiam. Hanc in lebetem ferreum infusam coagula, subinde agitando, ne hæreat. Fiet massa ex chalcantho, & sale vrina. Hanc ex retorta per gradus ignis, vt in aqua forti fieri solet, destilla, vt procedant spiritus, qui pruina glaciata instar in amplo conceptaculo consistent (Germani Tufft vocant, estque canities hirsuta arborum à flatibus vapidis hybernis) *vi salis armoniaci coagulatius, qui est in massa.* Dantur grana 10. vel 20. ex brodio contra *obstructiones epatis, lienis, vesica, calculum,* &c. Liquor eius extinguit *Gangrenas*; vide autorem ipsum, qui & *cap. 30. circa finem in Tetrade* plura alia in *suo spagyrice* de vitriolo etiam metallorum promittit. Vnam adhuc quæstionem addimus. Scribit Quercetanus *in fine cap. 30. Tetradis, vitriolum esse Leonem viridem Riplæi* cuius admirandæ potestates satis enumerari & celebrari non possint. Quæritur quæ sit huius enunciati vel sententia, vel veritas. Apud professores arcani magisterii *duo* inueniuntur *Leones vnus viridis alter fuluus, seu ruber. Leo viridis est vitrum,* inquit Morienus. In Rosario philosophorum est *mercurius noster qui Solem deuorat,* transitque in aquam seu oleum permanens, quod aiunt fieri ex Sole per salem fusilem. Inter species, quæ ad compositionem lapidis concurrunt præter aquam fœtidam, & album fumum ponitur & Leo viridis, quæ videntur esse illa Riplæi: *Cum aqua vita ponitur ad hominem rubeum, & mulierem candidam, & fuerint hac tria in vnum colligata,* &c. vbi Leo viridis & aqua vitæ sicut & alibi Lac virginis, possunt pro vno sumi. Ita enim & Artefius ex Morieno nimirum, scripsit: *Cape Leonem viridem, fumum album, & aquam fœtentem.* Solue: fac calcem. *Fige: solue, & sublima, donec seruus fiat ruber, & mulier alba. Nam cum calx præparata alba facta est, & sublimatum auolat, absolutum est opus.* Quidam hæc exponunt de *chalcantho, sale, & hydrargyro* ex quibus fit sublimatum, quod figitur sequente sublimatione & aqua sua, deinde soluitur in liquorem vnctuosum, ex quo aqua exaltatur philosophicis coctionibus per solutiones, & coagulationes donec fiat *elixyr album,* quod *Luna & mulier* dicitur, indeque *seruus ruber* ad lapidem rubeum, qui ab aliquibus etiam *Leo ruber* appellatur. Sed ænigmatica illa non tam facile explicantur. Sane *vitriolum viride,* præsertim ex ære, sustinet illas passiones. *Viriditas est quinta essentia,* inquit Isaacus *cap. 64. lib. 2. op. min. quam ex vitriolo quærimus, quæ & in insignem rubedinem conuertitur. Sensim fieri debet lapillando, cumque iam fecibus exutum est, & in stufa sicca pulueratum, viriditas albedine tegitur, sed prodit iterum recepta humiditate. Ideo exterius eius intro, & interius foras trahendum est ad retinendam animam eius, spiritum, vitam, & quintam essentiam quod magnum mysterium est in arte nostra. Cum vitriolum hoc pacto paratum est, rubrum est instar rosa vel rubini, & hunc 4. Elem. in se perfecta habet, estque tunc lapis is, quem Deus nobis est largitus.* Hæc Isaacus, quæ literaliter accipientes quidam dixerunt, indicare Leonem viridem esse vitriolum, quod & Dornæus inter lapides philosophicos reposuit. *& Epistola de occulta philosophia* apud Barnaudum in solo vitriolo, si literam spectamus, artem ponit, aliquibus addentibus metalla perfecta pro fermentis, quod tamen autor Epistolæ repudiat, & fermentum quoque ex vitriolo producit. Reimundo hoc tribuitur: *Cape acetum fortissimum. Solue & leonem viridem in bona quantitate. Destilla per filtrum, seu lacinias. Serua in alembicis seu cucurbitis destillatoriis. Si non solutum esset totum, affunde plus aceti. Cum solutiones collegisti, destilla eas ad mellis consistentiam.* Hæc ex Lullio, quæ secundum literam chalcantho conueniunt, videtur Quercetanus hunc secutus esse, cum & ipse crystallos confecturus solutionem vitrioli depuratū eo vsq; destillare iubeat. Sed in opere arcanorum ista sententia exploditur, reiiciturq; vitriolum literale expressis verbis. *Paracelsus in Thesauro Thesaurorum,* qui est *in tomo VI. ex minera cinabaris* per aquam fortem extrahit essentiam ita vt per crebras affusiones & destillationes vna exeat per alembicum. Destillatum putrefacit per mensem vt fiat separatio. Deinde destillationem instituit primo ignis gradu, qua dicit exire aquam & aerem simul, remanente terra & igni. Aquam elicitam reddit his quæ manserunt. Digerit: destillat ex cineribus paulatim extrahitque primum aquositatem cum aere, sed aucto calore tandem ignem, seu oleum igneum: quæ separantur.

Num vitriolum Leo Viridis.

Leo viridis.

Viriditas vitrioli.

Paracelsi ruber Leo sed impostorie propositus. Integrum processum habes apud Basilium Valentinū.

Terra in fundo dicitur subsistere, quæ *mortua* vocatur. Hæc exemta includitur ouo seu globo cæmentatorio, & primo gradu ignis reuerberatur per dies quinq;: Deinde secūdo gradu item quinque. Ita sublimatur flos quidam igni & terræ communis. *Hunc exemtum imbibe aqua sua propria secundum artem imbibitionum: cum combibita est aqua, exicca sensim clausa phiola, & coque, donec alba fiat materia. Hanc terram secundo imbibe suo oleo, seu igne. Cum hoc receptum est, exicca sensim, & digere in pelicano, donec lapis fiat ruber. Hunc extrahe, & si qua terrea materia adhæret, eam separa. Lapis ille est* RVBER LEO, *qui dicitur in ortu* (b) *inueniri, seu in prima absolutione lapidis.* Hic resoluitur denuo, & miscetur cum auro per aquam regis soluto. Digeritur, destillaturque vt ante per elementa. Humor qui per alembicum exiit, seruatur. In fundo manet *oleositas, qua dicitur aurum potabile,* quod dulcorandum est vini essentia, vt *oleum Solis* non amplius sit acre. Hoc includitur phiolæ Hermeticæ signatæ, & circulatur in calore debito, vbi *surgendo, descendendoque attenuatur,* vt fiat admodum nobile. Si inde transferas in locum frigidum coagulatur, perinde vt solet, quando fit compositio soluti auri, & olei ex argento viuo sublimato: vel cinabari. Coagulatum iterum circulatur in calore, iterumque finitur in frigore consistere, idque reperitur tertio. Hæc dicitur *Tinctura Solis* in suo gradu perfecta. Memento vero te in secunda elementorum destillatione seruasse *liquorem destillatum, qui est communis aëri, & aqua.*

Oleum Solis & aurum potabile.

Iam ergo DE LEONE VIRIDI. *Vitriolum veneris* (i) *exacte præparatum & purificatū* (*solutionibus, filtrationibus & coagulationibus crebris, vt tinctura pura habeatur, sicut Isaacus docuit*) *perfundatur aqua ab oleo soluti auri per destillationem separata. Ponatur ad putrescendum per mensem. Cum videris segregationem contingere partium, ita vt rubedo innatet liquori albo (graui & mercuriali) separa innatans à substante per inclinationem, & rubedinem ex retorta destilla. Destillatum redde relictis, iterumque digere & destilla quousque procedat albedo, quam rectifica constanter, donec inuenias Leonem viridem clarum ponderosum. Hic porro circulatur, coquiturque, vt fiat tinctura, quam circa finem iubet componere ex quarta parte liquoris mineralium, duabus partibus salis*

rubei

rubei terra, & vna sulphuris solaris, coagulando in pelicano, & iterum soluendo, coagulandoque idque etiam tertio. Hic est lapis ille, qui *tinctura Alchymistarum* appellatur. Habes quid sit Paracelso viridis Leo. Sed cum in compositionem lapidis nihil de substantia imperfectorum metallorum veniat, multo minus atramentum æris, tibi de sensu cogitandum erit. Quercetanus in Riplæo est deceptus, videturque ipsi aliud nomen succurrisse aut exemplar aliud. Ita habet Riplæus *in præfatione Rotarum: Corpora perfecta cum primo naturaliter calcinamus, nullum corpus immundum ingreditur excepto vno, quod vulgariter vocatur à philosophis Leo viridis, quod est medium coniungendi tincturas inter Solem & Lunam cum perfectione: cum secundo* (quod est humiditas vegetabilis, reuiuificans: & quod prius erat mortuum) *ambo principia materialia debent solui, & formalia: Cum tertio:* (quod est humiditas maxime permanens, incombustibilis, & vnctuosa in sua natura) *Hermetis arbor in cineris comburitur*, &c. Iuxta hæc *Leo viridis est immundum corpus quo Sol & Luna coniunguntur.* Ergo ille Leo ante istam coniunctionem non dicitur. In coniunctione Solis, id est, calcis auri solutæ, & Lunæ, id est, elixyris mercurialis, medium est, vt potè crudus & incococtus spiritus si respiciamus ad qualitatem priorum duorum. Vnde vides Leonem istum qui Solem & Lunam deuorat nihil esse de vitriolo minerali quod Lacerta viridis, non Leo ab Hermeticis solet appellari: Sed liquorem mercurialem, qui si vitriolum æris dicitur, parabolicè & æquiuocè dicitur. Sicut enim oleum ex vitriolo paratum solutiuum est auri & argenti, ita liquor mercurialis Solis, & Lunæ, sine qua solutione nec coniungi possunt nec commisceri & vna manere. Vt apertius rem intelligas, attende ad ea quæ idem Riplæus habet *in Porta sexta. Mineralia* inquit, *nutriuntur humido radicali, quod eorum erat principium, non prætergrediente suam speciem in vno eodemque vase. Ibi conuertimus rursus vnam rem in aliam in suam* (scilicet) *matrem aquam, quando transferuntur. Tunc totum nihil est, quam sperma, nec quicquam præter speciem cum specie: In numero duo, mas & fœmina, agens, & patiens in matrice terra preciosissima: atque hæc conuertuntur calore de vna re in aliam, in vno vase vitreo & sic de statu in statum, vsque quo natura eos perducat in vnam substantiam ex aqua regeneratam. Ita sperma est in sua specie alteratum, aptum in similitudine suam speciem multiplicare. Tempore huius naturalis processus dum sperma conceptum crescit, substantia nutritur suo proprio menstruo, quod aqua solum & terra produxit cum* COLOR EST VIRIDIS *proprio aspectu, ac eo ipso tempore Sol abscondit lumen suum, capiens cursum noctu per septentrionem. Hoc dictum menstruum est sanguis nostri* LEONIS VIRIDIS ET NON VITRIOLI. *Domina venus veritatem huius tibi poterit aperire, si eam ab initio consiliariam aduoces: Qui sanguis extractus ex prædicto Leone ob defectum caloris non habuit perfectam coctionem.* (k) Hic sanguis vocatur *nostrum secretum menstruum*, cum quo nostrum sperma nutritur temperatè quando ipsum conuertit in feces corporales, & fit album, & perfectè siccum fixumque in suo proprio corpore; potestque tunc benè videri bis coctus sanguis, albissimum Diadema istius operis. Intellige, quod *ignea nostra aqua* sic acuata vocatur *menstrualis aqua, in qua terra nostra soluta est & naturaliter calcinata* per congelationem vt nunquam possint diuidi, &c. Plura descripsimus vt diligenter perpendas locum: Et simul ex porta quinta hoc axioma repete: Quicquid Sophista garriat, *sulphur nostrum & mercurius sunt in metallis tantum.* Iam cogitare possis de mercurio veneris, cuius vitriolum assumebat & paracelsus. Riplæus iubet *venerem ab initio consiliariam adhibere*: & menstruum nostrum dicit aspectu esse viride. Iam mercurius veneris est talis: Sub viriditate inquiunt alii, latitat nigredo; sub hac albedo; & tandē citrinitas cum rubedine. Omnia nimirum videntur astipulari aeris mercurio. Quod autem scriptum est; *sanguis nostri Leonis viridis & NON vitrioli*, id mutatum inuenitur in aliis exemplaribus quæ negationem non agnoscunt. Quercetanus ergo adhuc bene diuinasse creditur. Nam mercurius veneris esset sanguis Leonis viridis, qui secundum quosdam non producitur nisi æs in crystallos per aquam mercurialem sit mutatum. Illi crystalli quid aliud sint quam vitriolum æris? Sic Penotus *cum ex auro vult efficere mercurium* id prius calcinat per regiam, & sulphur; Deinde in crystallos facta resolutione per regiam perducit, ex quibus sublimat puluisculum *qui per tartarum duplum in argentum viuum mutatur.* Vide finem operis quod inscribitur: *Ægidii de vadis Dialogus* cum tractatibus variis à Penoto collectis.

Leo viridis Riplæi. Vide in sexta monade septadis Hermeticæ plura de sententia Riplæi, & Sadiuog. Vnde animaduertes aliquando esse lapidem aurificum super quo apparet viriditas ve in fulmine auri: Est & eum mysticè accipitur de corpore nigro & immundo in fundo vitri, quod abluitur per suam animam, &c.

Auri mercurius.

Idem Penotus *de materia lapidis* ex Isaaco scribit; *eam ita esse soluendam, vt semper eius operationes in balneo fiant donec in leonem viridem vertatur*: postea soluatur aqua roris Maii: vel si per se soluatur in humido (deliquio) solutum euaporetur, donec humiditas eo vsq; consumta sit vt superficies pellicula obtegi incipiat & in cella lapilli consistant, ex quibus albus puluis reuerberatione rubefieri debeat. Hæc quoque astipulantur vitriolo. Rosarius: *Sal metallorum dat soluere mercurium in aquam puram sub fimo* (id alias facit spiritus salis armeni fixi) *Et illud mixtum coagulatum erit perfecta medicina. Vitriolum Romanum habet naturam lapidis metallorum. Qui scit salem, & eius solutionem ille scit secretum occultum antiquorū sapientū*, &c. Verum hæc omnia parabolica esse docet Aurora cōsurgens, & ipse Rosarius *mercurii frigidum humidum ait esse Leonem viridem, aërium, volaticum, cuius simile in mundo non sit*, &c. Si attendisti ad verba, mentemq; Riplæi, viridis ille *Leo est extractum æris philosophici*, non vulgaris metalli: Et vocatur *vitriolum*, quia vt hoc ex albedine in rubedinem mutatur, ita & elixyr, habetque similes conditiones plures. *Vitriolum quidem in omni metallo & marcasitha naturali est.* Itaque etiam per artem elicitur. Idem habet ignem metallicum & sulphur quo per sublimationem impregnatur argentum viuum, fitque ex frigido humido calidum siccum: Sed neque *Leo ipse est, neque Leonis sanguis.* In principio est, *viscosa humiditas.* Hæc *soluitur in aquam claram, quæ porro philosophica putrefactione nigrescit, ex nigritie per viriditatem* (ibi plumbum, hic æs dicitur) *in albedinem transit, fitque terra alba Iouialis. Hæc resoluitur secundo, & decoquitur ex nigritie in albedinem, quæ coagulata vocatur elixyr.* Hoc iam soluitur mercurio homogeneo, seu aqua, & fit *Leo viridis*, qui in solutione sua etiam sanguis Leonis dicitur. In hunc similiter solutum aurum immergis; quod dum in eo philosophice consumitur, efficitur vt dicamus *Solem deuorari à Leone viridi*, & verti in eius sanguinem, substantiam, & naturam. (l) Nam ille *mercurius iam absorpta Luna, hoc est, matre sua, quæ ipsum parit simul* (Ita philosophantur de elixyre albo aëreo) acumen veluti salis

Leo viridis ex lapidis materia.

Sal metallorum.

Lapidis processus.

armeniaci acquiſiuit, vt poſſit etiam aurum abſorbere, & in ſuam naturam, ſeu primam materiam, volaticumque ſuccum conuertere, id quod expreſſe patet ex figura quoq; Roſarii. Poteſt quidem etiam cum adhuc ſolus eſt philoſophorum mercurius, ſeu aqua, Leo viridis & virgo dici: Nullius enim matrimonio eſt contaminatus: Sed notanter non ante commiſtionem trium ſic appellatur, vt ſit ſimul medium coniungens elixyr, & fermentum. Vnde viridis Leo, vitriolum iſtud medicum extra magiſterium eſſe non poteſt, niſi parabolicè.

(a) Quercetanus in tetrade pag. 355. Vngaricum optimum eſſe ſcribit, quod affrictum cultro inducit colorem æris. Romanum vitioſum, ſæpeque ochra aurea ſpoliatum eſſe: alias ſi integrum ſit, etiam probat, vt & Cyprium ſapphyrinum magna ſolis portione præditum, licet pretioſum.

(b) Tinctura vox hic eſt æquiuoca. In operibus mineralibus Iſaaci lib. 2. c. 64. genuina viridis commendatur, quæ ſeruari debet: amiſſa enim Q eſſ. amiſſa iudicatur. Apud Paracelſum eſt oleum vitrioli viride, nempe lib. 1. tract. 11. c. 15. maioris chirurgiæ. Id eius tinctura appellari poteſt.

(c) De ſulphure vitriolato apud Paracelſum in tractatu de ſulphure tomo vj. plura habentur, & inter cætera etiam hæc: Omnia ſulphura à ſalibus vitriolatis ſunt ſtupefactiua, narcotica, anodyna, ſomnifera, non modo opiatico, ſed ſine omni noxa, à natura ipſa id ſulphur decoctum eſt, præparatum & correctum, ad quod confugiendum in morbis qui ſine anodyno non poſſunt curari. Quo modo paretur, & inueniatur, in proceſſibus chymicis habetur. Id autem quod ex vitriolo eſt, notiſſimum eſt, & per ſe fixum: Habet & dulcedinem, ita vt à gallinis deuoretur, & eas in ſomnum coniiciat abſque damno: ſedat dolores omnes, refrigerat calores. &c. antecedere debet in morbo, & ſequi confortatiuum, &c. vocatur ſulphur philoſophorum ad longam vitam faciens Scire debes quomodo graduetur, ſeparetur, purificetur. Hæc ibi. In maioris chirurgiæ parte 2. tractat. 2. cap 9. omne vitriolum ſulphur ſtupefactiuum continet. Videat iam Hartmannus num ſuum elixyr reſpondeat proprietatibus & attributis paracelſicis, quando debet eſſe anodynum iſtud paracelſi. Dum philoſophorum eſſe dicitur, aliud quid indicari videtur. In vitriolo quidem præſtans ſit: Sed cum omne ſulphur atramentum participet, cæteris ſulphuris ſpeciebus non deerit.

Quantum attinet Nepenthes Quercetani per ſulphur vitriolatum ſine opio, id circumferunt ſtudioſi ex officina laboratoria eius à miniſtro diuenditum. Ipſeque indicat ingredientia in fine conſiliorum. Alii exhibent deſcriptionem hanc, quæ etiam typis eſt excuſa: Ex ſulphuris vitriolati narcotici ℥ j. per ſpiritum vini miſtum ſpir. ſulph. acidi, vel vitrioli acuatum, extrahe tincturam Extractiones in vitro ſerua. Extrahe etiam eſſentiam ex opii vncia priore modo. Duas extractiones confunde. Tertio cum ſpiritu vini iuniperato extrahe eſſentiam ex ſp. Diambra ℥ ij. in balneo vapido. Sepone extractionem. Quarto ex ſemuncia mumia extrahe tincturam per vini ſpiritum. Extractionem miſce primis duabus, vt & extractionem ex croci odorati orient. ℥ j. itidem ſpiritu vini factam. Extractiones iſtas confuſas in loco tepido ſerua per dies xv. indies bene agitando. Tandem ſpiritum vini abſtrahe per balneum. Reliquiis adde extracti Caſtorii ℥ ij. & extractionem Diambra ſeruatam Digere per menſem ſæpe agitando, donec omnis grauis odor abeat. Tunc adde tinctura coral. ſuccini pellucidi præp an ℥ j. eſſ. de corde cerui ℈ ß. Tinctura auri ℥ ß. contempera in mortario, & immiſce ol. ſuccini, macis, cinam. an. ℈ j. Deme aliquam partem de miſtura, & ſerua pro fœminis vteri ſuffocationi obnoxiis. Reliqua adde moſchi ℈ ß. aut conf. alkermes ℥ ß. Exicca loco temperato ad eam conſiſtentiam qua fingi queant pilulæ. Hæc eſt deſcriptio omnium famoſiſſima; ſed vt tincturam auri adhibeant pharmacopæi vereor, & cætera recte faciant. Diffuſius autor ſoli ſulphuri vitriolato adiecit opium.

(d) Nota, quod deſcriptio male accommodetur ſulphuri vitriolato, cum ſit lacerta rubra ſeu ſerpentis rubri, qui deuorat ſuam caudam. Vide onomaſticum Dornæi in colcotare, vbi lacertam viridem docet præparare ex colcotare & aqua propria.

(e) Paracelſ. lib. 10. de tumoribus ex vitriolo æris in colcotar redacto per aquam pluuiam extrahit rubedinem. Ex hac coagulata iterum extrahit ſubtiliorem, idque quinquies vel ſexies repetit, donec lapis ſit guſtu dulcis. Hæc rubedo videtur ceu ſpecies ſulphuris anodyni apud ipſum eſſe, ſeu corpus. Adhibet ad vlcera corroſiua.

(f) Communiter quatuor vitrioli libris miſcentur laterum fragmenta ad lib ß. Recipiens magnum retorta aptatur iunctura luto ſalſo linuntur. Ignis per gradus datur horis 10. donec retorta candeat: Inde valide intenditur per alias 10. vel 12. horas Rectificatio fit per abſtractionem phlegmatis in cineribus. Ita fit & ſalis communis toſti ſpiritus, ſi miſceatur ſal cum tribus partibus boli receptacula continente libram aquam ſtillatitia, &c.

(g) Vide Peroti chymica pag. 68. & 69. vbi compoſitum oleum exhibet: item præſtantiſſimum ſuo iudicio pag. 67. Graſebeccius purgatum optime miſcet ſpiritu vini præſtantiſſimo, vt paſta fiat, ad tollendam corroſiuam, quam habet. Inde deſtillat per gradus. Rectificat demum abſtrahendo vini ſpiritum & phlegma: acidum purum ſeruat, & circulando exaltat.

(h) Occaſus in opere ſecreto eſt nigredinis initium. Septentrio medium: Inde in ortum tenditur, fitque elixyr album, & in rubeo lapide accedit meridies, cum rubedo perfecta apparet.

(i) Vitriolum veneris docet præparare Crollius. Alii cremant cupri laminas aut ſquamas, donec puluerari & in calcem teri poſſint. Hæc aceto ſtillatitio maceratur horis 24. Acetum tinctum effunditur, & apponitur nouum, facta repetitione, donec non amplius tingat. Collectum acetum filtratur, & deſtillatur vſque ad quartæ partis remanentiam. Ex hac in loco frigido conſiſtunt lapilli. Si quod dilutum reſtat, id denuo coquitur & congelatur Vitriolum viride obſcurum eſt quidem, ſed fit cæruleum, ſi aqua diſtillata communi ſoluatur, digeratur, filtretur & coaguletur, vt prius.

(k) Nen

(k) Non vnus est sensus huius termini.1.vocatur aqua mercurialis, in qua aurum soluitur solutione vera. 2.Leo crudus est, elixyr imperfectum & nondum fermentatum.3.Lapis iam fermentatus primum idem accipit nomen, cumque imbibitur, vt fluere incipiat, dicitur sanguinem emittere, & ille liquor eius sanguis vocatur.4.Medicina quoque, quando exaltata est noua fermentatione, Leo viridis appellatur, qui item in sanguinem resoluitur, imbibendo.5. Aliquando est dispositio secreta materia.6. Aliquando vitriolum viride, &c.

(l) Leo viridis philosophorum, & Quercetani non possunt idem esse; quia illi suum ponunt in lapidis aurifici confectione: hic in medicina pharmaceutica. Cum ergo Riplaus de magisterio aurifico scripserit, vitriolum Quercetani non potuit leonem viridem appellare. Vide Bernhardum de temerario circa vitriolum labore. Richardus expresse negat ex atramentu fi[e]ri, licet iis metalla purgari queant.

CAPVT XV.

De Sulphure hypomnema.

SVlphur chymicorum non est vnius generis, & naturæ. In mineris corporeum natiuum inuenitur, quod statim est suum, & ideo ἄπυρον dicitur, vtpote ignem conflatorium non expertum, quale in Hybernia, & alicubi in Polonia, Calabria & aliis locis sponte naturæ productum intelligimus, *fissile* dictum, quod Crollius putat *pro floribus artificiosis* esse posse: Et sane vbi loca ardentia bitumine & sulphure sunt, ibi resolutum, protrusumque aut proflatum sulphur circa spiracula puteus concrescere non est mirum, Vulcano naturæ artem quandam in magnis vasis exercente, sulphurque spiritualiter protrudente & eleuante, vt in sublimatoriis chymicorum fieri solet. Alicubi tamen etiam quasi efflorescit, aut in rimis lapidum consistit ad instar sudoris coagulati. Vnde venarum modo per mineras suas distributum discurrit. Sæpe conspicitur etiam foris adhærere lapidibus, vt possit decuti. Id ferè rubrum, pallidum, aut viride est. In Carniola tradunt effodi *rubrum* quoddam singulare, quod nec ardet, vt alia sulphura, nec fœtet, diciturq; *cera instar igne admoto fluere*, cuius bonitatem explorant inter duas ferreas laminas modice ignitas. *Si enim inter illas compressum fluit fluxu cereo sine fœtore, & rubedinem relinquit, genuinum censetur, & bonum. Id fluit etiam candela admotum*, sicut & argentum rude rubrum. Quid sit *vniuocumne sulphur, an sandaraca*, species nimirum quædam *arsenici aurei* non ita venenati vt arsenicum rubrum commune, an *flos marcasitha rubra*, aut etiam *minium natiuum*, quod contra epilepsiam Crato, Quercetanus & alii commendant, contendunt eruditi. Natura varie miscet succos. Vnde sæpe fit, vt in cuniculis consistant quidam quos non possis ad vllum simplex genus referre. Ita illud rubrum sulphur vniuocum quidem sulphur nõ est, attamen cognatum quid esse nil prohibet, nec dubitarunt philosophi *arsenicum compar sulphuris* appellare. Cum *calaëmum* ignibus addito halinitro exerceremus, solueremusq;, incipiebat & ipsum ardere magna flamma qua omnino exuebat metallicam naturam, inq; albam fauillam instar Pompholygis abibat, magno quidem cũ fumo, sed absq; fœtore sulphureo, vnde iudicabamus esse cognatum *arsenico puro & cocto*, quod veneni nihil habet; vnde & licet multum de illo fumo attraxissemus, nihil tamen inde sumus passi. Sit ergo ille *ruber succus de genere arsenici veneno exhausti*, quo modo etiam cõmune potest elaborari, vt ex virulento fiat salubre & innoxium. Sulphur autem appellatur æquiuocè iuxta disciplinam & consuetudinem Hermeticorum parabolicorum, seu symbolicorum qui vt salis vocabulo comprehendunt omnes succos minerales in humore aqueo & elementari diffluentes, vitriolum, alumen, armoniacum, halonitrum, aphronitrum, salem fossilem, excoctitium, &c. ita *appellatione sulphuris complectuntur sulphur fossile, auripigmentum, sandaracam Græcorum, arsenicum, Realgar, bitumen, succinum, sulphur conflatum arte & similia*. Est in mineris etiam sulphuris vena, in qua nõ actu, sed potentia est; Hoc quoq; *viuum* appellant officinę, & lapidem impurum totum assumunt, cum iubentur viuum sulphur capere; magno errore medicorum istam incuriam dissimulantium. Nascitur fere etiam in marcasithis metallicis, ex quibus non raro ante metalli excoctionem est separandum, probantque chymici maximè *sulphur marcasitha aurea*, quam & *virum ruffum* nominant, & sulphur ex eo *sanguinem viri ruffi*, quod & sulphur verum rubeum est. Qui philosophos literaliter interpretantur, putant tale sulphur esse *principium metallorum masculinum, argento viuo fœmineo existente*, ita vt illud metallis formam det, hoc materiam suppeditet. In hac sententia sunt etiam vulgares metallurgi, fossores, & excoctores. Quia enim odor sulphureus & flamma inter excoquendum venas, imo & cum æs ad tegulam recoquitur, apparet cum fluxu argenti viui, hinc coniiciunt *sulphur & hydrargyrum esse materiam metallorum*. Sed hoc argumento etiam bitumen, & chalcanthum cum arsenico forent. *Aliud est, cum materia coincidere & inueniri in mineris sulphur: aliud ex sulphure constitui*. Ideo & *temere laborant, qui sulphur commune & argentum viuum aliquando & stibio adiecto cinabarim faciunt, indeque aurum & argentum quærunt*, quod satis ostendit Bernhardus, qui inter alias laborantium vanitates, irritosque conatus ponit etiam studium sulphuris albi, rubei, cærulei, cinerei, flaui, &c. vnde plus fœtoris, quam lucri. Primis temporibus diuulgatæ Paracelsi disciplinæ sulphur rubeum cupidissimè quærebatur, idque debebat esse fossile, & natiuum. Dornheuserus asserebat, id esse sandaracam rubram. Quidam *cinabarim* proponebant, & in hac studiose elaborabant, crediturque adhuc operæ precium in ea inueniri si quis recte procedat, nosque descriptiones plures, easque satis accuratas vidimus, atque etiam in publicum dedimus. (a) Plærisque placuit *antimonii sulphur* & *tinctura rubra* vt patet ex Suctenio, Basilio monacho & aliis. Sed omnino etiamsi cum illis mineris, in quibus metallorum principia inueniuntur, sit sulphur quoq; minerale, corpulentum, vti etiã cum vitriolo concrescit ita, vt alicubi (in mineris ærosis & vitriolicis propè Salisburgum,

> *Calaëmum inflammabile.*

> *Num regulus arsenici, & Cobalti?*

> *Sulphuris vox æquiuoca.*

> *Cinabaris vulgaris frustra à multis tentata in metallorum mutari.*

gum, vt scribit Crollius) dum vitriolum excoquitur ex vena sua, in caminum euolet, ibique pollinis specie condensetur: tamen *ipsum per se in sua substantia semen metallorum non est.* Bernhardus vult, hoc semen ex elementis constitui primum, vti & mercurium, illudque esse patrem, hunc matrem: Dicitur aliquãdo *ignis natura, & inuisibiliter inest in mercurio,* in quo quicquid quærũt artifices, esse perhibetur. Hunc ignem in vitriolo maxime agnoscunt, quanquam & in bitumine, stibio, sulphureq; vulgari aliquando inueniatur, vt & in auripigmento vnde hæc mineralia plærumq; sunt cum venis metallorum: sed non ideo est in his simpliciter, cum eadem mineralia sæpissime sint sterilia, & nihil seminis metallici contineant. Sic vulgare argentum viuum non tatu vacat feminea virtute, quanquam corpus, materiaque esse metallorum dicatur: vnde cum ad artem lapidis assumitur, non quoduis cõducit, sed id quod io se habet principium fœmineum, & passiuum metallorum, cui semen masculinum additum, iam completam primam metallorum materiam constituat. Ita vtrumq; non minerale, & fossile simpliciter est, sed simul metallicũ. *In anatomia Hermetica alias sulphur dicitur principiũ tertiũ calidum* siccum de natura ignis, aut aëris, vnde & fere inflammatile est, & pingue. Sed de tali sulphure iam non agimus, vti nec de sulphure æquiuoco, & essentiali metallis. Aut natura, aut arte purum minerale, fossile, inflammatile, vti vulgo quoq; agnoscitur, intelligimus: quod si nõ omnino purum sit,

Electio sulphuris. aut etiam adhuc in sua vena; arte simul depuretur, & elaboretur. Quæritur cum in artificiis chymicis argentum viuum ex cinabari purum eligatur, quod videmus Quercetano placuisse; an non communiori præferendum similiter sit sulphur vel quod ex cinabari reducitur, vel ex chalcantho prolatur, dum ex vena sua excoquitur: vel etiam quod ex stibio colligitur. Hæc enim sulphura videntur peculiariter affecta esse, & sic elaborata, vt plus emolumenti possint afferre in medicina, quam quod seu per se purũ in mineris consistit, seu extrahitur artis conflatoriæ studio. Argumento sunt materiæ ipsæ. Nam cinabaris, stibium, atramentum, præclaram vim medicam habent. Quid ni & eorum sulphur? Non sane contemnuntur ista, si præsto sint; sed cum ad essentias è sulphure indigeamus aliqua copia, redimimus olei & operæ non parum, si eligimus vel id quod ex aurea marcasitha copiosius excoquitur, vel aliud purum; quod si aliqua videtur immundum esse, repurgatur sublimatione, vel coctione cum lixiuio acri, quod possit adhærentes alluuiones, & noxiam pinguedinem detergere: vel cum rore maio, aut hydromelite, aut aqua mellis: aliquando & aquis fortibus eluitur, sed submissa

Sulphuris correctio per ceram. postea ex dulci coctione. Nonnunquam per ceram repurgatur ita vt cum cera eliquetur, effundaturque in aquam, vbi denuo separantur, *quod si aliquoties cum noua repetitur, corrigitur fœtor ille molestus sulphuris, & inducitur quædam qualitas ad medicinam commodior.* Hæc correctio etiam sublimatione simplici melior est. Cum igneum calorem simul emendare volumus, postquam id rore melleo aliquoties coximus, transferimus in acetum ex vino acre: quidam stillatitium malunt. Sed pro abstersione, & emendatione igneorum halituum satis est acre non destillatum nisi per lacinias. Aceti vero vis eluenda iterum est aqua mellis, vel pluuia stillatitia. Quacunque vero industria præparetur, chymi-

Spiritus acidus sulphuris. ci ex eo faciunt *flores simplices & compositos:* Deinde *oleum duplex*, vnum *intra*, alterum *extra corpus*: Præterea *spiritum acidum* ex flagrantis halitu acido & acri, quod perit de fit ac si quis *cedriam* ex carbonariorum tumulis, seu pyramidibus, aut aquam ex caminis colligeret. Fumi enim acres consistunt, faciuntque sudare caminos. Ardenti sulphuri pro camino est galea vitrea, vel campana, aut cucurbita retorta præsecto fundo. Sed *hic spiritus essentialiter elaboratus non parum momenti habet in medicina.* Quidam etiam *oleum* vocant: Sed æquiuocè. Illa vero olea destilatione fiunt, & sunt tanquam *naphtha* quædam, aut *petroleum* per resolutionem vi ignis factum. Fœtore valde molestum est, nisi quis sciat per *acetum stillatitium eluere, & aqua rosacea moschata emendare grauecolentiam.* Artis est id ex sulphure elicere, placetque aliquibus magis vena. Sed si ignem moderetis, opus felicius cadit. Quidam cum aceto, aut lixiuio destillant, sicut & succinum. Alii adiiciunt testas, aut laterum grumos: qua de re *in Alchymia.*

Correctio fœtoris in sulphure. *Correctio fœtoris fit melius primum præparatione, de qua ante: deinde olei ipsius iam facti ablutione per acetum rosaceum; aut repetita aliquoties ab eodem destillatione: Et sic correctum vocant oleum sulphuris intra corpus.* Destillatur & à calce Iouis, vel Lithargyro, &c. ad vsus externos. Verum ad hos non opus erat labore tanto. Nam sufficit resolutio per aliquod iam actu oleum, aut sperma ceti, vel butyrum, & similia, quibus aliquoties incoctum resoluitur. Hinc nascitur, quod *Balsamum* vocant, variis scopis

Balsama ex sulphure. accommodandum. Est cum simpliciter coquitur oleo oliuarum puro: Est cum rosaceo; violaceo, Hypericino, scorpionum, & similibus. Purior fit balsamus cum spiritu Terebinthinæ in phiola, vel cucurbita in cineribus, vel arena dissoluitur, vbi aliquando caphura adiicitur, aut myrrha, vel Tacamahaca, carauna, gummi corticosum, styrax, manna, viscum Guaiaci, seu resina cum similibus. Ita solutum etiam destillari potest vt tenuius euadat more balsamorum stillatitiorum. Fœtor tollitur quidem ablutionibus per acetum rosaceum, & ex eodem repetita destillatione, vt & empyreuma succinini olei: Sed *idem potest corrigi extractis odoratis, & oleis conuenientibus, vt caryophyllorum, macis, nucista, rosarum oleo, vel spiritu;* spiritu citri: croco, moscho, ambra, &c. Balsamus sulphuris corrigitur etiam destillatione à proprio suo aceto, vel spiritu vitrioli. Quantum præstare possit in chirurgia, Rulan-

Balsamum sulphuris ad Empyos. dus in centuriis connotauit, quo remittimus studiosos. Nos aliquando empyo & hinc phthisico dedimus desperato, ex decocto Helenii radicum: qui eiecta magna purulentiæ copia conualuit. In pulmonum, aliorumque viscerum vlceribus insigne est medicamentum. Rectius datur in forma soluta quam coagulata florum, aut rubini, nisi hæc ita sint præparata vt in liquore diffluant. Est autem *Rubinus nihil aliud quam tinctura per spiritum vini iuniperi aut similem ex soluto sulphuris seu balsamo ex-*

Rubinus sulphuris. *tracta,* & coagulata. Hæc repetitis extractionibus, ita vt semel extracta iterum extrahatur, fit valde pura, atque etiam translucida.

Si so-

Si solutæ addas solutum sacharum crystallinũ multum, & coagules more lapillorum, obtines medicamentum ad pulmonum & thoracis mala perquam egregium, quod in quouis liquore commodo dissluere potest. Sin a. mauis, *tincturam siccam miscebis soluto sachari crystallini, & rotulas, seu tabulas conficies, addito si opus erit extracto radicum Ireos, Elenii, Ambaro, quod Crato peculiare sulphur ad pulmones esse dixit.* Ita & *flores temperantur*, præsertim cordis gratia *addita croci tinctura, sale perlato & corallino.* Verum hæc ingeniosi varie commiscere pro vt scopi exigunt, scient. Crollius mentionem facit *aquæ acidæ & lactis sulphurei* quod prodit dum flores seu simplices, seu compositi fiunt, & quoddam (quod scil. à simplici, & primis compositi sublimationibus exit) rectificat balneo. Id autem quod ab vltima compositorum eleuatione prodit, cum iam per se essentiale sit, priori tantum miscet. Vocat ens, seu lac balsami, cuius idem vsus sit, qui florum, de quo vide Basilicam p. 233.

Tabulæ pectorales ex sulphure.

Lac sulphuris.

Sed cauendum in talibus, ne cuiusquam temeritati prostituantur. Ens, aqua, & mater balsami fiunt etiam ex balsamis compositis: Item aqua eiusmodi procedit cum per canales, & collas sulphur ex marcasithis, & aliis venis, præsertim attramentosis excoquitur: sed externi vsus potius in medicina, videturque illud lac potius destinandum esse *vlceribus putridis, Gangranis, & tumoribus*, aut etiam *articulorum doloribus* quam addicendum omni vsui florum. Describit autem flores suos Crollius materialiter ita vt primum fieri iubeat ex sulphuris citrini libra, salis fusi, & vitrioli Vngarici purificati singulis selibris, quæ mista per alembicum reddant primam aquam, & flores in eum eleuent. Hi bis cum nouo sale & vitriolo sublimantur, & quarto (addita myrrha, aloe, croco, terra sigillata & sacharo ex dimidia parte facit rotulas pectorales) cum colcotare, sale fuso, myrrha, thure, aloe succotrina, mastiche & croco: ex quibus secunda aqua seu lac elicitur. Inde potes æstimare de horum lactis virib. Quater sal & vitriolum ad sulphur accedunt. Inde necesse sane est admodum acrem, & corrosiuam aquam nasci, quam myrrha, thus, aloe, crocus, mastix non correxerint: Et si Crollios studio aliquo in emendatione est vsus, non statim etiam tumultuarii laboratores, qui tamen hinc autoritatem suis scelulis conciliare satagunt. Cæterum quod ad flores ipsos attinet, non possumus non diligentem eorum descriptionem studiosis commeodare, vt sibi ab erroribus qui accidere possunt eo magis caueant. *Aqua vero illa acida vitriolata maneat in externis*, nisi soluto crystallini sachari multo eius pauca dosis diluatur. Sed quid est cur tunc non velimus vti solius sulphuris inter sublimandum prodeunte liquore, qualis etiam per latus, & descensum exire potest? Cur non spiritu ex campana? Si vitrioli viribus opus est, in sulphure eas habemus, aut si requirimus evidentiores, commisceamus vtrumque spiritum, sinamusq; se mutua actione contemperare. Misturam cum iulepo sacharino porrigamus. Nota tamẽ hoc quoque. Aqua illa acida & lactea potest emendari spiritu vini aromatizato sæpius vna macerato, & destilato. Eodem dulcificare possumus vt spiritum vitrioli, ita sulphuris, vt oleum suaue habeamus ad scopos internarum sanationum, atque etiam putredinum, & malignitatum pestiferarum abigendarum.

Flores sulphuris Crollii.

Descriptio florum Crollianorum notanda.

Spiritus sulphuris in oleum conuersus.

De praxi florum & spiritus non opus est pluribus; cum sufficientissime vtrumque sit descriptum à multis, atque etiam in Alchymia, syntagmate & supra de spiritu actum. *Quod ad Quercetanum attinet*, mirum pronunciatum eius legimus *in Alexicaco p. 378.* Descripserat *opiatam contra pestem, quæ præter alia capit flores sulphuris & spiritum, & dicitur conuenire biliosis* quibus iecur æstuat. At obiici sulphur poterat. Vt declinet obiectum, iubet *internum nucleum & essentiam* sulphuris considerare. *Etenim*, inquit, *si quis penitiores illius partes introspiciat, inueniet ipsum spiritu acido & vitriolico præditum quod VALDE REFRIGERAT, & obsistit omnibus corruptionibus.* Hic ille putauit se excusatum. Sed cogitationibus internæ anatomiæ occupatus aliquid quidem dixit de spiritu iam resoluto, at nihil de floribus quibus adhuc ille spiritus est implicatus. Deinde contra cæterorum chymicorum mentem dixit *acidum oleum valde refrigerare*, quod constat *adeo acre esse vt etiam mercurium & perlas calcinet. Acria vero sunt calida.* Qui item contra qualitates aceti Galenicas disputant, negant frigoris esse acrem, cum vitriolum, & sulphur acidum liquorem reddant, vti & lignorum fumi, & descensoriæ destillationes, quæ omnia sunt calida. Aestimatur autem essentia viribus integri. Ipse Quercetanus aciditatem acceptam refert sali armoniaco *in tractatu de medicinæ prisca materia p. 21. & aliis. At sal armeniacum quanta est caliditatis? Ex eo. & sublimato fit ignis Gehennæ. Idem additus communi forti regiam efficit auri corrosiuam. Est & oleum vitrioli rubeum* abstracto spiritu acidissimum: at corrosiuum atque etiam auri solutiuum, vt vim regiæ assequatur. Aquæ quæ exit ex florum sublimatione item est acida. Acida & illa est in quam sublimati argenti viui butyrum agitur, vt & illa in qua abluitur mercurius vitæ. Hæc certe non sunt frigida. Libenter vteremur excusatione Galenica, nempe *in eodem medicamento composito diuersarum facultatum esse partes*: sed id chymica elaboratio nõ permittit. *Neq; n. phlegmaticus spiritus est tantum acidus, sed ipse purus, & essentialis.* Quidam chymici balbutire dicunt vitrioli acorem. Inde colligi potest ex pari de aciditate sulphuris. Sed ambigue se, & mercurialiter habere ad omnem elementarẽ qualitatem, non est valde refrigerare. Hoc ergo deueniendum est vt dicamus *aciditatem in illis non esse elementarem, sed æthream & essentialem, ideoq; non venire sub censum elementaris caloris, aut frigoris. Posse tamen cum vtrisq; esse,* quemadmodum in illa opiata multa sunt frigida quibus sulphur contemperatur. Quod a. quidam argumentãtur *à sulphuris cum igne familiaritate, vt inde calidum esse conuincant*, id non potest exemplo caphuræ refelli, quæ effectu medico ob spiritus inclusos, vt & halonitrum, frigida est, sed quo rõe flagrat, non excedit genus sulphureorum, sicut & *halonitrum* de cuius anatomia Quercet. sic differit, vt statuat *in eo esse naturam ancipitem masculam & fœminã, mercurialem, & sulphuream &c.* Quis nescit sulphur essentiale haberi pro igne naturæ, cuius effecta etiam elementarem ignem superant? Verum excusandus est bonus Quercetanus. Disputauit contra Galenicos suos ex ipsorum sententia. *Qui aciditatem putat ex frigore esse, is cogetur fateri spiritum sulphuris & vitrioli admodum refrigerare, quia valde est acidus.* Ita Aristoteles aliquando non ex suis fundamentis, sed aduersariorum opinionibus rationes ducit.

Quæstio de spiritu sulphur. num is frigeret.

Acida calida vt plurimũ propter igneas partes atque commistas si sint mineralia.

Caphura frigida effectu.

Excusatio Quercetani.

Num flores natiui permutari possint artificialib. & contra.

Alia quæstio est de floribus. Crollius natiuos putat substitui posse artificialibus. Iuuatur Aristotelis argumento, quo nihil interesse statuitur *naturalibus an artificialibus instrumentis quid coquatur.* Quo item igne artifex vtitur, eo & natura. *Sulphur scißile, inquit, cum floribus arte paratis nulla prorsus repugnat.*

At quo modo parantur artificiales? A sale & vitriolo sublimatur sulphur adeo pure, vt caput mortuum in qualibet sublimatione fiat friabile, & porosum, nec amplius ardeat iniectum prunis, quanquam perire aliquid necesse sit, si à tribus libris ter sublimatis vnciæ 20. florum testant. Num etiam naturæ Vulcanus sublimat ter à sale, & vitriolo? imo inquam etiam à bitumine, & aliis mineris intermistis: Et forte non semper adest corporeum atramentum, & sal. Quod si compositionem spectes, & sublimationem à colcotate, myrrha, & croco, minus illud dicere possis. Videndum, an Crollius quoque aliqua excusari possit, nempe in vsu pectorali petinde esse, siue scissile natiuum habeamus, siue flores simplices, quanquam fatendum sit, si vitriolum adhibeamus augeri in artificialibus vim atramentosam, quæ in mere naturali nō potest tanto gradu esse. *Alia quæstio: Crollius eligit sulphur flauißimum, quo excoctum intelligit:* (nam natiuum purum iam flos est nec eget elaboratione) *repudiat rubeum*, argumento *quia habeat multum arsenici*, & realgaris, ideoque non debeat in medicina adhiberi.

Num sulphur rubeū reiiciendum in florum artificio.

At (*b*) inquam, boue Crolli, argumento coloris magis suspectum est flauissimum, cum realgar & arsenicum itidem sint lutea, tantoque perniciosiora. Luteum arsenicum sulphuris frater est, aut soror. *Si rubrum sulphur ex aurea marcasitha extrabitur, aut flauum in rubrum mutatur per ceram, non repudiatur.* Deinde omne sulphur intus rubet. Ideo & *tinctura rubra, rubinusq; inde fit ad medicinam singularis.*

Aliis argumentis probandum est rubrum sulphur esse sandaracale, nempe ex venæ commistione, aut vicina arsenici fodina, aut halitibus perniciosis, & effectu in perimendis muscis, muribus & similibus. Medicus autem chymicus si tale sulphur occurtat, non ignorabit correctionum modos, quos & in ipso arsenico agnoscit.

Collatio fl. sulphuris.

Hoc quoque interrogant Tyrones: Quercetanus in pharmacopœa *flores sulphuris parare iubet ex aqualibus sulphuris & colcotaris perfecte rubificatis*, nempe eo consilio vt à fixo colcotare in fundo retineantur feces sulphuris: Et hoc prima vice: *Secunda sublimat cum solo sacharo, ad asthma, aliosque affectus pulmonum.* Ex iisdem etiam per spiritum terebinthinæ solutis rubinum sulphuris spiritu vini extrahit ad *phthisin, & vlcera plumonum.* Ast *Crollius salem & vitriolum quater adiicit*, ter quidē simplicibus, vti vocat, quartum compositis. Vter rectius? Videtur quidem sal abstergere impuritates sulphuris: sed voa etiam sublimari adeo, *vt tandem fiat flores albi & perspicui*, certum est. *Placet nobis* Quercetani simplicitas magis vt & illotum qui *adiiciunt myrrham & crocum, quibus sacharum crystallinum addi potest.*

Rubinus sulphuris.

Rubinus quoque magis placet *ex floribus sacharatis*, quam ex salsis. Supra tamen monuimus etiam sic recte fieri si simplices flores spiritu terebinthinæ soluantur, perque vini spiritum extrahatur tinctura, & spiritus iste ad medium destillatus misceatur soluto sachari crystallini, tandemque verumq; sinatur consistere, aut si hoc non placet coagulare. Si duplum, aut triplum sumas sachati, melius fiet. Nam pinguedo obest crystallationi. In floribus autem minus de sacharo, plus de primis floribus accipi consultius est. *Cum autem spiritum sulphuris Campanarium instituimus, sulphurne crudum artis, an flores rectius assumuntur:* Et cum flores facimus, num sulphureum lapidem vitriolatum rationabilius accipimus an iam excoctum? Ad spiritum flores quidam præferunt. Purior enim spiritus creditur inde fore. Sed cum flores minus fumi & aquositatis acidæ habeant: iam enim in sublimatione multum de acidis spiritibus abiit, vt & collectio in alembico & receptaculo, seu Crollii lac balsami testatur: non possumus tantum ex floribus, quantum ex integro expectare. At inquis tunc spiritus fiet phlegmaticus.

Quæstio de eligenda materia in spiritu & florib.

Quidtum inquam? Ideo Crollius iubet aere humido, cœloque nubilo alii in vapida crypta destillare: Ideo prius madefaciunt campanam, vel post exceptos spiritus in vapidam cellam inferūt, nec alia de caussa *cum vitriolum tostum destillatur aqua præmissoria infunditur conteptaculo*, nisi vt societas fiat spirituum humidorum, & siccorum, quo temperamento aciditas consistit, alias meri humidi vix sunt acidi, & meri sicci acres. Cum ergo spiritus plures poscimus, sulphur officinarum sumamus. Si vero assunt flores natiui, aut sulphur viuum purum, hoc præferamus. Si phlegma nimium metuimus, possumus id digestionibus, vel destillatione deminuere. Cur superfluum laborem quærimus, cum liceat compendio idem obtinere? Flores a. si in promptu est sulphurea minera q̄ simul sit atramentosa, modo absit arsenicalis virulentia, quid ni ex hac petamus? Marcasitha aurifera fœcunda sulphure sine cadmia venenata, & arsenico: item atramentosa non damnatur.

Nam & vitriolum alias adiicitur, & non parum medicæ virtutis floribus inde accedit, præsertim cum in chalcātho sit iguis ille metallicus, qui in medicina multum potest. Dum spiritum sulphuris nominamus, mineralem intelligimus. Alias illum terminum spiritui vini, & iuniperi, qui est spiritus sulphuris vegetabilis communicaur. Ex sulphure vitriolato martis, & veneris itidem spiritum sulphureum conflamus. Primum ex ære vel ferro fit vitriolum vti docet Crollius. Deinde destillatur ex eis oleum, phlegma, & spiritus. Hæc quidem duo prodeunt, & excipiuntur simul: sed postea separantur: illud autem sulphur vitriolatum est, quod reddit spiritum acidum sulphureum, qui tamen spiritu vini temperari potest.

Sp. sulph. vegetabilis.
Sp. sulph. metallici.

Quercetanus *crocum fieri putat ex acido oleo sulphuris, viniq; spiritu in cochlear ferreum infusis, & super ardente pruna ad consumtionem coctis, quasi post bullitionem omnia in croceum puluerem conuertantur.* Sane in spiritu sulphuris esse ramenta salis acidi, vt & in vitrioli non negandum est. Hæc coagulāt coctione, sed non

Crocus ex Sp. sulphuris Quercet.

sed non sine assumta ferrugine. Idem fit si vitrioli acetum assumatur. Miscetur is crocus epaticis antidotis *in eadem pharmacopœa*.

Oleum tinctura sulphuris.

Oleum nobile ex tinctura sulphuris Penotus procurat. *Primo terebinthinam cypriam infundit vetitra erea, aut catino terreo. Affundit aquam puram eo modo vt tertia pars vasis sit inanis. Destillat aquam cum spiritu simul separatum floribus sulphuris ter sublimatis Paracelsico modo (quem habet duplicem tom. 6. pag. 174. vbi de sulphure agit. Nam à vitriolo sæpius sublimatur, vt spiritus eius recipiat prosit que in febribus & tussi: Deinde etiam ab aloe epatico & myrrha ad pestem, pleuritin, apostemata & putredines, quanquam etiam puluerem præscribat ex sulphuris purgati ℥ x. myrrhæ Roman. ℥ j ß. aloe epat. ℥ j. croci orient. ℥ ß.) affundit ad tres digitos. Digerit calore lentissimo, donec spiritus sanguineo inficiatur. Hoc facto alius spiritus priori effuso additur, iterumq; elicitur tinctura, donec nulla amplius exeat opus idem repetendo. Tincturis istis affundit vini spiritum ad palmi vel trium digitorum eminentiam. Extrahit tincturam ex terebinthinato tincto iterationibus factis vsque dum cesset tingi. Hic spiritus à rubedine sulphurea separatur in balneo, cumque incipit color exire, transfertur cucurbita in cineres. & mutato recipiente, aucto que igni elicitur essentia sanguinea, qua non fœtet; vt oleum* alterum ex crudo destillatum. Huic *vires tanta tribuuntur, vt eas vel non possit, vel non ausit dicere Penotus.* Veruntamen qui eas scire cupit, legat folia duo præcedentia, & Paracelsum tractatu de sulphure paulo ante allegato. Tantum tributum est sulphuri, vitriolo & alumini, vt ex tribus istis colliquatis *lapidem SANCTVM* conflauerint ad *vlcera, apostemata, phlegmonas, tumores, &c.* vsurparum æque ac Crollius suum *lapidem chirurgicum*, quem & *philosophorum* dixerunt, commendauit. Obiter, cum de Paracelsi sulphureo tractatu dixerimus, *sulphuris embryonati quoque mentio occurrit. Id in aliis rebus potissimumque mineralibus iacere traditur vt embryon in matrice, vnde illi nomen.* Hinc aliud *aureum seu solare*, aliud *lunare, martium, venereum, vitriolatum, &c.* Verba Paracelsi etiam huc inclināt quasi sulphur id sit in rebus in alio iacentibus, vt in metallis quæ sunt in suis venis, lapidibus, marcasithis: In *gemmis*, quæ vt Aetites item in suis sunt matricibus. Verum eodē redit sententia. Idem enim sulphur intelligitur quod ex illis extrahitur, vt & ex cadmiis, antimonio, talco, &c. Hoc principium magistrale alibi diximus.

Lapis sanctus.

Sulphur embryonium ex quo genere vitriolatum.

Aliud embryonium in vegetabilibus esse scribit, idque ignem, vt in lignis in quib. solum ignem sulphur appellat, *à quo vult consumi morbos vt ab igni ligna.* Vocat & elementum ignis, quod cum sit volatile, in homine *volaticos morbos tollat* relicto *corpore fixo.* Hæc sulphura opponuntur minerali. Embryonium extrahit sublimando, descendēdo, soluendo per menstrua fortia, seu potius extrahendo per aquas ex quibus per coagulationem colligitur. *Aurea natura esse perhibetur*, & fixionis capax per crementa, ita vt *aurum minerarum volatilium possit figere.* Aliquando & cum auro, aut aurum in ipso, quod fulmine segregari queat, traditur: *quosdam tincturam ex eo petiuisse*, quanquam frustra. Mineras in quibus sit nominat *antimonium, talcum rubrum, marcasitham, venam auri, &c.* Ex quibus si cum auro sit, ita separetur, ne quid detrimenti aurum ipsum patiatur.

Embryonii sulphuris extractio.

Alia sunt sulphura mineralia, & metallica. Ex istis intelligimus *sulphur vitriolatum Paracelsi fuisse vnum ex embryoniis*, quæ modo sunt id, quod principium sulphuris mistis inclusum vocamus; modo quasi primum ens sulphuris, aut sulphurea tinctura in mineris auri. Idem etiam in auripigmento, vitriolo, & similibus proponitur: Et in cremiis tanquam ignis. Hæc faciunt ad iudicandum illa, quæ ex Paracelso de isto sulphure referuntur, alias non magni æstimanda, cum melius aliis terminis declarētur. Sane si ad embryonem respicimus, medium quid est inter conceptum, & fœtum. Ita *sulphur istud medium inter semen, primumque conceptum, & iam formatum sulphur erit potentia nimirum proxima quidem sulphur, sed nondum actu*, quod quidem in mineris principaliter erit, verum postea symbolice etiam in vegetalibus, & animalibus: In omnibus igneæ naturæ, & *ignis quidam magicus, seu parabolicus*, quem & *ignem naturæ* queas dicere, quanquam hic terminus etiam calorem insitum & primigenium cum spiritu cuiusque comprehendat. Restat vt de *lacte, butyro, cremoreq;* sulphuris, vt vocant, nonnihil dicamus. Olea & alia pinguia abluta, & aquis mista lactis speciē referunt. Id apparet in nonnullis destillatis, vt aqua cinamomi, &c. *Fons misenus* ad tres abietes erat albus. Cum coqueretur bitumen in substantia reddebat. Erat nimirum id in pro fluxu attenuatum, & ablutum: vnde albedo, quæ postea in nigrum & puniceum redibat ex solutione redacta ad coagulationem. Idem euenit sulphuri, quod solutū ablui, & ab aquis recipi potest tanquā *butyrum*. Neq; n. immistilia sunt hæc: Sed licet primo non coeant, tandem tamen contemperantur. Ita apud Virgilium est *sulphurea Nar albus aqua*, Cæsalpinus *sulphureas* plætasque *aluminosas* esse tradit, quia sulphur combustum reddat alumen. Inde & albedinē esse quis dixerit, qualis est in *albulis* Romanis. Sed in resoluta pinguedine etiam absq; alumine idem est color. *Sulphur coctum cum oleo lini* (quidam aquam fortē assumunt) *transit in pulmonis aut epatis speciē massā, quæ destillatione reddit lacteum succum, tanquam salamandra, & præterea etiam oleum rubrum*, natans super albo lacte. Paracelsus notat quosdam in albedine quæsiuisse argenteam, in rubedine auream tincturam. Huc spectat opus eorum qui *vstulato ad rubedinem*, ita vt spiritus non dissipentur, *vitriolo sulphur adiiciunt, & destillando spiritus agunt in vinum ardens quod præmittunt in conceptaculo.* Inde *lac eundit* si non prima, at repetitis destillationibus. *Hoc lac figere tentant* profusis in id spiritibus aluminis calcinati lib. j ß & halinitri lib. 4. Repetita enim ter, vel quater ex retorta in lacteum spiritum, qui est in recipiente destillatione, concepta iudicatur fixio, quæ abit in *crystallos* si in cellam inferatur, ibique relinquatur. Conceptaculum autem duplex esse debet, nempe à parte posteriore in ventre tubum habens cui aliud vitrum apponi queat ad aquam superfluam transferendam. Isti porro crystalli promittere tincturam dicuntur: sed nobis videtur melius adhiberi ad fundendas calces, metallorum profluxu, aut ad colli quādamenta, vel mineras, venasq; eneriores excoquendas. *Quercetanus oleo tartari ex sale calcinati pingui reddit, titulo lactis, seu cremoris*, sicut & solutus acetolat *in lacteum cremorem, qui sidendo farinam candidam flores sulphuris dissoluit, & solutionem instillato aceto coaguli*, hargyros *lac, virginis* dictum, deponit,

Lacteus ex sulphure succus.

Epar sulphuris.

Crystalli albi sulphuret. In pharm. p. 620. & in alexic. p. 412.

Lactis nomē habere ait à dulcedine, & albedine.

Id lac

Id lac aquis cordialibus elui iubetur, & vſurpari ad *omnes Thoracis, & pulmonum affectus*. Crollius per *vinum* coagulat melius. Nam ex aceto fœtor moleſtus eſt. Quanta a. ei aſſcribantur, leges *in Baſilica.p.200.& 201*. Imitatur nimirũ Paracelſum, qui item volebat vi ſulphuris volatici conſumi morbũ in corpore hominis fixo volatilem vt ab igni lignũ. Cogitet hæc qui ſcit in homine ſæpe cauſas morbificas longe magis fixas plærisq; partibus ſubſtantiæ. *Quid ſi relictis iſtis humidum radicale adoriretur, & ſic non ſanaret tabem ſed induceret?* Non autem merum ſulphur eſſe, ſi quis *oleum tartari vulgari accipiat*, oculis licet æſtimare. Nam in coagulo ſunt partes albæ, fauillæ nimirum calcis ex tartaro, intermiſtæ citrinis. Ad externa lixiuium, aut vrina pro decoctionis menſtruo aſſumitur. *Ad eam autem rem ſulphur antimonii, marcaſithæ aureæ, aut Talci ſeu Zincki rubri præſtabilius cenſetur*, quanquam quod ad *vlcera pulmonum* attinet veteres *ſandaraca* non abſtinuerint, vt eſt apud Dioſc.lib. 5. c.81. Vſta tamen ſunt vſi, qua arte docent chymici etiam *arſenicum ſalubre reddere, & antimonium, addito nempe halonitro, incenſoq;*. Miſcet ſuum cremorem Quercet. *antidotis, Thoracicis, & Alexipharmacis*. Vide *p.409.420.421.427.pharmac. In Alexicaco prophylacticum omnium putrefactionum* eſſe tradit, & valere aduerſus *omnes febres peſtilentes, morboſque epidemicos*. Sæpe dictum eſt Paracelſicos ſcriptores eſſe grandiloquos, nec raro hyperbolicos. *Ideo non moueamur magnificis eorum promiſsis*, & tantum medicinis tribuamus, quantum ratio, & experientia demonſtrant.

Vlcera pulmonum.

Certum eſt *vlcera pulmonum*, vnde phthiſis, exiccari & conſolidari ſublata putredine per halitus ſulphureos ita temperatos vt ſint intra gradum vitæ. Itaque & *in aerem ſulphurtum Campaniæ mitti ſolent* tales. Quidam *Tabaci foliis ſulphuris flores addunt*, vt fumus eo fortius in vlcera agat. Sed modus eſto talium, ne dum feſtinamus ſanando, ægrum perdamus. Cadauera melius ſulphure præſeruaris a putredine quam viui homines poſſunt; & externa vlcera, ſcabieſque etiam beſtiarum facilius, quam interna Epatis, Pancreatis & ſimilium membrorum. *Peſtiferum* quoque *contagium* in aere externo mutatur felicius, quam cum iam conceptum eſt intus. Ratio docet *cum peſtis viget in humido auſtrino, ſulphurea medicamenta prodeſſe poſſe*: at non cum in igneo ſicco. Iobus Fincelius ante vſum ſulphuris in peſte *prius id eliquatum in acetum mittit ter repetito opere*. Poſtea puluerarum imbibit vini ſpiritu circulatque vt ſic oleoſitatem quandam inde contrahat. Addi tunc *ſuccinum album, myrrham, aloen, crocum* fuerit conſultum, aut ſaltem ſpiritum croco tinctum eſſe. Sic parare poſſumus flores noſtros, & vel per ſe adhibere, vel per ſpiritum terebinthinæ diſſoluere, extrahereque per aquam iuniperi vt inde *oleum balſami* deſtillemus, quod aceto roſaceo & caphura queat corrigi. Fincelius monet illum balſamum prius ex floribus ſulphuris, vel ſulphure præparato per ſpiritum terebinthinæ, & vini factum miſceri poſſe oleis tribus croci, aloes & myrrhæ: Sed vno labore compoſitio talis fieri poteſt: *Sulphur electum aut flores eius abluantur aceto roſaceo modo Finceliano. Deinde ſoluantur oleo terebinthinæ per coctionem. Solutum reponatur per menſem ad digerendum, vt ſi qua ſpuma, aut feces inſint, diſcedant. Purum poſtea extrahatur per ſpiritum iuniperi: Et hoc ſeparato vſque ad oleitatem, addatur caphura, ſolutum myrrha, extractum aloes, & tinctura croci. Commiſtũ affunde vini ſpiritum bonum. Digere. Deſtilla leni balneo. Repete id ſæpius, donec ſentias graueolentiam deminutam eſſe, & ſuauiorem odorem inductum.*

Sulphuris ad peſtem præparatio.

Caphura quidem eſt valde volatilis. Itaq; vix poterit fieri deſtillatio, quin vna exeat. *Sed collectam ex ſpiritu cum quo aſcendit, ſemper redde oleo. Ita enim tandem & ipſa in oleum faceſcit.* Cum aſſecutus es ſcopum quem per ſpiritum vini inſtituiſti, deſtilla auctiore igne cinerum, vt balſamum excipias, quãquam etiam ſine deſtillatione poſſit ſalubriter vſurpari, & id aliquando conſultius eſt, ne nimia ſubtilitate plus noceat quam proſit. Vti vero flores & ſulphur præparatum tractaſti, ita potes & cremorem. Si enim purus eſt nihil aliud eſt, quam flos quidam ſulphuris. Præpara ergo & hunc ſimiliter. Tunc ſi *in peſte* vis adhibere, *dabis cum iulepo aciditatis citri, aut limonum. Si ad pulmonum vlcera, ſolue prius in eo ambarum, & præbe cum ſoluto ſacchari candi per aquam tabaci, aut perſicariæ facto. In febribus phlegmaticis* conducet *cum oxymelite ſcillitico: In melancholicis morbis, cum oxymelite elleborato.* Idem balſamus in lac denſabitur proprio ſpiritu acido, vel vitriolato.

Ad externa cum *oleo vrina inſpiſſatur* in vnguentum, quod *putridis vlceribus* conducit: vbi tamen monendum eſt, non debere balſamum hunc ſic illini, vti ſolent balneariorum linimenta. *Erat adoleſcens, cuius crura crebris vlceribus manantibus erant cauata, atq; etiam genua læſa. Diu vſus fuerat litionibus barbitonſorum. Cum accerſeremur conueniẽte vacuatione, & decocto ligni reſinoſo præſcripto, balſamũ ſulphuris modice exterſis prius ſpuma decocti vlceribus imponere, & inducere Emplaſtrum vulnerarium non ſine defenſiuis in circuitu, ne inflammatio oriretur iubebamus. At illi inepti tonſores farciebant cauitates vberrim ſaturatis balſamo turundis, efficiebantq; vt plus ardoris, dolorisque exoriretur quam auxilii.* Meminerit ergo ſtudioſus parce adhibenda eſſe olea chymica ſulphurea, & iis aliquando *vnguentum ex oleo plumbi* addendum. Tantum de ſulphure.

(a) *Has deſcriptiones iudicio peritorum committimus, nihil ipſi nec aſſeuerantes pertinaciter, nec experti. Quidam volunt in argento eſſe vim auri: & illud ſorberi a cinabari propter argentum viuum, quod animã argenti & auri rapit. Inde poſtea fit ſegregatio. Rubeus tamen putat totum argentum in aurũ repetitis laboribus verti. Nobis videtur etiam tale quid euenire quale eum anima auri proiecta in argentũ fixum aurum tantum parit quantum prius fuit. Nobis nõ eſt otium ea in re verſandi. Ideo experimentum aliis committimus.*

(b) *Iudicium iſtud ex Paracelſi tractatu de ſulphure tranſſumtum eſt. Multa ſunt ſulphura inquit de minerali, citrinum, flauum, rubrum, ſanguineum, puniceum, nigrum, album cinereum ſeu griſeum. Solum flauum & aureum in medicina eſt ſalubre. Cætera multum habent arſenici, & Realgaris. Ideo vitanda ſunt. In Alchymia vero reliqua ſunt meliora, quia ingreſſum habent ab arſenicalibus. Ita Paracelſus. Sed indicium eſt particulare.*

Capvt XVI.

Quædam de arsenico.

SVlphuribus chymici fere accensent arsenicum, à Græcis ita dictum, quasi masculum, aut masculinum appellares, ἀρσενικὸν, ἀῤῥενικὸν, &c. estque modo generale nomen, modo speciale. Vulgo fere ita *album factitium* appellant, sed rerum naturalium interpretes etiam *auripigmentum, & sandaracham mineralem* isto termino communiter applicato cõprehendunt. Dioscorides per ἀρσενικὸν auripigmentum intellexit. Id a. Plinius *lib. 35. c. 6.* inter *colores* retulit, & lib. 33. c. 4. inter *auri matrices*, seu metalla ex quibus etiam excoqui aurum potest, experimento Cai principis. Vox ipsa sonat materiam qua auri color exaltari possit, & veluti pingi. Crustosum seu fissile est, & glebosum vel granulosum. Ab eo differt *sandaracha* accidente potius, quam substantia; quanquam interdum inueniatur *quæ sulphuris virus satis grauiter oleat*, vt sit mistura quædam ex sulphure & sandaracha, quorum hæc rubet si syncera est, illud flauet. Hinc dicere possumus eam existere speciem quæ pallet, aut ex flauo rubet. Sed inuenitur tamen & sulphur rubeum, quod licet aliquando sit mistum sandaracha, vt aliqua ex parte non frustra iubeat cauere Paracelsus & Crollius in electione: tamen etiam syncerum inueniri & esse posse artificium leuiusculum, quo ex citrino in rubeum, imo sanguineum transit, indicat. (a) Theophrasto arsenicum habet colorẽ ochræ, quam luteam esse, & in rubricam vstione transire constat. Alii discernunt natura, & arte. *Natiuum auripigmentum* est aureum crustosumq; ex squamis compactum & fissile, modo purum, modo impurum. Aliud est *arenosum* intentioris coloris. Aliud *glebosum*, vel vt Dioscoridis interpres habet etiam glandis effigie, pallidum ad sandaracham inclinans. Alicubi *arsenicum etiam album natiuum* inuenitur, quod cum prius *Vannocii* testimonio credidisset Matthiolus, cognito officinarum album arte conflatoria ex sale & auripigmento fieri, mutauit. Inueniri tamen iisdem in venis sandarachæ, & auripigmenti alii sunt autores, nec est difficile creditu naturam quoq; artificem esse, & producere opera artificum similia. Alias *factitium est crystallinum officinarum*, & aliud *luteum*; quod aliquando etiam varium linearum nigrarum, subrubearum, aut etiam pallentium discursu. Id *Risam galli*, appellant, vt & Realgar; Germanis gelb opperment/ & Reuschgelb/ quo librarii pingunt libros, & pictores *ad misto indico* faciunt *colorem viridem*, sicut & librarii ipsi, sed qui *euanescente luteo transit in indicum blauum*, seu cæruleum. *Paracelsici luteum, & album vocabulo designant*, vt & Paracelsus ipse *tomo octauo lib. 4 philosophiæ cap. 3.* qui post arsenicum nasci vult auripigmentum, cuius corpus sit ex sulphure, quo procul dubio etiam retulit sandaracham.

Auripigmentum.

Geberus in summa perfectionis seu perfecti magisterii scribit *quosdam in sulphure sublimato quæsiuisse tincturam; vt & in cognato arsenico*, quorum imperfectam cognitionem, & laborem redarguit. Ipse vero tria metallorum principia ponit, *sulphur, arsenicum, & argentum viuum*: *Tincturam fieri ex eo ait cum sulphure, tanquam cum compare* ad pondus completum dandum vnicuiq; metallorum, sed adhibẽdum esse magisterium, quo familiare reddatur corporibus: nec complere per se opus alchymiæ. *Arsenicum & simile sulphuri pronunciat, & sulphur*, tanquam speciem quandam eius. Illud rubeam tincturam facilè exhibet, hoc albam, quanquam duo genera sulphuris, & arsenici ad artem admittat tantum, citrinũ scilicet, & rubeum. Fachsius *cadmiam argentariam venenatam*, quam Germani *cobaltum* vocant, putat esse arsenicum & sulphur impurum, aitq; *puluerem eius solui aqua forti, vti & arsenici regulum*. Hinc suspicio est *in arsenico, & cadmia ista esse principium quoddam lunare*, præsertim cum *arsenicum æs argenteo colore tingat*. Multo magis hoc dicas de *calaemo indico*, & de *bismutho* argenti ferace. Quod si quis ex his, vt & stibio aurifero, in quibus est semen, & prima metallorum perfectorum materia, possit extrahere mercurium metallicum, is aliquod operæ precium fecerit. Hoc autem non sublimatione sola perficitur, sed & aliis modis.

Arsenicum esse metallicum principium.

Diuinant aliqui primum regulum ex arsenico, cadmia arsenicali, bismutho stibio, &c. esse faciendum. Hunc postea sublimandum cum calce perfectorum: Soluendum aqua resuscitatiua, seu viuificante: coagulandum ad purũ. Hinc destillandum descensum per tartarum vt fiat liquor unctuosus. Hic porro putrefaciendus erit secundum artem & in aquam puram soluendus, quæ porro coagulatur coctione procedente, soluitur iterum, & coagulatur quo vsque abeat in elixyr album, quod si rubeum opus intendimus, poßit fieri igni aucto sanguineum. Hoc fermentatur, &c. vel sublima regulum cum chalcantho & mercurii minera. Inde reduces liquorem primordialem.

Non sufficit autem vna sublimatio. Verum de hoc aliis cogitandum relinquimus. Vt fiat medicina ex arsenico natiuo, *veteres vstionem adhibuerunt. Torretur in testa noua*, inquit dioscorides, *viuis carbonibus subiectis, aßiduéq; versatur, donec colorem mutet, & deflagrauerit. Inde refrigeratum, tritumque reconditur.* Est tamẽ etiam sic vstum corrosiuum & eschatoticum. Galenus vult tenuius fieri, & eodem censu habet *sandaracham*. Sed Dioscorides hanc præparatam etiam *interni vsus* esse docet. Vnde colligimus hanc etiam antiquitus auripigmento innocentiorem, & magis sulphuream iudicatam fuisse. In *vlceribus & vulneribus* adhibetur *liquor eius dulcis*, qui fit descriptione Paracelsi *in lib. 10. de tumoribus, pustulis, vlceribus & morbo gallico*, ex arsenico, aut auripigmento, halinitro fixis, & postea solutis in liquore, qui destillatione per alembicum transit in oleum. *Lib. 5. magnæ chirurg. parte 3. ex omni realgare* seu arsenico (vtitur n. nomine communiter) *oleum* facit, postquam id cum sale vrinæ fixauit, seu vssit. *Tunc enim in liquorem oleosum deliquio soluitur*, ad omne *vlcus* percurandum. Eundem autem scopum habent sal vrinæ, ammonius factitius, tartari, halonitrum. Cum his postquam reuerberatum, & fusum fuerit, spiritus perniciosos efflauit, remanente balsamo sanatiuo, qui facile resoluitur in liquorem loco frigido humido de more salis fusilis.

Medicina ex arsenico.

Liquor & oleum arsenici.

Liquor

Liquor hic deſtillari quidem poteſt vt oleum exhibeat: Veruntamen & repercuti ſpiritibus acribus, quo ipſo feruor conciliatur quem ſequitur dulcedo illa tantopere prædicant iactatores Paracelſici, quod per IGNEM NATVRÆ venena & nutrimenta commeent. *Hac ſpe & fiducia Gramanus etiam vorare volebat arſenicum.* Quemadmodum autem cremorem ſulphuris, & tartarum vitriolatum elaboramus & ad dulcedinem abluendo, vel per vini ſpiritum rectificando deducimus, ita huius quoque repercuſſionis ſedimentum per aquam iuniperi poſſumus præmiſſis ex dulci ſtillatitia ablutionibus exaltare. Nec alia ante auripigmentum, realgar (*venenata circa ſpiracula fornacum cum plumbum vel argentum excoquitur aut fulminatur, concretio*) ſandaracha tractatur, vti & artificiale citrinũ & varium. Videtur differentia eſſe inter cryſtallini arſenici præparationes. *Nam quando ſublimatur cum alumine à calce æris, vel ſquama, balſamum præſtantius exhibere poterit, quam cum ſale.* Solui poteſt reuerberatum, ſeu fixum cum halinitro auripigmentum ſpiritu terebinthinæ; vt fiat balſamus ſicut in ſulphure. Nam eodem modo, cum ſulphuris ſpecies ſit apud Gebrum poterit tractari.

Cremor arſenici.

Ol. auri pigmenti.

Penotus in chymicis ſuis magnifice diſſerit *de oleo auripigmenti, quod Elephantiaſin* abigat, *alopetiis, phthiriaſi, vlceribus dyſepulotis, manantibus, ozænis, carbunculis, fiſtulis, gangrænis, præciſis neruis, ramicibus cancro, fluxibus, &c.* opituletur, vt mirum ſit tot medicamentis ex argento viuo, ſtibio, arſenico, ſummis adhuc ſupereſſe lepra infames. Miſcet id etiam *oleo myrrhæ, & terebinthinæ*: aliquando & *ol. hydrargyri, vitellorum, lythargyri, &c.*

Vſus internus arſenici.

Quercetanus in Alexicaco pag. 482. *primum per ſe ſublimare iubet: deinde ex aceto horis duabus coquere*, vt fuligo, & farina corroſiua abſcedat. *Inde ſublimat ab æris ſquama* vt retineat feces craſſas in fundo (ſed inter liqueſcendum ab ære vitiatur, ſicut flores ſulphuris à ferro. Ideo calx æris, aut æs vſtum cinabarinum, aut talcum ſumẽdum.) *Iterum bis terue cum ſale, communi præparato ſublimat.* In hac ſublimatione ſumma imaque neglectis *eligitur media pars*, vt in argento viuo. *Media hæc ſubſtantia contrita abluitur aquis dulcoratiuis* & poteſt etiam ſpiritu vini: aut aceto roſaceo prius, poſtea ſpiritu rectificari. *Signum perfectionis eſſe dicit*, quando *in metalla iniectum candorem eis perfectiſſimum, qui etiam in ignitis perſeueret, conciliat*: quod de ære intelligimus ſiue ſuper fuſum proiiciatur, ſiue vna, ſicut cadmia, incoquatur, ſiue cementetur. Crudum arſenicum nigrorem inducit, ſicut & ſulphur vulgare, quod argẽto miſtum id conuertit in ſpeciem rudis plumbei. Datur non in ſubſtantia, ſed infuſio à granis 5. ad 8. *Ait purgare venena benigne*, vt ſic in *peſte* ſit excellens remedium, niſi antimonialia, & mercurialia magis commendarentur. *Nos tyronibus noſtris ſuademus, vt oleum ex eo ad externa faciant, vel puluerem qui vlceribus inſeminetur. Fors & oleo terebinthinæ pro balſamo liqueſcere poſſit*, ſi debite præparetur. Vſus metallicus quoque non eſt contemnendus.

Sic enim vt à talco, fixoque ſublimato, nanciſcemur *æs album argenteum*, *quod argyrochalcum* dicunt, idque tutioris erit ad vtenſilia, phaleras, bullas & alia vſus, quia purum. Si infuſum purgat & æri tam probe miſcetur, quin facimus inde *poculum & calicem ſalutis* ad exemplum Rulandini? *Alias cum halinitro præparatum addita myrrha, thure, & cremore plumbi cancro exulcerato inſpergitur. Si dolorem excitat is eſt tolerandus defenſiuo in circuitu applicato.* Nam mortificato cancro vlcus ſanatur vt aliud non malignum. *Venenum enim egit in venenum*, & alterum morti dedit alterum.

Cancrum occidere.

(a) *In omni marcaſitha eſt aliquid ſulphuris. Si eam in portiones auellanaceas frangas, & ex ferrea retorta, vel olla in aquam, in quam dependere roſtrum retortæ aut tubus ollæ debet, propellas, rubrum ſulphur accipies: quod non accuſandum eſt veneni, ſi ipſa marcaſitha non fuit venenata. Debet autem corrigi iſtud ſulphur ſublimatione.*

CAPVT XVII.

De halinitro & lapide bruni ſeu prunella minerali.

DE Nitro Bunico Aegyptio, Magneſio, & aliorum locorum, aphronitro quoque, aphronitro, halmiraga, & nitro ex cineribus lignorum ſolidorum ex Plinio Dioſcoride, Galeno & aliis veteribus alibi ſæpe diſſeruimus. Credunt plærique id quod *halonitrum & ſalem petræ vocamus ipſis fuiſſe ignotum*: imo faciunt opinionum varietates, & certamina recentium vt de noſtra quoque ſcientia ſit dubitandum, quantumuis res ipſa ſit notiſſima.

Lege tractatum noſtrũ de fonte Caſimiriano.

Duplex halinitrum agnoſcit Paracelſus, quem plærique, qui in Alchymia aliquid eſſe volũt, admirantur, ſequuntur, defendunt. Vnum eſt *animale* ex lotiis hominum & beſtiarum in terra natum, inque ea coagulatum in corpus: *alterum minerale*, quod petræum, ſiue ſalem petræ nominat. *Salis nitri* fundamentum ponit alcali innatum, nempe principium tertium eſſentiale, quod ſit de ſubſtantia corporis noſtri, & nutriatur ſibi familiari ſale ciborum. Is autem etiam eſt eſſentialis cibis, & pro condimento adiuuatur vſuali. *Vbi nutritio eſt, ibi etiam excretio.* Nam iuxta Ariſtotelem, *nihil fit ex toto tam in natura quam artis operib.* Poſtquam ergo ſal alimentarius nutriuit ingenitũ, ſuperfluitas inde exiſtens, reſolui ab aquoſitate, & aliqua per ſudores, maxima vero parte per vrinas emitti, & in terra naturam differentem acquirere perhibetur. Succum ſalſum, concretumq; in ea artifices extrahunt, transferuntq; in diluta, & amplius elaborant, vt fiat id quod *halinitrum*, ſeu *ſalinitrum* appellat Paracelſus. Vrinæ quidem etiam per ſe ſalem reddunt: ſed qui non ſit halinitrum.

Salpetra duplex.

Salliter.

Accedit enim magis ad alterum genus ſalis, quod ab Arenis inter quas & ſub quibus naſcitur, *ammoniacum* nuncupatur, & quod à Nilo elutum aſſumto ſale foſſili qui in vltima Aethiopia inuenitur, &

Sal ammoniacus.

tut,& resolutionibus marmoteis,item pinguedine aliqua bituminea & halmiraga natiua Coit in nitrum,& per nitrum defertur,vbi etiam nitrariis artificiosis olim extructis *nitrum verum Alexandrinum* fuit coofectum. Aliqui tamen persuasum habent *in Armenia* gigni istum salem *ex camelorum lotio* : vnde & *armoniacum* appellari volunt,quod tamen fabulosum. Omnino differunt *sal ammoniacus, halmiraga,nitrum,sal vrina,alcali lignorum,aphronitrum,aponitrum, sal petra,flos Asia petra,&c.* quanquam non irreconciliabili differentia.

Sed ad opinionem Paracelsicam redeamus. *Sal nitrum* huius nihil est aliud quam excrementitii salis ex vrina animalium concretio, composita partim ex cibarii salis reliquiis,partim ex redundātia congeniti alcali,vt sit aliqua excrementum naturale,aliqua superfluitas cibi,qui non est receptus, & concoctus.Ideo & putauit separari posse,idque esse quod halonitrarii assequuntur cum *à sale nitro segregant salem terreum*.Nam huoc credidit esse cibarium crudum , qui non sit assumtus in substantiam alcali naturalis. Qui vero receptus est & concoctus,eum iudicat parere *verum halinitrum*,quod sit illud purum & spirituosum quod à sidente in catinis sale mediante liquore puro secedit. *Tria ergo habebimus in hoc halinitro Paracelsico*,salem terrenum,salem nitrum,& compositum ex vtroque qualis est *communū salpetrà* ante purificationem:Et hæc omnia principalitet ex animalium lotiis. Nam quartus saliam in substantiam natiui dicitur abiisse,& inseparabilis esse , nisi forte cum membra in cinerem rediguntur,& ex hoc colligitur *alcali*,quod essentiale principium fuisse hinc intelligunt Paracelsistæ. Sed & *halinitrum purum* fingitur *duplex*.Nam quando concoctio facta est,*superfluitas tam à nutritiuo sale,quam à congenito* deriuatur,vt omnino Paracelsici cum ratione insaniant. Quorsum vero sal ille separatus à puro nitro? *Ad tormenta facit*,inquit,*non ad mensas*,nisi velimus homines macros reddere , & exiccare. At,inquam,minime ad tormenta.*Ideo n. separatur à fulmineo sale,quia inutilis*,ad inflammandū & iaculandum. Volebar disserere de vsu halinitri cibario , quod tormentis non mensis destinatū iudicat,ni medicinæ inseruire debeat,in qua vehementer exiccare possit , adeo *vt etiam æstimatione auri secundum caractas; vicesimum quartum gradum assequatur* , sique resolutio eius misceatur aliis exiccantib. vegetabilibus(plantagine,serpentaria &c.)aut mineralibus(terra sigillata,croco martis,&c.) *ad 32. gradum ascendat*,cum apud Hippocraticos *quartus gradus sit summus.* Nimirum sic Paracelsus etiam aurum suum exaltauit,vt 28.caractas haberet,cum natiuum purissimum omne includatur caractis vigintiquatuor. Non immerito de male sanis Germani pronunciant,quod vel abundent sparto (Tigno vel deficiant. Ita est halinitrum Paracelsi.

Sal nitrum. *Paracelsi de salepetra opinio.* *Gradus medicinales Paracelsi.* *Aurum Paracelsi.* Ein sparren zu viel oder zu wenig.

Quid est sal petræ?

In terra,inquit,*inuenitur concretum in cuniculis forma stiriarum, conorum,columnarum, &c.* Vocatur salpetræ quia in petris concrescit,quod tamen vocabulum(est enim valde liberalis in vocum homonymia)aliquando permutat cum *sale nitro*.Habet & hic salem sepatabilem & inseparabilem. *In tomo octauo*,vbi de aquatum fœturis delirat,*salpetra dicit esse spumam de salibus glutinum & resinarum,qua maxime in petris appareat,nascaturque ex separatione impuritatum salis:in terra quidem iterum soluatur ; sed coaguletur in petris conorum specie.* Sed relinquamus hunc magistrum suæ officinæ, & certiora proferamus. Quo modo,& qua ex materia artificiosus sal pettæus, qui & halonitrum, & sal nittum appellatur, proprio libello docuit Lazarus Erkerus,scripseruntq; ea de re plures. In primis Agricola *lib. 12. de re metallica* : Cæsalpinus *lib. 2. de metallicis,c.19.& 20.&c.*

Materia halonitri,quod vulgo salem petræ vocant (alias discrimen ponunt inter salem petræ & nitri seu halonitrum quod & *sal altincar* appellant , *ita vt salpetra sit,qui salem & nitri florem simul continet*:Sal nitrum vero pura essentia nitri floridi,à quo sal communis est separatus ex toto, quanquam hæc distinctio raro obseruetur,magisq; dicatur sal petræ purgatus, vel purus & à sale separatus , cum purum nitri florem intelligimus) est varia,eaque vel simplex,vel composita. Erkerus tecenset inter optimas terram ex veterib. ouilibus fere *siccam*, quæ non abundat aquositate,nec multum salis habet. Secundo *calcem* de veteribus muris: 3: *lutum antiquorum* parietum,ex terra vel loco alias naturaliter nitroso erutum,& in muros translatum. Nam alicubi inueniuntur terræ lutosæ & argillosæ sale petræ fertiles. Muri vero illi nec semper aridi debent esse , sed aliquando irrigati pluuiis,aut stillicidio,nec semper humidi,& imbrib. expositi,quando in perpetua siccitate nitrum non consistit ; humiditate vero diluitur, & dissipatur eius seminarium. Quod si sol aliquando admittitur, perficit , & concoquit primordialem genituram,vt concipi,& conceptus ad maturitatem peruenire,consistereque possit.(Siccitas opprimit conceptum : humiditas nimia diluit : mediocritas occasionem dat nascendi,& calor temperatus solis maturat) *4. rudera murorum* luteorum,aut calcosorum,quæ super cellarum testudinibus aliquandiu iacuerunt,ita vt irrigari vaporibus assurgentibus,& aspersionibus externis potuerint.

Salpetra Paracelsi. *Ista Paracelsica habentur etiam in Genealogia mineralium ex Paracelso collecta in Volum.1. Theatri chymici p 659.seu cap.12.* *Sal petra & sal nitrum differunt.* *Materiā halonitri & salis petra.* *Sal petra vt nascatur.*

Hinc n. concipitur,sal petræ & coagulat. 5. *Halonitrosa* & illa terra est, q̃ eruitur *ex pauimentis* ædificiorum,camerarum,testudinum,& cellarum rudib. non stratis lapide,præsertim si subsint concameratæ cryptæ: alias non alte fodiendum est, videndumq; num loca ipsa sua natura sint nitrosa, cuiusmodi habentur lutosa,plana,pinguia,& argillosa. 6. *Pauimenta* equilium veterū. 7. *Quisquiliæ* suburbanæ annosæ, in quas purgamenta ædium collata sunt , maxime si rimis actis solem recipiant , & apricentur: 8. *vestibula antiqua*: 9. *terrà ex officinis* infectorum , & zythepsatum , & in quas aluminosorū dilutorum,tincturarumq; reliquiæ profunduntur. 10. *cumuli cinerum* à saponariis, fullonibus, aliisq; lixiuiorum feces abiectaneas congerentibus sepositorum. Hæ tamen terræ sale abundant,nitrique confectionem impediunt. 11. *Quinquennales* exhaustarum materiatum acerui,qui solent ab halonitra-

riis in

riis in loca secreta conuehi, ibique sub tecto admisso mediocriter sole, & pluuiis detineri, vt ex semi-nio intetiore nouum halonitrum concipiatur, & terra semel exhausta denuo imptægnetur.

Diuidi veto cuniculis, & fossis acerui solent, vt humiditas superflua decedat, & solis radii in eis operentur. Melius autem sub tecto, quam sub dio istiusmodi congeries detinetur, ne pluuiis nimiis halonitri consistentia impediatur. Quidam talibus cumulis immiscent ramenta, seu fragmenta quadrantalia abietum, pinotum aut tædarum, *vt pinguedo concurrat* ad halonitri generationem, persuasumque est quibusdam si hæc terra sub tecto seruetur, *post annum iterũ parituram salem petræ.* 12. *Quidam in terras pauperes effundunt* infectorũ offas à tinctura relictas, aut ẽt ipsa decocta infectoria aluminata, aliquo modo cuttupta, & inutilia facta, q̃ alias temere effunduntur, neque tamen hoc nimis sæpe, *vt materia eo citius* ad conceptum disponatur. 13. Assumitur *& caminorum fuligo, & fornacum: & domesticorum lixiuiorum cineres, cum fauilla combusti straminu, præsertim fabacei, pisorum, &c.* Euenit aliquãdo, vt nimis pingue crassum puniceumque lixiuium ex terra fiat. Ea miscenda est aliqua paupere, & macra. Hæc omnia ex Erketo transtulimus, vt naturam halonitri noster Tyro eo exactius intelligere, & iudicare possit. Addimus aliorum quoque experientiam. Loca in quæ *lotium humanum* effusum est crebro, & qua destillatores aquarum acrium *sua capita mortua, & elutiones*, item qua *aurifabri aquas mortificatas* proiecerunt, etiam vtilem præbent materiam, si quidem ea sunt terrea. Ex *fimo columbino, anserino, & lapilliuorarum auium* præclarum fit nitrum. Asciscitur & *calx viua* ex lapide calcario, præsertimque eadem augetur, vt coni seu cylindri quos crystallos vocant fiant maiores. Ex. Gr. *Terram salsugine cana, seu halmiraga, qualis inuenitur circa acidulas nitrosas apud Egrã Bohemiæ* in finibus, item in itinere ex Aegypto versus terram sanctam, vt indicat Bellonius, & eo quo ex Iudæa in Arabiam petræam itur, alibique vt Plinius refert, *obductam congere in cupam duobus podiis distinctam, parte inferiore vacua. Affunde aquam calidam. Agita bene. Relinque ita aliquandiu. Postea dilutum ex superiore capacitate in inferiorem transfer per colum. Coque. Cola sæpius ad puritatem. Deinde coagulet halinitrum. Cape postea lixiuium ex calce viua. Coque cum iam facto halinitro. Cola ad purum. Insperge aliud halinitrum contritum: Et fine concrescere de more in crystallos.* Aliqui abradũt *sitũ veterum murorum*: pſertim qui iuncti sunt iortito veteris calcis & recentis: Et steterunt in locis quæ lotio perfunduntur, aut in cellis, vbi sæpenumero stillicidiũ transiens ex calce farinam & salem ablutum defert, inque strias cogi facit. Iste situs aqua coquitur, colatur, coagulatur: deinde lixiuio calcis viuæ recoquitur, per colum traiicitur, & in lapillos densatur, idque sextiduo potest quater fieri.

Varia confectiones salis petræ.

Alii lotio ouili vel aliorum animalium fermentatas terras perfundunt, diluuntque vrina noua. Hac perlinunt ollas nouas intus & foris. In cella vapida repositis ollis accrescit pruinosa halmiraga ex qua halinitrum, quod vno anno in eadem olla fieri potest quater. Aphronitrum vocant nonnulli spumam salsam massæ vitrorum liquatæ innatantem. *Fel vitri* appellant. Hoc collectum additumque dilutis auget conos. *Si aqua irriges muros halinitri seminarium habentes, facilius exoritur sal petræ, & cum detractus est, iterum asperge aquam, & recrescit. Quidam canales foraminibus plenos perlinunt offa ex sale & calce viua: Exiccant: Inde In cella collocant, exoriturque halonitrum mora.*

Aphronitrũ.
Fel vitri.

Salis petræ vim acuere.

Alii pastam faciunt ex tartari & salis paribus: calcis viuæ triplo, & vrina œnopotæ quanta satis. Hac oblinunt tubum. Est & cum soluitur vrina viri qui vinum potat, & vino ipso vicissim: aliquando lixiuio cinerum vulgari: Nonnunquam *vino ardente, quibus vis eius* exaltatur. Quidam vt *salem & alumen separent*, calcem viuam, cinerem clauellatum, vitriolum album, salem, vinumq; aut acetum cõmiscent, & mora tridui lixiuium faciunt, quod sali petræ affundunt vt excedat vel sal soluatur. Inde eoquunt ad medias. Quiete *sal, alumen, & impuritates feculenta ad fundum concedunt. Purus liquor transcolatur, & in crystallos puros densatur.*

Salem & alumen ab halonitro separare.

Discrimen salis petræ & salis nitri.

Hoc iam *nitrum* est, seu *sal nitrum*, q̃ ante vocaretur *sal petræ*. Aliqui ꝓ vitriolo capiunt ærugi-nem, & addunt etiam salem ammoniacum, coquentes ista cum sale petræ crudo in aheno ex aqua vel vino: Item purificant ipsum lixiuio calcis. *Sal vulgaris in purificando additur, quia sali se aggregare dicitur ipsumq; assumium secum ad fundũ trahere. Tartarum colligit impuritates: Copparosa seu vitriolum* Romanũ *coercet, congregatq; succos crassiores*, itemque ad fundum trahit. Ita halonitrum *clarificatur, cuius signum est* si in igne fluit, vnde & *sal fusilis* vocatur, *& comburitur sine strepitu*: item *in lingua frigoris sensum parit.* Salsum strepit, nec pure diffluit, item linguam salsedine afficit. Vitriolatum quoq; & aluminosum suis indiciis agnoscitur. Quidam iniectum candenti prunæ spectant argumento bonitatis & puritatis si diffluat & deflagret sine reliquiis salis communis, aut fecum terrestrium & salis crepitante, qui mos est salis. Si particulam Ellychnio candelæ ardentis impunas, primo liquescit, mox concepta flamma spiritum eiaculatur vt puluis tormentarius: Idem facit sal prunellæ mineralis, licet per sulphur combustus. In lingua & dentibus resoluitur humore, & notabili frigiditate se prodit quam sequitur tenuis salsedo, & acrimonia, tandemq; etiam dulcedinis nonnihil. *Sane frigus in eo excellit spiritibus frigidis in ipsius substantia coagulatis*: Vnde & qui æstiuis mensibus *aquæ frigus intendere volunt*, vt potum refrigerent, halonitrum ea soluunt, vnde admodum fit frigida.

Sal fusilis & sal nitrũ idem.

Habet autem *& pinguedinem quandam*, cuius merito flammam concipit, quanquam citius sociato sulphure & carbonum tenerorum puluere, vt in tormentario patet. Ista fere sunt quæ de factitio sale petræ & halinitro annotatur. Est aliud naturale vegetabile quod efflorescit ex salicum genere: aliud minerale vt halmiraga & similes species. de quibus alibi. Crollius putat *halonitrum, & sulphur hostes esse*, argumento quia in pyrio puluere incenso se non patiantur, sed diffugiant cũ strepitu & fumo. Sane etiam cum purificatur halonitrum sulphure conflagrat cum ebullitione crepitante, multoque fumo. Nos sulphur halinitri hostem non alia ratione putamus, quam spiritus sulphureos & mercuriales, illos calidos hos frigidos in ipso. Nam & solum halinitrum in prunas, vel lychnos ardentes iniectum disrumpitur, & spiritum frigidum proflat, & eiaculatur fulminis modo, quod obseruatum est etiam in sale ammoniaco factitio.

Sulphur

Sulphur & carbo adduntur facilioris incendii causa, vt & aliquando vini spiritus inflammatilis. Nitrum per se tardius flammam concipit, propter spiritus frigidos & consistentiam glaciatam. Quia vero constat spiritibus aduersis, calido inflammatili, qui est sulphureus & pinguis, deq; natura ignis: & altero frigido aqueo: Ignis autem & aqua in actu suo se ferre non possunt: ideo cum igneus spiritus correpta flamma in actum prodit, violenter disrumpit compagem, & effertur. *Lazarus Erkerus* in descriptione salis petræi dicit esse *salem lapideum*, vtpote consistentia crystallina & lapidosa, qui in se habeat *ignem* quendam *frigidum* velocis commotionis, vnde etiam ad separationes metallicas multum confert. Nam spiritu subtili & tenui penetrat, diuiditque humiditate pingui intrat, & fluxu sui etiam alia fluere cogit, calore & igni subtili vim afferente. Dum autem spiritus quoque passim se effundunt, segregatio fit heterogeneorum: id quod experiuntur Docimastæ in venis tenerioribus probandis, & stibii fusores in vitro antimonii, similiterque in aliis multis. Notæ vero etiam sunt vires aquarum fortium ex eo & alumine in segregatione metallorum. Quercetanus parabolice de huius natura disserit.

Ignis frigidus.
Natura halonitri.
Aenigmata Quercetani de sale nitro.

Primum *sal petræ philosophorum*, seu *sal fusile sapientum negat esse nitrum vulgare.* Habet autem alium *salem fusilem*; quem *armoniacum* per calcem fixum, qui in igne diffluit, appellat. Bene quidem distinguit istos sales. Longe enim aliud est sal fusilis in artificio lapidis, quam halinitrum, vtpote cuius compositio est ex mercurio & corpore perfecto, quæ cum incerando huc perducta est, vt in igni liquescat sine fumo, quam conditionem inuenimus etiam in sale ammoniaco fixo, & halonitro, inde appellatur *nitrum philosophorum, & armoniacus sapientum.* Si vero conferas halinitrum fixum, & salem ammoniacum itidem fixatum, ratione fluxus in igni nullam fere agnoscas discrepantiam; id quod etiam primordia docent.

Aliud sal fusile philos. aliud sal petræ

Nam *sal ammoniacus factitius* sale vrinæ, & fuliginis adiectis nonnullis aliis constat, quæ fere etiã sunt *boracis crystallini* constitutiua: Halinitrum recipere eadem, si non ex fuligine, at ex cineribus, ante dictum est. Ita sal calcis vnitur cum sale ammoniaco dum figitur in ea. Idem ingreditur nitrum purificatum. Istud est primum Quercetani de hoc sale iudicium. Deinde sæpe appellat *salem sulphureum* propter spiritus inflammatiles, qui iudicantur esse de natura sulphuris. *Salem a. ammoniacum vocat solarem*, quod soli purgando, soluendoque auro sit destinatus. Aliquando descriptionem pleniorem ponit, quod sit *sal mercurialis, aqueus, acidus de natura salis armoniaci: qui participet naturam vegetabilem, & animalem*: Constet ex duplici genere salis volatici, mercuriali, & sulphureo, postquam clarificatus scilicet est, & sal terrenus separatus cum adhærentibus succis vitriolatis, aut aluminosis. Item calce, & aliis impuritatibus feculentis.

Sal sulphureus.
Sal solaris.
Halinitri anatomia.

Per *acidum* videtur acrimoniam intelligere cum qua est aliquid salsedinis, quo modo *Franci acidum & salsum coniungunt*, & eodem vocabulo Sawr (quod alias est acetosum) enunciant. Alias nihil acidi acetosi in isto sale animaduertitur quale est in spiritu sulphuris, & vitrioli, aut etiam horum spirituum crystallino coagulato. *Mercurialis* nuncupatur propter congelatos in eo spiritus frigidos qui censentur aquei esse.

Maxime enim aduersa est aqua igni. Sed licet à prædominio possint aquei dici, videntur tamen etiam aliquid terrei continere, quando scimus ex terræ cauernis tales prodire, & in cuniculis, cauisque tempore æstatis, vbi omnia etiam interiora sunt sicca, tales spiritus contineri. Iidem sunt in cryptis & cellis calce perlitis, & in ipsa calce continentur. Concretio quoque argumentum terrestreitatis habet. Sunt spiritus ignei calidi sicci: Sunt aerei, atque adeo ipse *aer spiritus dicitur*: Sunt aquei; sunt demum & terrei. *Quando aquei & terrei conspirant, illos nitrosos in halinitro effici arbitramur*, qui etiam sunt *frigidi* iuxta naturam vtriusque elementi.

Alter spiritus est *sulphureus & igneus*: Salsa vero concretio corpus dat, & sic halinitrum ex igneis, aqueis, terreisque spiritibus, corporeque partim terreo partim aqueo mistum est. Propter terreas partes in aqua concrescit, & spiritus secum consistere facit. Propter pinguedinem halituosam bitumineam seu sulphuream, tum inflammatur, quantum attinet ad spiritus subtiliores, minusque densatos: tum fluit in igni, vt aliæ pinguedines sulphureæ tenacesque solent. Hinc qui vapores, & halitus excutiuntur in ardente, sunt eiusdem naturæ aqueæ partim & terreæ: partim igneæ. Propter siccos terreos *potest sublimari*, viscididate sulphurea fixa comite. Aerem non difficulter his adiungas, vt sic quatuor naturarum conspiratio liquido appareat.

Spiritus varii.

Quod si vires admirandas contempleris, haud inuitus fateare, *in puro halinitro*, quod pro priscorum *flore nitri* habendum est, si quidem purum spectes, & non spumam illam feculentam sulphuream quæ innatare solita est nitrariis, *aliquid amplius esse quam corpora ista quæ elementa dicuntur, reueraque saturninam essentiam, & martialem illis elementalibus comprehendi.* Sed ad Quercetanum reuertamur. Is partem sulphuream putauit esse *animam nitri*; partem mercurialem, *spiritum* qui non inflammetur: Si istam opinionem recipimus, nitrum fixum, (*a*) quia non amplius inflammatur, non erit nisi corpus mortuum, & sic æquiuoce sal nitrum.

Vide cap. 3. Quercet. de prisc. med. mat. Vbi salis petræ anatomiam tractat. Ibi & cap. 4.

Verum iste suo modo sic dixerit, nos nitri essentiam, & vim etiam in fixo deprehendimus. Tã diu autem est vniuoce nitrum quamdiu vires & proprietates habet essentiales. Si fixum halinitrum gustes, frigus proprium adhuc animaduertas. Inflammatile esse, non destruit rationem nitri, sed est volatici quoddam adiunctum, propter partes subtiles sulphureasque leuiuscula commistione, atq; adeo imperfecta vnitas. Interim non totum sulphur abit inflammatione: sed manet firmius, & tenacius vnde & fluor in igne restat.

De effectu ait, *dissoluere corpora, & figere spiritus.* Ex quo concluditur subtilem admodum & penetrantem naturam habere, quæ corpora metallica subire possit, & ea in aquas conuertere, quod ap-

paret per spiritum halinitri; & aquam fortem. Sed & quod citius fluit, & effetuescit, in fluxum perducit & alia difficilius liquefactilia. Vnde fusionibus, & liquationibus est accomodum. Figit autem spiritus, alia vi astrictoria terrena, vt videre est in argento viuo, quod aqua forti ex sale petræo, & spiritu eius præcipitatur, & frequente repetitione domatur. Potest fieri vt volaticis spiritibus attenuatis, dissipatisque relinquantur corpora solidiora, quæ inde iam fixata dicuntur, quia alas quibus eleuabantur amiserunt, vt sic non per se, sed ex accidente figat.

Tribuitur eidem natura *hermaphroditica*, mascula, & fœminea, propter frigidos aqueos, & calidos igneos spiritus. *Sulphur mas* vocatur: *fœmina sperma humidum frigidum passiuum, illo actiuo existente.* Sulphur pro forma est, humor aqueus pro materia.

Salpetra hermaphroditicus.

Eadem asscribuntur illi etiam ob partē fixam, & volaticam, quanquam aliene, cum vtraq; natura vtrumque possit obtinere. Hinc studiosi facilius intelligent quid nomine *salis petræi*, & *salis nitri, seu salitri* sit apud peritos (non apud stultos Paracelsistas, & populares scriptores) accipiendum, nempe *halinitrum esse purum & clarificatum nitrum à sale communi, alumine, & impuritatibus separatum, quod in igne non strepit vt sal cibarius, sed inardescit & diffluit, si quidem adhuc habet spiritus sulphureos volaticos: Sed salem petræ esse crudum primæ congelationis, cum quo adhuc sal cibarius est.* Aliqui tamen hoc termino vtuntur generaliter quidem: verum adiectionibus distinguunt nominando *salem petræ purgatum, vel clarificatum* pro sale nitro (Ita enim melius pronunciatur, quam si salem nitri dicas) salitro, & halinitro: sed salem petræ simpliciter pro crudo, & inelaborato.

Distinctio halinitri & salis petræ.

Ex iisdem etiam patet quid velit Quercetanus, cum per allegorias, metaphoras, parabolas, & symbola Hermeticis familiaria loquitur, vt in croco metallorum: *Istud metallicum* (stibium minerale) *cum æqualibus salis sulphurei naturalis partibus permisceo, nec alio igne nisi prædicti salis sulphurei vtor*, &c. vbi halinitrum intelligit, quod naturale sal vocat ob mistionem ex natura, cum eius præparatio & extractio sit artificialis. Sic de mercurio vitæ per solum naturæ sulphureum salem fixando: Item in Bezoardico: *Liquor gummosus cum spiritu salis omnia animantis permisceatur*, &c. vbi spiritus halonitri, vel etiam ammoniaci intelligitur.

Quercet. symbolica illustrata.

Putat autem istum salem rebus quasi animam, vim & formam conferre. Animam sali compararunt etiam prisci: Item *Aurum in aqua philosophica dissoluatur, quæ è duobus salibus volatilibus, sulphureo nimirum & mercuriali conficitur:* vbi spiritus halinitri (*b*) designatur quo calx auri tumefacta soluitur. Appellat & *ignem balsamicum naturæ*, spiritum scilicet ex halinitro, quo repercutitur liquor vnctuosus sublimati. Item liquori mercuriali tantundem aut amplius *sudoris hermaphroditi, virilis & fœmineæ naturæ, aquea, & terrestris, volatilis, & fixa* addatur, &c. quæ est descriptio liquoris ex halinitro. Verum hæc sufficiant de natura halinitri, quam declarant satis ingredientia, materiæ, & passiones. *De viribus* eius habes integrum fere tractatum in chymicis Penoti: suntque qui de salibus scripserunt plures, quos consulere studiosi possunt.

Chymici fere ex halinitro faciunt salem seu *lapidem* quem *bruni aut prunellæ mineralis* appellant: Item *sublimatum fixum: calcinatum: liquorem: spiritum, aquam chrysulcam puluerem pyrium: oleum* & alia multa, sæpeque idem modis diuersis pro diuersitate vsus in mineralibus & medicina. Neque enim raro seruit tantum, estque præparationum adiumentum, vt & sal ipse per se in metallurgia. Nos *de sale prunellæ pauca.* Nomen *sal prunellæ mineralis* Paracelsicum figmentum est ex parabolica cabala Paracelsi, seu magia. Herbam *prunellam* commendat naturæ signatura, & experientia in Angina, & ardoribus, vlceribusque & apostematibus, item phlegmonis faucium, vbi discutit, deterget, maturat, absterget, sanat, in decoctis, succoque plærumque cum melle rosaceo, Rhob nucum, Diamoro vel similib. atq; etiam Gargarismis, Emplastris, Cataplasmatis & similibus formis adhibita. Parem vim, aut etiam ampliorem asscribunt *halinitro:* sed populari experientia excellenter in ardore gutturis, faucium & linguæ, in *febribus pestilentibus, & causo* quem *Vngaricum* vocant, item in *angina*, & gutturis à phlegmate crasso obstructione. Brunum (Die Breune) appellāt Teutones. Hinc innotuit *lapis bruni* (Breunstein) & sal prunellæ mineralis ex analogia cum viribus herbæ prunellæ, quæ vox alias etiam *symphitis* nonnullis communis est, sicut vicissim *bugla, & bugula* prunellæ, cum bugula alias sit *media consolida, & symphyti petræi species* apud *Lobelium, & Clusium.*

Lapis bruni.

Quercetanus *anodynum minerale* vocat interdum autoritate quorundam chymicorum, qui videntur eius experientiam habere in demulcendis dolorib. per halinitrum solutum, in *podagra* & aliis arthriticis. Monet autem Quercetanus nomen prunellę impositum lapidi fuisse ex vsu in *febre ardente* vbi ariditas, nigredo & ardor linguæ & gutturis, non multum à *PRVNIS* aliena, vt videatur vox tracta esse à *prunorum* arefactorum colore qui niger est. Inde fors nata est nomenclatio herbę *prunella* quod folia habeat *pruni æmula*: Sed ille affectus maiore ex parte Brunus est (Braun) vnde & Iordanus *Brunum Gallicum* deduxit: Et quia tum herbæ decoctum, tum dilutum halinitri per sulphur fixi vtile est puniceo linguæ, & facium ardori: Item anginæ, inde nata est appellatio verius. Morbus quoq; non dicitur *prunella Hungarica*, sed *Brunus*.

Bugula. Anodynum minerale, qui titulus iustius debetur sulphuri vitriolato.

Præparatio huius lapidis (Ita enim vulgo in Germania vocant à consistentia lapidea, quæ est fere & aphronitri, seu fellis vitri ex officinis vitrariorum) adeo popularis est, vt nullus sit barbitonsor paulo peritior, nullus pharmacopœus, imo mulierculæ quoque aliquæ callidiores quin parare sibi posse videantur. *Capiunt salem petræum in tabernis obuium. Mittunt in ollam, peluim, vel lebetem fictilem. Liquato super prunis iniiciunt portiones sulphuris citrini, vti est in pergulis mercatorum, hoc est, vsualis. Postea iniecta pruna viua, vel ferro ignito immisso vel etiam charta flagrante incendunt sulphur vnde & sal petra effertuescit, & deflagrat. Cum consumta est flamma, & liquor videtur esse purus effunditur in patinam, ibique concrescere sinitur.*

Lapidis bruni præparatio.

Hæc est

Hæc eſt popularis confectio. In officinis quibuſdam proſtat ſub nomine *ſalis petræ præparati*, nõ forma lapidis, ſed pulueris. Aliqui nuncupãt *ſalem petræ combuſtum*, Verbrufften Salpeter: veteres crematum, aut vſtum dicerent.

Salpetra præparatus.

Conferantur a. cum iſto populi officinarum apparatu chymicorũ operari, & videbuntur quædam illuſtriora, quædam vix tafore barbarum, & ambubaiis digna. *Penotus primo nitrum in ampla patina, vel vaſe plumbeo exponit ſoli, vt apricando albeſcat, inque puluerem album redigatur, vnde putat plus ſubtilitatis ei accedere. Pro ſole igne vehementi vtitur, cuius vi id calcinat ad albedinem, quo ſimul gummoſitas diminuatur, & calor cum ſubtilitate in operando creſcat.* Verum hæc præparatio frigidos ſpiritus diſſipare cum calidis ſulphureis poteſt: quo modo maiorem ſubtilitatem, tenuitatemq; efficere queat, nõ apparet. Si nitrum purum aſſumit, volaticas partes non figi, ſed diſcuti & ſeparari palam eſt: Si ſalem petræ, ſalſilago peregrina ſublatis ſpiritualibus vires acquiret. Videtur a. ad *nitrum Galeni reſpexiſſe, qui vſtum tenuius fieri ſcripſit.*

Nitri ex Penoto præparatio.

Dioſcorides illud cremat in teſta donec candeſcat, quæ ratio reſpondet Penotianæ. Aliud aũt minerale eſſe noſtrum halinitrum, aliud antiquorum non eſt dubitandum, quanquam non ſic aliud vt tota natura, toroque genere diſſentiat, cum noſtrum halinitrum nihil aliud ſit, quam veteris nitri eſſentia quam florem diximus ſyncerum. Ideo & tota elaboratio eſt extractoria, qualem oportet fuiſſe & nitri ex lignis combuſtis collectionem cuius meminit Plinius.

Nitrum vſtũ tenuius fieri quod pure halinitro noſtro non contingit.

Idem Plinius indicat *veteres etiã cum ſulphure liquatum nitrum* Carbonib. *coxiſſe*. Hinc fortaſſe manauit inuentio ſalis prunellæ mineralis, halinitro ſubſtituto veterum nitro. *Liqueſac*, inquit Penotus (c) *nitrum* (tu halinitrum intellige) *in forti tigillo. Fuſo ſenſim inijce ſulphur commune magnitudine fabarum, donec nolit amplius imbibere*: (Imo donec purum fluat, & fixum appareat.) *Effunde in vas aqua plenum. Filtra. Coagula. Rurſus liqua, iniectoque ſulphure fluere ſine. Id repete quintum. Tandem ſolue aqua. filtra & coagula.* Hæc Penotus. Incertum eſt, volueritne vna manere ſulphur, an incenſum deflagrare. Sed nos putamus voluiſſe incendi: quæ ſententia etiam Plinianæ præparationis eſſe ſtatuitur. Quorſum n. compoſitio ſulphuris, & halinitri, ſi præparatum ſalitrum per ſe volumus? Alias etiam *per ſe aſſatur, donec nigreſcat, triumq; ambuſtu remedio eſſe traditur*. Melior eſt præparatio Querce. *in Alexic. p. 401. Sal petræ ſtudioſe purificatus, ſeu halinitrum purum in cruſibulo ad ignem diſſoluatur. Liquefacto flores ſulphuris paulatim adijciantur, donec ſpiritu ſulphuris acido imprægnetur: bene depuretur, clarificetur, & in formam vitri pelluciſsimi ſuper marmor effuſi reducatur.* Hæc ibi de præparatione. *In pharmacopœa reſtituta* paratur *anodynum minerale* (quod ſingulari vi dolores mitiget etiam à calida cauſa & inflammatione excitatos) *ex nitro optimo* (halinitro clarificato, & à ſale ſeparato) *quod funditur in cruſibulo, paulatim ſuperiiciendo flores ſulphuris, qui eius pinguedinem tollant, & adeo purum, pellucidumque reddant, vt ſi ſuper lapidem marmoreum effundas, omnino clarum, & diaphanum appareat inſtar vitri.* Id ſal, ſeu lapis prunellæ dicitur, cuius mentionem fecit etiam *in tetradrin antidoto Lyſipono*, titulo *ſalis nitri cum ſulphure aut florib. ſulphuris purificati & vitrificati*. Omiſit vel occultauit incenſionem. Quo modo alias pinguedinem tolleret ſulphur? Rurſus ſi debet ſpiritum acidum inferre, qui fieri hoc queat ſi incendatur? ſpiritus iſte ex halitu coagulante naſcitur: halitus ex incenſo. Videtur hic ſuæ opinioni indulſiſſe Quercetanus. Nam *in ſale prunella nihil eſt acidi*: Imo ſi ſal petræ aſſumitur, ſalſedo prædominatur, adeo vt etiam aquas quib. diſſoluitur excellenter ſalſas efficiat. Alias eniteſcit & ex præparato frigiditatis ſenſus: Noſtrates non ſolent vſq; adeo pellucidũ reddere, contenti pura albedine, & fluxu ſine fumo. Cum ſæpius inijcitur ſulphur, ſæpius incendi debet. Differt à plebeia hæc præparatio, quod halonitrum puriſſimum, & flores ſulphuris recipiat, cum popularis tantum ſalem petræ, & ſulphur citrinum. (d) Iſtis præparationibus melior eſt, quæ aſſumit *nitrum purum, & pro vnciis ſingulis ſingulas drachmas florum ſulphuris. Ha liquato paulatim per portiones iniecta, incenduntur, & deflagrare ſinuntur, donec ſal petræ nitreus perſpicuus euadat. Hunc effundunt ſuper marmor: vbi refrixit contundunt in puluerem; quem in laneam manicam Hippocratis, illatum perfundunt aqua roſacea, ſinuntq; puriſsime in ſubiectas conchas, vel patinas mundas defluere. Cum totum tranſit, auocant roſaceam per deſtillationes vſq; ad medias. Reliquam exponunt frigori cellarum, & cryſtallos procurant. Ab his ſi iterum dilutum reſtat, id denuo coquunt ad medias, & coagulant ſicut prius, idque quouſque autem cryſtalli extiterint. Hos abluunt celeri agitatione ſi quid feculenti adhæret. Inde ſiccatos reponunt in vitro loco calido ſicco. Dant ad ſitim, ardores, vrinæ difficultates, & arenulas ex aq. fontana.*

Quercet. præparatio.

Melior præparatio ſalis prunellæ.

Quercetanus audet præbere à ſemidrachma ad quatuor ſcrupulos. Nos vocati aliquando ad *vetulam nobilem cauſo laborantem, efflictimque ſitientem*, aquam fontanam puram ſalis iſtius puluere miſcuimus, donec obſcura ſalſilago in lingua appareret. Dedimus hinc mediocrem hauſtum, *& miraculo ceſſabat ſitis moleſtiſsima*. Alii præbent drachmam dimidiam, aut integram ex ptiſana; vbi tamen idem modus obſeruari poteſt, qui de præcedente contemperatione eſt poſitus. Nonnulli *qui acidum deſiderant, potant ſalem ipſum vitrioli ſpiritu in hunc modum: Sal nitri ad brunum cum aq. roſacea præparatus, vt paulo ante eſt expoſitum, ſoluatur iulepo violaceo ex parte vna ſucci aut ſyrupi cum ſacharo cryſtallino præparati, & ſex aut octo aq. roſ. optima. Solutio per colum traiecta guttis. Spiritus vitrioli ita temperetur, vt ferri poſſe videatur,* ſitque aciditas grata. Hic porro iulepus per ſe guſtari poteſt in ardore & ſiti febrium, vel adhuc amplius miſceri aqua fontana.

Doſis intra corpus.

Sal prunellæ acidus contra ſitim.

Hydropicorum ſitis demulcetur aq. endiuiæ vel oxalidis eodẽ ſale, & ſpiritu vitrioli, aut ſimul ſeorſim alterato. In *æſtuoſis febribus, & cauſis*, etiam aq. fontana in qua *folia aliquot ſemperuiui maioris per noctem ſint macerata, ſal nitri præparatus*, ſeu prunellæ mineralis *ſoluitur, & aliquot guttis ſpiritus vitrioli, vel ſucco acido citri*, limonum, aut berberum diluitur. Eodem ſale condiri etiam iuſcula poſſunt, nec eſt formidandus in cibis. cum etiam nitro ſuo veteres, vt calaſtrico, ad menſas ſint vſi. Tribuuntur eidem etiam aliæ vires plures, vt *contra arenas & calculũ* datur drachma ex oxymelite ſcillitico: vel dimidia drachma

ex aqua petrosilini vel fragorum aut baccarum rubi idæi vittiolata cum Syr. violato, vel de althæa aut oxymelite diuretico, &c. *In morbis pectoralib.* diluitur aqua mulsa alterata hyssopo. Dosis minuitur pro ætate, & aliis circumstantiis. Pueris quoq; quadrimis exhiberi semiscrupulus, aut gr. 12. tuto possunt. Est enim bonum *diureticum & detersorium*, si continuetur 7. 8. aut 14. diebus. *In Dysuria & Ischuria quater in die datur*, inquit Penotus. *Frigido ventriculo* propinatur ex vino, aut iulepo calefaciente. *In febre pestilente* exhibetur cum iulepo aciditatis citri & limonum, ex syrupis istorum & rosacea facto. Soluitur & aceto, succoque semperuiuii & imponitur arteriis: Item *tumoribus calidis dolorificis*. Nam cum sit *anodynum*, eos mitigat. Cum decocto cornu cerui crudi prodest contra vermes. In adultioribus spiritus sulphuris potest addi. Quercet. *in Alexicaco*, vbi de *Hungarico causo* agit, commistum cum aq. fontana, aut alio frigidiore liquore vult offerri. Respicit nimirum æstum vehementem, qui contrario frigore extinguitur. Sed ratio habenda est epatis quoque & ventriculi, ne calor natiuus quoque opprimatur, præsertim cum ille sal mercuriale frigus non ex toto posuerit. Liquoris fontana (quæ quartum gradum frigoris habere censetur) frigidioris exemplum fortasse posuerit aq. Nymphea, semperuiui, papaueris, lactucæ, fragorum, &c. vt fit vsui interno.

Admonitio de Quercet. grandiloquētia. Commendat Paracelsicæ ad omnes inflammationes interiores, pleuritidas, peripneumonias, &c. quia virture in primis refrigerante iste sal sit præditus. Sed tu cautus esto. Vides n. per sulphur & fixationem spiritus refrigerantes esse vel sublatos, vel oppressos aut retusos. *Iubebamus aliquando in ardente febre lapidem bruni diluere aqua, vt posset bibi. At illa aqua fere muriam salsedine assequebatur.* Nimium quidem quantitatem salis immiscuerant: Veruntamen inde colligere erat salsedinis virtus acris, mordax & calida: quæ etiam in biliosa abundantia ideo non conuenit, quia duo acria confusa ebulliunt, efferuescuntq;.

De frigore salis bruni. Argum. Quercetani *quod sal iste lingua appositus maiorem glacie hyemali producat frigiditatem apud nos in Germania nullam habet experientiam*, vti neque rationem. Asscribendum forte est Paracelsicæ grādiloquentiæ, qua tamen aliquis imperitus studiosus possit decipi, vt periculum redundaret in salutē ægroti. Quod si etiam frigidior glacie hyemali esset, multo minus in ventriculum ingeri posset quam glacies. Quo modo vero vrinas tunc moueat, & sudores, præsertim mistū cum aliquo frigido liquore? Quid si extingueret calorem natiuum, & naturam ipsam adeo læderet, vt nihil mouere posset? Bonus ille Quercet. studio cōmendationis nimiæ non perpendit dicta *Foris prodesse sopiendis dolorib. ex* liquore cōgruo admotum, vt in phlegmonis, verisimilius est. Prædicat ēt mirabiliter reste experiētia sua, Germanorum & Hungarorum *ad febres omnes* præsertim *pestilentiales curandas felici cum successu.*

Ad omnes febres. Quod si est, Rulandus & alii frustra sunt fatigati copiose de remediis contra causum pestilentialem commentandi. Nam hoc vnicum feliciter curare dicitur, idque cum frigidissima fontana & abūdantissima dosi vasti cuiusdam calicis.

Libenter agnoscimus Quercet. diligentiam & peritiam: prædicamus etiam medicis commodandi studium: sed monemus simul tyrones, ne istis ambitiosis præconiis inducti bonum medicamentum damnose collocent. Antiqui aqua frigida in causis caute sunt vsi. Est quidem communis indicatio à contrariis calori: sed videndum ne vis fiat naturæ, ventriculus labefiat, epar induretur, aliquid labis fit in visceribus, aut obstructio, aut humor, qui impulsus frigiditate obstructionem possit gignere, & ægrotum in colicam, hydropem aliaque mala præcipitare. Agnoscit hoc & Quercet. ipse, cum tandem medioctitatem probat, excessum improbat, id quod in ipso notabunt studiosi. *An sal prunellæ superet mistionem syrupi acetosi* vel succi limonum cum aqua contra febres, vt idem scribit, non immerito quæri potest.

De spiritu acido vitrioli, & sulphuris, qui sunt in calidorū censu multis rationibus, & autoribus contra Quercetani iudicium, facilius potest conueniri, vti & de acidulis vitriolatis. Nam temperamentum quoddam ex aquæ frigiditate & calore istorum spirituum acidorum existit. Nec de administratione etiam halinitri vsti dubitamus. Verum *videntur succi illi vegetabiles humanæ naturæ conuenientiores esse, & contra venena certiora habere testimonia, vti & de corroboratione familiariore.* Ita n. compertum habemus limoniorum & citriorum succos.

Aciditates Vegetabiles.

Syrupus acetosus. Acetosus syrupus, si quidem fit ex spiritu aceti, seu aceto per destillationem albifacto, & sacchare, non idem habet temperamentum cum mistura halinitrosa, potestque inferior iudicari. Sin a. ex succis acidis citri, limoniorum, granatorum acidorum, &c. plus erit in hoc ad robur simul naturæ. *In pharmacopœa sal mineralis prunellæ doloribus à causa calida & inflammationibus excitatis conferre dicitur, vti & contra brunum Hungaricum.*

Magnum remedium. Vocatur *magnum remedium diureticum, & diaphoreticum*: quod concedimus ob vim salis. Immiscetur *pilulis hydragogis* ob eosdem scopos: Item *tragea antepleuritica*, quia supra diximus destinati aduersum calores pleuriticorum, qui præter pleuritin etiam cum febre conflictantur. Recte miscetur *nephriticis* contra calculos & arenas renum, quibus etiam prosunt acidulæ nitrosæ. Vbi vero *vlcus renum est*, veraque nephritis circumspectiores debemus esse, ne erosionem augeamus. *In antidoto maiore contra pestem tolerabilior est* eius contemperatio, vt & in *El. de ouo maiore*, quæ sunt medicamenta polychresta. Non dubitamus posse etiam ad *salem theriacalem viperinum* transferri, & *immisceri sali itinerantium*, seu peregrinantium, qui varios porus, cibosque coguntur experiri. Sæpe zythopotæ, & piscitum uori in ventriculo colligunt humorum facile putrescentium colluuiem: Magis illi qui fungis victitāt & mortuis pisciculis: Item qui aquas male moratas ingurgitant, quod æstate viatorib. & messorib. euenit: Pōt simile quid euenire etiam lac potantib. His si dilutum salis prunellæ mineralis, aut tragæā præbueris, vel sustuleris, vel minueris molestiam. In multis extethis eximie p̄dicatur *lapis medicatus*, quem aliqui *sanctum* vocant, vt indicat Dornæus. Pro eo possumus vti *diluto lapidis bruni*. Quib. *caput æstuat, simulq; dolet*, vulgus solutum salis cibarii calide ad frontem & tempora alligat. Quanto rectius sic administrabitur sal nostrum? Idem & *in tinnitu, & pressura aurium* valebit, nec inutiliter adhibebitur *ad collutiones dentium dolentium* & putridorum. *Nitrosa aqua exacuunt visum.*

Pleuritis.

Lapis sanctus.

Quare

Quare & collyrium ex nostro nitro contra *glaucomata, nebulas*, & similia expectabimus. Tantum de sale seu lapide quem prunellæ mineralis appellant. *Figitur autem halnitrum etiam aliis modis*, vt eo quem Quercetanus in libello de prisc;med.mal.cap.4.habet, vbi simul est separatio florum, & partis volaticæ à fixa. *Halinitrum purissimum, quod sine strepitu superuiuo carbone soluitur, & deflagrat, pondere libræ vnius aut duarum conücitur in cucurbitam iustæ capacitatis luto munitam, & in arena locatam. Imposito deinde alembico, sed non altè in arenam illato vase ne dissiliat, subministratur calor lenis, vt fulminei spiritus, & aquei, qui cum incensi inter se colluctantur, turbas tonitruales excitant, paulatim segregentur, & in alembicum, conceptaculumque modeste deflectant, quod ferè fit duabus horis. Tertia augetur ignis sine periculo, potestque cucurbita profundius in arenam immergi. Ascendunt spiritus varii, qui vitrum tinctura multiplici inficiunt, sicut fit & cum vrina, sulphur aut solutio mercurii destillatur, argumento*, vt putat Quercetanus *à sale esse colores rerum*: Sed re vera tantum dispositionem inferente, vt postea terminatum lumen aliud fiat atque aliud, quæ dispositio non est à sale solo, verum etiam ab aliis caussis. *An autem isti colores etiam foris*, in conuexitate alembici cum flore salis petræ eleuato, penettante per vitri soliditatem, consistant, quærendum est. *Quercetanus quidem affirmat, & testem Cherlerum* producit: *Sed aliis eodem modo halnitrum tractantibus euentus non respondit.* Quin nec verisimile est corpulentum florem penetrare se per vitream compagem minimè porosam. Fieri autem potuit vt per iuncturas non exactè clausas erupetit spiritus, & per externam superficiem se dilatarit, atque ita eam quasi pruina operuerit. Nam *ista natura est sali subtili, vt cum in conchis aut aliis vitris coagulatur ex soluto, se expandat, & serpat foliatim*, expressis aliquando etiam plantarum figuris, quales nonnunquam in pruinosis concretionibus conspicimus. Exuperasse ergo parum munitos cucurbitæ margines, & alembici labra putamus, & serpendo per externa concreuisse, quanquam Quercetanus adeo constanter istam penetrationem dimensionum, priscis impossibilem iudicatam; asseruerit, vt etiam in prima defensione cap 20. suo anonymo pro argumento eam opponat. Sed hac missa, *cum post horas tres ignis augetur, vt iam incandescere* Catinus *cum arena posse videatur, tota volatilitas educitur, manetque in fundo halnitrum fixum & fluens, quod in fluxu quidem est perspicuum, sed in concretione candidum, quanquam amplius purgari & attenuari possit solutionibus & coagulationibus post filtrationem, vt etiam traluceat.* Fluit ad candelam instar ceræ, vereque est salis fusilis quædam species. Quercetanus negat *simile remedium esse in incidendo & detergendo.* Exhibet à dimidia ad integram drachmam ex liquore competente contra febres, quemadmodum etiam salem prunellæ. At enim euacuare *omnes humorum putredines, & conseruare corpus ab omni corruptionis inquinamento*, quantum quidem sal istud cauere potest, qui etiam ita dari debet vt non operetur vltra terminum naturæ. Lege ibi plura Encomia.

Halinitrum fixum & volaticum: seu lapis & flos.

An salis petræ halitus penetret per vitrum.

Aliud sal fixum catharticum colligitur ex calce antimonii cum sale petræ in catinis facto. Nam postquam calx inalbuit, & iam cinis esse videtur, sal petræ qui vna concreuit ab ea soluitur aquis stillatitiis dulcibus, & coagulatur post filtrationem. Istud vitrum affectum est à calce, potestq; ad purgandum parua dosi exhiberi, *Si eliquatur* cum ferro, astrictionem inde trahit, & *epati, lieniq;* redditur analogum. Tale nitrum elicitur etiam ex vena martis, & veneris, cremata. Figitur & hoc modo: *Nitrum purissimum aqua stillatitia solue, filtra, coagula, idque tertium. Cape huius partem vnam. Affunde spiritus acidi ex sulphure partes duas. Digere, vt misceantur. Destilla ex retorta per gradus ignis à leni incipiendo, tandemque fortiter propellendo. Ita proflabuntur spiritus in conceptaculum amplum. Nitrum vero fixum in retorta subsistet.* Spiritum rectificabis, eritque solutiuum bonum. Sal nitrum fusile in retorta est vtile medicamentum ad *morbos renum, pulmonumque & febres continuas.* Prædicatur & in *pleuritide*, & *venenatis.* Datur drachma ex ptisana, vel conueniente haustu. Sint autem Tyrones circumspecti in vsu. Melius est paulatim in dosi progredi quam statim summa data peccare. *Figitur & intra calcem viuam*, vt sal ammoniacus apud Penotum, & Quercetanum. *Aliquando halnitri & limatura ferri* partes singulæ; calcis viuæ duæ commiscentur, & in catino recto inferuntur in ventosam fornacem per horas quatuor. Materia extracta postea perfunditur aqua pura, & sal separatum coagulatur Qui amplius figi vult, ter idem repetit, semperque ad purum filtrat, & coagulat. Ex hoc per deliquium fit *oleum*, sicut & ex sale prunellæ mineralis si recte tractatus fuerit. Vt eo citius resoluatur, explicatur puluis super tabulam ex plumbo. *Quidam super fusum in catinis proiiciunt, ibique in oleum abire affirmant*, quod experientia docebit. Penotus ab igni remotum concrescere ait, & iterum fundi ad ignem. Nihil ergo aliud erit, quam nitrum fixum fusile, cui & fixandi virtus tribuitur. *Si tamen liquorem & inde spiritum expetis, solutum imbibe laterculis feruentibus, & destilla vt oleum philosophorum*: vel pro laterculis cape *testas ollarum glareosas*: aut *chartam emporeticam rudem*: Et *destilla more aquæ fortis. Quomodo vero spiritus nitri sit faciendus*, habes apud Crollium in Basilica, vbi eandem huius rationem docet esse, quæ & *spiritus salis natiui, aut marini tosti. Tres partes argillæ figulinæ aresfacta, contrita & per cribrum traiecta miscentur cum vna pulueris halnitri addita aqua quanta ad impastandum sufficit. Formantur coni, nodique longiusculi seu bacilli teretes digitales, & in retortam illati per gradus ignis destillantur ad instar aquæ fortis. Spiritus fumi rubicundi specie proflantur. Commendatur ad colicam ventosam & phlegmaticam*: Item *pleuritin* & *brunum* morbum in causo. Crollius miscet tum pari spiritus vini, & misturæ præbet duos scrupulos ad drachmam vsque ex aqua fontana tepente. *In colica quam Paresis sequitur mirifice prædicatur, si simul vmbilicus vngatur oleo expressitio nucis moschatæ addita Zibetha.* Circa finem curæ (ait) *vsus Enulæ campanæ salem resolutum efficaciter expellit.* Arbitraror enim ab humoribus nitrosis, vitriolaris & crudis oriri istam colicam, & fieri resolutionem per simile, quæ ex corpore porro sit propellenda vino inlato.

Sal fixum antimoniatum.

Nitrum fixū martiale.

Nitrum fusile sulphuratum.

Spiritus nitrosulphureus.

Oleum nitri fixi.

Spiritus halinitri.

Ad colicam ex qua Paresis.

Quercetanus in tertia confectione viperina vult *carnem viperæ imbibi debere spiritu salis balsamici* rerum omnium conseruatoris duplici modo: vt vel sal marinus admisceatur vt in vulgaribus carnium con-

Quercetani viperina cōfectio exposita.

conditutis fieti ſolet: vel potetur *nitro ſulphureo* ſiue *acido ſpiritu* philoſophis cognito. Dubites hic vtrum ſpiritum ſulphuris acidum intelligat; an ſpiritum ſtillaritium ex ſale prunellæ mineralis, cui itidem ſpiritum acidum ſulphureum tribuit. Poſſumus vel campanarium illum purificatum capere, vel nitri prunellæ liquorem. Aut halinitrum fixum miſce cum dupla tetra lutea, qua ad fornaces vtuntur, aut ad luteos parietes. Fac nodos oblongos & deſtilla ex retorta. Miſceri etiam ſolet ſal cibalis halinitro. Sed hoc perinde eſt, ac ſi ſumas ſalem petræ non clarificatum. Quod *ſi ſpiritum ſtillatitium miſceas cum aqua ardente iuniperina*, & miſturam hanc carnibus per modum imbibitionum vnias, ſimul *duplex antipharmacum tertio coniunxeris*, & ſi quid in carne ſit virulentiæ hoc modo retundes. Cum de ſale Theriacali agit. Nos, inquit, *viperas condimus ſpiritu ſalis*, aut tanta ſalis quantitate aſpergimus eaſdem quantam ad conditutam ſuam capete poſſunt. Indefinitè dicit ſpiritu ſalis. Si prius ſalem marinum elegit, etiam huius ſpiritum ſumeudum eſſe iudices, ant ſalis communis, præſertim *ſi eo prius calx auri ſit ſoluta*, vti eſt apud Crollium; Sed nec halinitri ſpiritum excludi poſſe, vires perſuadent. Nam *nitrum obſiſtere putredinibus maleficis conſtat* ex vſu contra fungos deleterios apud Dioſcoridem, Galenum, Plinium, &c. Cæterum qui de aliis ſalibus, eorumque eſſentiis & compoſitionibus ſcire deſiderat, eum remittimus ad Alchymiam, & ſyntagma. Explicantur eorum rationes fere etiam occaſione aliorum magiſtetiorum, vt de ſale ammoniaco per calcem fixo, de ſublimato, qui dicitur alba aquila aliquando: de aqua eius ſoluente aurum & mercurium: De ſale communi, minerali ſeu foſſili: marino: Alkali, ſodæ, cineris clanellati, tartari, ſalibus extractis miſtorum & compoſitionibus, quibus fiunt ſales artis, magiſtrales, viperini, perigrinantium, Taberi, Elebroth, &c. extant multi tractatus: videre potes Quercetanum *de priſca medicina materia pag.13.49.&c. In pharmacopœa pag.624.539.&c. In tetrade pag.347.351.398.* Penotus vero *in denario & chymicis* longè habet plura, cuius ænigma *pag.51.* de Leone viridi conuerſo ex ſale fuſili per ſe penetrante, quod fit ex mercurio philoſophorum ſalis naturam habente, &c. vide vt intelligas probe, vti & quæ diſſerit de ſale dulci melleo ad ſitim hydropicorum *pag.48.49. in chymicis*.

Aenigma Penoti de Leone viridi ex ſale.

(a) *Per fixum nitrum non inflammabile hic non ſalem prunellæ mineralis intellige, qui reſpectiue etiam dicitur fixus: at inflammari poteſt: ſed penitus in igni manens, tantumque fluens ſine fumo.*

(b) *Alii intelligunt aquam factam ex halinitro & ſale armeniaco, ſed ſi literam Quercetani inſpicimus, & quæ de ſale Petræ ſcripſit, tantum ſpiritum huius requirit, quanquam non ignoremus verſutiam Paracelſiſtarum, ex qua factione fuit Quercetanus.*

(c) *Vulgaris modus: ſolue halinitrum aqua pura. Filtra per chartam. Liquati in catino libræ particulatim inice florum ſulphuris vnciam, donec pinguedo ſit conſumpta. Ter id faciendum. Huius media drachma ſoluitur aq. roſ. ad oris brunum eluendum. Deglutitur etiam contra ardores ſpiritui vini additur contra tuſſim, &c.*

(d) *Inſcitiam & incuriam, an auaritiam apothecariorum & barbitonſorum hic accuſandam cenſeas perinde eſt. Salem petræ vndecunque arripiunt, & per ſulphur impurum purgare conantur, faciuntque lapidem ſpiſſum, denſum, opacum, durum, valde ſalſum & ex parte etiam amarum. Ita optima medicina cum in manus nebulonum incidunt, peßima euadunt, & nihilominus pro optimis venduntur.*

CAPVT XVIII.

De Tartaro nonnulla.

MVltiplex Tartari vſus in Alchymia & Medicina, ſiue principalis, ſiue ſeruilis, facit vt *in chymicis commentationibus* non potuerit prætetiri. Quercetanus *cap.1. de ſpagyricis* vegetalibus ſcripſit *ex Tartaro infinita* parari medicamenta, de quibus alibi ſit diſputaturus. In eo vero loco proponit *aquam & oleum fœtidum* (a) externi vſus per deſtillationem ex retorta, & oleum quidem *vlceribus* deſtinat. Sed *aquam rectificat per colcotar* bis aut ter ab eo deſtillando donec deſinat fœtere, poſſitque dari contra *viſcerum obſtructiones*, & morbos *concretionum tartarearum*. Eandem aquam circulat cum vini ſpiritu, & hoc turſus abſtracto melius, ad eoſdem vſus medicamentum promittit. Imò ne opus quidem eſt ſeparatione totali. Nihil enim impedit quin oleoſa pars ſpiritus coniuncta cum tartariſata in vſum veniat, cum & alias ſalem tartati ita præparate ſoleamus. Ibidem caput mortuum calcinat, & aqua calida *ſalem* elicit de more, ex quo teſoluto in liquorem *ad faciei maculas & vlcera medicinam* conficit. Hæc tum temporis in illo libto propoſuit. Sed quod ad deſtillationem aquæ attinet & olei, eam Crollius accuratius deſcripſit titulo *ſpiritus Tartari in Baſilica duob. locis pag.* ſcilicet 143, in ſpecifico purgante Paracelſi quod ſimul vitriolatum eſt, fitque ſoluto vitrioli per oleum tartari repercuſſo: aqua & calce Tartari: vino albo: ſale capitis proptii, &c. *Et 157.* vbi ex tartaro loto, vel in cremorem cryſtallinum redacto aquam & oleum deſtillando ad modum aquæ fortis prolectat. Vocat *arcanum ad obſtructiones, & putredines* excelleos quod & in aliis morbis à ſcrupulo vno ad duos exhibet, vti ibi potes legere. Illud notandum eſt quod tum aliis modis poſſit fœtor huius ſpiritus tolli, tum ſæpe diſtillando à colcotare ſemper recente. In pharmacopœa Querceranus ait ſe ab Andetnaco accepiſſe methodum qua *carnes viperinæ in eſſentiam redigantur*, ipſique viciſſim communicaſſe *arcanum Tartari.* Hoc vero titulo plorimæ apud Paracelſum, & alios extant deſcriptiones. *Cape ſalem tartari. Affuſo ſpiritu vini in phiola clauſa, circula in balneo donec ſpiritus rubedinem contrahat. Hanc effuſam in alio vitro digere. Secedet ſedimentum farinaceum ad fundum.* Si non libet hoc per digeſtionem procurare: *habe in promtu oleum tartari, aut ſpiritum ſulphuris. Inſtilla, vt fiat turbatio,* & poſt hanc præcipitatio. *Puluerem, qui ſidit, ſepara à liquore per effuſionem: Et ſi ſolus eſt in digeſtione per ſe ſegregatus, deſtilla ad oleoſitatem, qua veteris pro arcano:*

Spiritus aqua oleum, & ſal tartari.

pollinem autem qui subsedit edulcora, & cum aliis arcanis mistum ad vsum transfer. Dantur grana 8. aut 10. *in obstructionibus.* Hæc arcana eiusmodi sunt vt ab ingeniosis varie possint & præparari, & misceri. Matthias Grasebeccius medicus in Harciniis & chymicus peritissimus medicamentum generale conficit ex spiritus seu aquæ Theriacalis (quæ fit ex spir. vini bene exiccati *partibus 20. Theriaca Androm. part. 10. Myrrhæ selectæ quinque, croci orient. vna: camphoræ in rostro alembici inter destillandum posita dimidia) portionibus quinque: sp Tartari tribus: vitrioli vna, qua confusa digeruntur in mensem, liquor vsurpatur per se, vel cum aliis appropriatis* dosi ʒj. vel ʒij. &c. vi Diaphoretica. *Alius igitur arcani tartarei modus est per salem tartari ex calcinato extractum & septies solutum, filtratum & coagulatum, qui eodem spiritu vini sæpius perfunditur donec vna exeat per alembicum. Deinde circulatur diu. Circulatum mollissimo balneo ad oleositatem redigitur. Si nolumus circulare, tam sæpe spiritum vini affundimus, & retrahimus donec sal fiat animatus.* Inde à fecibus sublimatur, id quod & Quercetanus scripsit *cap 6. de prisca medicina*: Et voluit fortasse hoc arcanum denotare.

Aureum arcanum tartarisatum.

Sed ex fundamentis veterum sal ille fusilis coniungendus atque animandus est cum soluto aureæ calcis per spiritum eiusdem salis Tartari factum. Duo illa debita proportione & modo composita in vnum coalescunt *lapidem medicinalem rubeum*, vbi medium coniunctionis corporis & animæ est spiritus. Intelligat ergo Tyro noster, quod *sal tartari sublimatus debeat figi vt fiat corpus album: Figi vero per se in suo vitro crebris versionibus in cineribus vel stufa sicca Athanoris, cum fixus est, soluitur deliquio, & solutioni additur per modum imbibitionis, alterum solutum; semper digestionibus interpositis qua arte solent repercussiones peragi. Demum fit coagulatio.* Possumus & siccum salem sic potare: sed minor est penetratio. Humidum humido commistum totum penetradit. *Aliter fit arcanum*, sed ignobilius *per acetum proprium sali crystallino tartari* (qui fit sæpius soluendo, filtrando & coagulando) *affusum ad palmi altitudinem. Inde digeritur, donec sal aceti vim assumserit. Nam acetum in digestione quasi coagulatoria densatur: Deinde extracto priore aceto, immittitur nouum, idque tam sæpe repetitur, donec destillatio tam forte acetum reddit, quam forte est additum. Tunc vsque ad oleitatem redigitur, & addito triplo vel quadruplo terra lutea, qua vtuntur fusores, fiunt pastilli, qui destillati ex retorta more aquarum fortium exhibent oleum citrinum suaueolens in quod mutatur spiritus, qui prius in conceptaculo consistit.* Hoc quoque oleum potest cum soluto calcis aureæ contemperari, si libet. Solutum autem id fieri debet per oleum vitrioli, aut sulphuris. Sed mittimus arcanum. *Magisterium tartari purificati* à Quercetano in pharmacopœa appellatur *cremor tartari*, aut sal, multum certe diuersa vi vocabulorum. *Cremorem enim Latini vocant lacteum liquorem ex maceratis, vel decoctis granis*, vnde cremor hordei pro ptisana. Est & cum *florem lactis*, ex quo densatur butyrum, sic nuncupamus. Quando Tartarum vini albi crystallinum coctione ex aqua pura soluitur, non cremor fit lacteus, sed solutum. Id per colum statim adhuc calidum traiicimus, & in frigore consistere in crustam & grumos sinimus. Hos abluimus aqua noua, vt sordes externæ discedant. Deinde coquimus iterum aqua, & coagulamus, idque tam sæpe, donec grumi puti instar marini salis existant. Hoc exiccatos, tritosque in puluerem niueum pro vsu reponimus. Aliquam similitudinem salis hoc magisterium habet, sed sal re vera non est, quod facile salis tartari vniuoci collatio potest docere. Nos *tartarum purificatum* dicimus. Ideo & Crollius *tartarum vini albi generosi, quod in fracturis nitescit, lauat aqua pluuiali tepida tam frequenter, donec sordes abscesserint, posteaque etiam vino tepido optime purgat: aut coquit pulueratum aqua soluitque totum, si non vna, at pluribus coctionibus. Inde filtratum diuaporat ad medias, ex quibus crystallos colligit: qui si debent niueum puluerem exhibere, amplius sunt soluendi, abluendi, filtrandi & coagulandi. Penotus* in chymicis simpliciter describit & *cremorem* vocat. Datur *ad purgandum* drachma vna cum brodio Sed Penotus *grana octo Diagridii addit*, vt *lien* expurgetur. Alias etiam ad *ventriculum* & *cerebrum* purgandum offertur in *melanagogis*, & *phlegmatagogis*. Est & magna pars *panchymagogi*, quod *diatartarum* voces. *Diasennæ* Montagnanæ & Wieri idem recipiunt ad quorum imitationem Quercetani compositiones videntur directæ. In consilio pro nobili quadam virgine *crystallum* appellat, prædicatq; *ad ventriculum expurgandum, epar* item & *lienem, mesenterium*, &c. à terrestribus, mucilaginosis & tartareis fecibus. Dicitur & insigne *diureticum*, additis nonnunquam salibus absynthii, artemisiæ, melissæ, ceterach, &c. Si crystallos hos tartari dederis cum tertia parte crystallorum vitrioli: aut salis prunellæ mineralis sexta, non inutile habebis medicamentum contra *calculum*. Dari cum iulepo vineo potest, *qui fiat ex vini poculo, & syrupo violato. Misce id syrupo rosato solutiuo, qui aqua Endiuia sit dilutus*: Vt: *Cape syrupi vnciam, aqua Endiuia duas, aut tres: Salis prunella dimidium scrupulum, si recte sit paratus: cremoris tartari mediam drachmam, aqua cinamomi drachmas duas. Misce pro haustu.* Id *tartarum rosatum* est: quod etiam sic parabis: *Solue tartari crystallos aqua rosacea in balneo. Deinde adde syrupum rosatum solutiuum. Coque ad consistentiam qua possis formare pilulas.* Potes & simplici rosarum succo miscere. De vitriolato Tartaro repetis apud Quercetanum & Crollium. Penotus in chymicis septem præparationes proposuit pag. 189. Quid sit *tartarum philosophorum*, vide Denarium Penoti *pag. 143. de aqua mercuriali quadam.*

Cremor tartari.

Tartarum purificatum.

Tartarum purgans.

Diatartarum crystallatum.

Tartarum rosatum.

(a) *Tartarum vulgo teritur cum sale, vel, quod sincerius est, cum silicibus, & destillatur ex retorta per gradus. Exit aqua, & oleum fætens, quod per cineres destillando corrigitur ad arthritin vtile.*

CAPVT

Capvt XIX.

De auro & argento nonnulla

Tres soles medici.

IN hæc metalla quantum operæ studiique sit impensum, & adhuc impenduntur, superuacaneum est dicere. Vitale principium in corde repositum esse, animale in cerebro agnoscunt cum Hippocraticis Hermetici. Saluis his membris, & eorum facultatibus καθόλου omnia salua esse, nec periclitari vitam humanam statuerunt. Salua vero esse non posse chymici voluerunt nisi astra, quibus gubernantur, bene sint disposita: quæ, cum ad medicinam adhibentur, requirere itidem astra quædam medica videntur, quorum præsentia vtrique facultati salus sit præsto, non tantum per modum conseruationis, verum etiam restitutionis, si quid detrimenti euenerit. Mistum mistis conseruatur, & sanitatem optime, si qua læsio facta est, ex iisdem recipit, quanquam non sine simplicium adiumento. *Mistorum classes tres sunt: vegetabilis, animalis, mineralis.* Hinc *astra principalia catholica trium* sunt generum, vti ex analogia deducunt. Est *Sol vegetabilis in vino: Sol animalis in mumia humida hominis seu*, vel etiam Leone: *Est mineralis in auro*: Omnes cordi respondentes, cui seruando iuuandoque dicuntur esse prædestinati, vtpote maiore mundo propter minorem, qui tanquam finis, & perfectio est illius secundum totum, & partes, condito. *Est autem per magiam Hermeticam qui Sol planeta & luminare magnum est in cœlo, cor in homine, & aurum in mineralibus, vinum in vegetalibus, sanguis in animalibus*, quæ itidem soles dicuntur, non quod sola sint huiusmodi; Inueniuntur enim multa solaria alia in bestiis, gemmis, plantis, &c. sed quod principaliter talia. In his etiam ideo præ cæteris tam anxie est desudatum, confictique *tres lapides solares*, quia si astra medica eorum habemus, frustra soliciti simus de aliis, quorum potestates sunt inferiores. Hæc latius extendunt, declarantque Hermetici: Paracelsici vero etiam plus quam hyperbolice ampliarunt, & vt de Sole sunt philosophati, ita de Luna quoque, quanquam neglectiore cura in hoc astro explicando sint versati, quod arbitrarentur omnem Lunæ vim in Sole contineri, sicut & Luna cœlestis à Sole olympico lumen, & virtutem accipere perhibetur, estque Sol masculus, & ideo validior potestate, Luna fœminea. Sic corde saluo, oppositum ei cerebrum putant valere, nisi tamen independente vitio sit labefactatum. Dum itaque Sol seu aurum Hermeticum, & philosophorum omnem ad se attraxit ferè chymiam, non pauca producta sunt medicamenta, quorum nonnulla Quercetanus ex Paracelso commemorauit *cap. 37. Tetradis pag. 420. 456. 477. 431. & in Alexicaco pag. 469. & 490.* cuiusmodi sunt: *vitriolum* seu *sal Solis: Sulphur solare; mercurius* & ex hoc varia: *Arcanum Solis: magisterium Solis: Quinta essentia: Liquor: Elixyr* & *spiritus* eliciendi modi quadraginta aut quinquaginta, qui omnes citrini, rubri, vel valde rubri: Præterea *præcipitata* ex mercurio Solis foris candidi, intus sanguinei, &c. Scripsit *Tanckius ad Rulandum se omnia Quercetani arcana in manibus habuisse*, quæ etiam suo tempore sit cogniturus diligentius. Proculdubio ergo & ista, quanquam forte non potuerit elaborare, cum post ista parum vltra annum vixerit. Meminit idem cuiusdam libelli in quo fuerint *aurum potabile, oleum solis, crystalli solis, Q. Ess. Solis & Lunæ, oleum antimonii & Q. E. miraq; de lapide*, ad ingenium Paracelsi. Si tituli autoritatem & scientiæ opinionem conciliant, nos etiam plura vidimus, & descripta, impressaque accepimus. Quid prodest multitudo si in vno auro potabili sunt omnia? De hoc quidem nos alias diximus, quod sententiæ exæquent numerum capitum, & dum omnes sibi somniant quoddam philosophorum, nemo tamen fuerit qui id se assecutum esse, aut vidisse, aut præstitisse magnifica ista quæ de eo palam efferuntur, possit gloriari absque fuco, cum tamen non defuerint qui lapidem aurificum possederint, cuius eadem est cum auro illo potabili materia. Anno 1608. & sequente duo præstantes Medici in eo elaborarunt, atque alter etiam in argento potabili. Horum collationes operæ precium est audire, vt sint seu nobis, seu aliis quoque tanquam in vasto isto oceano cynosura.

Aurea medicina.

Aurum potabile.

Triplex ☉ potab. T.

Semel ☽ sed nunquam exhibuit, verbis forte è sua opinione contentus.

Vnde scis esse verissimum qui nec fecisti, nec ab alio factum es expertus?

Deus inuidia accusatus stulte?

Paracelsicus omnibus salutem promittens Catholicam moritur apoplexia.

Aurum potabile, inquit vnus, *non quidem habeo: Sed quomodo paretur*, SCIO. *Ego triplex agnosco: Vnum sic dictum est Lapis vegetabilis, qui vel ex vino, vel alia præcipua herba parari potest. Alterum est, quod fit ex Sole (auro) soluto. Solutio fieri potest multis modis pro vt est menstruum. Sunt enim vel corrodentia, vel non corrodentia. Quod per corrodentia fit aurum potabile, non venit per se in vsum medicum. Non corrodentia vel salis tincturam extrahunt: vel substantiam dissoluunt, & in liquorem conuertunt. Horum duorum te vnum parare* (Scripserat enim alter se non tantum semel, sed & secunda vice confecisse) *coniicio. Quod illud sit, proxime aperias. Non tamen totum processum volo, ne videar tua arcana velle extorquere, aut ambire. Dicam tibi tamen: vel facis spiritu vini solo: vel cum suo corpore armato. Non habes tertium quod scio. Persuadeas autem tibi me hæc non ignorare. Imo paratus sum, quantum licet, aut mea experientia admittit, tuos iuuare conatus. Mitte mihi de tuo auro potabili vnam atque alteram dosin. Ego tibi, vbi ad finem peruenero remittam argentum potabile verissimum. Tertium aurum potabile est verissimum, quod ea præstat omnia, quæ illi asscripserunt Philosophi. Non vero prius fit nisi in lapidem Solem redegeris artificio suo, quod solis philosophis notum est à nullis scriptum.* Hæc ille bonus anno 1608. Augusti sexto, quibus addit fuisse quendam, qui *præcipitatum habuerit sanguinei coloris cuius grano vno potuerit curare omnes morbos, qui tamen ante semestre apoplexia perierit*, quod Deus hominibus eiusmodi medicinam INVIDERET, &c. Male hoc & blaspheme. Quis enim pie dixerit in Deum cadere inuidentiam, cum ne Plato quidem suis vitiosissimis diis tale quid asscripserit: Redargutus potius est autor suo experimento & vanæ gloriæ conuictus proprio malo, quanquam cum tale quid Paracelsicis (vt plærisque) euenit, *fatum & terminum destinatum soleant obiicere vane.* Dominus enim longitudo dierum nostrorum, qui & sæpius longam vitam piis promisit, & præstitit. Illi vero gloriatores fere quinquagesimum non attingunt Sed ad nostrum, qui & ipse inter opus, vti arbitramur tam auri quam argenti potabilis obiit, nec minus etiam alter qui bis confecisse scripsit: *Vterque causo pestilentiali, in ætate viril*i,

viriliquod delendum. Ex commemoratis enim videtur longiore vita vterque dignus fuisse, vt studia medica tanto melius prouehere potuisset. Quod attinet ad distinctionem auri potabilis, ea diuersitate vulgari in minerale, vegetabile, & animale: tantumque proponit minerale, & vegetabile: Illud vel ex auro per diuersa magisteria adhibitis corrosiuis, vel non corrosiuis, vt vini spiritu ad quintam essentiam exaltato solo, vel exasperato per proprium salem, vnde alcalisatus dicitur: vel ex mercurio philosophorum & Sole, siue auro metallico viuo. Vtrumque apud Paracelsum inuenitur, qui *per regiam vnum facit potabile aurum, negatque id sine corrosiuo valere*: alterum *per liquorem mercurialem ex cinabari fossili destillatum*, pro quo substituunt alii *oleum sublimati crystallini*, sicut *pro regia* vsurpant *liquorem vel spiritum salis ammoniaci fixi seu fusilis, aut spiritum vrinæ*, vel salis communis, vel tartari, vt & Crollius qui calcem auri spiritu salis solui, & solutum pro auro potabili offerri posse iudicat. Verum in hoc mire variant artifices, vixque est quin sibi peculiarem formulam affingat. *Non est contemnendum si sic potes auri corpus soluere calcinando, reuerberando, soluendo, destillando per retortam aut alembicum, vt spiritus vini quinta essentia soluatur, sitque irreducibile*, ad quod in primis confert *menstruum mercuriale cuius vi aurum totaliter soluitur, & in salem fusilem perducitur.* Sed nec hic modus contemnendus videtur.

Auri potabilis distinctio.

Paracelsi aurum potabile.

Menstrua auri potabilis.

Ex colcotare eluto, vt salsedo decedat, extrahe tincturam. Hanc imbibe oleo vitrioli rubeo tertium, vt supra indicauimus, destillato. Digere per menses duos aut tres in Pelicano phiola Hermetice clausa, vt draco ruber deuoret suam caudam, & tandem in igne amice quiescat vnione essentiali & irresolubili facta, in quo lenti igni procedas oportet, donec magnum ferre possit lacerta illa rubra, seu salamandra. Extrahe tandem ex vase suo. Solue per deliquium in oleum. Cape calcem auri per liquorem vnctuosum & spiritum ex eo destillatum (assumitur ad illum ammonium & cinabaris, vel sublimatum, vel etiam hoc solum) *præparatam. Quidam tamen tantum fulmineam illam capiunt, quæ fit per aquam regis & oleum tartari: alii extrahunt prius ex amalgamate per sulphur; postea etiam per se cum sulphure reuerberant, donec in tumorem assurgat, &c. Isti affunde oleum, quod iam est ex acri & corrosiuo dulce effectum. Digere in phiola calore miti Athanoru. Videbis ascendere & descendere miru modu, vt factum est etiam prima vice cum Draco voraret suam caudam. Hic in fundo est terra mortua: anima subuolat. Sed cogitur ab ambitu depluere & in centrum redire, cumque illo arctissima vnione coire. Interim multiplici isto motu corpus magis magisque recluditur, & attenuatur, fitque id quod supra erat, idem cum eo quod infra, vicissimque, & acquirit totum vim superiorum & inferiorum, vt ait Hermes Si vis puluerem, habes: Si oleum, facile soluitur in calore humido.* Augetur idem mercuriali amalgamate vel etiam auri calce noua: Nam oleum auri istud statim agit in aurum crudum, idque in sui naturam conuertit, sicut aqua niuem. Verum redimus ad nostrum autorem.

Singulare aurum potabile per Draconem rubrum.

Aurum primum potabile ex vino principaliter parari docet. Habes modum in lapide vegetabili, quem *in syntagmate* descripsimus, & de quo etiam Quercetanus egit *cap. 6. med. pril.* Item Vlstadius *in cælo philosophorum* Notandum in hoc est, quod *possit etiam aurum minerale recipere, vt sic non æquiuocum aurum potabile sit, sed vniuocum & essentiale*, idque nos omnino sic fieri debere iudicamus, licet rubram tincturam ex corpore proprio extractam pro sole & auro proponant; existimantes aurum minerale esse extraneum, & nihil peregrinum debere homogeniam essentialem intrare. Sed recte Thomas negat *aurum à natura lapidis vegetabilis alienum esse*, cum & ipsum in se habeat vim vegetatiuam vt summi artifices testantur. Dicimus à natura lapidis vegetabilis, imò & animalis, quia tum Thomas hos potissimum respexisse videtur, tum omnes isti tres lapides per aurum minerale ad eundem reducuntur, vt ex vegetabili, & animali tantum sit materia, cui aurum, vel argentum minerale infert formam.

Aurum potabile Vegetabile.

Quod vero aurum potabile sine auro ex lapidibus pretiosis, marcasitbis, herbis cordialibus, vt est & apud Vlstadium, conficitur: id comparatione tenui & valde æquiuoce est aurum, nec consentit cum philosophorum in Solis metallicis, & mercurio, qui etiam ex vegetabilibus, & animalibus peti potest, licet remotius, indagine. *Idem autor noster* meminit in aliis literis in Nouembri an. 1608. scriptis cuiusdam *Bergeri seu Montani, qui Cæsariæ Maiestati aurum quoddam potabile obtulerit*, de quo tamen non constet quicquam magni esse per id præstitum. Et sunt sane multi qui eidem Maiestati in auro laborauerunt, ex quorum numero dicitur *Kelleus Anglus fuisse, lapidis aurifici scilicet ille possessor.* Item *Crollius* id ipsum de se *in Basilica* memorat. *Nuper apud nos erat* quidam Thuringus, qui referebat se quoque & nescimus, quem alium, in eadem fornace desudare, sed labore in contentionem euadente. Addebat modos in Alchymia propositos titulo auri potabilis recoctos fuisse frustra, quia non responderint voto, hoc est, cuiusque phantasiæ. Illi tamen coctores non attenderunt Alchymiam nostram ibi tractare magisteria, & non essentias. Ideo *non mirum est essentiale aurum potabile & elixyr verum quæsitum esse, at non inuentum.* Si penitus opera nostra inspexissent, inuenissent quod desiderio satisfaceret, modo tum *Latinitatem* intellexissent, tum *animum ad quædam recondita*, quæ non licet euidenter dicere iuxta morem artis, & magistrorum consuetudinem, adiecissent. Pergit ille noster: *Mea Luna ante futuram æstatem* (scilicet anni 1609.) *non orietur in meo Horizonte. Ego nunc paro aurum potabile ex minera eius, quam in Misnia natam accepi. Dies sunt breuissimi. Ideoque opera tardiores. Scribis sine putrefactione philosophica aurum potabile fieri non posse & recte quidem: Sed qualis illa? Quo modo putrefacies quod nullius elementi vim metuit? Si enim non desinit esse metallum, nullius eius est operatio: Sed nec hoc sufficit, nisi prius à puro separaueris impurum. Non est aurum purum, vt philosophorum vulgus existimat. Marchasitham auream putabam te habere posse ex laboratorio Cæsaris, quia scio etiam C. in iis operatum esse. Sed ad te mittere possim eius portionem his terris natam, si tibi vtilem esse censueris. Sulphur, quod inde elicitur, rubicundum est Ad Crollii mortem perturbor*, &c. Hæc *in hac Epistola* noster. Vides voluisse materiam auri potabilis posse esse etiam auri venam, aut marcasitham. Hinc opinio nata est ex antimonio aurifero, &

Aurum potabile sine auro natiuo.

Montani ☉ potab.

Magisterium auri potab. aliud est ab essentia.

Luna potabilis Tanckii tarda.

Marcasitham auriferam posse esse materiam cuiusdam auri potabilis vide infra pag. 739 740. ex Basilio.

auri

autipigmento conflari, præsertim cum Paracelsus scripsetit *in primo ente auri, & minera antimonii eadem apparere signa*. Sed si aurum adeo purum requiritur, vt etiam id quod iam suum, & obrizum est, pro impuro habeatur, cuiusmodi erit ex Marcasitha aurifera non optimorum metallorum, sed fodinarnm misniæ? Intelligimus hnius quoque medicinam posse auream dici, vti illam cnius meminit Quercetanus, veruntamen vniuocum, & verissimum aurum potabile philosophorum non esse, quanquam idem autor pollicitus sit *verissimum*, & parare voluerit ex minera. Nnm ex hac verissimum? Quod attinet ad disputationem de putrefactione: non illam vulgarem intelligere debemus quæ secundum Aristotelem fit vi elementati. Ideo & frustra noster hanc producit. Ille alter respexit ad *philosophicum apparatum vbi solutio fit per mercurium philosophorum, & discessio elementorum mystica*, quam putrefactioni, in qua itidem fit separatio comparatunt. Apparet ibi etiam *nigredo* emergens, quo modo in vitrioli solutione *sulphur volaticum* enatat quando ad putrescendum reponitur. In philosophorum itaque lapide, & auro potabili tale quid requiritur non ad apparentiam vulgaris putredinis, sed secundum analogiam. Hinc si id verissimum est aurum potabile, reliqua quæ fiunt solutione calcis & circulatione non erunt vera: *Et est sane aliud aurum solutum, aliud oleum istud philosophicum*. Sed dic quæso idne est verum aurum, quod suum *esse* adhuc habet, tantumque potabilitate ab aliis discernitur, an id quod destructum est, & non amplius est, sed fuit aurum? Imò *quod ne solum quidem est aurum, verum composita medicina ex soluto & soluente*? Donandum est aliqnid artificum licentiæ, & admittenda modificatio quædam, qua *Rhabarbarum bibisse dicitur qui eius extractionem bibit*. Alias non bibit hordeum qui ex hordeo, & aqua decoctnm, sed ex eo potum confectum. Quod vero est illud vulgus philosophorum, quod narratur? *Assumitur ad opus purissimum ex mineris aurum, quod in se seminariam vim habet*. De hoc censent omnes nihil esse alind quam *purissime, perfectissimeque purgatum, absolutum, & coagulatum mercurium* cui vni nihil in ignibus pereat, vt canit Augurellus, & tot cum ipso præstantissimi Philosophi. Passus nimirum hic est ille noster aliquid humani, & vt pace eius dicamus, incurrit reprehensionem *Pontani qui recte scribit*, vel insaniat *Cunradus, nihil in opere vero abiici, sed omnia simul mutari*: tum videtur minus sciuisse artificinm lapidis, & tamen sibi persuasit se scire, & mittere posse verissimum aurum potabile. Tales tamen homines sunt *Libauianorum scriptorum censores*, & reprehensores, qnin & correctores, vti idem de quodam *Duncano Bornetto* scoto refert, ipsum edito quodam libello emendare non raro Libauium. *Ego sane Libauius in chymicis epistolis & disputationibus inuestigatiuus fui: in alchymia digestionem ex methodo instituere conatus sum, & non mea sed sapientum artificia tradere*, quanquam alicubi inspersis etiam meis seu opinionibus, seu experientiis. In inuestigatione non solemus definire, sed pati aduersantium obiectiones, de iisque quid videatur, aperire. Si methodus castigationem postulauit, hic quoque me non pertinacem ostendi, imo proposui etiam diuersas instrnctiones, cumque Palmarius ille conuitiator nescio quid requireret, & putaret meliore forma artem exornari posse: hoc quoque non contemsi. Si vero emendatio est directa in formulas præparationnm, iam non meum opus emendatur, sed artificum, quos vtinam illi emendatores semper assequerentur. Verum hæc transeant. Ad puritatem auri porro quod attinet, si totum est homogeneum perfecto opere naturæ factum, satis. Nec obstat quod tinctura extracta relinquatur corpus album. Non enim est hoc signum impuritatis. Sed neque si aliqua portio argenti assit, repudiatur, quia est potestate proxima aurum. A metallis imperfectis tamen debet abesse. *De sulphure marcasitha rubeo* quod scribit, neque Crollianum est, neque Paracelsicum. Vterqne enim rubeum suspectum habnit propter sandarachæ venenum, de quo *supra* nostram sententiam indicauimus. *In Epistola*, quæ signata est 30. Ianuarii an. 1609. hæc habentur: *Tuum videre exopto aurum potabile. Iam denuo confectum est. Cur non dosin vnam atque alteram mittis? Ego mittam de Luna, sed ante nundinas vernales fieri non poterit. Interim aliam mittam medicinam, si ex voto omnia successerint. Paraui hisce diebus sulphur fixum, quod rubet instar croci Martis, & in igne subsistit. Nuper quidam retulit Cæsarem curasse parari furnum ex puro vitro pellucidum, lampade instructum, in quo spiritus vini ardebit. Supra ouum philosophorum continetur vasi vitreo inclusum*: (potius: Super lampade vas vitreum ouo philosophorum inclusum) *Ego iudico paraturos eos vitreum lapidem. Lapis philosophorum non videtur esse interitui obnoxius*, &c. Ita ibi: Mirum *alterum non ausum fuisse suum potabile exhibere petenti amico*, & promittenti amœbæum: *Sulphur istud fixum* forte fuit ex marcasitha aurifera, elaboratum aquis regiis aut aliis fixatoriis. *Album fixum* vidit Mirandulanus Italus, qui nobiscum erat, tale parari docebat per *spiritum alcali, seu soda Gallica*. Modi fixionum sunt varii per additamenta, & sine. *Sulphur & halinitrum contrita paribus commisce, & sine incensa in olla deflagrare. Contere massam, & adde aquam quantitatem salis ammoniaci. Sublima. Sublimatum tritum tritis fecibus redde. Sublima iterum, idque donec volaticis spiritibus subductis in imo maneat. Hoc deliquio soluitur in oleum in quo aurum diffluit, fitque aurum potabile*. Concrescit in frigore. Sed denuo solui potest. Hoc sulphur per aurum fixum non est reiiciendum. Sin autem per se fixum voles, *coque id prius ex lixiuio calcis, & cineris clauellati, vt oleositas decedat, vbi repetitione opus erit. Collectos lapillos perfunde oleo vitrioli rubeo ter à noua materia destillato: Debent autem prius triti esse. Perfusio potest vel ad sufficientem quantitatem statim fieri, vt in Lacerta rubea; vel sensim per imbibitiones procurari. Digestione longa figetur. Si illo oleo aurum prius solueris, tandemque reuerberaueris totum; præclarius erit medicamen.*

Putrefactio & quomodo aurum putrescere dicatur.

Aurum solutum item potabile.

An aurum obryzum purum.

Vide Budelium de auri ad 24. caract. excoctione & de sententia Plinii quod in omni auro argentū.

Libauii emendatores.

Sulphur fixū rubeum.

Fornax vitrea pellucida.

Sulphur fixum.

Sulphuris quædam fixio.

De Athannore vitreo quod addit nihil est noui. Anno 1599. Henricus Khnnrad edidit scriptnm de Athanore suo, cuius operculum fecit perspicuum ex vitro, vt materia in vitro philosophico inspici & iudicari possit. Fecit & vitream partem inferiorem ad intuendum ignem, quem Ellychnio fouit tam dextrè vt omnes ignis gradus sine illius augmento vel decremento possit administrare, adhibitis scilicet annulis gradatoriis. Lampadem vitream sphæricam proponit, cuius ignis durare queat aliquot menses sine noui nutrimenti submissione eodem flammæ modo: Et tamen qvia nutrimen-

Athanor perspicuus.

timentum consumitur, simul per vitrum patefiat quantum perierit, ipso ellychnio semper vno in loco manente, seu eadem altitudine, ne calor varier. Addit id factum ex mareria incombustili, (nempe lino asbestino (a) seu amiantho, licet quidem sulphur incombustile & alia proponat.) Item posse per tubos eodem ignitres vel quatuor fornaculas calefieri: Seruari in cubiculo fornacem istam, sed ligneo claustro munitam. Vide plura in libro ipso qui cum priuilegio Cæsareo Magdeburgi est editus. Neq; tamen putauit auror se vitreum lapidem cocturum vti iocans ille scripsit. Lunam potabilem non putamus ab eo perfectam. Eam promiserat etiam anno 1608. 3. Septembris, vbi hæc: *Quando perfeceris aurum potabile, mitte ad me vnam atque alteram dosin. De argento meo potabili habebis remunerationem vbi ad perfectionem deductum fuerit. Aurum potabile propter sumtus magnos nondum suscipere possum. Recte soluis aurum spiritu vini sale armato: Sed artificium est praeparare spiritum vini, & salem. Qualem salem sumas, me doce: Siquidem intelligo, iuuabo tuos defectus quantum filio doctrina iurato salua conscientia liceat. Ante quam committas spiritui vini tartarisato aurum quo modo calcinas? Calcinatione enim praemissa idonea, facilius operatio perficitur. Fit vel mercurio, vel aqua regis, vel aqua salis, vel aqua regis & oleo tartari, qui modus non est incommodus, si rite eluatur aurum fulminans. Ego noui hominem, qui sexies cum suo patruo lapidem philosophorum fecit. Tertium aurum potabile non in ideam lapidis, sed verissimum.* Hæc tunc in Septembri, in Octobri hæc adiecit. *Expectaui tuum aurum potabile: sed ipse nunc tuo modo paraturus per spiritum vini tartarisatum. Hoc mihi quaeso aperias, quo modo calcinare soleas aurum, an per mercurium, cui addas flores sulphuris: Sic enim euadit calx Solis tenuissima: vel aqua regis prius soluas postea praecipites soluto (salis) tartari. Ita enim volatile fit, seu aurum fulminans vt nosti: vel solo mercurio calcines aurum, an praeterea traiicias per antimonium. Spiritum vini tartarisatum noui optime facere, qui prius rubet instar rubini, sed non soluit aurum nisi prius correxeris.* Tantum & de his. Facile intelligit chymiæ studiosus, quantum ipsi hæc colloquia possint commodare. Discit primum *sumtuosum esse aurum potabile* istorum. At philosophorum in initio plus habet laboris, dum praeparatio fit: deinde plus patientiæ, antequam absoluatur, minus autem laboris. Perficitur enim in vno vase, vno igne, vno regimine, vt sit *lusus puerorum, & opus mulierum.* Aliud ergo hoc ab illo. Deinde *menstruum* innotescit amplius, & ex hoc ipso quoque intelligitur magis vegetabile potulentum institutũ esse quam *minerale*, quod *spiritum vini tartarisatũ non recipit.* Tertio quisnam sit ille spiritus, cernitur; nẽpe vini quinta essentia sale Tartari impraegnata per infusiones, digestiones, & destillationes, vt vna simplex fiat essentia cœlestis. Hæc enim penetrare potest auri interiora. Quarto proponuntur auri diuersæ calcinationes. Has habes apud Crollium & Penotum. *Auri calx fulminatoria fit per aquam regis, quae auro per antimonium purgato, aut cementato affunditur, donec totum sit solutum, aut saltem à corpore albo abstracta tinctura. Solutio descenditur per oleum tartari, aut liquorem salis. Calx aqua pura calente abluitur vel etiam ex ea coquitur. Deinde additis floribus sulphuris ter reuerberatur: ita amittit fulminandi ferociam, & intumescit. Potest & amplius elaborari solutionibus per spiritum salis ammoniaci*, &c. Quo modo vero corrigitur ille spiritus vini, qui super tartaro calcinato erubuit? Destillatione donec sal exeat per alembicum, & circulatione. Quinto habes historiam lapidis sexies facti. Cur autem non ex isto verissimum aurum potabile?

Calcinationes auri

Lapis philos. sexies factus.

Aurum fulminans.

Spir. vini tartarisatus auri solutiuus.

Quanta miracula potuissent illo praestari? *Sexies factum esse, mirum est, cum si quis sciat multiplicationem, non opus sit repetitione.* Veruntamen & Bernhardus *quater* à se paratum scribit. Tantum de istis. Si plura de auro potabili desideras, consule, quæ scripsimus in *lib. 2. syntagmatis. Paracelsus* praeter aurum potabile cum regia, & illud quod per liquorem ex cinabari minerali *in Thesauro* conficit, *aliud proponit in lib. de sale cap. 4. Tomo 7. pag. 149. vbi ex calcinato sale aquam & spiritum destillat, hocque soluit aurum in oleum: sed hoc oleum amplius elaborari debet abstractionibus, & redditionibus, donec aurum ita sit attenuatum vt solus vini essentia quinta queat. Quare postquam oleum circulasti, destillastique cum cohobiis: affunde vini spiritum. Digere: destilla. Alium affunde, & procede similiter, donec aurum potabile purum & irreductile persistat, idemque ob oleum spiritus sit dulce.* Sic pertractare potes & illud *potabile*, cuius meminit Crollius *in Basilica*, vbi de cordiali agit à *pag.* 201. vsque ad 218 & reiicit alchymistarum vulgarium in conficiendo illo auro rationes, viasque, quasi ipse per alios profecerit quam per vulgares illos & Huletum Paracelsi mancipium, qui *Paracelsus quid aliud habet quam vulgares isti?* Si quis à Paracelsi doctrina recedit, eum Paracelsus non agnoscit suum. Si aliqua autoritate & numero est in schola superciliosorum istorum, & aulicarum vulpeculatum Paracelsus, de huius quoque agitur existimatione. Neque enim iam simplices sumus, vt patiamur nobis persuaderi inanibus verbis Paracelsi mentem à litera plus, quam δὶς διὰ πασῶν dissentire. Sed num melius habuit Crollius? Ineptas iudicat vias vulgares, humanæ naturæ inconducibiles, & à proposito philosophorum longissimas. Cur? *Quia rediguntur in corpus. Quicquid autem in corpus redigitur crudum, & inconcoctum est.* Ridicule. Num ergo exigebat pro medicamento nutrimentum ille bonus Crollius? Quid de sale statuemus suo Imperatori quid dedit? *pag. 213.* ait: *Calx, quam ibi describit, in oleo salis instar butyri liquescit, propter remanentiam siccorum spirituum salis nitri* (si credere volumus: Erat facta solutio aqua regis ex aqua forti & sale ammoniaco: repercussio per oleum tartari: Inde putauit ex aqua forti nitrosos spiritus superesse, eorumque merito fieri solutionem per salis oleum quasi sal liquescat in oleo salis, idemque eueniat in spirituosa concretione.) *Veratamen & radicalis, solutio non est, quia in corpus reduci potest.* Belle. Si reductile aurum potabile tam malum est, vt scripsisti, cur Imperatori tuo communicasti? Cur non prius expertus es vlteriorem processum per spiritum vrinæ, vt ibi doces? *In essentia Satyrionis* probat aurum potabile, si verum, genuinum, & corrosiuis non inquinatum corruptumque haberi possit. Nunquam ergo opinione sua vetum habuit, & discipulus reclamauit suo magistro. Sine corrosiuis haberi posse, iam *supra* ostendimus, vt simplex valde chymicus fuerit hac in parte Crollius, si ignorauit. *In sacharo seu melle Saturni* scribit *eo omnes mercurios sublimatos & corrosiuos fieri dulces & innoxios*, ideoque & praestans esse medi-

Decies à duobus factus philosophorum lapis.

Crollii delicatulum de auro potabili iudicium.

Quale auri potabile Crollius voluerit.

Corrosiua facere dulcia.

camentum contra *exedentia vlcera*, quæ à sale contingant. Interim ridet eos qui spiritu inflammabili Saturni auri calcem beneficio aquæ regis paratam contendunt facere potabilem. Apparet Paracelsici istius simplicitas. *Si salsa fiunt dulcia & innoxia per plumbi sacharum, cur non & solutum auri per aquam regii, non alio quam salibus paratam, spiritu Saturni?* An ignoramus, quid Paracelsus, Palmarius & alii de repercussionibus scripserunt? Si per eas, vt & digestiones circulatorias, venena & nutrimenta mutuo commeant, cur non idem statuitur de auri soluto? Penotus *in chymicis pag.48.* scribit: *Vnica gutta olei salis in quo solutum est aurum, vel quo aurum potabile factum est, omnes ægritudines* QVAE COGITARI MODO POSSVNT, *etiam morti proximas aut vicinas deuincit.* O Grande postulatum, tantoque alienius à Crollio. Fortasse deuincit accelerata morte? Vide tamen, quæ protulerit de viribus auri potabilis *in eodem opere pag. 146 & 151.* vbi est descriptio, *quæ constat aceto alcalisato, & auri calce, quæ illo soluitur*
Oleum auri per acetum ex alembico prolicitum. *lenta digestione, vt tinctura eliciatur, quæ destillatur ad liquorem gummosum, vel salis consistentiam, quem aqua vitæ, ex stibii calce per acetum stillatitium in salem redacta, prolicita amplius dissoluit, & per alembicum in oleum destillando redigit, & præbet à 4. ad 6:* guttas cum congruo liquore. *Quercetani aurum potabile vegetabile* habes in *lib. de prisca med. mat. cap. 6.* nec conqueri potes aliquid de laude plus, quam Paracelsica detractum esse. Præter aurum potabile etiam alia medicamina non breuioribus foliis ornata proponuntur.

Tinctura auri. Ex istis TINCTVRA *prima est*, quam non tantum ad medicinam præparant, verum etiam ad mercurium tantum in aurum vertendum quantum fuit primum auri corpus ex quo est separata, quod quidem, oleo halinitri & salis ammoniaci fixo, alii vitrioli rubro se assequi posse sperant. Ad medicinam vero quantopere fecisse gestiat Iohannes Bapt. Porta, qui menstruum ex salibus adhibet, videre est *in ipsius magia.* Sales sunt *soda, vrina, Tartari, ammoniacus septies cum cibali sublimatus*, solutus, destillatus, refusus residuo, & tandem ita elaboratus vt totum corpus sit liquidum. Potest & *aceto radicato*, vel *limonum, berberumve succo solui* & vna per cohobia ex alembico elici. Deinde auri calx isto
☉ Potabile ex Tinctura. menstruo perfunditur, vt colorem deponat, vti est artis. Tinctura vel sicca erit, vel forma olei per spiritum vini alcalisatum amplius exaltata atque ita *aurum nouum potabile exorietur.* Sed aliud proponit Quercetanus *in pharmacopœa* artificium aurum inquit, *philosophice tantum est calcinandum: Calci ablu-*
Tinctura Solis Quercet. *ta Eclipsin patienti, nigricantique sulphuris Bezoardici ex re vegetabili eliciti tantum addendum est, vt supernatet tres, vel 4. digitos in vase Hermetice signato. Detineatur in Athanore inter cineres calentes octiduo. Coloratum menstruum rubino omni rubicundius splendidiusque separa & decoque in perfectam tincturam.* Hæc ibi. Delio natatore opus est.

Aurum per mercurium est soluendum. Amalgama addito sulphuris flore reuerberandum, vt
Tinctura Quercetani expositio. calx nuda fiat aspectu nigricans propter sulphur, quanquam & aliæ calcinandi sint rationes, videturque notari ea de qua *infra ex Tetrade* per aquam mercurialem. *Bezoardicum vegetabile* est spiritus vini alcalisatus: aliquando & Tartari, vel iuniperi. Cætera sunt manifesta. Alias calx auri perfecta oleo iuniperi rectificato extrahitur per diuturnam in balneo macerationem, vocaturque *oleum impregnatum auri tinctura.* Aliter: *Sublimati crystallini libra, misce salis ex capite mortuo primæ sublimationis sextantem. Repone in balneo vaporis in nouendium, vt solutio fiat in aquam in phiola clausa. Solutionem affunde auro in lamellas dilatato, & assumet colorem relicto corpore. Aqua abstracta tinctura in fundo est; quæ tamen non ad siccum debet destillari, sed ad oleositatem, quæ mox præcipitatur oleo tartari, vel spiritu halinitri aut simili. Pollen præcipitatus colligitur, abluiturque vei decet. In Alexicaco* auri lamellæ, vel scobs elimata cum cremati pumicis puluere alternis stratis componi iubetur in vase fixatorio. Inde reuerberati per triduum, quod futurum sit, vt *pumex magnetica virtute aurum sua tinctura spoliet*, quæ postea aceto radicato à punice abstrahatur.

Pumex an sorbeat auri tincturam (de cinabari aliis idem.) Acetum iterum cogitur eam reddere vini spiritui, ex quo tandem syncera segregatur. In hoc processu mirabilis est illa magnetica, quam etiam in tinctura è corallis rubeis assumenda prædicant: Sed *re suspecta.* Nam pumex crematus rubescit, & *sua rubedine auri, corallique tincturam vitiare potest.* Si quid eo in opere est, siccitas pumicis potius aurum sequax sibi glutinat. Acetum radicatum procul dubio pumicem citius corrodit quam aurum. Potest tamen ad siccum destillari; & volatica fauilla pumicis à graui auro separari lotionibus. Inde postea succedet noua extractio per vini spiri-
Alius modus tincturæ. rum alcalisatum. *Pag. 471. & 472.* ex sublimato per destillationem parat *liquorem gummosum.* Hunc impregnat spiritu salis ammoniaci, seu præcipitat. Totum sine separatione digerit, tandemque destillando in essentiam liquidam redigit, qua aurum dissoluit, & tinctura sua exuit: vel etiam disso-
Aurum per Alembicum. lutum per alembicum exire cogit, cuius *minimam quantitatem prædicat contra venena, pestem, morbum hispanicum*, aliosque astrales & contagiosos. De tinctura per alembicum educenda vide etiam *in Tetrade pag. 456. Paulo supra ex pharmacopœa* tincturam produximus. Eadem ænigmaticè proposita esse
Aurum potabile per mercurium & Saturnum. videtur *in Tetrade pag. 440. Dicamus stylo plano* ἀμαθέστερον καὶ σοφώτερον *seu* παχυλῶς. *Aurum per antimonium summe purgatum calcinetur philosophice per amalgama & sulphur. Affundatur calci aqua ex mercurio sublimato crystallino destillata, quæ in glaciem verti solet frigore, resolui vero calore. Calx propter mercurium splendorem suum amittit, & nubeculis seu liuore mercuriali obscuratur: Immittatur aqua pluuialis, vt præcipitetur, quod solutum est, aut destillando abstrahatur liquor. Calx stillatitia aqua multiplici abluatur, vt splendorem recipiat. Exsiccatæ addatur aqua ardens iuniperi.*

Quercetani ænigmatica declarata. *Digerantur vna, donec aqua illa tingatur, atque adeo ita est procedendum, donec nihil coloris sit in calce præter albedinem. Abstracto menstruo tinctura perfunditur spiritu ardente plumbi, & commaceratur,*

donec

donec tota fiat volatilis, poßitque per alembicum prolectari. Reuocatur ſpiritus vſque ad oleoſitatem, vel ad ſiccum quod ſolutum deliquio, in oleum prabetur contra omnem morbum doſi gutt. 4. aut 5. ex *aqua competente*. Dicitur & hoc aurum potabile. Videamus & ea, quæ de auro in potabilem conſiſtentiam oleum, tincturam, liquorem, deducto Penotus habeat.

Penoti ſententia de auro potabili.

Primum eligit aurum, & repudiato ſophiſtico (chymiſticum appellat) aſſumit *philoſophicum*, quod *abſque periculo humanum corpus ſanet*: non quidem ſit commune, & vulgi, & tamen *verum, & naturale abſque omni corroſiuo & venenoſo paratum*, quodque vt primum vino vel aquæ inſtillatum fuerit argentea inſtrumenta inauret, cum impoſtorium fuſcet, &c. Diſſentit Penotus ab his, qui in auro potabili nihil auri volunt reſiduum ad ſenſum eſſe debere, atque *adeo non aurum potabile ſed aliquem liquorem ex auro destructo* fabricant. Ipſe ſolutum ita vt inaurare adhuc poſſit, ponit, quod quidem etiam natura & vniuoce aurum eſt, in ſubſtantia nihil paſſum, ſed tantum ſolutione compagis à coagulato diſtans, idque non affectum ignibus, quo modo eliquatum aurum item liquidum dicitur, ſed *menſtruis artificioſis, quibus auri virtus & natura integra conſeruatur, tantumque ſic diſponitur vt potentius, velociuſque agere poſſit, & diſtribui, ad vſum commodum ſanitatis vtiliſſimum*, aptiſſimumque citra omnem nocendi metum, & ſine malignitate præparatum. Tale neceſſe eſt eſſe etiam Crollianum ex calce auri per ſpiritum ſalis factum, quanquam quæſtio ſit an non hoc ſit per corroſiuum concinnatum? Spiritus enim ſalis valentiſſimus eſt, & potenter reſoluit. Penotus quoque cum oleo vitrioli, vel tartari aurum ſoluit, an non vtitur corroſiuis? Notandum hic, *chymicos vſurpare hunc terminum diuerſimode. Aliquando enim corroſiuum opponunt ſoluenti, illudque violentum eſſe dicunt, vtpote quo corroditur compages corporis in pollinem adeo tenuem, vt in ipſis liquoribus inuiſibiliter lateat, & tamen inſit actu: hos autem naturale ad modum ſalium qui aquis liqueſcunt, aut niuis, vel butyri quod etiam diffluit in calidis, & pinguia etiam ingreditur vt & ſulphur, haloſanthos caphura & ſimilia.* Ita ſolui volunt aurum in *aqua philoſophica mercuriali*, vbi tamen tranſmutatio ſimul eſt. Neque enim ſimpliciter ſoluitur aurum ſed ſimul in primam materiam abit, vt glacies ex aqua concreta, iterum in aquam redit, quanquam exemplum non per omnia congruat. *Aliter accipitur corroſiuum* cum de auro potabili medicinali loquuntur. Opponitur enim bis aquis cauſticis & regiis. *Liquores ſalium non annumerantur corroſiuis* quia ſunt in ſua doſi potabiles, licet adiecto liquore miti, & ſal ipſe etiam in cibos venit. Idem iudicium eſt de ſpiritu vitrioli, ſulphuris, & lignorum nitroſorum deſcenſoriis: Item de ſucco limonum, & Berberum: de ſoluto ſalis tartari ſeu oleo & ſimilibus, quæ *acuta potius vocantur, quam corroſiua*. Sed & hæc non rato aquarum cauſticarum vim aſſequuntur: & quis neget, corroſiua eſſe, cum ſi pura, meraque in os ponantur paulo maiore doſi ferri nequeant: Succus limonum & berberum ſyncerus neque dentibus, neque linguæ parcit, poteſtque cochleas margaritas, & coralia calcinare. Quid de acrioribus dicendum? Quare & hæc à myſticis philoſophis relinquuntur, & *non corroſiua menſtrua nuncupantur quæ nullam omnino læſionem inferunt ſenſoriis, aut vlli parti corporis, ex quo genere eſt ſpiritus & quinta eſſentia vini*; Item *vinum ipſum*, *& alii liquores* per ſe iuſta doſi potabiles, qui etiam nutrimentis accedere poſſunt.

Chymici corroſiua quæ vocent.

Ita enim aurum præparandum eſt, vt in his diffluat ſicut tinctura croci. *In colloquio Tanckii & Rulandi fit mentio ſpiritus vini alcaliſati*, ſeu per ſalem tartari exaſperati: Et eſt ſane tale aurum potabile tolerabilius: ſed qui ipſa arcana perſcrutantur ne hoc quidem menſtruum probant, & omnino *aurum tale exigunt vt etiam in lingua humida inſtar ſalis, aut ſachari poßit liqueſcere abſque vi omni.* Quoniam autem fiducia huius myſterii non poſſumus omne aliud aurum potabile repudiare: Nam & in cæteris vis medica inuenitur: Ideo oportet nos *gradus* quoſdam huius medicamenti conſtituere, vt *omnium optimum, primumque* ſit quod modo diximus, magni magiſterii potabile: *Proximum* id quod quinta vini eſſentia ſolutum eſt: *Tertium*, quod ſpiritu vini alcaliſato: *Quartum*, quod liquoribus paſtulentis, vt ſpiritu aceti, ſucco berberum, limonum, &c. *Quintum* quod ſpiritu vitrioli & ſulphuris acido: *Sextum* quod oleo ſeu liquoribus ſalium, vt: Tartari, gemmæ, communis, &c. *Septimum*, quod acri oleo vitrioli, ſpiritu vrinæ, liquore ſalis ammoniaci ſublimati; liquore argenti viui ſublimati, & affinibus, à quibus ſequuntur aquæ regiæ corroſiuæ. Secundum iſtas diſtinctiones Chymiatriæ ſtudioſi de auro potabili iudicare dexterius poſſunt, atque etiam autorum diſcrepantes ſententias componere.

Gradus auri potabilis.

Quod autem Penotus aurum vulgi reiicit, & philoſophicum, quod tamen vim à natura habeat, non ab arte ſophiſticarum tincturarum (hoc enim Penoto, & Vlſtadio eſt aurum chymiſticum, impoſtorium ſcilicet, & falſis tincturis procuratum, quod & Pantheus, omneſque artifices veri, ſi quidem pro vniuoco auro exponitur, & pro genuino ad medicandum adhibetur, damnant) eligit, mirum alicui videri poſſit, cum aurum commune item ſit naturale, & de hoc ipſo loquantur medici, qui id in medendo commendant: Imo ipſi chymici ſi vniuocum aurum intelligunt, non aliud habent quam quod foſſores, lotores, excoctores in arenis, lapidibus aliiſque mineris inueniunt. Num ergo philoſophicum & naturale idem ſi idem, cur non & commune? Sciat Tyro: *vulgi aurū dici quod alias fabrile, & monetarium*, quodq; in poculis, & anathematis, ſeu clenodiis ſpectatur, & fere miſtum eſt aliis metallis. Hoc artifices non quidem omnino repudiant: veruntamen copellis ſeu cineritiis, & fulmine, vel cœmentis, vel antimonio, vel quartura, & aliis modis purgant, & ſuum faciunt, quod tunc non amplius dicitur vſuale, vulgare, commune, collectaneum: Sed primum gradum artis eſt expertum, poteſtque *aliqua philoſophicum* dici. Hoc non excuſſurus ſit Penotus in auri potabilis confectione. Deinde *magis philoſophicum* eſt, quod etiam interioribus artificiis eſt elaboratum, & per calcinationes, digeſtiones, ſolutiones & alios modos artis tam tenerum, & habile redditum, vt vini ſpiritu diſſolui queat, quod non euenit auro vulgi. *Tertio* in ſecretis ſapientum eſt id quod *viuum* vocant, oppoſitum nimirum vulgari quod eſt in cenſu mortuorum. Nam ignium vi ſpoliatum eſt

Aurum chymiſticum damnatum.

Diſcrimen inter aurum vulgi, & philoſophorum.

Aurum philoſophicum.

ſpiritu ſuo vegetabili,& ſeminali principio,vt ineptum ſit ad opus philoſophicum, nec poſſit ſuum genus multiplicare,ſicut nec hordeum coctum poteſt. Hoc ergo philoſophicum, ἄπυρον dictum, purum putum naturæ donum eſt,& ex mineris fœcundis collectum, vbi nullo imperfecto metallo, & aliis impuritatibus potuit vitiari, nec raro ex matrice ſua effloreſcit, & ſponte naturæ concretum elaboratumque inuenitur. Has duas ergo auri ſpecies præ cæteris aſſumit Penotus, & ideo aurum vulgi quod fabrile eſt,ab hoc magiſterio abeſſe voluit. De plane myſtico philoſophorum auro habebis *in altera parte apocalypſeos Hermeticæ*. Diſtinguit porro inter medicinas ex auro,& *aliud aurum potabile* ponit,*aliud oleum auri;aliud quintam eſſentiam*, quam & tincturam rubeam à corpore auri ſeparatam appellar:alii *ſulphur* nuncupant. Verum iſta diſtinctio eſt arbitraria,& ab aliis negligitur. Aurum enim potabile non tantum illud eſt, quod ſolutum eſt liquoribus vt vna queat potari; ſed omne ad potandum præparatum,ſiue formam habeat calcis,ſiue ſalis,olei,tincturæ,&c. *Qui tincturam ſulphur* vocant,vt & in antimonio ſolent,diſſentiunt à Quercetano, *qui colores & tincturas aſſcribit ſali*,quod in halinitri ſpiritibus tale quid obſeruauerit. Verum huiuſmodi opiniones inter Paracelſiſtas ſunt contemnendæ. Eſt enim illis peculiare ne ſecummetipſis quidem conſentire. Cæterum *aurum philoſophorum* Penoto durum quoque eſt & coagulatum,quod duobus,tribusve granis datum vel applicatum multa mirabilia in omnibus ægritudinibus, cum Theriaca tamen, vel aliis medicamentis,poſſit. Hæc promiſſa ſunt Paracelſica,& deſideratur adhuc demonſtratio in praxi & euentu. Hippocraticis valde ſuſpecta eſt laus illa hyperbolica, quæ tamen *ſine Theriaca* vel ſimili *friget*. Nam veneni quid ſubeſt,vt Theriaca ſit addenda,& quidem ſcrupularis ad tria grana? Vbi ſunt illa magnifica : *Quando aurum vel ſulphur eius venit in corpus, à noſtro balſamo apprehenditur, clarificat balſamum ſanguinis à fumo maleuolarum ſtellarum*,&c. Quorſum Theriaca illa horrida ſi tam familiare eſt auri ſulphur? Sed quomodo fit *potabile* apud Penotum? Duobus: Prior eſt: *Amalgama auri & argenti viui miſceatur triplo florum ſulphuris puluere. Mittantur in teſtam Paruo calore per horam torreantur. Inde ſulphur incenſum deflagret totum. Fiet hinc ſpongioſum. Sed ſi prima vice id non euenit, repetenda eſt crematura. Alias prius calcinatur per regiam: deſcenditur oleo tartari; calx ſeparata eluitur, vel coquitur aqua pura diligenter, vt ſalſedo abſcedat. Deinde caute reſiccata cum ſulphure crematur modo dicto. Aurum tumefactum in marmore conteritur aſperſa aqua vitæ rectificata optime: quam cum combibit, inceditur, vt relinquatur auri pollen, qui denuo aqua vitæ irrigatur, & comburitur, idemque fit tertio. Hinc teritur cum melle & ſale præparato, offa abluitur aqua calente diligenter. Facto per quietem ſedimento, aqua per lacinias abſtrahitur & ſuffunditur noua, & omnino ſtudioſe ſal & mel ſeparatur. Pollen hic incorporatur triplo olei tartari, fitque paſta quæ exiccatur, & reuerberatur in catillo ad rubedinem vſque. Cremata materia ſoluitur deliquio ſuper porphyrite in cella, vel alio modo. Quod non ſoluitur, denuo potatur oleo tartari, vritur, & in marmor inſeritur, donec totum ſit ſolutum. Solutio infunditur in phiolam vel cucurbitulam. Additur quinta eſſentia vini. Fit digeſtio in balneo octiduana; indeque in cineribus calentibus totidem diebus. Dicitur oleum auri rubini colore reſplendere. Ab hoc quinta vini eſſentia abſtrahitur filtro, quod ſane ita adhibendum eſt ne ſorbeat oleum. Affunditur alia. Circulatur : ſeparatur, idque donec tartari ſalſilago eſt amota. Tandem ſubetur ſuper iſto oleo puro incendi vini ſpiritus poſtquam cum eo ſapius ſit lotum*: ſcopo videlicet maioris attenuationis, & vt in auri ſuccum oleoſitas vini inferatur, ſicque diutius liquorem ſeruet. Alias non foret neceſſe ad hæc deuenire. Hoc eſt ſolutum auri oleo vini humectatum.

Aliud aurum potabile, oleum tinctura.

Paracelſiſtarum philoſophia eſt ſine lege, & tota confuſa: & ideo contemnenda.

Paracelſica medicina Catholica nō ſine Theriaca, vel Elalkermes aut de hyacintho.

Aurum potabile Penoti.

Calx auri ſubtiliſſima.

Ol. auri.

Alter modus eſt Crollii.

Nam aurum, nimirum præparatum ſeu calcinatum, ſubetur ſolui ſpiritu ſalis, & hoc ſeparato in mellis conſiſtentia relinqui, quod non vna affuſione ſpiritus, ſed pluribus fieri debet. Ex hoc ſoluto per ſpiritum iuniperi extrahitur tinctura ſecundum leges artis. Spiritus reuocatur vſque ad conſiſtentiam oleoſam, quam ſi placet quinta vini eſſentia amplius potes elaborare, vel etiam vna ex alembico educere. Hæc ſunt memorabilia apud Penotum, *in chymicis, qui in præconio huius medicinæ non cedit vlli Paracelſiſtæ. In Denario* ſecretum quoddam proponit non contemnendum, cuius etiam alibi fecimus mentionem. Sed cum cogitantibus amplius ſemper aliquid prius non obſeruatum occurrat, non pœniteat nos hoc quoque reponere, iuxta Platonicum illud δὶς ϗ τρὶς τὸ καλόν. Titulus eſt: *Aqua tingens mirabilis : qua Luna etiam* (lego I N) *aurum tinctura permanente tingitur, quæque varia operatur.*

Secretum ex auro & mercurio, ad argentum in aurum mutandum.

Primum præparatur ſal ammoniacus cum calce, quanquam faciliore modo quam apud Quercetanum *in Tetrade pag. 398. Conteruntur duæ viuæ calcis cum vna parte ſalis ammoniaci. Miſtura in olla affuſa aqua calida coquitur. Deinde cum refrixit, liquor clarus ſedimento facto per lacinias elicitur, transferturque in vas mundum, quod melius eſt quam ſi quater filtres, pura aqua coaguletur in ſalem de more. Sal in tigillo ſeu catino ad ignem eliquetur, ſinaturque fluere per quadrantem horæ. Poſtea effunde in mortarium calefactum. Contere. Solue deliquio in cella ſuper porphyrio, vt eſt artis. Vocatur oleum fixum ammoniaci ſalis. Sit in parato argentum viuum cryſtallinum ſepties à ſale communi, halinitro, & vitriolo ſublimatum: Semel item per ſe, vt nullas feces relinquat* (alias ſufficit quater cum materia ſublimaſſe, prima vice cum noua; ſecunda cum capite mortuo: tertia iterum cum noua; quarta cum capite mortuo ſecundo : Inde ter per ſe ſublimatur donec nulla fex in fundo appareat.) *Contrito affunde liquorem ſalis ammoniaci prædictum. Macera in cinere calente, donec ſolutus ſit mercurius. Solutionem miſce cum puluere contriti pumicis, vt fiat paſta, ex qua oblongi bacilli digitali forma, aut globuli fiant. Hos immitte in capacem retortam bene armatam luto, & conceptaculo ſimiliter amplo inſtructam. Deſtilla ex cineribus vel arena gradatim. Exibit primum phlegma dulce. Aucto igni procedent guttæ acidæ, & tunc muta recipiens. Ignem intende amplius, prouenietque eſſentia mercurii ſubtilis.* (b) *Hanc deſtilla denuo aliquoties in balneo; & ſerua. Tertio para acetum Terebinthinatum, quale Crollius ex ſententia Huſeri deſcripſit. Miſce Terebinthinam Venetam aceto. Deſtilla in balneo. Primo exibit ſpiritus riſina albus & clarus. Transfer deſtillatorium in cineres, & excipies oleum flauum : Igne aucto elicies acidum & ſubruffum liquo-*

Sublimatū cryſtallinū.

liquorem, quem ab oleo separa, idemque rectifica denuo destillando. Quarto: Auri scobem vel folia purissima solue spiritu salis, vel aqua regis (oleum vitrioli solutiuum item conuenit, maxime ad alchymiam metallurgicam.) *Aqua soluente per destillationem* (non per præcipitationem ab oleo tartari) *abstracta calx eluatur: Deinde resiccata in catino, vel patella super prunis excandefiat & ignita in oleum terebinthinatum, iam rectificatum præcipitetur. Repete ignitionem, & extinctionem aliquoties. Hanc sic paratam calcem cum duplo florum sulphuris simplicium & per se sublimatorum contere. Pone in catinum, inque igne reuerberii per horas 12. detine leni tamen flamma vt sulphur consumatur. Tunc iniice iterum in oleum terebinthinatum, & extingue aliquot vicibus. Extinctam misce cum nouis floribus & reuerbera, donec tandem mutetur in pollinem tenerrimum rubentum. Ita præparatum est aurum. Huic in cucurbitam coniecto affunde sex partes liquoris mercurialis, seu superioris essentiæ ex sublimato & salis ammoniaci oleo. Clausam cucurbitam, signatamque hermeticè pone in putrefactorium balneum vapidum, seu fimum, ibique relinque per mensem, aut dies 49. Liquor ex calce extrahet tincturam rubicundissimam, relinquetque corpus album, seu feces. Tincturam effunde in vitrum mundum, sine fecibus: Et in balneo Mariæ abstrahe menstruum, vsque ad succum spissum præ crassa rubedine ad nigredinem vergentem, qui in aere frigido densatur in butyri speciem: calore vero resoluitur. Affunde ei spiritum terebintinæ, qui in destillatione olei primus exierat. Digere paulisper. Destilla iterum: Affunde nouum, digere, destilla, idque repete donec corrosiuam qualitatem omnem ab auri tinctura sustulisti. Post hæc affunde quintam vini essentiam, circula in balneo, vel cineribus calentibus*

Tinctura Solis.

Abstrahe iterum per destillationem, & hoc quoque repete, donec auri succus nihil terebinthinæ redoleat. Medicinæ ista seruatur forma coagulata: sed quæ in aqua cinamomi, vel maluatico soluitur, daturque guttatim contra varios morbos, præsertim astrales dictos, *lepram, luem veneream, arthritin*, &c. Est enim *Catholicum auxilium*. Addit *Penotus mercuriale illud solutiuum posse etiam cætera metalla soluere, & præterea crocum quoque martis*. Quomodo vero ad argentum constanter tingendum, sit auri tinctura ista adhibenda, non addit. Chymicus quispiam vel in fluxu proiiceret, & excoqueret per fulmen: vel calcem imbiberet, reduceretque, aut candentibus lamellis fixis illineret. Figendum enim prius argentum est, vt tincturam eo fidelius custodiat, quæ per mercurium volatilis reddita est. Si acutius rem perpendere velis, istud oleum includes vitro Hermetico, & in Athanore solues, coagulabisque donec in fixam calcem abeat. Hanc solues noua essentia mercuriali, iterumque impones ad solutionem, & coagulationem Hermeticam.

Solutiuum omnium metallorum ex mercurio.

Nota processum ad tincturam metallicam.

Tertio solues denuo, & appones nouam auri calcem, vt mortuum corpus resuscites. Solue & coagula in furno sapientum priore industria, & serua diligenter modos ignis. Hoc medicamento iam poteris tingere. Idem augebis priore modo in infinitum. Nota diligenter quæ Iohannes Hollandus in lapidis Philosophici Theoria monet. *Etiam atque etiam vide*, inquit, *vt in opere lapidis solaris omnia quibus Solem vel soluis vel coniungis, quam diligentissime ab eo separes vt certo scias nihil peregrinum cum lapide esse relictum: alioquin omnis tibi labor perierit*. Hæc ille. Mercurialem aquam per solutum (spiritus foret purior) salis ammoniaci fixi præparasti. Ab hac ergo operam da vt salsedinem & aquositatem omnem separes, sitque mercurii essentia syncera. Hæc enim sola cum auro cohæret. Deinde in auri calcinatione regiam & alia adhibuisti. Hæc quoque studiosissimè sunt auferenda, vt calx sit purissima quam recipere aqua totam possit, & sibi amice per integrum coniungere. Habes in hoc processu magisterii magni multa documenta. Primum enim veram *materiam vides, quintam scilicet essentiam mercurii, quæ est aqua, & mercurius philosophorum*, non vulgi: *Est prima eius materia; spiritus & medium coniunctionis tincturarum*: Est sal armoniacum, & menstruum fœtens, acetumque philosophorum, &c. Deinde habes *alteram partem formalem, masculam, & specificam, aurum verum & naturale* reseratum, vt possit vegetabilem virtutem in actum producere, si cum mercuriali & fœmineo semine componatur.

Nota optima.

Documenta magisterii magni vera.

Hic *est matrimonium verum masculi & fœminæ: Est balneum senis: Mercurialis aqua est gluten aquilæ albæ*, id est crystallini mercurii per sublimationem à vitriolo sulphure naturæ potentiali imprægnati. *Auri tinctura* ab albo corpore separata est *sanguis Leonis rubei*: & sane aurum sic paratum astrale est, respondetque Soli & Leoni; qui est domus Solis cœlesti. *Viridis* autem *Leo est aqua illa mercurialis* quæ Solem istum deuorat. In hac praxi habes veram aquam & *oleum inceratiuum*, nempe vnctuosum humorem mercurii, qui putrefactione philosophica in opere maiore in *claram aquam* soluitur, & deinde vicissim coagulatur, iterumque soluitur, & coagulatur, vt *mutatione elementorum* Mercurius aërius, seu naturam olei aerei consequatur, vti in syntagmate fideliter est expositum. Vides hîc *salem fusilem verum philosophorum*, qui in aere frigido consistit; in calore resoluitur. Hunc salem oportet te crebris imbibitionibus figere, donec fluat in lamina ærea, vel argentea fixa, calefacta *vt cera*, ingrediaturque & tingat. Idem est *oleum & aurum potabile philosophorum cuius guttam concretam Penotus conspexit in aurea massa Pragæ per Kelleium facta*.

Gluten aquilæ albæ.

Sanguis rubei Leonis quidam.

Viridis Leo.

Oleum inceratiuum.

Clara aqua Mercurii.

Sal fusilis philosophorum.

In hac massa Solis & mercurii omnia signa apparent, si eam imponas in Hermetis vitrum obsignatum. Nam primum *nigrescit* cum soluitur: deinde paulatim *albescit* procedente coctione, randemque in summam *rubedinem* conuertitur. In vitro patitur *Eclipsim, viret, citrinatur, pauonis caudam assumit*, mox apparet *in veste* quasi *aurata, ascendit, descendit, donec tandem immobiliter quiescat, vti supra* quoq; dictum est in exemplo *Lacertæ rubræ*, seu *sulphuris vitriolati anodyni*, vti appellant. Omnia hæc in ipso opere videbis, si secundum artem scienter, prudenterque processeris, quanquam non dicamus hoc opus esse magnum illud veterum, sed compendium tantum & epitomen operis magni non vilipendendam. Ad modos faciendæ ex auro calcis quod attinet, *in Alchymia & commentariis* posuimus vulgatiores. Quam *fulmineam seu fulminantem vocant*, habes apud Crollium *in Basilica pag.* 211. vbi & disputatio de fulminis caussa, de qua nos aliquando in Gymnasmatibus nostris. Fit cum solutum regia aut aqua philosophica aurum præcipitatur oleo tartari, sine quo non fulminat; vnde

Signa lapidis omnia.

Calx fulminans auri.

facile conijcere de caussa potes, præsertim cogitata natura ferri, qua concipitur flamma: quæ vis tollitur reuerberatione cum admisto sulphure. Vnum est, quod mirari quis possit. Scribit Crollius *excussionem fieri deorsum contra ac incenso pyrio communi.* At Quercetanus *in alexicaco pag. 498. & seq.* vbi eiusdem apparatum docet, addit *posse ex eo florem fieri campanarium si quis aliquot grana Cochleari argenteo imponat, & sub vitro suspenso adinstar alembici sublimatoris seu motu ferrei instrumenti, seu aliquo ardente* (cremium vocat) incendit: *futurum enim vt fuliginosum quiddam, & cæruleum exurgat, quod si sæpius factum fuerit, cogatur, consistatq; in puluerem cuius granum vnicũ ex vino pro hydrotico bezoardico exhiberi possit.* Eundem puluerem tanto cum impetu ferri deorsum, vt aliquot scrupuli super laminam ferream satis crassam carbone incensi eam perforent: & nihilominus sursum quoq; tendere in vitrum ibiq; consistere, videntur contraria esse. Est quidem diuersitas in aliquot scrupulis, & granis: attamen homogenia materiæ & effecti. Sentiendum itaq; est etiam grana deorsum moueri, sed vi minore, cumq; negetur penetratio, repelli sursum fumi, seu halitus specie, qui per instrumentum ex aura, in quam dispergitur, excipi queat, quanquam Crollius dicat *sic disjici vt nuspiam compareat*, quibus consentit, & Penotus, qui addit, *ita detonuisse, vt cum periculo auditus, & læsione fuerit coniunctum.* Nos tali opere laborare, aut periclitari dubitamus. Satius est calce eluta, & rectificata ad diaphoresin vti. Et cur quis se fulminanti Soli exponeret, cum tam copiosa, minusque preciosa inculcentur diaphoretica? Ad motum vero istum quod attinet, scimus etiam Pyrium puluerem prorsum, retrorsumque, & sursum, deorsum impelli. Inde enim est instrumentorum percussio, qua etiam læduntur improuidi. Cum non datur exitus deorsum vel retrorsum, impetus propellit in anterioribus obstantia, atque ita globos & alia prosflat. Si incendas puluerem in lapide super charta, inuenies eam granulatim perforatam, quod item signum est sales nitrosos propter diuersos spiritus in diuersas partes ferri, excutique terrea & frigida deorsum, aerea & ignea sursum, si nihil prohibeat. Meminit Quercetanus etiam pollinis alexipharmaci ex Palmario Fernelii discipulo per rorem Maium parandi absque vi ignis ante noua. Sed quæ sitat ista noua non exponit. Dum cœleste dissoluens appellat, quanquam roris naturam respicere videatur, tamen possumus etiam roris istius præparationem intelligere, si nimirum ex eo fiat acetum acre, quod auri scobem possit corrodere, & in pollinem vertere. Acetum autem fit ex rore Maio atque etiam pluuia, quia est hydromelitis aerei species quædam. Sicut ergo ex mellis soluto, aqua mulsa, medone & similibus fit solutiuum menstruum, tum alterius generis, tum etiam acetum ita & ex rore potissimum ex herbis, quarum halitus sint acriores, collecto. Verum hæc de auro. *Argentum quod attinet*, Tanckius voluit potabile reddere, & in eo satis diu commoratus est. Obtinuerit votum an non, incertum est. Philosophorum sententia est, quam & Hollandus proponit, ex Luna quidem posse fieri lapidem medicinalem, sed non transmutatorium imperfectorum nisi per modum magni magisterii, vbi argentum est fermentum ad album, vt vt aliqui cuprum per argentum dealbent, sed fraude tandem emergente. Diximus autem de huius quoque variis magisteriis alibi: nunc *Lapidem medicum ingentium virtutum*, & quidem tantarum & exploratarum omnes posse negentur, saltem describamus. *Argentum viuum ex cinabari reductum (aut si ad manum est ex sublimato refectum aut purgatum optime sale & aceto) oleo vitrioli rubeo rectificato perfunde ad palmi altitudinem in vitrea cucurbita. Colloca in cineres calentes modice, vt totus mercurius soluatur, nihilque de eo appareat (quod si vna vice non fit, pluribus age) Oleum imprægnatur mercurio, qui inconspicue in illo latitat. Mitte id in retortam vitream quantitati conuenientem, ex qua in arenario collocata, iunctaque recipienti per gradus ignis destilla primo loco oleum chalcanthinum. In fundo restabit puluis mercurii præcipitati, forma calcis. Cape huius partes duas: Calcis argenteæ per aquam fortem factæ, & salis ammoniaci repurgati partes singulas (vt illius ℥ij. horum an ℥j.) contere in marmore, & misce diligenter. Inde in sublimatorium secundum artem, quod sit materia analogum. Supposito igne sublima. Ascendet sal ammoniacus, in imo manente calce lunari cum mercurio absque iactura ponderis, specie auri purissimi. Hinc transfer in catinum ex vitro, vel vitratum fictile; & in fornace ventosa consta paulatim aucto, tandemque acri igni in lapidem vitri instar transparentem colore auri pallentis. Virtutes* dicuntur esse infinitæ præsertimque in Epilepsia, & aliis cerebri morbis efficaces, de quibus experientia consulenda. Potest autem idem lapis etiam alio modo, & quidem virium maiorum fieri, *si tria coniungas, nempe argentum viuum ex cinabari, vel crystallino sublimato reductum, aurum, & argentum*, ita vt auri sit portio vna, argenti dupla, mercurii tripla aut amplior, quæ tria sunt per se sigillarim in auri solutiuo vitrioli oleo, de quo supra dictum est soluenda; solutionesq; postea prudenter confundendæ, digerendæ per suum mensem, destillandæ vsq; ad siccum, quod tandem in calcem redactum igne fusorio in lapidem redigitur. *Quidam volunt calcibus metallicis adiici debere crystallos*, vt eo facilius lapidescant, quo modo alias gemmæ artificiales fiunt, in quib. corpus est purus crystallus, aut silex per calcinationes & extinctiones in aceto vitriolato præparatus. Quid si antimonii vitrum diaphoreticum assumas? Fiunt autem ista ferè eodem scopo & fundamento quo Crollius suum antimonium diaphoreticum conflauit, & Quercetanus Bezoardicum (*c*) cuius meminit *pag. 487. alexicaci*, quod ex mercurio & auro fiat: *siue iam sublimatum crystallinum* & aurum separatim regia soluas, & solutiones confusas destilles, & acti igni vras: siue sublimatum non ipsum assumas, sed eius oleum rectificatum, & hoc auri calcem, scobem, vel folia perfundas, digerasque donec vniantur, & fiant medicina fixa, cum qua si adhuc est aliquid fugacis substantiæ, id reuerberatione, vel ignis violentia ex vasis parte inferiore. Sursum fertur; vnde tamen retruditur ab aliis, qui moram ferre possunt, redditurque resistenti in fundo patri fixæ per contritionem in marmore, & imbibitionem per oleum vitrioli fixum addita maceratione debita, succedenteque sublimatione noua, quod repetitur donec totam suam caudam Draco deuorauerit, totumque medicamentum inter flammas fixum & constans subsistat: *Siue ex sublimato facias* menstruum auri solutiuum, quod relicto albo corpore tincturam tantum assumat, vt in Penoti magisterio apparuit: solutio tamen non destillatur, sed repercutitur per spiritum halinitri, aut tartari, posteaque effuso humore relicta calx diuturna cum spiritu vini mace-

Quercetani & Crollii de fulminante calce discrepantia.

Credere hæc malis quam experiri nisi otio & auro abundes.

Stultum est cum periculo tam preciosum Diaphoreticum quærere vilioribus & tutis occurrentibus copiose.

De argento.


Lapis Lunæ medicus.

Gemma medica.

Hæc præſens pictura beneuole Lector compoſitoris incuria omiſſa eſt, quæ ad primam notationem marginalem incip. (a) fornaculam diſtillatoriam, &c. fol. 307. pertinet.

Veſica ænea anguſto otificio vſurpatur loco follis.

Vide Lucernã Cardani de varietate lib. 11.



♀ *Hic continetur ſp. vini, qui ſubiectu prunis maxima vi liquat metalla, &c. ſi candela primũ accendatur prope orificium.*

a. *Spiritus vini, Ellychnii pabulum, &c.*

b. *Ellychnii pars inferior ex bombace.*

c. *Ellych. pars ſuper. ex alumine plumoſo, &c.*

d. *Ellych. operculum, ſi quando eo vti libet ad occultand. lumen nocturnum, vel ad deſtillandum.*

e. *Arenâ, &c.*

f. *Hac aeri ingreſſus patet, ne Ellych. ſuffocetur, &c.*

maceratione, destillatione, refusione, &c. corrigitur: vel etiam acri igni castratur vt in Crolliano: quos modos ingeniosi suo instituto facile aptare poterunt. *Iam si argentum per similia ex sublimato & antimonio, vel etiam sine hoc, menstrua præparare velis, viam vidisti*, nec est opus pluribus. Ex eodem fundamento profluit artificium potabilis argenti varium, idque minore sumtu & labore propter minorem compagis corporeæ firmitatem, quando & si aqua solummodo forti soluas, & solutionem in Pelicano digeras, reduci nequit, indeque in calcem deliquio diffluentem redigi, vel cum menstruo mitiore ex alembico destillari, vel in oleum solui & pluribus modis elaborari potest. *De argento potabili.* Gloriabatur *Ambaldus se tam facile posse aurum potabile facere, quam pellio pelles eluere.* Multo facilius erit argentum in liquorem porulentum vertere. Vnde mirum, quo processu sit vsus *Tanckius*. Est autem discrimen artificii maioris & minoris. In maiore præparatur mercurius philosophorum longo tempore. Huic soluto additur solutio calcis argenti. Vtraque simul digeritur, & coquitur philosophice in medicinam candidissimam. Hæc inceratur liquore proprio mercuriali, donec vt sal fusilis & cereus in calore diffluat. Et, si amplius procedimus, donec olei sit consistentia.

Sed ad medicinam tamen satis est, si postquam ad cereum fluxum perducta est, vini quinta essentia perfundatur, digeratur, destilletur, idque sæpius, donec oleositatem acquisiuerit, & metallicam acrimoniam posuerit. Huius argenti potabilis guttula præberi ex dispositis, seu appropriatis liquoribus potest. Minora artificia sunt multa. *Fac aquam mercurialem ex sublimato, & si placet, adiecto quoque antimonio. Hoc solue lunam in viscosum liquorem: Digere: Destilla. Solue iterum, digere, & destilla, quoad ex fixo feceris volatium, & oleosa consistentia appareat. Hanc affusa quinta vini: vel iuniperi essentia circula.* Verum de his alibi plura.

(a) Fornaculam destillatoriam simili artificio paratam, & lampade, in qua ellychnium asbestinum instructum, misit ad me v. d. Sigismundus Schnitzerus, philos. & medic. eximius cuius picturam subiicio.

(b) Sin magno opere velles elaborare, non opus esset pumice, sed salem istum ammoniacum fixum & fusilem tantum coniungeres cum mercurii essentia, & per tartarum farinamq; reduceres. Vnctuosum humorem purgares, vt ab omni sorde esset immunis, quod fit rectificatione destillatoria, & quinta vini essentia. Nota tamen aliquos reiicere salem armeniacum, quia impressionem facit vix eluibilem. Vide vt huius humoris copiam habeas magnam pro crebriorib. solutionibus & imbibitionibus, plerumque in tres partes diuiditur: Vna exaltatur binis solutionibus & coagulationibus. Per alterum fit solutio masculi & fœminæ in matrimonio: Per tertiam procuratur fixio & augmentatio. Quod si multiplicationem spectes, ad hanc quoq; posset assumi: sed satis est etiam mercurius crudus, quem medicina sine labore in primam materiam vertit, si recte adhibeas.

(c) Plura esse Quercetano Bezoardica constat ex Alexicaco. p. 409. vbi metallicum fit ex croco metallorũ per halinitrum cremato: & p. 408. vbi fit liquor gummosus per destillationem ex sublimato & stella antimonii metallata præcipitando per liquorem halinitri: Sed hoc Bezoardicum mancum est, cum debeat respondere diaphoretico Crolliano, qua de re consultus à Rulando Hartmannus scripsit, philosophi esse natura defectum agnoscere, supplere quæ desunt, amputare quæ supersunt: manca esse nonnulla sola deficiente expressione luculenta, quam Quercetanus putauerit esse notam ei, qui se philosophum dicat: quæ mira est excusatio. Tertio vocat solare Bezoardicum suæ inuentionis pag. 500. vbi innuit ex auro tincturam extrahi per aquam mercurialem, de qua vide in Panacea ipsius, &c.

CAPVT XX.

De imperfectis metallis nonnulla.

AVt ad Alchymiam metallurgiam hæc spectant, aut chymiatriam. De illa in præsentia agere, non est nostri instituti. De hac aliquid subiiciemus, idque in specie. In primis in contemplationẽ venit *admiranda ferri natura*, in qua & singularem quandam cum perfectissimo metallorum auro cognationem, & analogam tincturam & quæsiuerunt, & agnouerunt, vti videre est in Suctenianis, *Ferri natura auro cognata* testatur que aurum medicum, & tinctura sanguinea, quam aureæ similem inde fabricant, quanquam in ære quoque & stanno vestigia nonnulla deprehendantur vt ex analysi Gebriana patet. Medicinæ ex ferro parantur vel vulgari officinarum arte, vel subtilitate chymica: Et vtrobiq; pro materia assumitur, ferrum, & medulla ferri, qui *Chalybs* dicitur licet diuersus sit, & modo ad ferrum rarum accedat, modo purissime excoctus sit & solidissima densissimaque consistentia coactus, vnde discrepans *Chalybs.* chalybis bonitas, differentiam aliquam inferente etiam materia, quæ est vel ferrum (omne enim ferrum repurgari potest, & in chalybem densari, si quidem est integrũ) vel lapis, singularisq; materia ferrosa. Præterea asciscimus aliquando sponte naturæ, vel aliqua externa violẽtia natam *rubiginem*, vt ex anchoris, & clauis mari salso corrosis: nonnunquam *venas, terras, soluta naturalia*, ex quib. fabri ferrum conflant. In vsum trahuntur & *scoria* tum fabrilium officinarum, tum conflatoriarum: Item *succulæ*, seu *reguli* fornacum ferrearum & ænearum: Insuper *ramenta cotium: batituræ* seu squamæ & *strictura*, quæ inter malleum & incudem ab ignito prosiliunt: Est & *Gaodes ferrugineus*, nonnullaq; ex ferro opera, vt *acicula, filamenta, armaturarum lamina, Galeæ* & alia instrumenta. Hæ sunt materiæ, quibus ex Aristotelicis mirabilibus forte adiicias etiam *ferrum pluuium, & lapides ferrosos* ex nubibus labentes. Medicamenta vulgaria vel ipsæ sunt materiæ, vel ex illis parata alia. *Stricturas chalybis* vorari contra *asthma, hydropem splenitico*s affectus, *scorbutum*, &c. notum est aniculis.

Ferrugo vsum suum habet in *manantibus vlceribus, vulneribus, tumoribus*, &c. propter vim resistentem puttedini, superfluæque humiditati, quæ simul est iucarnatiua, & solidatiua, tanquam *symphytum minerale*. Præparant & limaturam pro *electuario de limatura chalybis, & potionibus chalybeatis* contra *cachexiam, fluxus ventris, hamorrhagias, dyspnœas, hydropas, atonias viscerum*, & alia mala. Fit præparatio per ablutiones ex aqua, & aceto, in quo etiam aliquando maceratur, vt sordes decedere possint, & ferrum stiabile reddatur: sed circumspectio in hac purgatione requiritur, de qua alibi. Officinæ nostrates aliquid ex chymiatria attraxerunt, vnde si quæ sunt probiores, etiam diligentius elaborant limaturas. Præparant & scorias putiores & ferruginem ad *dysenterias*. Laminas foris applicant tumoribus, & gibberis. Per ferrosa vero parantur balneæ, & potus variis extinctionibus & coctionibus. Cũ scoriæ ex fornacibns detractæ aquis merguntur fiunt inde balneæ, & fomenta, quibus in tumoribus œdematosis adhibentur etiam pulueres, & lutum ex scoriis vel terris ferruginosis: Aqua fabrorũ per filtra crebtius rtansmissa item multis conducit morbis. Ramenta cotium macerantur vino, vel coquuntur aquis pro potu *lienosorum*. Infusiones limaturæ, & batituræ chalybeata vina præbent, & alia mulra.

Chymica ex ferro. Chymici parant *crocum martis, tincturam, florem, vitriolum, salem, sulphur vitriolatum martium, spiritum ex vitriolo martis, Aes cyprium* & ex hoc porro *vitriolum, & spiritum*. Item *oleum*. Præterea *calcem, oleum, mercurium*, & ex hoc *præcipitatum*, aliaque medicamenta. *Sal* martis ex vena, & recrementis, itẽ ferrugine extrahitur. Est & *regulus martius* stibio per martem fuso; Item *terra virgo*, & alia, eaq; non vno modo. Vt enim de *croco* pro metallurgia taceamus, ad vsum medicum 1. *fit per se*, quando bacilli ferrei, seu chalybei vitratiorum fotnacibus cremantur, vt inde efflorescat croceus puluis, qui collectus amplius elaboratur aquis stillatitiis, & spiritu vini, vel cum sale sublimatur: aut imbibitur spiritu sulphuris, &c. 2. *item per se cum* eluta scobs ferri in lebete ferteo in reuerberio per triduum, aut amplius detinetur, vbi etiam flos absistit. Vtuntur plætumque ignibus figulorum, vel calcariorum, & lateriis. 3. *Quercetani* modo per spiritum sulphuris & vini in ferrea trulla coctum, de quo in *pharmacopœia*, & nos in *chymiapharmaceutica*. 4. *Per spiritum salis*, & muriam, aliaue corrodentia, vbi aqua sanguinis, & vrina quoque valet. Fit quidem sic ferrugo etiam aquis matinis, sed ex qua crocus extrahendus est per phlegma vitriolatum spiritu suo adhuc prægnans, & destillarum denuo. Crocus inde collectus in tincturam transit vlterioribus extractionibus per spiritum vini alcalisatum, &c. 5. *Laminæ* chalybeæ aceto stillatitio irrigatæ cremantur in rubedinem, quod si vna vice non succedit, pluribus repetitur.

Croci martis varietas.

Sed *discernere tunc calcem à croco debes*. Potest quidem tota ferri substantia in crocum per attenuationes plures transmutari: sed calcem tamen proprie tunc dicimus, quando totum ignibus actualibus aut potentialibus (aqua forti, aceto stillatitio, liquore salis, & aliis corrosiuis) calcinatur. Ex ea crocus colligitur elutionibus, & repetitis reuerberationibus. 6. *Scobs cum sulphure* citrino, aut floribus miscetur, & in reuerberio comburitur, idque cum cohobiis. 7. *Bacilli ferrei* igniti admotis sulphuris conis liquefiunt, defluuntque in suppositam aquam. Inde collecti nodi cum sulphure reuerberantur. Verum & hi duo modi ad calcem tendunt, à qua crocus est seligendus. 8. *Penotus limaturam martis violento igne* calcinat adiectis floribus sulphuris donec sulphur fœdum sit combustum, terraq; fœtida mortificata.

Deinde per integrum diem in reuerberio cremat. 9. *Lamellæ* ferteæ, & pumex contritus alternis stratis disponantur in amplo catino, & reuerberentur in cementatorio. Deinde transferatur materia in cucurbitam, siue tota simul (nam pumex spiritum martium imbibit) siue lamellæ tantum, & affuso aceto stillatitio extrahatur tinctnra. Reuocato acero maner puluis ruber, qui iterum reuerberari & extrahi subtilius potest, eoque tenuitatis perduci, vt in oleum diffluat in cella, vel balneo vapido. *Crocus aliter fit ex scoriis caruleis fabrorum*, de quo vide Crollium, qui hunc in dysenteriis præfert ei, qui fit ex ferro ipso. Quidam malunt scoriis ad vinum chalybeatum vti, quam chalybem ipsum. Crollius vocat *essentiam croci martis*, vel essentiam, & crocum pro libitu: qua in re variant autores, sicut & Quercetanus calcinatum per sulphur ferrum appellat *limaturam cum sulphure calcinatam*, quæ est periphrasis calcis,

Crocus in Gaode ferreo. Quæritur, num *terra crocea in Gaode ferrugineo inuenta possit pro croco martis haberi*? Nos sane crocum natiuum esse putamus nisi tincturam malis. Adeo enim tener color est, vt madefactus tingat impalpabiliter. Iudicamus tamen extrahendum esse per vini spiritum, vt simul corrigatur: quod in exrerno vsu vulnerum, & vlcerum non erit necessarium.

Flos & ol. martis. Porro *calx & crocus sublimantur cum salibus in florem*: vnde postea fit *liquor & oleum ferri* in aere humido. Aliud conficitur ex scoriis martiis cum regulus stibii conflatur, per reuerberationem crebram, contritionem in exactum pollinem, imbibitionem per oleum salis, aut simile, tandemque exiccationem fortem, & deliquium. Abluitur autem, tolliturque acrimonia per spiritum terebinthinæ, aut iuniperi crebrius affusum, & reuocatum, prætereaque per vini spiritum. Quidam miscent aquam acido vitrioli spiritu, & tincturam ex croco faciunt, quam reuerberatam deliquio soluunt. *Sublimatur quoque crocus cũ cinabari & sale, donec crystallus fiat rubeus*. Ex hoc porro varia fiunt medicamina sicut & de sublimato candido.

Crystallus ruber martius.

De cæteris ex ferro alibi abunde differitur: omnia ad vsus chirurgicos vulnerum, vlcerum, tumorum: vel internos phlegmaticorum, aquosorum, & melancholicorum affectuum, vbi est incidẽdum, aperiendum, siccandum, roborandum, fluxiones immodicæ, & hæmorrhagiæ sistendæ, &c. Crocum veneris facies si laminas stratificatas cum sale reuerberes, donec candefiant: Postea in aquã iniectas cum sale abluas, iterumq; cum sale nouo cæmentes, abluas, opusque quoad satis repetas:

Aqua

Stannum.

Aqua ablutionis præcipitatur affnsa multa calida. Sidit crocus: Aqua depleta crocus dulcoratur. Vsus in chirurgia. Ex *stanno* parant *calcem & oleum ad suffocationes vterinas* commendatum de quo alibi. Ad vermes infantum præclarum: *Stanni puri semunciam vel vnciam in puro catino, vel trulla eliqua. Extingue aqua fortana: vel quod melius, decocto cornu cerui, vel aq. hyperici. Repete extinctionem ter, quaterue. Da haustulum colatura bis, aut ter die.* Vermes illico necantur, & expelluntur. Robustioribus tres, quatuorue vncias liqua, & vbi conuenit etiam cereuisia tenui, aut vino vtere. Delicatulis aqua chalybeata satis est pro materia extinctionis, vel etiam simplex fontana. Calx, vel etiam ramenta stanni in fariuam deducta bibuntur contra *ictus scorpionum.*

Contra vermes infantil.

De plumbi anatomia diximus nonnulla in chymiatria, vbi inter *tres modos* præstantes comparationem instituimus. Nos sæpe requirimus liquorem soluti ad *tumores & vlcera corrosiua.* Officinæ vulgares tam sunt pigræ, vt nolint etiam præmonstratum & in os ingestum præparare. *Paracelsici chymici* aliquid ex terebinthina plumbata proferunt, quod vsibus istis parum est idoneum. Quod affertur ex peregrinis chymeis, facile mucescit. Tam parum curant egregia opera pharmacopœi, quanquam se in subselllis chymicis enurtitos arbitrentur. Quercerano tam fuit res facilis, vt ex *vna libra plumbi calcinati*, quæ scil. fit ciuilis vnciarum sedecim, *decem aut duodecim vncias salis potuerit elicere. Sal* a. plumbi facile in oleum soluitur: & quantæ difficultatis res est aceto stillatitio miniū, plumbaginē, ochram plumbeam, aut cinerem, vel lythargyrum soluere: solutum digerere: destillare ad oleositatē in qua lapilli in vapido aere liquescentes condensentur? Imo & multæ viæ sunt colligendi *sacchari*, quod item in oleum diffluit. *Via leuissima est si aceto non stillatitio, sed alias acri & lotinio purgato puluerem lithargyri soluas, & extrahas essentiam: Extractionem digeras: filtres, & coagules vsque ad oleositatem. Quod si dulcedinem absque acetositate requiris, abstrahe humiditatem vsque ad calcem: Hanc rursus extrahe spir. vini alcalisato: Extractionem coagula, & solue deliquio.* Quidam ab essentia sæpe abstrahunt vini spiritum super ea aliquandiu in calore leui relictam. Alii aliud operantur. Non facile coagulatur, si aceto non destillato extraxisti, & cum eodem circulasti. Circulatum postea ad oleositatem redigetur, quæ vini spiritu per cohobia inducto; & reuocato rectificatur. Apud Penotum *in chymicis* processum habes *ad oleum, & Balsamum* saturni. *Minium enim perfunditur aceto destillato, & digeritur, donec dulcescat, interim aliquoties à fundo mouendo. Deinde liquore in aliud vas translato, nouum acetum additur agiturq; vt prius, idq; donec vel tota, vel maxima quantitas sit dissoluta. Acetum essentia saturni grauidum, per filtrum aliquoties traiicitur, & per dimidium mensem in fimo relinquitur. Hoc elapso destillatio fit vsque ad tertias residuas. Hæ reponuntur in cella, donec lapilli candescant, qui pro sale saturni habentur. Hi eximuntur. Residuus liquor denuo coquitur ad tertias, & seponitur pro lapillis, idq; quousque tota quantitas sit consumta. Crystallos istos poteras conterere, & deliquio soluere: sed ipse iubet seruata aliqua parte, destillare more stygia, quo exit primum albus spiritus, postea oleum rubrum. Illud ab hoc separatur. Oleum tertia destillatione per se rectificatur, item spiritus* per balneum. Vsus internus, & externus dicitur. Ex reseruatis crystallis per spiritum terebinthinæ fit *balsamus* eo plane modo, quo sulphuris, vnciæ vni scil. affundendo quatuor spiritus, & coquendo donec spiritus erubescat. *Tinctura* appellatur, quæ in retortam immissa destillatur vt primo loco spiritus exeat, deinde aucto in horas igne *oleum saturni* cuius vsus est insignis in *vlceribus, vulneribus, tumoribus, excrescentibus carnibus, phlegmonis, Erysipelate,* &c. Debet a. spiritus ab oleo separari, siquidem placet. Alias & totum simul in vsum venire potest, vti in balsamo sulphuris. *Sin velis tincturam solitariam,* extrahe per vini spiritum, & coagula in puluerem aut lapillum, qua arte etiam *rubinus sulphuris* conficitur. *Supra* diximus, *vitrum purgans* ex calce conflari posse. id diuersum est pro diuersitate præparationum & addiramentorum. Vsus idem cum vitro stibii. Ex *lapide plumbario, & Galena* per sublimationem assurgunt *flores,* vt ex antimonio: Et sane parua est in elaboratione discrepantia. Vnde & *stibium crudum ex vena magnesia saturnina dicitur.* Quercet. scribit se vidisse *annulum ex vitro plumbi, qui in liquorem immissus per noctem ei conciliauerit purgandi facultatem,* idq; vsu frequentiore, quo modo vsurpant etiam *regulum antimonii, & bismuthi, cum florib. antimonii, & marcasitha aurifera.* Calcinatur vena plumbi pura, quæ Galena dicitur, per halinitrum sicut stibium, & reuerberatur vsq; ad rubedinem, cuius vsus est chirurgicus. *Galena putrida,* quæ aliquibus *molybdoides,* & lapis Flandriæ, Germanis *plumbum carbonarium, & aquarium,* item crustosus lapis *matita nigra* pictorū, à chymicis non expetitur, quanquam & hæc calcinari cum halinitro queat, & aceto stillatitio in essentiam, oleumque redigi.

Plumbum.

Liquores saturni.

Sacharum plumbi.

Tinctura saturni.

Tinctura solitaria.

Vitrum purgans plumbi.

Annulus saturnius catharticus.

Quæ ex *ære, siue fossili, siue artificiali ex ferro,* medicamenta confici queant, sparsim in Alchymia, & syntagmate dictum est: Et fiunt sane etiam ab Hippocraticis præclara ad *oculorum præsertim affectus, & vulnera, vlcera, tumores, &c.* tum ex ære ipso resoluto aquis acidis, & sale ammoniaco mistis, item extinctionibus, &c. tum ex fuligine, recremētis, flore, squama, ærugine, orichalco, & qui æris vim habet lapide calaminari, & cadmia. *In chymicis* præclarum est *ex argento viuo æris præcipitatum,* vt est apud Theophilum, Quercetanum & alios *in pestilentia, & hydrope:* Præterea *vitriolum veneris,* & ex eo *spiritus, cum oleo.* Item *tinctura cærulea, sulphur* quoddam citrinum, *balsamus* & similia: Cum aliquando æs in æruginem soluetemus indeq; vitrioli lapillos colligeremus, pulchra admodum *citrinitas* separabatur: Hæc quidem per annos aliquot colorem constanter retinebat, sed *chartam in qua seruabatur nigritie fuliginosa infecerat,* vt solet atramentum. Hinc *sulphur vitriolatum iudicamus.* Alii aliter sentiunt.

Æris medicamenta.

CAPVT

Caput XXI.

De Ænigmate quodam Arnoldino, & Tartaro philosophorum apud Penotum.

Omnia in uno.

Quercetanus *in Alexicaco ex lib. 2.* Arnoldi *de peste* producit admirandum quoddam ænigma, quo proponitur insigne quoddam magisterium *à quo expectare humanitus præter diuinam clementiam licet omnia homini in hac vita exoptanda.* Non autem explicat, nec quid sibi de ipso videatur, ostendit, nisi quod remedium Arnoldi vocet certis de causis perplexe traditum. *Id constat, inquit, quinque rebus, quarum prima in visceribus terræ fouetur: altera in mari natat: tertia insidet terræ: quarta in aere vehitur: quinta nobilissimum, id est, à superioribus editum, fatum genitum, procreatum animal, vita sempiterna, nunquam senescens, reparans se phœnicis more, diis amicum, stellis familiare, humani generis columen, vita nostra tutela, omnium rerum quas optare, cupere, & votis expetere licet, promtuarium, penus ταμεῖον, θάλασσα.* Hæc ille. Delphicum aliquem apollinem, aut sphingem tibi audire videaris. Si Theologum interrogates, *de cœlesti sapientia & timore Domini* responderet: Peripateticus *de virtute politica* in politicis, *de contemplatiua* in philosophia, vbi aliqui etiam *scientiam* summum bonum, dixerunt: Epicurus *voluptatem* pecuoiam forte nominaret: alii aliud pro suo affectu proferrent. *Medicum fuisse Arnoldum*, & excellentem chymicum, qui etiam de medicina summa hominum, & metallorum morbidorum cõmentarios scripsit, constat. Et Quercetanus oraculum non de aliquo philosophemate vulgarium scholarum accepit, sed de remedio intellexit.

Id autem *summum esse, id quod ex mercurio sapientum, & sole ipsorum conficitur*, iam pridem innotuit, quanquam notitia fortasse crebriore, quam possessione. Solent autem Hermetici res minoris mundi comparare mundo maiori, vti & ipsum minus animal magno. *Sic mundus conditus est, inquit Hermes in tabula* vbi proponit *medicina secretissima* opus. In maiore mundo habemus quinq; simplicia corpora, quæ etiam capsulæ sunt, & matrices cæterorum omnium ex materia constantium, terram, scilicet, aquam, aerem, ignem, & tandem cœlum in quo nobilissima quæque corpora, imo quod Plato vocauit animal diuinum, quem hoc in loco immitatus Arnoldus etiam *animal nobilissimum appellat suum lapidem* ad exemplum maioris mundi, & minoris Hominis scilicet, factum. *Animal* id cœlum à superioribus dicitur procreatum: quod Plato diceret à Deo, seu diis: Dicitur esse vitæ sempiternæ. Hoc quoque Platonicum est, & aliquatenus etiam Hermeticũ. Nam Hermes in Asclepio sic philosophatur: *Deus Dominus æternitatis primus est: mundus est secundus Deus: homo tertius, & quidem viero, imago Dei primi. De cœlo cuncta descendunt, in aquam & aerem: Ignis solum, quod sursum fertur, viuificum & generans est: quod deorsum est, ei seruit: Totus mundus à natura comprehensus agitatur, formatusque est quatuor rebus, igni aqua, terra, aere: cœlum sensibilis Deus est administrator omnium corporum, quorum augmentum & decrementum sol & luna sortita sunt, &c.*

Lege & reliqua, qualia sunt & apud Timæum Locrum, aliquos Platonicos: quædam etiam ab Aristotele sunt accepta, & tradita. Quid mirum, si Hermeticus ille Arnoldus *nobilissimum animal cœlum dixit*, eique sempiternam vitam attribuit? Plato quidem aliquando factum credidit, sed nunquã interiturum: At Aristoteles ex toto ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον posuit. Ab eodem etiam senescendi potentiam abstulerunt: Et tamen non satis circumspecte additum est, *se reparare Phœnicis more.* Si enim hoc verum est, qui nequit senescere, & mori? Nõ est sempiternæ & senectutis expertis vitæ Phœnix. Hac ergo in parte non obseruata est philosophia Platonica & Hermetica. Diis amicum animal esse Plato non negauerit, qui stellas, Deos illos suos, cœlo affixit. Familiare stellis eundem haber sensum. Hinc colligimus cœlum denotari. Adiuncto nimirũm arguitur subiectum, & nihil familiarius cœlo quam stellæ, quam cognationem Lulliani etiam inter suas essentias, suumque cœlum ex vino conflatum agnoscunt.

Columen humani generis cœlum opinione Academicorum & Hermeticorum, imò & peripateticorum esse quis neget, qui scit omnia inferiora subiici gubernationi cœlestium etiamà nostris astrologis? Notum est scholis illud Peripateticum: *Sol & homo generant hominem*, ille scilicet vniuersaliter, hic particulariter & determinate. Quot etiam in ipsa Ecclesia sunt quibus persuasum est *animas ab astris infundi*, seu illabi? Ita est & vitæ nostræ tutela cœlum, vt sit & in procreatib. & conseruantibus mediis, quod experimur annuis solis conuersionibus, quibus solis beneficio tum mediate, tum immediate fruimur, absentia vero lædimur. Tandem cœlum dicitur omnium expetibilium promtuariũ, non Chaldaice, Aegyptiace, Platonice, & Hermetice tantum, quasi sit id, in quod Deus omnium bonorum vim pro homine contulerit, & ex quo vicissim beneficia nobis omnia sumas, distribuatque certis stellarum discursibus, & influxibus: verum etiam astrologice. *Quid enim non promittunt aut præsagiunt homini & rebus humanis ex cœlo astrologi?* Tabulam fatorum humanorum, & quasi Iouis *diphtheram* cœlum proponunt. Hæc ergo est res prima & summa in ænigmate Arnoldino. Deinde nominantur adhuc quatuor: *vna dicitur foueri in terræ visceribus*, quæ est natura seminaria & perfectiua mineralium: *altera dicitur natare in mari*, quæ est in mari seu aquis nascentium genitrix, & procuratrix prouidentia: *tertia terræ insidet*, quæ complectitur vim plantarum & animalium in sicco orientiũ, & viuentium, quibus opus est aere ad vitam.

Aer autem terræ incumbit, qua scilicet parte ad vitam terrenorum in arido est commodissimus, tametsi spiritus ille etiam aquas obsideat, & ex primæ conditionis serie super aquis expansus nata-

& ex primæ conditionis serie super aquis expansus natare, seq; ibi motitare debebat. *Quarta vehitur super aere*, estque igneus ille & siccus spiritus inter aeris & cœli confinia interiectus, in quo ipso quoque virtus quædam est ad salutem animantium & cæterorum in medio mundo, concurrens. Si itaq; remedium hoc est Arnaldi, totius mundi vim complectitur, vt intelligamus eum qui integra valetudine vti velit, & sanitatem ex morbis reparare, *debere beneuolentiam omnium mundi partium affectari, sicut ipse quoque ex omnibus compositus, omnium vim, tanquam Epitome mundi in se continet*. Hæc explicatio aperta est, & philosophiæ, medicinæq; conueniens: Sed vti diximus, *chymicum mysterium*, *quoque subest*. Vt mundus est factus, ita debet fieri lapis, vt sint in principio omnia *aqua hyle alis*, quam primam materiam omnium etiam Thales dixit. Ex aqua terra producitur: Ex terra surgit aer: ex aere ignis, & tandem *cœlestis illa medicina summam omnium vim complexa*.

Sensus Hippocraticus ænigmatis.

Sensus ænigmatis Arnaldini chymicus de lapidis artificio.

Non frustra dixit Arnaldus primam rem foueri in terræ visceribus, sentiens *de spermate nostri lapidis*, quod ex naturæ visceribus in parte minerali, & quidem metallica inclusa terræ matricibus, est petendum. Et hoc est *mare nostrum, aqua nostra, mercurius noster. Super hoc mari natat res secunda*, quæ mox dicitur terra. Nam *cum nostra aqua coquitur, & coagulatur, emergit terra*, quæ ænigmatice dicitur in mari natare, quia ex mari nascitur per consistentiã, seu concretionem. Phrasis a. sumta est ex eorum opinione qui terram aquis innatare sentiunt.

Locus materiæ lapidis. Mare nostrũ.

Tertia insidet terra, hoc est, aer (ita enim mox appellatur) sequitur post terram. Nam terra nostra soluitur secundo & coagulatur, quo ipso consequitur dispositionem aeri comparandam. Huc cum peruenit coctione cõtinuata mutatur in naturam igneam & ideo dicetur *in aere vehi*, quia lapis aereus, potentia est ignis, & ex potentia in actum producitur ignis externi augmneto. *Igneus ille lapis pro cœlo est*. Nam potentiam omnium stellarum habet. Chymicus autem artifex non infert quamlibet stellam, sed tantum *luminaria, solem & lunam, partemque fermentat auro, partem argento, mediante aqua philosophica quæ materiæ tincturam determinatam infert & iungit*. Hic iam fit *implantatio, coniugium, Ecclipsis, ascensus descensus, omninoque sphærarum motus circularis donec quiescunt omnia in igni, & lapis acquisiuit vim superiorum & inferiorum.*

Terra innatans mari. Vide Sedinuogii Echenem. Aer terræ insidens. Ignis in aere vectus. Cœlum nostrum.

Mater eius fuit terra: portauit eum ventus in ventre suo seu ignea vis lapidis abscondita erat in aereo elixyre: Et reliqua fiunt, quæ Hermes in tabula posuit. Nam illa tabula principaliter loquitur de hoc opere quod est tertium à principio, seu tertia rota, quando coniungitur anima corpori interuẽtu spiritus, fitque coctio in vno vase vna fornace, igne vero & reliquis, vbi est lusus puerorum, & opus mulierum vsque ad consummationem. Oblique vero prodit etiam præcedentium duarum rotarũ magisterium, quanquam vtraq; tantum sit præparatoria materiæ, & cõparetur destillationi illi in qua Elementa ordine eliciuntur: vt primo loco aqua: secundo terra. Hæc sua aqua soluitur, & digeritur. Inde destillatur & procedit postaquam oleum aerium. Terra in fundo manet, in se ignem continens. Affunditur ergo ei aqua sua, & oleum denuo. Digestio instituitur. Hinc destillatione facta procedit primum aqua, post oleum aerium; tertio calore forti ignis: terra manet fixa ex qua elaborata sal fit. Singula ista vicissim per se purificata reconiunguntur, vt in Elixyre explicauimus, tradiditq; Querc. *in medicina prisca c. 6. & alibi*, fitq; remedium totius simplicis vim essentialem continens ad cœlestem sublimitatem euectam ingenio artificis.

Motus sphærarum. Hermetica tabulæ genuinus sensus.

Artificium magnum destillationis Elementorum comparatum.

Animal dicitur metaphorice, quia anima corpori indita quasi animal constituit. Id sempiternæ est vitæ, quia lapis noster in igni fixus est, & animam seu vim suam nulla huius mundi potentia amittere potest. Ideo nec senescit, & effœtus edentulus ve fit. Nihilominus tamen in igni se multiplicat, & per ignem gignit sui similem medicinam, potestq; in infinitum multiplicari. Huius vi potes consequi quicquid est in mundo expetibile, si Deus volet. Ecce tibi hæc est res ænigmatis Arnaldini, quæ alias Elementorum conuersio & destillatio dicitur. At nondum scis materiam huius notitiam sic consequeris. Axioma est, eandem esse medicinam, quã morbi humani ex ferreis, æreis, stanneis, plumbeis, antimonialibus & mercurialibus aliis mutantur in sanitatem auream vel argenteam, quã imperfecta metalla & argentum viuum in aurum aut argentum. Iam metallum & mercuriale nihil ingredi, & in eius homogenia constante permanere potest, nisi quod metallicam naturam & potentiam habet: potentiam quidem passiuam pro materia quæ sit potentia metallum: naturam autem pro forma, ita vt natura actiua lætetur passiua, & eam assumat inq; suam naturam transformet, & cum ea familiariter maneat.

Inuestigatio materiæ lapidis.

Nihil autem in rerum natura à Deo creatum est metallicum ratione materiæ nisi argentum viuũ, quod & amicum esse metallis multis probatur argumentis, & metalla ipsa, ex quibus non imperfecta, sed perfecta quærimus. Quod n. in illam materiam seminatur, id secundum speciem metitur. Porro cũ argentum viuum materiale esse debere intellexisti, dispositum quoq; esse oportere; vt & recipiat formam, & perficiatur, simulq; mutet, & mutetur intelligis. Non a. aptum est argentum illud viuum quod vulgari dispositione notum est: nec quod mistum est plumbo, aut alio imperfecto: sed quod pro fœmina auida esse, & maritari, fœcundariq; possit, quodque ex grano sibi commisso femineum succum assumat, inque sui simile semen, quanquam mascula & specifica virtute, igneq; naturæ seruato; conuertat, vt duo semina postea in sua matrice in fœtum proficiant.

Dispositionem accipit propinquam per artem ex remotiore quam habebat per naturam. Tolluntur ergo superflua, terrestreitas scilicet, & aquositas vaga, mutaturque crassities in penetrantem subtilitatem, vt in eã aurum liquescat, vt in calente aqua glacies. Ars duabus operationibus per conuersionem elementorum elaborat materiam vt audiuisti: Sed *oportet tamen eam prius mundatam esse per sales*: Nullis enim aliis medicaminibus ponit leprosam pellem. Sales sunt *halinitrum, alumen, vitriolum, sal communis*, & aliquando etiam *armeniacus* vbi vitium est ingens.

Sed ni-

Sed nihil de illis oportet manere. Itaque per tartarum & alios purgandi modos tolluntur tum ipsi tum qualitates eorum. Sic *præparata materia soluitur in aquam claram, rursusq; coagulatur:* & postea idem repetitur, fiuntque ista quæ sunt in ænigmate. Sed quæ res est, quam Penotus appellat *Philosophorum* TARTARVM? Hanc expiscabimur ex praxi.

De tartaro philosophorũ.

Cape argenti viui sublimati crystallini singulos trientes eosque in duas cucurbitas diuisas in fimo septenis diebus innouato solue in liquorem. Si non totum simul soluitur, per partes procede. Solutiones confunde, & per alembicum destilla leni igni citra mercurii eleuationem. Aquam destillatam mercurio, qui in cucurbita substitit, contrito redde Repone in fimum ad soluendum denuo per mensem. Solutum destilla: Et eodem modo procede mutatis vicib. solutionum, destillationum, putrefactionum, donec nihil amplius in fundo cucurbitæ maneat, sed totum per alembicum exeat. Oportet autem huius aquæ mercurialis satis magnam quantitatem esse, quæ ex besse mercurii non conficitur. Ideo augmento vtere. Cape argentum viuum crudum de minera. Laua bene per salem & acetum stillatitium. Affunde ei aquam mercurialem prius præparatam. Colloca in fimum (vel vas putrefactorium balnei vapidi) & solue totũ in aquam Solutionem rectifica per destillationem moderatam, ne resistentes in fundo feces comburantur. In eis enim est sulphur mercurii. Vt hoc ipsi aqua fortius vnias, contrito affunde suam aquam. Digere in fimo per octiduum. Destilla. Destillatum redde reliquiis. Macera iterum octiduo, & destilla. Repete id septima vice vt totum sulphur exhaustum ex fecibus in aquam migret. Hæc est *solutiua omnium corporum metallicorum: & potest multiplicari in infinitum per argentum viuum, vt supra.*

Sulphur mercurii.

Aqua soluẽs omnia metalla.

Penotus ait, melius augeri imperfectis metallis, stanno, vel ferro. At tunc non amplius communis, materialisque erit, sed determinata ad certam speciem, fietq; inclinatio ad id metallum cuius semen suscepit. Si volumus sequi intentionem philosophicam, alligatio illa specifica in augmento materiæ cauenda erit: quanquam & hoc dicatur, *si ferro fuerit aucta, fore cœlum philosophorum, quasi ferri natura omnibus metallis esset communis.* Videtur autem hæc sententia nata esse ex analysi metallica, qua inuentum est aliquid perfecti sulphuris in stanno, & ferro, adeo vt quibusdam persuasum sit ad transmutationem ista metalla necessariũ requiri, quod sane non abnuimus si quis argentum viuum mutare velit. Nam tunc potest addi stannum, vel ferrum, quorum vtrumque simul cum argento viuo transformatur, & fit fixio durabilior.

Ferrum an cœlum omnium metallorum.

Sed in præsentia *aquam illam ex mero mercurio conficiamus. Vt fiat cœlestis, debes eam septies destillare, aut in Pelicano circulare, donec ab omni fece fiat immunis.* Sic euadet acerrima, & penetrantissima. *Aqua ista mercurialis,* tanquam commune omnibus metallis cœlum, *singulis metallis, veluti Planetis, est exornanda, id quod* ANIMATIONEM, *aut affixionem, & impregnationem vocant.* Animatio præsertim dicitur, quia accipit singularis metalli dispositionem, vt iam sit non hyleal[i]s & prima materia amplius, sed aurea, argentea, & cæterorum aliqua, pro vt species inseruntur.

Menstruum mercuriale cœleste.

Animatio.

De auro ita: *Cape auri purissimi in calcem per mercurii redacti drachmas decem, vel quot libet. Coniice in cucurbitam aptam, aut phiolam. Affunde aquæ mercurialis quadruplum. vt vncias quinq;, vel pro analogia. Pone in fimo, vel putrefactorio balneo, quousq; totum aurum sit solutum. quod si vna vice fieri non potest, priore solutione transfusa alia aqua apponatur. Procede in modum tincturæ. Corpus album, quod relinquitur, extrahe ex vase. Exicca super testa leni calore. Transfer in marmor, & tere subinde aspersis extractionis prioris guttulis, vt tantum irrigetur, fiatq; pasta. Hanc denuo mitte in cucurbitam, & affunde solutionem totam. Misce probe, & digere in balneo per mensem. Deinde destilla. Destillatum redde reliquiis tritis, vt prius. Digere: destilla, idque repete, donec quicquid est essentiale, per alembicum exierit, relicta terra mortua in fundo vasis.*

Aqua mercurialis auro animata.

Hæc terra *sal vocatur solis, & tartarum.* Hoc potes in *oleum* deliquio soluere, & pro medicina vsurpare. Nihil vero aliud est, quam *fixum solis corpus tinctura sua spoliatum*, quod irresolubile est etiam in magno magisterio. Comparatur tartaro & feculæ vini, quia similiter circa fundum seu imum vasis consistit.

Sal & tartarum solis.

Lapis tingẽs.

Lapidem autem tingentem ita efficiunt.

Terram illam tartaream calcina tam bene, vt siccissima euadat, & plane mortua. Deinde posita in phiola, vel cucurbitula guttatim redde suam aquam animatam, eamq; imbibe sic, vt totam vim animæ extractæ recipiat, fiatq; Elixyr ad eum modum, quo sales solent animari. Nam primum irroratur aqua corpus istud. Decoquitur digerendo vsque ad siccum. Deinde plus affunditur, iterumque decoquitur. Si placet, affunde iustam quantitatem. Digere. Humiditatem blanda destillatione abstrahe. Aliam partem affunde: digere: destilla, atque ita perge, donec tota quantitas sit consumta, vel donec eam bona progreditur aqua, quam bona fuit affusa, quod signum est satis bibisse. Debet autem tunc terra adeo saturata esse sua aqua, vt in lamina candente instar ceræ fluat. Id sine fumo si fit, relictaque tinctura cum ingressione, bene est. Si fumat, humidior iusto est, & requirit coctionem vberiorem, qua figatur. Si non fluit, aridior est, quam decet. Ideo suffice plus de aqua inceratiua & animata, donec scopus placeat: Et si fixa est medicina, potes eam in oleum perducere. Siue iã sit puluis, siue oleum, proiectione sui tinget imperfecta metalla, & mercurium. Cogita tamen, adhuc semel esse soluendam & coagulandam, vt subtilitatem acquirat maiorem. Si vis augere, solue de illa portionem aqua tua mercuriali, & alia aurum nouum, coniunge, coque, solue, coagula. Si illa aqua mercurialis vsurpetur ad soluendum argentum viuum sublimatum, soluit metalla in mercurium. Alias separat purum ab impuro spiritumque ex corpore extrahit. Corpus autem mutat in oleum, vti dictum est.

Si de luna quæris, idem est processus. Terra quæ post extractionem essentiæ relinquitur, reuerberatur, estque sal & *tartarum album lunæ, quod, si placet, in oleum tartareum lunare potes soluere. Non alia arte in stanno & ferro indiges. Tartari elaboratio, & ablutio sic describitur: Feces post tincturam seu spiritum extractum relictas. Contere super porphyrite, vt fiat lauor exactissimus. Potes interim nonnihil aqua irrorare. Offam mittes in cucurbitulam. Affunde aquæ mercurialis non animatæ conuenientem quantitatem. Digere. Destilla paruo calore ad siccitatem. Hanc reuerbera horis 24. igne temperato. Tunc iterum pota terram aqua cum qua prius in marmore fit contrita. Digere. Destilla: vre, vt ante. Repete id septies, donec terra euaserit niuea & fusilis siquidem ea fuit ex albis* metallis

Ablutio latonis, seu terræ dealbatio.

metallis. Hæc est terra alba & tartarus philosophorum, verus & sal fusilis, cum quo adhuc est suum, sal & sulphur. Nam in metallo erant tria principia. Ex illis aqua mercurialis per simplicem digestionem assumsit mercurium. Sal & sulphur in terra restant; quanquam & hæc inde exugantur per frequentia cohobia & digestiones, de quibus ante, vt nihil virium sit in ea. Vnde & mortua appellatur. Verum in hac elaboratione terra integra tractatur pro medicina. Nam sic exaltatum tartarum soluere deliquio potes, & habebis quod *oleum tartari philosophorum* vocant. *Hoc ipso etiam soluuntur metalla in mercurium,* si tartarus ex mercurio est collectus, seu si aqua cœlesti superiore solueris crystallinum sublimatum: Et hinc residuum tartarum deliquio solueris, iterumque coagulaueris, repetendo hoc aliquoties, vt tandem calx sicca maneat. *Hæc est medicina quæ videtur Kelleius vsus in auro resoluendo in argentum viuum, cuius meminit Penotus.* Notatur hoc quoq;.

Ol. tartari philosophorũ

An hæc calx qua Kelleius vsus?

Tartarus ex marte dicto processu factus, & ex hoc *oleum* maioris perhibetur esse virtutis quam aliorum imperfectorum, vocaturq; *TERRA vera philosophorum,* quæ coagulat argentum viuum, & oẽs spiritus figit: Et est sane in ferro maior fixatiua quam in cæteris imperfectis. Sed *comparari non potest illi quæ fit per lapidem, terramq; solarem.* Facile a. intelligit rerum peritus ista omnia esse conficta ad imitationem magni magisterii, & in auro argentoq; posse pro particulari esse. Tantũ de ænigmate Arnoldino & tartaro philosophorum Penoti.

Vera philosophorum terra: Centrum solu in aquã nostra.

Sunt & alia præclara medicamenta & secreta ex mineralibus, sed quis omnia recenseat? Quercet. *ex minio natiuo Vngarico facit puluerem antepilepticum & contra vertigines* præclarum. Cum his diebus metallica nostra inspiceremus, occurrebat illa materia ex improuiso, quæ num sit *minium* quæri non immerito potest. *Videtur esse sulphuris quædam species.* Refert enim concretum sanguinem, nitentemque & purum. Ad flammam adhibitum, in citrinum fumum resoluitur, sed nullo odore sulphuris. Quidã *sandaracæ natiuæ* speciem esse contendunt, quæ tantilla portione nequeat deleteria esse. *Zinckum* in Carinthia effodi scripsit Paracelsus. Eius est quædam species rubra, quasi marcasitha sanguinea, vt referunt qui describunt. Materiam itaq; illam ex tali metallo excoctam esse, aut per naturam tam pure coaluisse videri potest. *Sanguinem Gigantum* iustius dicas, quam lapidem Thracium.

De minio natiuo, vel potiũs Gigantũ sanguine quadam.

Illud quoque non omittendum est, non tantum *contra febres materiales vorari puluerem pyriũ,* qui etiam vacuationes peragit in viris militaribus: Verum etiam ex alumine puro & nuce moschata paribus fieri puluerem, cuius drachma robustioribus data, omnes febres intermittentes sanare dicitur. Similia narrant de sale prunellæ mineralis, de qua *supra.* Sed aliter oportet præparatum esse, quam in vulgaribus fit officinis, & à plebe. De nitro per spiritum sulphuris fixo contra pleuritin & febres continuas certiora scripsit Rulandus.

Febrifugã.

De *tinctura corallorum* dubitat non Crollius tantum, sed & alii multi. Falsam enim esse opinantur quæ exhibetur. *Per spiritum plumbi* nonnulli eam promittunt certo. Rulandus per spiritum vini aliquoties suis manibus fecit. Idem *magisterium perlarum* parauit primum ipsas calcinando per acetum stillatitium & ad naturam salis adigendo crebris extractionibus. Inde soluitur deliquio. Hæc de mineralibus & affinibus.

CAPVT XXII.

De vnguento sympathetico Crollii.

Refert Matthiolus *lib. 6. cap. 40. commentariorum Dioscoridis,* in agro Romano fuisse quendam *Eremitam senem, qui à serpentib. ictos mira quadam arte sanauerit* non præsens, nec vllo remedio vulneri applicato, aut patienti dato, sed absens, *Colaturam vestigii dextri pedis, in quo quadam verba essent exculpta, internuncio promittenti se pro ægroto medicamentum bibere velle, propinando, ita vt abrasum vestigium cum literis aqua dilueretur, & hac facto sedimento per nuncii interulam traiiceretur, posteaq; crucis signo armata potui offerretur, sequente icti sanatione statim eadem hora, qua nuncius aquam hausisset.* Addit Matthiolus sibi id, & totius regionis incolis compertum plane fuisse, habitumq; pro maiore secreto, & efficaciore remedio, quã sit illud, quo vtuntur illi, qui S. Pauli familiam falso præ se ferunt. Verba, quæ in scripsit vestigio fuerunt: *Caro Caruze, sanum reduce, reputa sanum, Emanuel, Paracletus.*

Nemo saniorum Theologorum est, quin statim videat *nominis diuini abusum,* atque ideo iudicet, remedium illud à Deo vim habere non posse, sed potius à deceptore hominum Sathana, qui in Paradiso serpentem primus in perniciem nostram armauit, nec dubitat Deo permittente etiam nũc in homines id genus bestiæ immittere, & inflictum vulnus secreto quodam modo tollere. Si physicã quandam caussam subesse velis affirmare, primum occurrit ipse patiens, qui singulari fiducia, & imaginatione videtur potuisse spiritaliter vim medicaminis attraxisse, sicut narrant; quendam electiue aliqando purgatum fuisse non assumendo catharticum, sed astantem, qui sumeret fixo obtutu, & imaginatione inspiciendo vnde spiritus catharticus translatus non sumentem vacuauit, sed intuentem, ad quam rem singulari dispositione opus esse, & affectu admirabili apparet, quia non quibuslibet hoc euenit, etiamsi imaginatione vtantur fortissima.

Deinde in contemplationem venit medicamentum ipsum, quod eo mirabilius est, *quod vim nullam in sumente habuit, sed in altero,* eoque non astante, sed procul alicubi iacente, vbi necesse est trãslationem per varia factam fuisse, & si corporeum quid intercessit, non sine alteratione cum halitus ab astante nullo negotio possit transire.

Affirmant autem idem accidere etiam in peste, quanquam inter tot pestes vix vnum recitetur

exemplum, vbi frater fratris peste interempti fama cognita è longinquo eundem morbum attraxerit, eodemq; perierit. Quid ai quæso sit potestatis medicæ contra venenum serpentis, & vulnus in istis verbis, quæ et non iubent demortuum sanare, sed eum qui se statuit præsentem pro ægroto, nō læsum sed saluum? *Caro carni et sanum reduce:* Quem? is reducitur, qui erat adductus. Neq; etiam immanuel & Paracletus oratur, vt reducat sanum, non compossatur terra inscripta, nec aqua pota, sed quædā absurda caro. Quod si etiam vis sit in verbis, vel aqua, vel interula nuncii, vel omnibus istis simul, cur non ab aliis simile adiumentum afferri ictis queat? Confugitur ad *Eremitæ sanctimoniam*, & est sane aliquid in dono miraculorum non fictorum. Verum ipse Eremita nō suæ pietati, aut miraculo sanationis sibi diuinitus dato, seu vt loquitur S. Paul. *1. Cor.* 12. Gratiæ ascripsit, sed secreto isti remedio. Aliud argumentum petitur ex *concordantia astrali.* Ille vero qualibet cœli facie medicinam fecit, & forte etiam ignorauit cœlestes stationes planetarum. Qui *de magnetica* disserunt, eos oportet rationem reddere, cur non ab alia parte contrarium fiat, sicut *magnes ab vna parte trahit, ab altera repellit* ferrum: vel ferrum se ab vna parte accommodat ab altera refugit, vt sit vis non in vno tantum, sed in vtroque. Fatendum est, physicam rationem hic inueniri non posse, omniaque esse magiæ non illi miraculosæ diuinæ aut naturali, sed damnatæ, argumento damnati abusus & profanationis nominum Christi & S. sancti, affinia.

Fuisse quendam, qui *Hernias sanaret sato in nomine patientis Telephio*: alios, qui *tactu & verbis strumas*: alios, *qui applicatis corticibus & postea defossis lienosos*: alios, *qui vulnera & factum, herbis affrictis* deindeq; sepultis, sæpe audiuimus. Sed & hoc audiuimus magas quasdam sortib. vti, & tollere, inferreque morbos: alias *ligatis sellis curare*, alias schedulis inscriptis, appensisque: alias ouis lotio febricitantis maceratis, &c. quæ omnia maleficis artibus accusentur. Ille Eremita fortasse Cacozelia quadam iudicii *de adulterio vxoris, Num.* 5. 17. inductus remedium illud excogitauit, inuentiq; sunt, qui sibi fortiter persuaderent, se sic sanari posse, qualia interdum etiam per iocum contingunt, & fidem, effectumq; cōsequuntur. Vbi vero deficit, aut hæsitat fides, ibi luditur opera. Medici quoq; cum in affectuosum patientem incidunt, qui multum ducitur persuasionib. & religionibus, solent aliquando tale quid cōminisci, probe scientes, vim non esse in commento, sed in *affectu fiduciali patientis*, vnde fit nonnunquā vt diuersi Medici eadem medicina dissimili cum successu vtantur. Vtrum huc referendum sit etiam vnguentum armarium quod Croll. in Basilica appellat *sympatheticum & stellatum*, tribuitque cum aliis Paracelso, fortasse non difficile fuerit iudicare. Edidimus superiorib. annis tractatum *πελοπλατείας*, in quo omnes causas videmur excussisse, tandem huc declinantes posse euenire vt aliquid magici accedat: sanationem vero per se esse naturalem non natura & vi medicaminis, sed ipsius oci affecti: Est n. natura principium insitum: artem ligaturæ & vnctionis nihil aliud conferre, quam vt patientem disponat quodammodo fiducialiter: interim tamen nec operam externam deesse, sed quæ nō à medico, verum ab ipso ægroto præstetur, qui sibi suum vulnus obligat, mundat, curat, aut si ipse non potest, ministerio non absentis, sed præsentis vtitur, & succedere sanationem in simplicibus vulnerib. & fracturis: non item in cōpositis: In leuiusculis, non in magnis: in his ibi aliis medicamentis iam sanguis est coercitus, non in his vbi hæmorrhagia durat, quanquam & hanc ex internallo compescere se posse quidam glorientur. Ita n. est in descriptione: *Vt hæmorrhagiam seu sanguinem etiam incisis omnibus venis emanantem sistas, absente, qui patitur fluxum per plurima milliaria à loco patientis, modo habeantur aliquot guttulæ sanguinis illius, qui emanauit.: Cape vitrioli quantum vis. Redige in puluerem. Mitte in capsulam ligneam. Affunde seu instilla aliquot guttulas sanguinis ex hæmorrhagia. Impone vitriolum, & aspersionem tege vt fiat stratum super strato. Repone in aliquo loco temperato, nec frigido admodum, nec calido. Sistitur momento sanguis siue præsens sit, siue absens ægrotus.* Hæc qui credit naturaliter fieri posse, & causas ex cœlo, terra & aliis Elementis mistisque colligit, illi nihil deerit ad fidem habendam toti magiæ. *Melius vitriolum album aceto rosaceo solutum & calefactum in vulnus infundunt: aut cum stuppa, & albo ouorum inferciunt puluerem ex fuligine caminorum, colophonia, thure, vitriolo vsto, mandragoræ radice, hæmatite an. p. 1. Sanguinis draconis boli armeni an. p. l. M.* Aut hoc quod potenter sistere dicitur. *R. calcis viuæ ℥ j. vitrioli vsti, aluminis vsti armeni ℥ j. aloes Epaticæ: Gallæ, colophoniæ an. ℥ iß. Boli armeni ℥ j. capitis mortui de aqu. forti ℥ ijß. pilorum leporis alborum de ventre ℥ ß. Sanguinis patientis in lamina ferrea tosti parum. Misce, & cum vti voles, si quidem locus patitur, insperge, vel cū oui candido, aut Vng. de hydrargyro, aut albumine lacte virginis misto, aut cum tela spermatis ranarum aq. rosarum madefacta, impone.*

Hæmorrhagia ex intervallo sanatio

Ischæma.

Memineris a. in teneris caustica non esse temere adhibenda, debereq; medicamen in gradus distribui. Sed vt de vnguento Armario nonnihil adiiciamus, sententiam Crollianam recensebimus. Quanquam enim & Goclenius, & alii multi pro eodem scripserint: hic tamen videtur autoritate cæteris præcellere, vt in huius opinionibus examinatis, excussæ censeri possint cæterorum omnium, idque non insectandi animo, sed veritatis explicandæ, & imperitos, aut deceptos assertionibus magicis melius informandi studio. Vocat vnguentum sympatheticum & stellatum. Rationem reddit ab effectu, & modo agendi ex causis.

Per veneficia, inquit, *non perficitur hæc cura, vt imperiti fatui opinantur.* Intelligit magiam damnatam. *Quidam* enim quos appellat imperitos, fatuos, *sentiunt incantando tolli morbum arte magica & spirituum malignorum ope. Sed falluntur, licet non negandum sit, tale quid accedere posse: & solere improbos magos prætextibus quibusdam naturalibus sua artificia palliare, siue scientes se spirituum ope vti, seu opinione naturæ seductos à malo genio, qui Paracelso, Cornelio Agrippa, Tritemio & similibus persuasit magica ista vi astrorum & occulta quadam, quam magneticæ comparant, appellantque concordantiam syderum cum inferioribus, fieri. Ita loquuntur de homunculis, Gemmahuis, speculis constellatis & similibus magicæ artis instrumentis, qualia Cardanus ex Artesio quoque in varietatum libris reposuit.*

Pergit Crollius: *Sed per medicamenti huius vim magneticam attractiuam à syderibus causatam, qua mediante aere vulneri adducitur, & coniungitur, vt spiritualis operatio in effectum deducatur. Fit inquam propter coniunctionem astralem & elementalem. Vt n. calor solis concordat se cum terra: ita persicaria cum morbo. Abeunte sole abit calor: ita hic etiam, scil. sublata persicaria tollitur morbus.* Item: *Tria sunt, quæ caussantur tam mirabilem effectum per hoc vnguentum: sympathia naturæ. Influentia corporum cœlestium suas operationes per elementa perficiens: Et balsamum, quod sanandi virtute præditum cuilibet homini naturaliter inditum est.* Ita ille de causis. Primum *nomen sympathetici & constellati iure habet nullo*, sed ex opinione incerta, persuasioneque temeraria tantum. Si esset singularis quædam sympathia & constellatio inter vnguentum, & astra, & porro inter vnguentum & vulnus, esset ẽt inter axungiam, cœlum, & vulnus nec tantum axungiam, qua axes vnguntur, sed & terram, pinguedinem porcinam, poma & alia. Nam & in hæc infixis telis sanatio succedit obligato, mundatoque vulnere, & sanguine labris iunctis compresso. Deinde *sympathia naturalis* ex arte non est: Verum in mistis certo modo inter se affectis ex principiis naturalib. aut violenta mutatione in animalib. affectu & imaginatione valida fortiter commotis, & vel in alienitatem, vel amorẽ, familiaritatemque conuersis. Si sympathia esset in vnguento, in aliquo ex compositis esset posset q; id plus solum, quam farragine concorporatorum obrutũ. Magnes sane nulla indiget compositione vnctuosa vt ferrum trahat: Imo vnguine pinguium vis impeditur. Ecquis a. est, qui gloriari possit, se suis ex arte compositionib. sine aliquo naturaliter tali sympathiam naturalem produxisse? De simplicib. dicemus suo loco. Præterea non satis est inclinationẽ sympatheticã in vno esse. Requiritur & alterius affectio mutua, cumq; res explicetur magnetica virtute, in p̃sente vnguento vt cœlum ad vnguentum inclinaret ita vicissim vnguentũ ad cœlum: Deinde vnguentum ad telum, & telum ad vnguentum: Rursus telum vnctum ad morbum, qui est cõtinui solutio q̃ restituitur vnione disiunctorum naturali, & morbus ad telum, q̃ gradatio admodũ est ridicula. Neq; n. morbus est res quædã separatim subsistens, & crasin formamque suam tanquam mistum quoddam naturale habens, sed affectus partis læsæ, qua læsa. Si sympathiæ gradatio & reciprocatio debet continuari, non in morbum dirigenda est, sed in naturam partis, q̃ cõstat materia & forma, cæterisq;, q̃ substantiã sequuntur: Et vt naturæ amicum est vnguentum, ita deber omnibus vim inferentib. aduersari, neq; tm̃ dispositionem habere ad vulnus sed oẽs alios præter naturam affectus. Hæc a. nec profirentur illi vnctores, nec experientiæ, & rationi respondent. Videat aliquis Crollianus, quo iure defendere velit sapientiam, & peritiã q̃ sibi arrogauit Croll. alios fatuos & imperitos nominãdo. *Quæ peritia esse potest sine ratione? Quæ sapientia, vbi principiorum ignoratio? Titulus stellati* itidem est iniustus, nec quicquam habet aliud, quam Paracelsicæ, & magicæ, vanæq; astrologiæ fumum. Vt constellata sigilla, gemmæ, homunciones, specula, tintinnabula, amuleta seu pentacula & similes nugæ à superstitiosis & fanaticis Chaldæis, Aegyptiis, magis furore astrali percitis originem habent ita & hoc constellatum vnguentum. *Argumenta, quib. vtitur seductus Croll. omnia ignorant Elenchum, petuntq; principium.* Hermes & Aristot. dixerunt *omnia à superiorib. gubernari, quia melius sit ibi principium poni, vbi sunt æterna:* Sed hoc de creato huius mundi cœlo Canonicis scripturis non est consentaneum. Minetalia & plantas, cum Elementis quis gubernabat ante astra condita? Quando meliora fuerunt ista, quam in primo sui ortu? Quis istas *astrales leges* fixit? Gentes idololatricæ. Quid de his spiritus Sanctus? *Es. 47. 10. Sapientia & scientia tua eiecit te. Veniet super te malum & nescies ortum eius. Stent & saluent te vates cœli qui contemplantur sydera, & designant menses vt ex iis annuncient ventura. Ecce facti sunt quasi stipula, &c. c. 5. 30. Lux obtenebrata est influentiis cœli eius: Hier. 10. 3. Leges populorum vanæ sunt.* Illa Melecheth cœli sæpe damnatur, vt & philosophia falsi nominis scientia, quæ doctrinam de Christo suis falsitatibus deprauat. Hier. 44.

Secundo: *Per vim magneticam*, inquit, *medicamenti attractiuam perficitur cura*: Quid hinc? Ergo sympatheticum: Ergo stellarum. Sed consequentia est nulla ex argumento Elencho carente, & ponente principium, vbi nullum est. Si cura vulneris, quæ est dissolutorum vnio, est magnetica attractiua, debet medicamentum attrahere aliquid ad se posse, & quidem labra vulneris, cum huc tendat attractio vt vnio restituatur disiunctis præter naturam. At hoc nõ pot. Non ergo cura fit per medicamẽtũ, qua medicamentum. Trahat ad se aliqd aliud. Num naturale id est, an p̃ternaturale: humanum, an cœleste? Si ex homine attrahit ad se, vt magnes ferrum, spiritus debet attrahere. Hi si sunt secundum naturã, sine calore natiuo nõ sunt. Vulnus ergo priuabitur suis adminiculis naturalib. Trahat spiritus p̃ternaturales. Hi possunt esse in cachecticis vulneribus, non in recentib. Nõ ergo trahentur. Deinde tractio dicitur fieri sanguinis adminiculo, qui extra vulnus iam cepit præter naturam esse. Non ergo trabet naturales spiritus, quia tractio fit secundum similitudinem. Dices, at ex fundo corporis, principiisq; attrahit ad locum affectum. Sed referimus vanam esse sine demonstratione. Attractrix n. non est in mortuo sanguine extra vulnus in ligno sine contactu, sed in ipso membro iuxta naturalẽ appetitum. *Si trahit cœleste*, mirabile q̃d euenit. Trahit enim aliquid potẽtius: Et cur syderũ influentia statuitur, si fit attractio? A quo vero trahit? Ab æthere, an à stellis? si à stellis, à q̃bus? cũ tot sint cœli cõstitutiones in horas mutabiles, fieri potest, vt tractio interrumpatur, aut aduersum vulneri sydus trahatur. At factum est vnguentum in sanitatis positu. Ergo nihil aduersi trahere põt. Ridiculũ. Quæ constitutio vni homini est salutaris, eo alteri insalubris. At medicamentum generalem vim obtinere debet. Sed ne cum delirantib. desiremus, trahat vim sanatiuam à cœlo: Num ea manent in trahente, an excutitur? Manere debet, & non excuti, quia appetitus naturalis fertur erga bonũ, quod sibi vnitum capit appetens: excussio est superflui & inimici. *Afferunt reflexionem specularem*, vt vnguentum sit quasi speculum excipiens virtutem cœlestem, indeq; remittens ad locum affectum per ignes, aquas, saxa, terras solida omnia, & patentia. At deficit demonstratio. Facile est fingere hoc illud: sed quod fingitur, non perinde verum est: cumque vires syderum à toto hemisphærio in aerem eundem spar-

gantur, tam facile in speculum veniet malus radius, quam bonus, sicut & tã mali viri & venenatæ herbæ forma in specula popularia, quam boni viri & herbæ salutaris. *Vnde vnguentum habet illam mirificam attractiuam? A syderib.* inquit Croll. Deficit & hic principiũ. Attractiua magnetica non foris in res brutas infertur, sed ex interiore principio nascitur. Vana est opinio dicentium, *magnetem vim ferri tractoriam ab astris septentrionalibus accipere.* Alias naturaliter insita non esset, vtpote per vim illata, ita nec vnguenta illa tractoria ab astris cõicari potest. Verum hic Crollio alia sententia fuit. *Non n. attractiuã vnguento asscribis sed vulneri.* Dicendũ itaq;, vulnus salutiferum spiritum trahere ab vnguento per multa miliaria: Vulnus a. non ex natura materiæ appetitum trahendi habere, sed ex sydetib. per aerem accipere. Dictum ante est *vulnus esse inseparabilem affectum:* Et ideo per se non posse esse aliquid trahens. Si quid trahit, trahere oportet os, carnem, & alias partes vulneratas. At hæ trahunt ex propriis principiis, non ex alienis. Deinde ideo obligantur vulnera, ne aer attrahatur, aut insinuetur. Id tamen fieri debet, si mediante aere suscipitur attractiua. Cognitum experientia est, quo liberius aerem admittit vulnus, eo noxam inferri maiorem: Imo vulnus emittit halitus & vapores, tanto minus attrahit. Ast fortasse non recte percipimus sensum Crollii. Dicit n. *ADDVCITVR & coniungitur vulneri*; Num ergo nec vulnus attrahit, nec pars vulnerata, sed medicamentum primum ad se trahit cœlicas potestates, deinde trahit ad vulnus? Quo modo vero ad vulnus trahere potest tanto seiunctum internallo? Si hæc Paracelsica credimus, aniles nugas, & deliramenta in thronum veritatis seueræ euehimus. *Quorsum fit tractio illa mirifica?* Vt spiritalis operatio in effectum deducatur. Spiritum ergo operatiuem adesse oportet. Quis ille? Num naturæ hominis, an medicamenti, aut cœli? *Conspiratio fit*, inquies: Sed tu proba. Ille spiritus medicamenti ad vulnus non perueniet, nisi vehiculo: Id debet esse spiritus mundi genericus, qui accipiet specificam vim ab vnione cum medicina. Inde extendetur in omne vulnus. Vana n. est directio per ichorem sanguinolentum. Tertio spiritus naturæ alterabitur ab appulsu spirituum externorum. Fiet ergo præternaturalis. Sed veritas est, quod φύσιες ἰητροὶ τῶν νόσων. *Natura vero sunt insita principia.* Perge: *Coniunctio fit Astralis, & Elementalis.* Finge istud: at non determinate ad certum singulare, sed vago modo. Oportet a. sanatiuam certi affectus esse. Quo ergo ab Elementis peruenit? Nempe in partem determinatam, quæ est vulnerata. *Determinatur a. per ichorem lignelli, vel teli.* Ellebotum affirmanti. Cur non dirigitur in pannum, vel terram & alia, quæ longe copiosiore sanguine fuerunt inquinata? Cur non in occisum aprum, vrsum, taxum, furem, cuius fuit vsnea? Imo cœli est actio. informare debet non informari: dirigere, non dirigi. Deinde cum quibus Elementis fit coniunctio ista, externis, an commistis in membro? Vtrilque dices. Temeratium dicam cum internis. Si enim Paracelsicus es, & chymicus professio te iubet coniunctionem cum principiis, quorum cœlestis est natura, ponere. Ex accidente pertinget ad Elementa. Si de externis loqueris, in absurditatem superiorem incurris, & in fluxum coniunctionemq; frustra prætendis, cum à vulnere omnia externa elementa arceantur studiose. Exponitur tamen modus simili. *Vt calor solis concordat cũ terra: Ita persicaria cum morbo.* Ridiculum. Quid nobis iam cum persicaria? Vnguentum sympatheticũ cum vulnere voluisti dicere. Assumamus: *Calor solis concordat terra efficiendo in ea calorem alium. Nã qualitates non migrant de subiecto in subiectum sine communicatione subiecti sui. Ergo & vnguentum concordat cum vulnere afficiendo in eo vim quandam similem, vt porro vulnus possit se sua vi sanare, & fortasse sanabit etiam alia vulnera. At qui effectus continget sine contactu?* Sol calefacit ita terram, vt prius aerem. Num ergo & vnguentum prius vngit aerem? Non opinor. Sed expressius dicatur modus. *Sicut cum sole abit calor, ita cũ persicaria abeunte abit morbus: vel cum vnguento abeunte abit vulnus.* Non ergo persicaria sua præsentia morbum faciebat, & vnguentum vulnus, sicut sol calorem? At falsum est cum vnguento discedente vulnus discedere. Nunquam n. præsens fuit vnguentũ: Et si stilla sanguinis habet rationem partis læsæ, non debet sanari, quia semper præsens est linimento.

Persicaria cũ morbo concordantia.

O bone Crolli, quam ignorasti tuum morbum? Non debuisti alios fatuos & imperitos nominate tam parum sanæ rationis, & peritiæ obtinens. Iam ponitur vnguentum tanquam medium, per quod fit sanatio. Quid sanat? Tria: *Sympathia naturæ: Influentia corporum cœlestium, qui apud Elementa perficit operationes suas: Balsamum sanatiuum cuilibet homini naturaliter inditum.* Ex his primum est falsum: secundum se euertit ipsum. Neq; n. influunt cœlestia corpora, neq; per elementa agere possunt iuxta Paracelsum. Sunt n. per se ἀνενέργητα. Elementa pro capsulis habentur, & matricibus. Principiis ætheris debetur virtus ista. Tertium solum placet, estque Hippocraticum. Si vero hoc sanationem procurat, non opus est sympathetico vnguento. Vere autẽ ipsa natura sanat vulnera, quæ alias perhibentur sympathetico curari: Et hanc per balsamum designamus, quia dominatur in calido insito, humido primigenio, & spiritib. Medicamenta, quæ adhibentur, per se sanandi vim non habent, sed tantũ adiuuandi & noxia prohibendi, id quod hic facit vulneris mundatio, hæmorrhagiæ prohibitio, ablutio, obligatio, aeris exclusio, Diæta conueniens, & reliqua. Perdit ergo vnguentum istud suos titulos honorarios, & nec sympatheticum vere est, nec constellatum, sed *phantasticum & superstitiosum.* Superest adhuc vnum argumentum constellationis. Nam *vsnea ex cranio hominis detrahenda est luna crescente, & in domo bona, vt veneris, non martis aut saturni, existente:* Deinde vnguentum conficiendum est sole in libra versante. Quid ni ergo sit constellatum? Prius autem euanescit, quia aliquæ descriptiones carent vsnea ista: deinde vix millesimus obseruat istam constitutionem lunæ: imo qui miscent vnguentum neq; cœlum, neq; terram in domos digerere sciunt, & tamẽ probant rem effectu. Posterius debebat contra se habere. Nam sol in libra existens deminuit potius naturam apud nos: Et quid ille faciat ad misturas officinales? Tantum de titulis. Refertur ad autorem *Paracelsum*, nempe *vt omne fere magicum, & monstrosum.* Non legitur in *tomis eius.* Quidam gloriantur de libris manu scriptis, nondum editis: Verum ille præ ebrietate & vaga vita nondum 50. annorum non potuit tantum scribere. In Tomis chirurgia contraria habentur.

Vsnea lectio.

An Paracelsi sit vnguentum istud.

Nam

Nam curationes vulnerariæ apud Paracelsum fiunt aut per modum naturalem balsamicũ: aut per appositionem Brassidellæ super vulnus recens, aut per magorreo. Prima est naturalis: Secunda artificialis, tertia magica. *Brassidellica* ars dicitur ab herba Brassidella, quæ alio nomine vocatur ophioglossum, Lanceola, lingua cerulna: Et pertinet eodem etiam applicatio persicatiæ, telephii, corticũ iuglandis arboris, &c. *Magorreo*, inquit Dornæus, *est medicamentum magicum*. Niddamus quattum modum proponit per verba, qui tamen est magorreonicus. De sympathetica ratione hic nihil. Nolunt n. magicam curam esse, nec fit appositio medicaminis: nec possunt sanationem balsamo naturæ ascribere, quia tribuunt eam vnguento, & illitioni ligni seu teli, licet Crollius balsamum quoq; ꝑduxerit. Sed tunc frustra de linendo telo disputat, si balsamus sanat: Balsamus inquam insitus vitæ principia habens: non ille quem guttulis cruentis telo adhærentib. admetiuntur, quisque interdum adeo non est salutifer, vt etiam cachecticus, cacochymicus & morbifer. Sæpe quidem Paracelsus balsamũ mumiæ, & medullam humanam prædicat: sed non per modum vnguendi teli. Vide *de chirurgia vulnerum, c. 8. In Paramiri li. 2 c. 2. de originib. morborum, & tribus substantiis tomo 1. p. 115. 116. & lib. 2. de peste c. 5. tomo 3. p. 148.* Verum sitne Paracelsi, an non, parum interest. Descriptiones tam variæ sunt, vt videantur studio dissentire vnctores, & alter alteri se præferre. Crollii hæc est: *Accipe adipis verris, aprugni, vrsini an. lotones octo* (videtur ad ciuile pondus respicere, alias vncias quatuor scripsisset.) *Quo senior a anima lia, eo melior adeps. Hi adipes per dimidiam horam in vino rubro bulliant: Deinde in aquam frigidam effundantur: Quod concrescit in superficie colligatur cochleari abiecto sedimento. Cape & lumbricorum* (terrestrium an humanorum?) *ex vino, vel aqua lotorum sextarios duos* (ciuili scilicet mensura, quarum vna est librarum circiter sesquitrium, aut trium. Alias sextarius est vnciarum octodecim, & respondet dimidio cantharo Rotemburgo tubarino) *Torrefiant in olla tecta in furno pistorum, seu clibano, citra adustionem. Terantur in puluerem. Recipe huius pulueris: Cerebri à prugni siccati: santali rubri odoriferi: Mumiæ: hæmatitis an. vnciam vnam* (si ciuile pondus est, Lotones duo intelliguntur) *vsnea de cranio hominis per vim occisi, abrasæ luna crescente, & in domo veneris vel alia bona, non martis, aut saturni, versante pondus duarum auellanarum* (forte magnitudine & mole) *Contrita omnia cum adipibus misceantur sole in libra existente, in vnguenti formam, & reponantur in pyxide clausa. Si diuturnitate temporis exiccaretur vnguentum, adipe dicto, vel melle virgineo humectari malaxarique de nouo poterit, vt mollescat.*

Brassidellica. *Magorreonica.* *Varietas vnguenti armarii.* *Sextarius.*

Hæc Crollius: quæ ne sine fœnore transscripserimus, paulisper cõtemplemur exactius. *Debet esse sympatheticum vnguentum*, quod sympathian habeat cũ vulnere talem, vt, si sanguinis nonnihil quod telo adhæreat, eo imbuatur, virtus sanatiua à cœlo accepta transferatur in vulnus, & in hoc efficiat vnionem naturalem ex disiunctione, & solutione vnitatis. Necesse hic est medium illud virtutis cœlestis esse susceptiuum, & simul transuectiuum per multa spacia, atq; etiam sic affectum vt non alium hominem, nec aliud vulnus quam suum tangat. Fortasse *videbimur cum ratione insanire si rationem quærimus, vbi nulla est, tantumque inane nomen experientia producitur.*

Indicium vnguenti sympathetici.

Veruntamen apparet ratio aliqua in lectis simplicibus, & eorum pondere. Nam cum cœli virtutes in aerem καθόλυ deferantur, eas ex aere non quiduis excipere hoc fine potest, sed destinatum. Id quodnam, aut quale? Vsneam dices & mumiam humanam: Cuius? Hominis scil. cuiusuis, qui non morbo sed *per vim occisus sit*. Quid hinc? *Est generale receptaculum virtutis*, per quod ad hominis naturam alligatur. At, inquam, cur non potius ad genus bestiale aprorum vrsorumque quorum pinguedo & cerebrum assumitur longe maiore quantitate, in qua oporteret esse plus virium? Cur non domesticæ sues indistincti generis assumuntur. Hæ n. homini natura membrorum & victu sunt affiniores? sed fortasse vnctores isti sunt etiam veterinarii, & malo medici, idque est verisimile. Nam *quidam eques gloriabatur se canis pedem fractum suo vnguento sine plagulis & obligatione sanasse*. Sic sumendæ etiam feræ sylvestres fuerunt, prætereaq; lumbrici terræ (si hos designant) vt vnguentum accipiat vim ad feras, homines, & lumbricos, seu omnino ad animalia, quanquã sympathiæ ratio tali mistione plane destruatur, pereatque harmonia, qua radii cõfluere, & collucere debebant, imo & excipi non pro apris, vrsis, lumbricis, sed pro homine: eoque non occiso aliqua violenta morte, sed viuo, quanquam aliquo vulnere non lethali, & quod natura ipsa sine vnguentis & emplastris sola obligatione, Ischæmis, mundatione curare possit. Omnino nulla ratio est cur hæc potius sint apta sanatiua vulneraria è stellis attrahendæ quam alia sub eadem constellatione composita, estque periculum ne illa vis, si sit excepta, in apros, vrsos, & suspensorum cadauera potius traducatur quam in hominẽ. Nihil n. valet guttula sanguinis in telo præ cæteris: imo nihil præ alio sanguine in terram profuso, ad quem potius vehi debebat virtus quam ad vulnus cum ratione & iudicio seu discretione sanguis ille careat.

Quorsum vero cœtera adiiciuntur, vt *hæmatites, santalumq;*? Scilicet cœli virtutes sunt multæ. Ex iis eligenda fuit & attrahenda tantum consolidatiua solutæ vnionis per vulnus: Deinde etiam ischæma: tertio frigida quædam ne inflammatio possit accedere. *Solidatiua tribuitur lumbricis* potissimum ratione neruorum: At carnis cæterarumque partium, *mumia & vsnea. Nam in his balsamus est natura*, vt aiunt, qui & consolidat, & incarnat. *In Hæmatite* est ischæma potentia: In santalo refrigerans licet alias frigus inimicum sit vulnerib. Sed Catus fuit Croll. Nam *odoratum rubrum santalum* asscripsit, ne calor desit, quãquam nesciamus in quib. Indiis nascatur tale santalum rubrum, quod Garzias & Clusius inodorum esse scribũt, & tale est officinarum nisi odorem ex aliquo adiacẽte traxerit. Sic ergo habemus in nostro vnguento scopes omnes fere, vt *solidantem, ischæmum, incarnãtem, & inflammationes arcentem*, quem *defensiuum* vocant. Vnde vero putredinis repulsa? Fortasse cerebrum apri exiccatum, & mumia fumis, & acribus medicaminibus durata putredinem arcent. Si saperent, non humanam mumiam peterent, sed pissasphaltum, aut asphaltum Iudaicum, aut saltem misturam illam qua cadauera condiunt. Hæc n. excellenter resistit purulentiæ. Videtur tamen hæc solicitudo esse superuacua,

quia patiens cõtra inflãmationes iubetur vulnus aqua frigida vel lotio defẽdere, & nepus gigni possit aerem auertere, labra colligare saniẽ diligenter abstergere adhibita vrina salsa, & bono victu sanguinem laudabilem procurare, in quibus est totum, si fiduciam in lusorium medicandi per telum vnctum modum adiicias. *Cum a. in his omnib. sit omnis virtus sanatiua quorsum oportet potentiam sanatiuam cœlo deducere?* Iam inest in subiecto. Ergo foris frustra petitur. At in quis bonis constellationib. confortatur. Imo inq̃ et debilitatur. Nam euanidum fieri vetustate vnguentum renouandi necessitas arguit. Solent quidem chirurgi *obseruare lunæ loca*, & constitutiones, quas et Hippocratici non negligunt: at magicas illas deductiones non curant, & nihilominus sanabilia sanant. Adhuc q̃rendum est vbi inueniamus *aprum, verrem*. Si ex syluis petendus est, laborabis: si ex stabulis in quib. consenuit, quid interest inter porcũ castratum & istum, cum eodem cibo nutritus sit? Sed & vbi *senem aprum castratum*, vt eo meliorem adipem habeamus, quo sit senior? Nempe iunior capiendus est, secundus, & in decrepitam ætatem seruandus vnguenti causa. Vulgus tñ saucijs interdicit non tantum suillam, verum & aprugnam, quam necesse est eo humidiorem esse, quia execta animalia colligunt multum excrementitij succi. Apri vero Syluestres ficciore sunt carne propter discursus & cibos ex radicib. glandib. corticibus, herbis montanis, &c. *Fœminis nihil proderit medicina, quia verres capitur.* Deinde quid *vrsus*? Senex vrsus frigidior tanto est, quo senior: Deinde etiam viribus magis effœtus: Et Croll. non scripsit quo adipes sunt vetustiores, quo modo carauita ille ad suum oleum alexipharmacum vetustissimum oleum quærebat sed quo seniora animalia. Quid ex sene vrso adipis laudati? Vrsusne vero an vrsa legenda est? Scilicet vrsus. Nam in masculo cõtinentur vires fœminæ, quanquam in bestiali genere hæ tere sint ferociores, adeo vt & theriacarij non mares viperas, sed fœminas legant, earumq; pinguedini magnam vim sanatiuam tribuant. *Coquendi adipes sunt vino rubro*, forte vt vi styptica consolidatiuaq; armetur, priuenturq; leprositate corpulenta. Tenuior vero magisq; aetea pars assit, vt cœlo excipiẽdo sit aptior. Callide scil. Quid si vero postea cum effunditur non super vinũ, sed aquam frigidam, vim susceptam perdat? Verum racendum est: quia aqua est repercussiua & coagulatiua. Ideo in interiora reiicit fugitiuos spiritus, eosq; densatos coercet. Verum enimuero fortasse adipes isti, sunt vili pendendi, quia videntur im̃ materia & subiectum cæterorum esse, nihilq; amplius conferre, quam vt corpus & formam vnguenti constituant. Iam lumbrici appellantur. Mirum cur ita simpliciter. Nam sympatheticum requirebat humanos. Verum sint terrestres. Hi elui vino vel aqua iubentur, quasi nihil interfit inter vtrumq;, & tantum spectaretur mundificatio. Si hic nullum discrimen est, neq; in ablutione adipum. Si nos audirent isti pullinctores, spiritum, vel quintam vini essentiam caperent. Hæc n. ad cœlum eliciendum conuenientior est: Sicut & foret χυμικώτερον, seu essentialius, si non crudo ista legerentur, sed extracta, & vt loquuntur Paracelsici, essentificata. Proh fidẽ humanam quantum tunc esset virium? *Ex pariete ferreum clauum sola vnctio extraheret*, quod attractiuo ex magnete oleo ascribunt Paracelsici, & multo mirabiliora *specifico attractiuo*. Et sunt sane non raro ex vulnerib. extrahenda tela, vt videatur extractiuum essentiale male esse omissum. *De tostione*, & contritione lumbricorum non debemus esse soliciti, quanquam glutinosus eorum succus magis iungeret neruos & glutinaret, si apponeretur cum symphyti radicibus, seu glutine: Imo cum Paracelsici *sticticu, & oppodeltoch*, in quo admirandæ virtutes. *Cerebrum aprugnum* quorsum? Humidum & frigidum membrum est cerebrum, minimeq; ad vulnera sananda conueniens. Cur non cor, Epar, sanguis mandabatur? Sed callidus vnctor torret cerebrum, vt redigi in pollinem possit. Ita sustulit humiditatem corruptiuã. Quid si vero eam iterum alliceret seu aliunde, seu ex adipibus? Sanguinem si non defensionis, saltem coloris causa adest, vt vnguentum sanguini fiat simile. Nam etiam in colore est mysterium. Deinde santalũ habet signaturam Eparicam. Quare hoc, & non crocus martis, quia alias Telephia vulnera & vlcera sanat, fuit admiscendum. *De mumia* ante diximus. Non humida, seu sanguis hominis sumendus licet hoc requirebat sympathia, sed *ossa cadauera* & duratæ carnes ex Aegypti, & Cyrenæis *solitudinibus vbi maris pulueteo suffocati (a) homines exiccantur*, posteaq; effossi in medicinam veniunt. Fugienda est mumia cadauerosa, quia sympathia destinata est ad viuos. Ideo & vsnea non ex mulbo interemtis, sed suspendiu, rotã aliisue modis legitur. Sed quid interest si ex cadauere? In morbi locum venit laqueus, rota & aliud instrumentum quod morbum infert, sicut & gladius carnificis. Est tamen discrimẽ, sicut inter pecudem iugulatam, & scabie mortuam. Valeat ergo mumia ex mari arenoso, modo non mentiantur officinæ, & mumiam cadauerum pro mumia violentæ mortis porrigant.

Vnguento armario attractiuum celi deest.

Quis a. credat imposturis infames Paracelsistas adeo ex acte colligere medicamina: *Imo transmarinam mumiam ex pharmacopolis* petunt, taroq; ex fumario canibalico humanas carnes, ne dicamus nũnquam, habere possunt. *Vsnea è* cranio suspendiosi, aut in rotam impacti, vel contro suffixi dicitur nasci ex resoluto in ossibus balsamo, ideoq; valere in ossibus solidandis. Si ea ratio est qua plantæ accrescunt conchis, lapidibus, ramis & corticibus arborum, vt muscus, ex quo genere est & vsnea illa, *potius ex elementari humiditate putrescente, & iterum consistente*, tanquam ex muco phlegmatico terreis succis intermistis exoritur, *quam ex balsamo insito, qui alias potius in vermes abit quam in muscum*, vt videre est in arefactis carnibus, & ossium succo. Nonnihil tamen virium ipsi ascribimus, sed nec ex proprietate ipsius cranii, nec syderali influxu, licet vehementer reclament stultissimi Paracelsistæ, qui nihil facere possunt in talibus asserendis, quam principium petere. Petitur etiam illa vsnea à *vespillonibus magis quam carnifice*: Et cur non asciscunt eum muscum qui sub rotis & patibulis, vel etiam in lignis nascitur?

Vsnea.

Tabo manante ista sunt infecta magis quam arefactum cranium quod humiditatem foris forpsit cauernis, & suturis, deindeque eam reddidit specie musci, qualis etiam in tectis lateritiis & muris coalescit. Tabum autem plus habet balsami resoluti quam os capitis.

Præterea

Lectio planetaria vsneæ.

Præterea si signaturas suas sequi volunt Paracelsici, vsnea diriget vim vnguenti ad Cranii vulnera, non autem ad alias partes. *Est autem irrationale pedem vulneratum sanare velle medicamento quod natura capiti prædestinauit.* Legenda est vsnea Luna crescente. Imo inquam vel sub terra condita, hoc est silente. (Hæc enim conuenit mortuis) vel decrescente. Nam oportet humore elementali deminutam esse, essentiali vero auctam. *Luna illa crescens* vbi sita erit? venabitur *in domo veneris.* Bellè inquam. Hæc enim genituris est præposita: Et in vulneribus regeneranda caro est, si est deperdita. Quid autem si non? Nam quæ vulnera sanantur vnguento armario, nihil debeat perdidisse: nec aliud requiritur quam consolidatio. Hîc Paracelsicis venus prodest, quæ alias vulneratis noxia, propter humiditatem superfluam, quæ facile inducit putredinem. Coniunge Lunam crescentem, augentemque humores, & venerem habebis non glutinantem exiccationem in vulnere, sed lasciuientem carnem. Vide quæ astrologi tribuant veneri. Eius domus sunt Taurus & libra: hæc propter seminis fœcunditatem: ille, quia fœcundus & temperatus. Coniunge iam ista: Habebis sat multum humidi. Quid fieri debet ex istis? VNGVENTVM. At, inquam, *vulneribus siccandis ista forma est inepta,* Cur nõ emplastrum sticticum (vt absurde ex Germanismo Paracelsici gloriatores appellant pro punctorio, contra vulnera punctim inflicta) quorum vnũ tam perfectum ad vulnera, vlceraq; telo inflicta. (Ita loquitur prudens Paracelsista, vt sint etiam vlcera ex telorum inflictu recente; quod intelligendum est, & non accessoria) prædicatur, vt *vires eius sint INNVMERAE,* nec efficacius reperiatur sub LVNARI GLOBO. Plus certè & nos tribuimus isti sticttico vulneribus applicato, quam phantastico reli vnguento. Constat enim *Minio, lapide calaminari, Lithargyro vtroq;, oleo lini, oliuarum, Laurino, cera colophonia, vernue, terebinthina, opopanace, Galbano, serapino, ammoniaco, Bdellio aceto solutis* (melius vino) *succino citrino, olibano, myrrha, aloë epatica, Aristolochia vtraq; mumia transmarina, magnete, Hæmatite, coralis vtrisque: matreperlarum, sanguine Draconis, terra strigense, vitriolo albo, floribus antimonii* (melius balsamo) *croco martis & caphura.* Hæc quantum absunt ab vnguento, & tamen scopus vtrobiq; est idem? *Sol debet in libra, domo scilicet corruptionis, alias veneris esse,* cum illud vnguentum conficitur. Omnia contra rationẽ. Mirum, cur non additum sit infra, an supra terram: orientalis, meridionalis, occidentalis, &c. Sol alias attrahit omnium planetarum vires iuxta Cardanum, ipse per se tantum generalis caussa. Hic omissus est planeta nisi venus illa luxuriosa sit per cupidinem aduocanda. *Mirum etiam cum certis membris certi assignentur planetæ, cur hoc non sit adiectum in vnctionis praxi.* Verum si ex Astrologia vellemus cum pecore paracelsico disputare, omnia ipsius portenta euanescerent, cum nihil demonstrati habeat, sed superficiaria quadã ex planetariis vulgi opinione ducatur. Quid si venus illa Domina, & taurus & libra paterentur humore priuari vnguẽtum suum? Sunt enim mali custodes diuturnitatis, vt ligneus Priapus hortorum. Quid faciendum? *Humectatio petenda est ex melle virgineo, aut adipe dicto.* Perquam Paracelsice. Nam melli bene conuenit cum adipe vrsi & verris aprugni vetuli. Sic melleum tandem habebimus vnguentum aut verreum. Potius quidẽ erat sympathetico adeps humanus: sed illi veteratores nos in vrsos, & apros volunt transformare satis Pythagorice. *De melle* tamen non dissentimus. Sic enim aërei fiemus, & apicularum more auolabimus si displicet mora, aut ex venenis Paracelsicis salutiferũ succum colligemus. *Mel habet in diuinis quoq; ad vulnera encomium.* Itaq; si iis applicaretur post vinũ, non inutile fore iudicaremus. At quid in telo? Quid amaracino in sue? An non vero obseruandum cœlũ est in remollitione? Imo venus. Hactenus iudicium compositionis. Audiantur iam & aliorũ syntagmata.

Pag. Basilica 267. 269.

Emplastri stictici Crolliani res.

Wittichii *& fere Paracelsica fecis hoc est: Pinguedinis verris, qui quo senior, eo melior est adeps eius; adipis vrsini quantum satis. Liqua igne leni. Deinde effunde in frigidam. Sal sidet. Pingue natat. Hoc collige. Mensuram dimidiam lumbricorum terræ. Purgentur in olla, in qua sit arena, vel fimus. Torreantur in Clibano post panem coctum, cauendo, ne adurantur. Fiat puluis, cuius cape dimidiam concham: adde santali boni, hæmatitæ singulas semuncias; vsneæ cranii si haberi potest* (si non, omittatur. Est enim æque efficax) *quanta est auellana. Misce.* Hæc est secunda descriptio, à qua Crollius discessit verrem aprugnum ponendo: Deinde non salem, sed purgamenta adipum aufferendo, & certam quantitatẽ exprimendo: Insuper lumbricos terræ nominando, eosq; purgando: variat & pondere: Et santalum nõ bonum sed rubrũ scribendo, idq; odoratũ, vt satis esset ineptus. Hic quoq; autor Vineum non multum curat, cũ eiusdem sine illa sit efficacię vnguẽtum; & quidem recte. Nã eadem vis est etiamsi telum in succidam, terrã, axuogiã plaustialem, picem, & similia intrudatur: Imo possunt omnia ista ludicra in sterquilinium proiici, & imaginario ad mensam Pythagoræ sereni samonici, vel nummum Rabbi Hama alligari. Quod si affit, non duas, sed vnam auellanam secernit. Et sic bonum est medicamen: si credimus Goclenio patrono. 2. Modus.

Tertium adeps porci castrati *& vrsi vetustissimus:* (priores putarunt animalia debere esse decrepita Sed adipem procul dubio salsum, quia sal ablue odus est, intelligi hinc liquet.) *Liquatum in frigidam infunde. Congelatam pinguedinẽ detrahe. Lumbricorum terræ sextarium purga per arenã, vel muscum in olla. Præcisis extremis mucum emulge. Torre in clibano. Cape dimidii oui quantitatẽ: santali odorati* (Tale est pallidum) *hæmatitæ singulas semuncias. Cranii d. drachmum* (sapidior hic est compositor. Ita enim balsamum non viriatũ habet. Priores videntur voluisse efficaciorem esse vsneam, quia Zythepsæ hordeum fruticosum melius pro cereuisia iudicant, quam crudum) *si cranium habere non potes, omitte.* Bellè. Ita magnum iugũ de sympathetico detrahitur. 3. Modus.

Quartum. Weckerus: *vsnea cranii, axungia humana an ℥ j. mumiæ, sanguinis humani an. ℥ß ol. lini, ℥ij. ol. rosarum, boli armeni an. ℥j. M.* Diuersitas hîc manifesta est Quintum ex libro Wirtembergico. *Adipis apri libra. vrsi tantundem; quo seniores bestiæ, eo meliores adipes. Colliquefactos effunde in vinum rubrum frigidum. Pingue concretum transfer in vas mundum. Adde hæmatitis vnciam. Santali rubri sex drachmas; lumbricorum terræ rubrorum ex fimetis, quibus lumbricis pisces solent inescari, quantum satis. Purificentur arena, vel musco. Deinde in olla luto munita torrefiant in clibano pistorum. Redigantur in puluerem, cuius cape duas drachmas: adde vsneæ quantum habere potes Misce.* Sextum. Est Weckeri & hoc, differtque à superiore tantum adiectione *vnciæ mellis, & drachma adipis bubuli.*

4. Modus: Vide infra de modo Ioh. Bapt. Portæ.
5. Modus.
6.

7. & 8 Septimum variat à cæteris ratione fracturarum. Vbi enim ossa sunt fracta *alius adiicit radices symphyti maioris: alius symphyti radicem*, & insuper etiam elleborum nigrum, fortasse ne delirent ægroti delirio medici correpti. Cur non *sputum Lunæ, axungia veneris*, Solis, Lunæ, ophioglossum minerale, osteocolla, ebur fossile, quæ videntur naturaliter constellata esse, vt & Astroites, & Trochites Gemmæ apponuntur?

9. Nonum habet mirificus ille Cardanus *in lib. 2. de venenis cap. 6.* vti est *in obseruationibus Schenkij lib. 5. obs. 238. Thus, crocus, bdellium, moscus, adeps humanus, vel os, sarcocolla, aloë, centaurium, vel succus eius, resina abiegna, vel larigna: gummi elemi, styrax, Rad. pæoniæ: succus panacis: pix liquida: Iris Illirica: verbena, betonica, coccus, braßica rubra, ozymum, folia vlmi, lachryma sycomori, sordes balneariæ, vinum, mel, sal.* Hæc Cardanus, qui proculdubio Paracelsi spuris non fuit addictus, indicatque ista compositione Paracelsum non esse autorem seu opinionis, seu medicinæ. Inuenta autem facile est mutare.

10. Est decima descriptio eorum, qui volunt tantum XIV. rebus constare. Cardanus non experientia, sed fama tantum cognouit. Esaias Meichsnerus sympathian admirandam subesse putauit, narrante vim quodam nobili equestris ordinis. Sed si *Pareum* legisset sententiam mutasset, potiusq; accessisset disputationi Martini Birmanni de *paradoxu Bodini*; vbi & hoplochrisma explodit. Non dubitandum est etiam magis variantes descriptiones alicubi seu extare, seu latitare, cum inueniantur adeo singulares vt non possint concedere aliis idem medicamen innotuisse: Itaque sibi verum, verius, verissimum Paracelsi vendicant, vt eo licentius, & maiore cum autoritate fallant. Vbi ventum est ad puncturam cæsuramve à ferro, *Gabelkouerus quidem arma vngit*: Sed aliter etiam iubet ferramenta terræ infigere, donec sanetur vulnus. *Nos nouimus hominem qui solâ obligatione sectionem consolidauerit; & cultellum neusiquam condiderit.* Sunt, qui cultrum, quo quis vulneratus est, in terram *iuxta radices alchimillæ depangunt*, cauentes, ne radix violetur, quod si fiat, immedicabile vulnus fore autumant. Huiusmodi multa sunt in populari existimatione. Iam accedamus ad reliqua Crolliana de his, quæ illo vnguento sanari perhibentur, & applicandi, & spectandi, seu potius diuinandi obedientiam læsi modis. *Hoc vnguento*, inquit Crollius, *sanantur omnia vulnera, quocunque telo, ictu, iactu, cuicunque etiam sexui inflicta, ita vt nec nerui, nec arteria, nec vnum è tribus principalioribus membris læsum sit, modo telum haberi poßit, etiamsi patiens multis milliaribus* à nobis absit. Videtur hic Crollius ad nimium pauca respexisse, & primum differentiam vulnerum non considerasse. *Simplicia* sane *vulnera curantur* interim dum obungitur telum, sed non vi vnctionis, verum cura propria per legitimam Diætam, obligationem consolidatiuam & mundationem quæ iniungitur patienti. *Composita, & in quibus magna est hæmorrhagia*, sanari tam leuiter nisi in temperatissimis & abstinentibus ab omni nocumento, felicibusque obligationibus non possunt; Ipsi quoque vnctores requirunt conditiones non contemnendas, & in quibus summa est sanationis, vt sequetur. Ita iam Crollius *epar, cor, cerebrum non vult læsum esse*, quod tamen debuerat specialius determinasse. Sunt enim viscerum etiam simplices læsiones, quæ non penetrant in cauitates, & vasorum principia, aut etiam ipsa disrupuerunt. Si aliqua vis esset vnctionis, debebat simplicia vulnera tam interna quam externa reparare: At *in internis nihil potest.* Ratio est, quia *cura vera, quæ & sola naturam adiuuat ad sanationem, illis non potest adhiberi.* Neque vero illa principalia illæsa esse satis est, ni sint & intestina, pulmo, renes, vreteres & similia integra. Vnctio teli hîc omnis est temeraria. Excipit ille etiam neruorum & arteriarum vulnerationes. Nimirum enormes seu magnas intelligi, & adiici debere etiam venas res ipsa loquitur. Veruntamen *compertum est aliquos etiam parua punctura per acum neruo inflicta, febri ex inflammatione oborta perisse*: Sicut contra multos quibus arteriæ & venæ, aliqua etiam nerui essent vulnere affecti restitutis, siue vngeres, siue non modo sanguinem suppresseris, & legitimam ligaturam, mundationemque adhibueris. Hinc euenit vt sub nomine vnctionis teli possint sanari vulnera simplicia, & quædam etiam composita, quæ simplicibus sunt viciniora; sed nec magna simplicia, nec composita periculosiora, vbi fusio, & ruptura, pluriumque simul non eadem crasi affectorum solutio contigit, vt in sclopetariis, &c. Quorsum autem spectant Paracelsici tam indistinctè de vulneribus proponendo, cum si Paracelsi *chirurgiam auscultare velint, aliter sentire, & loqui cogantur*? Scilicet vt vulgi iudicium generalitate quadam obruant, & eo audacius mentiantur, & vanis promissis fidem maiorem aucupentur. Alias si distinguerent scrupulosius, promissorum, arrogantiæque tam temerariæ inanitas in nerutum erumperet, seu patefacta ipsis esset damnosa. Sanentur ergo omnia vulnera in quibus neruus, arteria & membrum principale illæsum, quanquam hoc sit falsum: num etiam omni telo, & quouis modo facta? Num etiam in omni sexu? Tria hæc affirmat Crollius, asserens *OMNI telo, quod ictu, iactuve, (cæsim, punctim) sit inflictum, cuicunque sexui masculo, fæmineo, ambiguo.* At nec hoc satis prudenter. Debuit enim considerari posse telum veneno deliburum esse vbi frustra vnxeris: Deinde in ipso inflictu varium modum potuisse euenire, variamque formam vulneris etiam simplicis, vti & in vno multiplex contingere potest: neque tam sexus est respiciendus, quanquam & in hoc sit aliquid propter temperamenti, & affectionum diuersitatem, quam corporum ipsorum constitutio naturalis, & accidentaria infert. Sunt cacochymica vel cachectica corpora ex victu prauo, aliisque naturæ aduersis, quæ sanè minus facile sanantur, quam euectica & Euchyma. Ita sunt temporum, & locorum constitutiones singulares, quæ ista promissa vnctorum inutilia reddunt. Sexui addunt aliqui etiam diuersa animalia, & *non tantum homines hoplochrismate lædunt, verum etiam bestias, equos, porces, canes*, &c. Sed quorum exemplo stultitia inuenti, & persuasionis vafricies maxime innotescit. Neque enim vnctio ista quicquam facit ad sanationem; quæ tota vi aliorum auxiliorum perficitur, & si ista auxilia desint, non succedit: Imò bestiæ morsus suos & alia vulnera sæpissime lingendo curant, aut etiam herbas vulnerarias gustando (ceruus sibi mederi Dictamno traditur; buffones ab araneo icti plantagine, ichneumon cum aspide certaturus tuta se munire, &c.) aut abstergendo volutabris rutis, pulueris

Lib. 24. c. 17. & in introductorio cap. 14.

Vulnera hoplochrisma te sananda.

exic-

exsiccantis, herbarum, & similium. Pergit Crollius: *Modo telum haberi possit.* Imò proteruius quoque & impudentius loquuntur, vt & infra Crollius. *Satis enim est sanguinis vel ichoris aliquid in lignello saltem,* vt aiunt. Neq; enim semper in potestate est telum, seu instrumentum quo contigit vulnus: nec semper potest vngi. Nulla ergo vis est in telo, vt perinde sit, habeatur, an non, modo aliquid cruoris sit præsto. Quod vero spacium inter vngendum & vnguentum intercedit? Alias inter agentia & patientia contactus requiritur, & corporeus maximè in vulneribus, virtualis enim dirigi non potest ab artifice nisi mago; & si aliquid naturaliter agit, analogo interuallo agit. Nullum enim finitum vires in infinitum protendit; quin & si radios in infinitum emitteret, eos integros perduceret nisi violente immutatis omnibus interuenientibus. Vnctores isti sunt liberalissimi. *Sanationem virtute vnctionis pollicentur patienti etiam MVLTIS milliaribus absenti* ab vnctore. Nos quidem hoc non negamus. Nam si ista adhibeantur ad vulnus, quæ vulgo solent *suppressio* scillcet *sanguinis*, *emundatio*, *labrorum commissio* naturæ respondens, *defensio* ab inflammatione, *obligatio* sedula, membri *quies iusta*, *Diæta conueniens*, omniaq; externa rectè comparata, fit sanatio etiam si in inferno sit vnctor. Nulla hic ratio est distantiæ, cum auxilia sint ipsi affectui proxima. Tolle vero hæc, & nihil eorum admoue donec nuncius sanguinem in telo vel lignello per viginti milliaria detulerit ad pollinctorem, & curauerit iustam illitionem fieri, quanti sit interuallum ægrotus vel sola hæmorrhagia, aut hiatu tavulneris ad quod aer queat allabi, experietur. Artificiali vero ligatura, & cœteris adminiculis applicatis, vel apud Indos sit vnctor, & vngendus in Germania, nihil interest. *An non vero symptomata periculosa possunt inter vngendum euenire?* Respondet Crollius, non posse: argumentis: 1. quia vnguentum est naturæ *conglutinantis: 2. suppurantis: 3. renouantis.* Ergo non permittit vllum noxium symptoma superuenire. Apparet hic quoque Crolliana simplicitas, *Non si est conglutinans, suppurans, & renouans vnguentum natura; distantia aliquot milliarium potest vulnus sanare omne.* Conglutinans ab interuallo minime potest glutinare, quia requiritur virtus in corpore glutinoso; quod inter distantia labra interueniens vtrumque comprehendit, adducit, & glutinositate sua continet. Virtus sine glutinante corpore est inanis. Deinde ne requiritur quidem virtus *suppurans.*

Nam hoplochristæ sanationem sine omni suppuratione promittunt. Et si suppurationem procurat, quomodo potest omne symptoma abigere? Si *renouans* est, an non renouat vulnus? Si membrum, debet id inueteratum esse. Sed instaurans integritatemque ex solutione & perditis restituens voluit dicere. At inquam hoc genericum est, nec potest semper vna vi simplici obtineri. Debet restaurare id quod læsione est violatum. Hoc viribus particularibus indiget. Sit autem *restaurans.* At hoc vi non prohibuerit omnia symptomata. Verum dicat aliquis paracelsista, quo auertuntur accidentia mala, simili, an contrario? Simili secundum naturam dicit, contrario propter læsionem à contrario. Satis inquam Galenicè. Nam *alias Paracelsistæ morbos familiarib. non natura, sed morbifica causa, atq; adeo morbo auferunt.* Sit hæmorrhagia, dolor, frigus aut æstus, &c. in membro, vel vulnere: sit & affluxus prauorum humorum, vt aquæ articularis, seu ichorum crudorum & corruptorum: sit virulentia aliqua; Num hæc omnia vnguenti istius viribus possunt tolli? Minime vero. Imò fatentur vnctores ipsi non posse prophylacticum esse, quando tam sedulo Diætam inculcant. Cum ait Crollius esse naturæ suppurantis, instaurantis, & glutinantis, num cogitauit se in superioribus vnguento *vim magneticam, & balsameam ex stellis* intulisse. Si habet vires istas à natura, quæ est principium insitum ab ortu per se minia translatum, non à constellationibus quibus vel vinea legitur, vel vnguentum componitur, neque ab arte concorporandi, aut proportione determinata, quanquam hæc etiam temeritate farraginis multiplicis elidatur. Quid quod si naturas ingredientium scrutamur, in nullo innenitur aliqua potentia glutinandi excellens? Sit aliquid in pulueribus propter terminantem siccitatem, at copia adipis abluti à viscididate, & eliquati, glutinatoria remittitur. Pinguia, qua talia, glutinationi obsistere non est ignotum. *Suppurans* vis iam explosa est. Nam ideo vitiosum esset vnguentum si suppurationem procuraret, neque quicquam tunc posset sanando; quia compositum fieret vulnus, quod aliis artibus, quam vnctionibus est mundificandum, putredineq; cohibita bono succo, & substantia implendum, & solidandum. Ita si inflammatio immineat; si tumor ob affluxum, si cacochymia ob corpus humoribus prauis plenum, si dolor ob cuticulas & neruos læsos; vel intemperiem: si hæmorrhagia & similia accesserint, omnia suis artibus, & medicinis sunt amouenda: Vnguento per interualla spaciorum telo illito nō possunt cumq; prophylacticum debeat ea virtute esse, qua sanatiuum, licet nō gradum eodem, si rem per se æstimamus, vnguentum istud nec antevertere, nec auertere per se symptomata perniciosa poterit. Verum attende versutiam. Dixit Crollius, *vnguentum eius natura esse, vt non permittat vllum malum symptoma superuenire.* Præscribit autem patienti Diætā conuenientem: *ante vnctionem quam citissime sanguinem sistere iubet,* (quanquam in aliquibus bona hæmorrhagia iuuet.) Deinde *fine futura,* quæ negant esse necessaria (nisi forte in pendente naso, & vbi pondere, motuue diducuntur partes, qua de re minimè soliciti sunt vnctores) *linteolo mundo patientis vrina madefacto quotidie circumligare,* (nempe ea ligatura, quam consolidatiuam & incarnatiuā vocant: De aliis quibus influxus prohibetur, aut effluxus, &c. non curant) *idq; cum ingens est vulnus: alioquin sufficere secundo, vel tertio die inuagere:* Hæc omnia cum ad securā sanitatem in simplici vulnere sint comparata, nihilominus tamen proponit *modum diuinandi, moriturusne sit æger, an victurus,* & argumenta promit non ex artificioso iudicio de essentia morbi, loco affecto, symptomatibus & aliis, sed *sudore cruento teli, si calefacto carbonibus puluis rubri santali & hæmatitæ inspergatur subtiliter.* Si enim sudat cruentum, moritur: Si non, non. At quid opus est ista exploratione iam suscepta vnctione? Aut si ante vnctionē instituitur, cur santali & hæmatitæ in telo sudor potius iudicium faciat, quam essentialia argumenta, & indicationes artificiosæ? Solent Paracelsici multum tribuere *symbolismis, & signaturis rerum.* Quæ hic inter mortem, & sudorem santali rubri, hæmatitisque puluerati concordantia?

Quæ connexio vtriuſque? Nos quidem iudicium id pro vano, & mendace habemus ſiquidem ex natura rerum ſit iudicandum: at ſi euenit nihilominus, quomodo ſpirituale commercium cum malis geniis, & magiæ diabolicæ ſuſpicionem à ſe amouebunt Paracelſici, qui alias quoque iſtiuſmodi magica profitentur, vt Paracelſus in *ſuo ligno vitæ, & magorreonica* vulnerum, item *Braſidelica, Berilliſtica, Theſaurinella, & conſtellatis multis* juxta doctrinam Arteſii, Tritemii, Henrici Cornelii Agrippæ, (b) & ſimilium magorum? Quæ præcipiuntur *de modo vngendi* iuxta teli incuſſionem ridicula ſunt, nec neceſſaria. Nam ſi totum telum condas lardo, terra, adipe, butyro, axungia & ſimilibus, adhibitis alias imperatis in vulnere ſimplici, ſaneſcit, niſi quod aliquando tam magnum eſt, vt nequeat totum abſcondi. Tunc forte aliquam rationem habet telum lignello mutare, quod bene poſſit mergi. Cuſpidem tantum pertinere ſi punctim, aciem latitudinis, ſi cæſim ſit illatum, & quidem aduerſo ductu, vt cogatur inſtauratio ex alto primum incipere, & fundamentum carnis in profundo exoriri, nullum aliud iudicium habent, quam inutilis ceremoniæ ad illudendum patienti, & autoritatem vaframento conciliandam. Vulgus enim in iſtis putat magnum momentum eſſe, ſuperſtitione delira occupatum. Ita *vanum eſt lignellum quod ſubſtitutum eſt telo, eatenus tantum pertinere, quatenus in vulnus, cui eſt affricandum, vt cruentetur, demittitur.* Si enim alia parte vngeretur tunc nocumentum parari ægroto. Si vlla hîc connexio eſt, non naturalis eſt ſed magica & dæmoniaca. Quorſum malum allatum ſit ægroto ſi alio loco quam contactus vngatur, ſi etiam totum in vnguento conditum nihil procreat aduerſi? Additur alia regula, *vnctorem debere à venere abſtinere quo die vult telum, vel eius ſucceſſorium vngere.* Ergone etiam ab ipſo aliqua vis in lignum, & hinc in vulnus transfertur? Si eſt, cur de ſola venere ſolicitus es & non etiam de fœdo anhelitu, & aliis? At venus tamen, & domus venereæ placuerunt in electione Vineæ, & compoſitione vngenti. Alia: *Ante inunctionem vulnerato citiſſimè ſiſtatur ſanguis.* Quo quæſo modo, & per quem? Si abſens vnctor debet ſiſtere id quod parerat, ſiquidem curæ gloriam quærit, qua ante alia quam magica, characteriſtica, Magorreo & ſimilibus Paracelſi? *Sagacum Piſtorio Niddano* multum tribuunt verbis modo abſurdis, modo ex ſacra Scriptura peſſime adhibitis. Habes ex vngue leonem ſin autem per ordinarium chirurgum hæmorrhagia ſiſtitur, quem ſimul adhibere etiam iuſtam obligationem neceſſe eſt, & ſi vas ruptum ſit, id claudere, vel integrare, iam deſinant vnctores abſentes ſibi aliquid memorabile in ea ſanatione aſſerere. Nam in chirurgi opere principium eſt curæ, & ni compoſitio vulneris purro quoque poſtulet eius opem, ægroto ſe recte gerente, etiam complementum. Aliud. *In fracturis & rupturis oſſium aliquid pulueris, Symphyti maioris, vel de radicibus Hellebori nigri poteris addere vnguento.* Nimirum ſic compoſitio mutabitur. Sed ſi per ſe eſt glutinatorium, quorſum ſymphyti additamentum? Imò quorſum ellebori, niſi forte ægrotus per vulnus purgandus eſt? Iudicarunt autem Solidaginis additio argumento eodem quo ſupra virtus glutinatoria. De Lignello ſunt aliæ regulæ. *Nominabatur id defenſorium* (c) quod rectius *ſucceſſorium*, ſeu *antiballomenon* diceres. Venit id in locum teli quo quis ſaucius factus eſt, & mirum in hoc compendium operæ ponitur. Nam primum Lignellum *Salignum* eligendum eſt: Deinde *id tam paruum* eſſe debet vt totum poſſit condi vnguento: Tertio *ſemel ſaltem id oportet* in apertura, ſeu vulnere cruento madefactum eſſe: Quarto, *ſi vulnus non cruentaret*, tam diu ſcarificandum ipſo lignello, hoc eſt, fricandum, lancinandum, pungendum, donec ſanguis effluat, & lignellum inficiat. *Quinto lignellum defixum* in vnguento vſque ad plenariam ſanationem manere debet. Sexto: ſemper nouo vulneri recens lignellum legendum. *Septimo: ſanguis qui lignellum imbuit adhærere debet*, & ſicari ſponte, & per ſe, non calore Solis, vel ignis. *Octauo ſi vulnus eſſet magnum* & profundum, ſingulis quidem auroris mundificandum eſt & recenti linteolo (vrina ſcilicet ægroti madente) ligandum ſine oleis, vnguentis, & ſimilibus externis, ſed ligneolum iterum vngere nihil attinet. *Nono: Iſto modo dicitur ſanari qualibet cutis apertura*, & læſio violenta per quam ſangnis egreditur: Imo & ſi cui dens dolet, is ex gingiuis ſcarificatis ſanguinem eliciat. (Ita enim intelligimus Crollium qui ait: *Dens dolens tamdiu* ſcalpello ſcarificetur donec ſanguinem emittat, quod impuſſibile videtur, cum dentes ſint exangues.) Et ſinat hunc in ſcalpello concreſcere, & indurari: Deiode ſcalpellum vngatur; Et confeſtim ſedatur dolor: *Inſuper ſi gompho vngula equi fuiſſet transfixa, eiuſque caro læſa*; extractus gumphus vngatur: Et CITO curabitur pes equi ſine ſuppuratione: Eodem modo OMNIA animalia ſanguinea (etiam muſcæ) & carnea poſſunt curari. An non hæc ſunt grandia? *Verum plaraque non alio reſponſo digna ſunt, quam exploſione.* Et ſanè quod Lignellum pro telo eligitur, id tollit Sympathian magneticam quæ in telo eiuſque qualitate, & forma, item modo ingreſſus & aliis quætitur. Deinde non ſatis rationabiliter id eſt excogitatum. Nam ſi refricandum eſt Lignello vulnus iam nõ illud priſcum ſanabitur, ſed tantum nouum qua parte ſangnis eſt profuſus, niſi forte totum vulnus quod iam principium ſanationis ſanguine ſuppreſſo accepit, ſit renouandum, quod nullus chirurgus ſapiens facile ſuaſerit. Quod Crollius Salignum poſcit, id alii negligunt, qui quoduis obuium capiunt, vt ſic ille in hoc potius ſingularis ſit, quam abſurdus. Si totum immergendum eſt, cadit ſuperſlor ratio de certa teli parte inungenda. Quæritur autem totumne, an aliqua ſaltem portione lignellum ſit ſanguine inquinandum? Sufficere indicant partem. Cur ergo totum condendum? Si relinquendum ſemel infixum, temere iubetur teli vnctio repeti. *Fruſtra enim fit per plura quod fieri poteſt per pauciora.* Quæ de cura magni vulneris dicuntur, aliquam habent ſpeciem, ſi hæmorrhagia ſuppreſſa eſt, & labra recte iuncta, ipſumque ſimplex & ab omni accidente malo liberum, in homine bene temperato, & euectico. At *hæc per ſe ſatis ſunt ad ſanationem*, nec eſt opus figmento hopliatriæ. Vbi vero ingens vulnus vnquam ſanatum eſt hoplochriſmate ſolo? Probent hoc Paracelſici gloriatores. Olea & vnguenta amouentur. Cur non eſt hoplochriſma? Nam ſi cætera recte peragantur, temerarium eſt. Sunt autem olea quædam vulneraria, quæ longè certiorem experientiam habent, & rationes ponderoſiores quam iſtud ſomniatum vnguentum telorum. Vnicum balſamum,

De fluxu ſanguinis ſiſtendo.

Lignelli pro telo vſus.

Vnguentum ad dolorem dentium.

An Lignellum recte telo ſubſtituatur.

& quæ

& quæ ei viribus respondent partim naturalia, partim artificialia istud vnguentum ad cynosarges à chyrurgia rationali exulatum mittunt, & cum probro ablegant. *Dentis dolentis* tam subitaneum remedium Paracelsicis relinquimus. Interim si in hoc sanandi modo est aliquid præsidii, statim arripiamus bacillum, & circa dentes scarificando sanguinem eliciamus, eumque hic in lignello aruit, infigamus id in lardum, adipem, axungiam plaustrorum, vel terram. Statim fugiet dolor, si credere fas est. Sed non satis circumspecte hoc Crollius affirmauit. Nam scalpello isto non poterit dentis dolor curari, qui vulnus non est neque ex vulnere prodiit, sed iuxta principia hoplochristica, tantum ipsum vulnus ex quo sanguis exceptus est. Hoc autem non est sanare, sed vnum malum geminare, nisi forte dolor ideo cedit, quia per scarificationem cum sanguine humor transfertur, qui erat caussa doloris. In aliis autem caussis, neque per se, neque per accidens iuuare poterit. *Gomphum quo impacto altius in viuum equus claudicat non indigere hoplochrismate*, sciunt mulomedici, qui vel abiecto, vel in lardum infixo per obligationes, & pulmenta sua equum compendio curant. *De omnibus sanguineis & carneis pronunciatio*, est imperitorum hominum commentum. Mirum si Crollianus aliquis aut Paracelsicus pulicis vulnus suo vnguento sanauit. Quorsum etiam sanguinea & carnea esse oportet, Si dens excarnis & exanguis aliena carne, & sanguine assumto sanari potest? Ita omnia exanguia sanabuntur, etiam ossa, cartilagines, ligamenta, membranæ; & ex consequente in proprio sanguine parua erit fiducia, quod etiam ex equi læsione constat. Nam hic non iubetur vulnus renouari, & nihil habetur de sanguine, qui etiam sæpe non apparuit, in neruosa duntaxat infixo clauo. Cadit ergo magnum illud supercilium de *sympathia magnetica*, quia si inter sanguinem proprium vulneris, partem affectam & vnguentum non est, nulla est, & falsi insuper etiam arguitur constellationis prætextus. *Sunt præterea nonnulla etiam circa praxin vnctionis annotanda*, aliqua in teli repositione; nonnihil in diuinatione de obedientia ægroti, & *pars quoque mirifica in doloribus ad libitum mouendis per aliquot milliaria absenti*. Si vulnus sit ingens, & necessitas vrgeat, Crollius vult *indies vngendum telum esse* semel. At secus de lignello præcipiebatur, quod manere in suo vnguento debet vsque ad completam sanationem etiam immunis vulneris. Si hic nihil obstat, quid ibi? Dissensus tamen hac in parte est inter vnctores. *Si non est magnum vulnus secundo vel tertio die sufficit vnxisse.* Quidni semel circa quadrantes Lunæ, seu septenis diebus? Hoc enim erat rationabilius, nisi forte melius sit alia industria sanasse, & telum in profluentem abiecisse. At Deus meliora. Nam, vti indicant hoplochristæ, tunc magnum damnum inferretur ægroto. Etenim delibutum liquamine telum est seruandum in mundo linteolo, loco tepido (quod non intelligeres, nisi adderetur) non nimis calido. *Cauendum quoq; ne puluis in telum cadat, & ne in loco frigido ventus afflet: alias patiens redigeretur ad insaniam.* Frustra hæc præcipi dicas. Nam si æque feliciter fit sanatio per lignellum in vnguentum intrusum, quorsum ista obseruationum sanctimonia? Vide tamen ne ingens telum ad se inuoluendum non linteolum requirat, sed velum satis amplum. Quorsum etiam quæso puluis & similia noxam inferant, cum alias pugiones cruenti, gladii, cultri, acus, globi & similia absque cura in quouis loco possint esse, nec inde quicquã amplius ad vulnus perueniat mali? Cur tanti sit sanguis vel ichor paucus in telo, cum is quem terra sorpsit, aut qui in lapidibus, aut aliis rebus concreuit nihil possit? Ecquis autem patiens telo afflato à frigidis ventis & puluere ad insaniam est redactus, si absque alia sit caussa? *Dolor*, inquis, *excitatus eum sui atrocitate in furorem vertit.* Itane? At omnia symptomata poterat vnctum telum auertere. Tam paruarum est virium vt à flatu venti alteretur, vertaturque in morbi carnificem? Quid futurum censes si per tot milliaria traducendus est sanatiuus spiritus qualibet tempestate? Sed & finge dolorem excitari: Cum prosit contra Odontalgiam, statim arripiamus scalpellum, & circa vulnus fodicemus; posteaque illinamus siccato sanguine illud ipsum. Confestim sedabitur dolor. Sedato autem hoc insania euanescet. Sed bene se res habet, quod in omnibus talibus experientia sapientum desit. Vulgi stulta credulitas, & opinio neminem peritum & sano cerebro vtentem potest dementare. Ita se habet & illud quod de dolore ad arbitrium mouendo referunt. *Si fit, incantamento magico fit.* Si non fit, temeraria est iactantia. Quod autem ex accidente & fortuito accidit, regulam non facit. *Quando in defensorio apparent maculæ sanguineæ* inquit Crollius, *non recte se gerit ægrotus: si non apparent, recte.* At nihil mirum concretum sanguinem humido vnguento resolui. Cur autem tunc non mors pronunciatur, vt paulo ante? Nempe hæmatites & santalum non erant adhibita, quasi hi essent sequestri mortis. Verum ad insipientia, seu stulta satis prolixe dictum est: Et ne id quidem factum foret nisi grandes medici à sapientum iudicio ad opinionem & dementiam vulgi, & mendacissima commenta, magiamque Paracelsi defecissent. In eo numero est & *Iohannes Baptista* Porta, qui *libro* 8. *magicæ cap.* 12. etiam ipsum vnguentum descriptum exhibuit fere eo modo, quem *supra* ex Weckero reposuimus, nisi quod vbi hic scripsit: *Ol. lini* ℥ij. *ol. rosarum boli armeni an.* ℥j. ibi Porta habeat, *olei lini, Terebinthinæ, boli armeni ana vnciam. Omnia simul in mortario terantur, in vrna oblonga & angusta seruentur. Immerge ferrum in vnguentum, & ita relinquatur. Aeger mane sui ipsius vrina eluat vulnus, nulloque addito deligetur, & sine dolore aliquo sanabitur.* Hæc Porta. Longe diuersa est huius descriptio à Crolliana; Et tamen vterque scriptor suam formam refert ad Paracelsum. Ita enim ait Porta: *Vnguentum armarium, Græcis ὑπλόχεισμα dictum, olim à Paracelso Maximiliano Cæsari datum, & ab eodem expertum, maximeque carum ab eo habitum quandiu vixit, cuius aula nobilis mihi communicauit.* Hæc Porta. Crollius, qui in aula Rhodolphi nunc Imperantis vixit, simpliciter ad Paracelsum refert. Vtri fides maior? Potest fieri vt in aulam imperatoriam etiam hæc vanitas irruperit. Maximè enim aulas perscrutantur illustres obscuri isti vnctores, vt inde suis fallaciis colorem, autoritatemq; concilient, si nõ ab ipsis Dominis, saltẽ à Satellitio, quod interdum etiã aduersa Dominis magni æstimat. Verum quod ait Porta vnguentum id Maximiliano Cæsari datum fuisse, vel totum vel magna parte falsum est. Nam *Paracelsus mortuus est imperante Carolo quinto circa annum Chr.* 1541. *die* 24. Septembris. Maximilianus Cæsar factus est post

Odontalgia an per hoplochrisma sanabilis.

Læsio equi per clauum.

In Vnguento teli sanguinem non esse necessarium.

Vnguenti modus.

Teli custodia.

Ioh. Bapt. Porta Vng. armarium.

Non videri Maximiliano Cæsari hoplochrisma à Paracelso esse traditum.

Fer-

Ferdinandum fratrem anno 1565. Tradidiſſet ergo Cæſari formulam anno 24. poſt mortem, niſi fortaſſe vt in Theſauro gloriatur *ſe viuum in veſtibulo inferni cum Auicenna diſputaſſe*, tunc ex aueruo ad Cæſaris aulam rediit: Nec dici poteſt Bohemorum regi oblatam eſſe. Regnum enim id Maximilianus nactus eſt anno 1562. Ex Epiſtola Iohannis Cratonis ad Thomam Eraſtum conſtat Paracelſum in Bohemiam & Auſtriam ex Heluetia euocatum poſt *infelicißimas ſanationum attentationes fugiſſe in Hungariam*, indeque Viennam rediiſſe ad Ferdinandum tunc Vngarorum, & Bohemorum Regem, cuius beneficio Cromauiæ relictos libellos, quorum aliquos ebrius vomuerat potius quam dictauerat, recuperarit: Imperatorem ipſum (qui factus eſt mortuo iam Paracelſo an. 1558. Carolo fratre abdicente) nominaſſe eum *mendaciſſimum, & impudentißimum impoſtorem*, qui cum doctis etiam à rege iuſſus noluerit conuerſari, aut colloqui, quod relinqueret eis ſua, nec vellet diſcere; vnde rex eum neglexit. Fortaſſe dicendum eſt Maximilianum (*d*) nondum nec regem, nec Cæſarem in aula fratris ab eo accepiſſe ſchedulam: Verum cum formulæ tantopere diſſideant, hoc quoque argumentum inutile redditur. Vti Porta ſcribit, *nulla requiritur teli coacti*, ſed immerſio tantum. Vnguentum ergo appellatur à forma potius quam ab vſu. Vnctores autem Paracelſici qua cum religione & ſuperſtitione vngant patet ex Crollio.

Vſnea. Perinde etiam eſt Portæ ſiue telum ferrum ve quo vulnus eſt factũ, afferatur, ſiue lignum cruore eius pollutum. Hinc perit nomen vnguento armario, & hoplochriſmati. Capit *vſneæ ex Caluaria in aere* relicta (nimirum non ſepulta aut humata, ſed, vt in locis ſuppliciorum fieri ſolet, aeris tempeſtatibus expoſita) duas vncias. Vnde quæſo tantum corradendum? An vnquam Paracelſus muſci ſontium tantum eſt adeptus? Cæteri intellecta difficultate hanc medicamenti baſin vel ad auellanam vnam atque alteram redigunt, vel contemnũt.

Nicolaus Bruno *ſcribit*, pharmacopolas Caluatiam in loco humido, ſeu vapido reponere, & ibi relinquere donec muſcus enaſcatur, cuius puluis ad ſanguinem ſiſtendum adhibeatur. Citius nimirum in vapida cella, aut crypta muſcus oritur, quam in aere varie affecto. Veruntamen etiam hic peregrina humiditas & non vt mentiuntur Paracelſici balſamus inſitus cauſa eſt. Itaque facile poteſt à formula abeſſe, licet pro baſi ſit poſita. Iungitur ei *par adeps humanus*: quod arbitramur ideo fieri vt vſnea illa mucida & ex ſitu contracta ad craſin humanam adducatur: quo ſpectat etiam *ſanguis humanus*, niſi fortè hic eſt cacochymicus, & morbifer, vel corruptus; & cadauerosus.

Sanguis humanus.

Quid autem alias ſanguini humano tribuatur, ſcripſimus in *cruentatione per latronem, aut ſicariorum interempti*, apparetque ex læſionibus ſanguinis per morſum animalium, & venenationem. *Sunt qui ſanguinem ex vena per phlebotomum extractum vino miſcent, & deſtillatione ſpiritum ardentem conficiunt. Hunc incenſum negant extingui niſi morte eius cuius fuit ſanguis*, quale quid dicunt etiam de arbore à quodam in iuuentute ſata, cuius tabes, aut caſus portendat ſatori ſuo mortem, vti comprobatum credunt exemplo imperatorum qui *triumphales lauros* ſeuerunt, & in his ſuæ vitæ fata explorauerunt. Per *mumiam* quod intelligat Porta non eſt difficile iudicatu, ſiquidem Paracelſicum debeat eſſe vnguentum.

Lumen fatale. *Arbor fatalis.*

Humida accipi non poteſt iam ante poſito ſanguine, niſi velis cadauerosum illud liquamen quod in ſepulcris ex tabe cadauerum, & vnguentis confluit. Siccam autem ſiue tranſmarinam ex ſepulchris Iudæorum & Ægyptiorum in qua ſæpe bitumen conſpicitur, non ſemper myrrha, & aloe Nicodemi (neque enim tanti hodie condiunt,) ſiue ex ſuſpendioſis aut alio modo per vim interfectis plærique Paracelſici captant, & mirabiles inde medicinas promittunt, quanquam Dornæus ſcribat *mannam eſſe Paracelſo mumiam tranſmarinam, & mumiam conuerſam liquorem mumiæ*, alias ſignificare *humanam carnem balſamo conditam*, & aliam quàmuis ex cæde medicatam. Ita *mumia medullæ* pro ipſa medulla appellatur. *Oleum Terebinthinæ* ad ſanandum commodius eſt roſaceo: Et quorſum oleum lini ad vulnera omnia, etiam membranarum, neruorum, oſſium, capitis, aliorumque ſiccorum? Vbi vero illi adipes & cerebra ex apris, vrſis, verribus? Fabuloſum eſſe vnguentum ex his ipſis eſt conſpicere.

Qui enim poteſt conſtellatum & ſympatheticum tanta varietate permanere? Melior, & tam rationi, quam experientiæ congruentior eſt alter ſanandi vulnera modus, quem idem Porta per potiones vulnerarias ex herbis (Pyrela, agrimonio, Ariſtolochia, conſolida aurea, Parthenio, cyclamine, ſanicula, alchimilla) & vino peragi docet, ita vt elixatæ herbæ vulneri ſimul adiecto ſale pauco apponantur. Horum auxiliorum in noſtris aduerſariis non paruam habemus copiam. Intra diem ſanare vulnera hoc traditur, quod capit *Galbani, maſtichis, thuris, Gum. arab. bdellii ſingulas ſemuncias: Terebinthinæ ſeſeunciam, ol. oliuarum libram. Pulueres gummatum aceto roſaceo per triduum macerantur: Deinde additis oleo, & Terebinthina totum lento igne coquitur, rudeque ſemper agitatur. Ablata ab igni, & refrigerata offa inditur puluis æruginis decem drachmarum.*

Balſamus vulnerarius intra diem ſanans.

Aliud ſtillaticium:

Myrrha, ſanguinis draconis veri, thuris, opopanacis mumiæ, bdellii, Gum. ammoniaci, ſarcocollæ, carpobalſami, croci, aloës, macis, Gummi arabici, ſtyracis liquidi ſingulæ libræ (per crocum intellige radicem Indicam quæ curcuma dicitur) *Terebinthinæ libras* 14. *vel ad pondus omnium* (quod tamen poteſt exactius diſcribi. Neque enim videtur par omnium quantitas rectè capi.) *Arida per ſe trita cœteris incorporentur: Gummata vino ſoluta commiſceantur, tandemque omnia in veſicam æream coniecta, perfunduntur aqua calida, & macerentur octiduo, vel longius. Inde deſtillentur. Exibit aqua primo loco, poſt oleum, quo apparente igni aucto conceptaculum mutetur. Si ſuccedit ſpißum liquamen, & mater balſami, iterum mutari debet recipiens, ne confundantur.*

Faci-

Facilius hoc est, quod in mensura spiritus vini vnciam aloes soluit, & solutum per plagulas imponit: vel hoc, quod *Asam fœtidam, Galbanum, serapinum & ammoniacum solute vino, & solutionem oleo hypericino, vel balsamo sulphuris camphorato coquit ad vini consumtionem, & in vsum venire sinit liquorem purum fecibus separatis.* Aliud. *Herb. hyperici, eburis singuli sextantes: Carduiben. radicum Valerianæ singula vncia, contusa crasso modo, & in ollam coniecta perfundantur albo vino, vt mergantur omnia. Stent in infusione per biduum. Adde ol. vetustiss. quadrantem. frumenti integri sescunciam. Coque ad vini consumtionem. Mox forti expressioni admisce bessem Terebinthinæ. Cocta parumper ferueantur. Cum vti voles, vulnus albo vino ablue: Deinde oleo calente vnge, vel per siphunculum immitte. Labra vulneris iunge sutura, vel glutine, vel ligatura decente. Vnge & partes in circuitu, & linteo intincto eodem oleo tege vulnus: mox aliud linteum superpone, quod vino nigro sit imbutum, tandem fascias inducito.*

Aliud.

Cancros viuos cum ouis suis numero 24. contunde in mortario, & succum exprime torculari. Adde sebi hircini veteris, lapidis calamin. in lauorem reducti, aluminis vsti, æruginis singulas semuncias: Terebinthinæ sextantem: ceræ citrinæ, Lithargyrii singulos trientes: sang. hirci tres drachmas: Mastychis thuris, tormentillæ, Aristoloch. rotundæ binas drachmas, Galbani sex drachmas: olei ex oliuis duas libras. Cocta per dimedium horæ colentur, & in Sole apricata aliquandiu misceantur ol. spicæ, iuniperini, petrolei singulis semunciis. Vnge vulnera, vlcera, tumores per pennam. Deinde impone linteum aqua simplici madefactum, & obliga secundum artem. Auribus quoque illinitur contra *surditatem.* Eiusmodi medicamenta habentur etiam apud *Marcum Camillum Ferrarum*, aliosque multos. Istis si addas artem chirurgicam ipsam & solertiam per experimenta manuaria, habeasque *punctorium* illud *gloriosum Crollii, & catagmatica*, sanationem arte peregeris fideliter, nec opus erit ad stultitiam Paracelsicam, & vulgi opiniones ineptas confugere. *Decem* formulas hoplochrismatis supra proposuimus. Eis accessit vndecima Iohannis Baptistæ Portæ.

Est & duodecima, quam nobis suppeditauit Pancratius Gallus M.D. & illustrissimi Iohannis Ernesti Ducis Saxoniæ archiater. Capit *axungiæ vrsi maris; apri syluestris maris singulos sextantes, quibus purgatis, & lento igne dissolutis adde santali rubri, hæmatitis præparati binas drachmas: Lumbricorum terrestrium præparatorum vnciam. Musci de hominis cranio didrachmum, consolidæ maioris, seu radicum symphyti maioris, colcotaris singulas semuncias. Pulueres subtilissimi longa subactione misceantur cum axungiis ad formam vnguenti.* In hac forma pondera sunt diuersa, & sigillatim addita symphytum, & colcotar. Istis autem compositionis temperamentum mutari nemo prudentium diffitetur. *Duodecima forma hoplochrisma.*

Decima tertia forma.

℞ santali rubri, hæmatitis an. ℥ß. vsneæ humanæ ℥j. (vel auellanæ quantitatem) *Pul. lumbricorum terræ quantum oui acetabulo potest capi. Adde adipis taxi seu melis bestiæ vrsi maris, apri masculi, singulas selibras. Axungiæ purgentur vino rubro, deinde liquatis cætera incorporentur.* Hic meles sympatheticam vel vitiat, vel complet pro libitu Paracelsistarum. Si vellemus cæteras passim dissensiones corradere, in multas paginas excresceret tractatus. Illud notabile est, quod quidam velint spiculum, telum, bacillum, aut instrumentum vulneris inflicti debere condi vnguento, & si extrahatur ob admissum aerem distemperatum, dolorem creati ægro. Si hoc ita est, quo modo dolorem effugient, qui linteolo saltem tegunt, per quod aerem allabi nihil vetat? Ita & quoties denuo vngitur, toties dolor excitabitur, eritque bella sanatio. Crollius ponit in magno vulnere vnctionem quotidianam. Gabelkhouero satis est ternis diebus fieri repetitionem, idque rationabiliter. Nam metu hæmorrhagiæ & dolorum, item vt constantior sit consolidatio, & vbi necesse est etiam incarnatio, præsertim nullis sordibus & purulentia apparente tarde aperire læsionem, atque ita etiam tarde linere conuenit. Si indies velles fracturas & magnas solutiones resoluere, augeres, non tolleres morbum. Est à vulneribus translata vnctio etiam ad *contusa*, quæ eodem modo putant sanari posse. Succurrit hic illud apud Plinium *de delumbatis lib. 28. c. 4. Si quē pœnitet ictus* (inquit) *cominus, vel eminus illati, si statim expuat in manū qua percussit, leuatur percussus à pœna, idque probatur* (fustibus) *delumbata quadrupede, correcto statim ab isto remedio animalis gressu.* Si hæc vera putamus, vnguentum istud phantasticum foras quatiatur cum suo myrepso. *Quædam saga non vngebat locum affectum, sed pro eo nummum crucis figura* (vnde cruciatus dictus) insignitum, & admurmuratis verbis sanationem promittebat. Referas hoc ad magorteonicam & characteristicam Paracelsi, & magiam Niddani. Quis non existimet à sagarum, & Zygenorum instituto profectum esse etiam illud hoplochrisma? Si Paracelsicum est, verisimile id est. Nam non tantum à carnificibus, barbitonsoribus, vetulis & aliis is suam sordidam medicinam compilauit, verum etiam ex mysteriis sagarum extraxit, nec veretur vel à Diabolo medicinam petere, quod & hic cogatur homini prodesse, nempe ad tartarum eo facilius adeundum, cum sit mendax & homicida ab initio. Ita vero cogit Diabolum saga apud Lucanum: *Tisiphone, vocisque meæ secura Megæto*, &c. Ita Iuno Virgiliana: *De dolore.* *De lumbatorum cura & depalmatorum.* *Cruciati nummi vnctio.*

Flectere si nequeo superos Acheronta mouebo.

Ita hodie quoque maleficæ & malefici Diabolum sciunt characteribus & verbis in sui seruitium compellere. Sed qui sapiens & pius est medicus ab ista Paracelsia abstinebit, sicut & à *Rist*, & *R ß*, & *Staraphaxat* (e) Paracelsicum omnibus speculis, nummis, gemmis aliisque magicè constellatis, si velit diuino officio fungi. Recte Paræus dicit, impostores per Germaniam vagari, qui per telum vnctum sanationem promittant, in hoc saltem improuidus *quod in Bohemia non viderit Crollium, in Italia Iohannem Baptistam Portam* & fors nonnullos etiam in Gallia. Germanis frequentius illudunt nefarii Paracelsistæ, & magi propter simplicitatem, & integritatem fidei Germanæ. Dementiæ eos damnamus, qui cum videri velint in Germanorum Academiis aliqui esse, vesaniæ Paracelsistarum se totos consecrant adeo vt minitentur etiam contra Libauium aliquid rerum. Hic Rhodos: hîc salta demens Paracelsista. Inuenies viros.

(a) Ita credunt quidam Paracelsici: sed qui in Aegypto fuerunt negant, quia omnis Aegyptia mumia sit ex sepulchris defunctorum: & si qui in arenis pereunt, non redigantur in mumiam.

(b) Est in quorundam studiosorum manibus liber Picatris, quem volunt temporibus Alexandri Magni (fors magi) scriptum Arabice mandato Alphonsi Arragonii in Hispanicum versum, indeque in Latium traductum. Is facere iubet constellatas imagines & varia sigilla ad felices vrbes faciendas, capiendos pisces, curandos morbos, mala inferenda, legatos impediendos, &c. Alius est liber Arbatel: Alius impressus Parisiis Arresius: alius à Cardano in varietate in summam contractus, &c. Hæc omnia vna Paracelsia comprehenduntur.

(c) Defensorii nomen tribuitur omni, quod inungendum sumitur, etiam pro tele, quasi defendat vulnus à malis symptomatibus & morbo.

(d) Maximiliani II. medicus fuit Bartholomæus Carrichter, de quo constat quod de herbarum lectione multa superstitiosa commentus sit: veluti; vt Card. bened. catarrhos sistat, fodiendus in vigilia Ioan. Baptist. post Solis occasum, retrocedendo: Adianthum aureum & flos auellanæ medio Maio ante ortum Solis lecta, resistunt incantamentis. Item: artemisia alba lecta Sole in geminis existente, si coquatur aqua secundo flumine hausta (quia incantatio sit aduerso) & potetur; item valet contra magica carmina. Tunc fortasse ad aulam venit illud quoque vnguentum titulo Paracelsi.

(e) Istis stultitiis hæmorrhagias & synouiam sistunt Paracelsici. Alia vide apud Paræum in introductione ad chirurgiam cap. 24. & lib. 24. cap. 17.

Adhuc hypomnemata medica.

Deo Optimo Maximo Honor & Gloria.

D. O. M. A.

D. O. M. A.

APOCALYPSEOS HERMETICÆ

Pars Posterior, quæ est

DIVINATIONVM HERMETICARVM HEPTAS.

H. E.

Andreæ Libauii M. D.

Naturales & artificiales coniecturæ de Hieroglyphicis, Ænigmaticis, symbolicisque sapientum philosophorum in opere Hermetis locutionibus.

Ad Tyronem chymicum manu in penetralia Magiæ philosophicæ & mysticæ de medicina Catholica ducendum:

Per septem artificum posteriorum cum priscis conuenientium:

Tractatus concordes, quorum quidam pridem in lucem emissi, quidam nuper ex latibulis extracti cum explicatione scholastica reponuntur:

SALVO SEMPER IVDICIO SAPIENTVM ET peritorum cum libertate ingenua.

Ee 2 PROOE-

PROOEMIVM

Ad Lectorem.

QVI *volit olea per dissolutionem facere*, inquit Mesues, *illum oportet cum sapientibus conuersari, ipsumque magni magisterii opus aggredi. Nam per disciplinam, & exercitationem habitum acquirimus, ad bene præclareq; efficiendum, quod proponitur.* Est quidem in hoc summa rei, & optimum in doctrina proficiendi compendium, si cui periti, sapientisq; & fidelis magistri copia sit præsto. Huius enim viua vox penetrat & hæret altius: ab hoc discere potest, si quid ignorat: huius facilitate recolere, ruminare, & amplius indagare, quod vel excidit memoria, vel difficultate aliqua est implicatum: huius quoque manu in praxin ipsam, operisque administrandi rationem sensitiuam ducitur, vt non tantum auditor sit, sed & inspector actionum, & administer laborum, in quo dum est, audit parabolismos, hieroglyphemata, allegorias, metaphoras, symbolismos, apologos, mysteriaque Hermetica, & simul etiam eadem materialiter in praxi videt, omniumque ordinem & modum præsens intuetur, nec tantum intellectu singulorum rationes contemplatur, verum etiam sensibus percipit, discitque, quo & quam partem magisterii respiciant, intendantque magistri, cum *Leonem viridem* dicunt, cum *rubrum*, cum *Salamandram*, *caput corui*, *Irin*, *Lac virginis* & alia innumerabilia, quanquam fieri possit, vt quod in laboratorio vnius magistri sic vocatum fuit, id in alterius chymæo aliter appelletur, id quod & idem discipulus discit multorum artificum officinas adeundo. Verum quam paucis contingat in sapientum consortia, & communionem operum admitti, narratio Bernhardi, & aliorum indicat, estque nostro seculo difficultas eo maior, quo plures passim occurrunt ex Paracelsia impostores, qui audent sibi secretissimæ artis notitiam falso arrogare, & non tantum discendi cupidos naso suspendere, verum etiam locupletes circumscribere, principumque aulas falsa iactantia implere, quorum culpa factum est, vt ars vera quoque male audiat, veri artifices lateant, & si quis philosophice de arcanis naturæ talibus differat, is apud neminem fidem inueniat. Extant in publico penè infiniti de lapide philosophorum, & magisterio sapientum tractatus, quamuis non omnes synceri genuinique, cum multi nothi, & sophistici passim circumuolitent. Ex illorum, qui sunt probatissimi, & artificium naturæ consentaneis præceptis complectuntur, lectione studiosa & frequente proficere posse non pœnitendo fructu discipulum, qui prius & seipsum iuxta Physicam anatomicam cognouerit, & generalem naturam diligenter sit scrutatus, (*Qui enim non est bonus Physicus, abstineat mentem & manus à nostro opere, nedum pecus Paracelsicum omnis naturæ ignarissimum, & rudissimum laudabiliter in eo versari & finem consequi possit*) monent sapientes non pauci.

Crassa minerua homines inepti sunt ad doctrinam de lapide.

Atqui & hîc quantum obstat impedimentorum? Qui in libris horum philosophorum versari conatur fructuose, eum oportet gnarum linguæ, & terminorum artis esse. *Hoc est orgiorum Hermeticorum principium, & prima ianua ex signis in res signatas, ex sensilibus ad intellectum, ex materialibus in formalia penetrandi.* Quis magister est tam facilis, vt hanc ianuá statim nobis aperiat, & monstret, quo modo ex labyrinto huius vestibuli possimus euadere? dictitát inculcantq; artem sedulo sed scienti. Inuersũ hoc est disciplinæ genus. *Docentur non ignari, sed gnari, non rudes erudiuntur, sed periti*, quasi subtilitate, varietateque operis tantum inter se certarent magistri, semperque alter altero videri vellet solertius, compendiosiusque laborasse, *non sic angusta existente laborandi via, vt nullam admittat latitudinem, aut digressionem*, cum etiam auctores ipsi promittant magnum & paruum opus, & magni compendia, vnde vnus citius ad finem peruenit, & peritius laborat, quam alter: Alius alio efficaciorem facit lapidem: Hic vniuersalem, ille particularem: hîc tingentem millia; ille decies millia. Iste scit, alius nescit multiplicationem, cogiturque sæpius ad initium reuerti, & medicinam de nouo præparare.

Cur chymici peritis seu scientibus se scribere dicant.

Varietas artificum in chymia lapidis.

Ista sunt scientium inter se certamina, & oblectamenta: sed quid de nescientibus, & tamen scire desiderantibus? Quid his prodest sic locutum esse, vt intelligat nemo, nisi sapiens & peritus? Atqui & rudis euadere peritus ex imperito cupit. Sepositis itaque ænigmatibus, & symbolismis etiam nudè & plano sermonis genere populariter dicendum est, quod mente intendimus, donec consuetudine terminorum artis discipulus Parabolas intelligat. Discit tamen etiam, vt infans, cui rem ipsam ostendimus, addita statim appellatione, vt quam imaginem sensus, & intellectus perceperunt, ea etiam aliquo orationis signo, quod non minus in mente hærere quam rei Idea possit, communicationis per doctrinam caussa, denotetur. Prior modus interpretis est; secundus informatoris primi. Vtroque potest vti Tyro chymicus, perinde affectus, ac si apud barbaros ignotam linguam discere primum cogeretur. Nos aliquam ipsi obtulimus in cæteris libellis nostris occasionem, in quibus sæpe plana orationis forma enunciauimus ænigmata Hermeticorum, cuius studii specimen *supra* quoque in Quercetani parabolismis explicandis dedimus. Nunc autem *per modum diuinationis* quendam diuersorum artificum terminos æquiuoco vsu varios illustrare studemus. Neque enim obscurum est etiam in hoc magnam difficultatem esse, quod philosophi Hermetici *nec iisdem vtantur parabolis, nec eodem modo explicent easdem*, neque *permaneant in eodem terminorum significatu.* Hinc fit, vt dum putes magistrum loqui de initio operis, is re vera mentem intendat in medium vel finem, adeoque nescias, qua rota verseris.

Exemplo quodam præire imperitis volumus, non totum labyrinthum expedire: Inseruire filiis doctrinæ consilium est, non præscribere sapientibus leges. *Relinquimus cuique iudicium suum.* Sapiat quisque, pro vt putabit, se verum probare posse. Nostra sententia: sapientum ora, pectoraque recludere, vt melius apertiusque doceant, quæ nos *Stochasmo* quodam contingente

gente manifestare conati sumus, non erit indignum officiis, quæ pro nostro per Deum & à Deo tāgente proximo debemus. *Qui sapientior est, & rectius coniicere potest, is se intelligat ad idem humanæ societatis officium prouocatum esse, quem etiam rogamus, vt patiatur nostrum defectum; & à scopo digressiones sibi esse ad perfectionem incitamentum.* Trahimus autem coniecturas nostras partim *ex natura ipsa*, quantum nobis per Dei gratiam innotuit (libenter accipimus id, quod quidam de Sedinuogio gloriante, se nudam naturam conspexisse, dicebar, *vsque ad genua tantum*: Cum plena, perfectaque cognitio in hoc mundo ne Adamo quidem, aut Salomoni contigerit: Neque enim hic mundus perfectionis est, sed beatus ille, quem spe fouemus) partim *ex longa librorum, interpretumque lectione.* Aliquid contulerunt disputationes de Alchymia crebræ. Nonnihil sedulæ collationes rerum verborumque & exemplarium diuersorum præbuerunt. Vidimus & ea commentaria, quæ non ad quorumuis oculos peruenire possunt, prætereaque *nonnihil aggressi tum ipsi sumus, tum per alios procurauimus.* Neque tamen arrogamus nobis absolutam in his scientiam; nec quærimus, vt nostras coniecturas pro oraculis infallibilibus habeant lectores, modo hoc videamur consequi posse, vt alii, qui, quo modo nos intellexerimus sapientum dogmata, terminosque, viderint, exactius de iisdem cogitent, & ad hanc disciplinam illustrandam etiam suam operam conferant. Omnino enim in hoc sumus, *non vt aurum immensum faciamus, sed vt magisterium medicinæ, & gloria diuina, quæ ex miraculosa ista rerum inter se concordia, discordia, & transmutatione, non parum elucescit, gratia explicemus, doceamusque, Alchymiam ratione theorematum esse scientiam veram, & non inscitiam,* cuius ignominia merito laborant sophistæ, & deceptores: *ratione vero operum* laudabilium & vtilium *etiam artem præclaram*; & non inertiam, metosque verborum fumos, vti quidam argumento impostorum passim vagantium, maloque suo temeritatem luentium, arbitrantur. *Si scientia & ars est, methodica instructione, & disciplina, interpretamentisque solam carere, cum sit vna ex vetustissimis, indignum est.* Vidimus quosdam egregios chymicos in informationis campo desudasse; & in partibus nonnullis nonnihil præstitisse, veluti *Gebir metallica tractauit; Lullius extractiones proposuit:* multi destillationes arte quadam complexi sunt: Chymiam pharmaceuticam repræsentauit *Quercetanus in spagyricis, & pharmacopœa,* exhibiturus secretiora *alio opere,* si vixisset. *Paracelsus per omnia* vagatus temere & inconsulto videtur, & chymiam latius extendisse, quam professio eius patitur, quo modo & alii chymiæ includunt etiam medicinam, aliis defectu peccantibus, *nihil chymicum agnoscendo, nisi quod chrysopœam* attinet. Inter ista studia contulimus & nos aliquid, quanquam conuitiatori palmatio, qui tamen melius parturire potuit nihil; non placuerit. Sed nec interpretandi officium negligendum arbitramur, cuius gratia hoc diuinatorium est susceptum, quod, vt cuiusmodi sit, LECTOR, intelligas, exemplo docebimus.

Coniectura de lapide. Vnde sumta.

Alchymia proba & scientia & ars est.

Paracelsi chymia.

Aenigma ex Barnaudo.

Est in Nicolai Barnaudi processibus secundus, in quo scribitur, *Ducem quendam senem DVENEO in conuentu procerum propter melancholiam profundam spretum, consilium iniuisse cum fidelioribus amicis, quo modo ab atri bilario temperamento se exuere, & sanguineum, quod est cæteris præstabilius, induere posset: amicos diuitiis ducis consideratis, vocandum Medicum PHARVT censuisse: Hunc, postquam venisset, à rege compellatum esse titulo scientiæ, qua naturas omnium & temperamenta viuentium nosset, eaque immutare posset, vt facile esset princeps Medicorum: exposuisse suum in orbe imperium, & latè sparsam progeniem: Se obrui perpetua melancholia Deorum impositu: velle gaudere, sed præ tristitia non posse: cupere à morbo liberari; quod si præstiterit Pharut ille Pæon: intellecturum ornamento & vtilitati id sibi fuisse: Medicum vicissim exposuisse rei difficultatem, & operis longitudinem, qua fere omnes falluntur qui ipsum studeant imitari: exegisse à duce obedientiam, & gratitudinem: Inde in cælo notasse conueniens tempus, quo Soli oppositus esset Saturnus: è Palatio ducis expulisse omnes, excepto quodam morione pusillo varicolore veste amicto, vt duci delicias faceret, seu eum recrearet: Inde correptum ducem induisse stola candidissima, & posuisse in mundum lectum, itaque texisse, vt non potuerit respirare, ne que fumo proxima fornacis necari: In eo lecto curasse ducem in angaria aqua limpida, diaphoretica seu hydrotica, vnde in fœtidos sudores, elatores tamen, & qui stolam candidam variis maculis tingerent, proruperit: His cessantibus, solutaque atra bile in vniuerso ducis corpore, cum moriunculo firmum parasse lectulum, in quo posuerit primum puluinar magnum ex aquila nigræ & iuuenculæ pennis: deinde ceruical ex plumis cycni: hac texit seu operuit linteo subnigro: Huc intulisse ex primo lecto leuatum ducem, eumque albissimo tegumento texisse clausis optime omnibus spiraculis, ne possit respirare: Ducem in hoc nouo lectulo calefacto Medicum eius corpus & pedes oleo fœtido inunxisse, donec tota atra bilis ab vniuerso corpore ad capitis verticem peruenisset: Ducem interim sæpe passum esse syncopen, indicio sumto ex colorum mutatione: Medicum postea os eius aperuisse & palatum niueum inuenisse: dulci rasorio atram bilem à capite, & albedinem à palato abrasisse: hinc non cessasse defatigatum inungere, donec videret atræ bilis radices vna cum splene extirpatas: Postea tertium parasse lectum, in quo reposuerit mortuũ corpus ducis, idque aqua, oleo & sulphure suo mistis viuificasse: à quo dux viderit se noua natura sanguinea indutum, turpique melancholia exutum esse, nactum potentiam supra omnes suos commilitones* Hoc est ænigma Hermeticum, in quo explicando propositi nostri modus est monstrandus.

Aqua limpida stola regis.

Non solius naturæ opus describi, sed vnà etiam artificium, quo dirigitur gestio naturæ, positum esto. *Duo ergo agentia requiruntur, vnum insitum naturale; alterum externum artificiale.* Illud in materia est principium. Quare materiam naturalem simul cognoscimus. *Pharut* cum suo seruulo est artifex Hermeticus: Materia, in qua simul naturale agens, nomine DVCIS cuiusdam proponitur. Vt intelligas, cuiusmodi sit, finem operis intuere. *Est artificium metallicum, per quod argenti viui & imperfectorum metallorum defectus ad perfectionem auri vel argenti volumus perducere, idque per medicinam seu tincturam, vel semen ex ipsis perfectis elicitum, & sic exaltatum, vt in momento proiectionis transmutet, faciatque aurum melius naturali, aut saltem æque bonum.* Hoc cum sciamus, & in opere hoc nihil debeat esse peregrinum, sed omnia homogenea & familiaria ita, *vt natura lateat natura, cumque ea indiuulse manere possit:* apparet ex consequente, metallicam potentia esse debere primam materiam, quæ post ea ad metallum certum per semen certi disponatur. *Metallicum autem potentia, & simul aurificum nihil est, nisi mercurius hylealis,* qui post debitas præparationes idoneus redditus sit ad semen ex auro susci-

Pharut videtur à separatione & discessu animæ à corpore nomẽ habere significat & solitarium. Pharut à fructu & grano dici potest.

Chymia metallifica opus.

Dux. Duenec.

pietidum quod & cum suscepit, in primam materiam conuertit, mutaturq; simul ad determinatam auri potentiam. *Dux* ergo primum assumtus nihil aliud est, quam *Mercurius noster*. Is appellatur *Duenec*, aliquando cum adiectione *viridis*, vt designetur *Leo viridis*, qui deuorat Solem, seu est solutiuus auri. Dicitur *senex* esse, vtpote vetus ille in terræ mineris natus, & in mundi primordio à Deo creatus. Eidem accessus est ad conuentum *magnatum*, id est, *planetarum*, seu metallorum ordinem, vnde ab aliquibus et accensetur metallis. Sed in hoc conuentu est totus melancholicus scabiosus leprosus, Ideo contemnitur. Talis est *hydrargyrus*, vt in naturæ mineris gignitur, qui lauari quidem potest, vt externas sordes deponat: Sed hic sermo est de *profunda melancholia*, seu impuritate, quæ radici adhæret, propter quam est infimæ autoritatis. Nam *metallorum vltimum est argentum viuum*, si quidem in hoc ordine est ponendum, cum nō actu, sed potentia sit metallum. Hic mercurius crudus init consiliū cum fidelioribus suis amicis, quo pacto possit à melancholia liberari. *Amici isti sunt mineralia affinia argento viuo quodammodo*, à quibus recipitur, abluitur, purgaturq; & omnino ornamentum quoddam accipit, hoc est, *sal, vitriolum, alumen, halonitrum*, & similia per quæ præparatur adeo purè, *vt ex vulgari fiat philosophicus*, in pura seminali essentia, & spiritu refulgens. Hoc præstant ipsi amici per sublimationem, & aquas seu lauacra quædam essentialia. Verum nihilominus *crudam melancholiam intus in radice habet.* Est diues potentia. Nam potest acquirere tantam vim opum, vt argentum viuum & omnia imperfecta metalla in aurum mutet, suoq; possessori diuitias, & sanitatē largiatur. Non potest ex potentia in actum per se venire, etiamsi ab amicis consilium accipiat. Aduocandus est *Medicus*, seu magister artis peritus, qui sua ope Ducem iuuet. Ita autem simul requirimus, & gubernatorem præsidemque eius artificem, qui non est vir rudis & imperitus; sed Medicus summus, & primus, Deus in primis, & postea diuina gratia impletus, scientiaq; medicinæ, & naturarum instructus homo, qui debet omnium viuentium, seu aliqua virtute interiore præditorum, naturas & temperamenta scire. Nam *hoc artificium sequitur principia naturæ in animalibus & vegetalibus*, quorum temperamenta & mutationes, quo modo ex determinato fiat conuersio in determinatum, & deinceps perfectio, magister artis debet exploratas habere. Idem nouit etiam Ducis seu argenti viui naturam, & quantæ sit in metalla, aliaque potestatis, & quam latè quoque per totum mundum mercurialia sint dispersa. *In quo enim mixto non inuenitur mercuriale principium*, idque iuxta species varium? *Est autem à Deo imposita ipsi melancholica tristitia*, seu: *argento viuo talis natura contigit per Dei creationem* vi stellarum, vt sentiunt Hermetici, qui inferiorum generationes ad planetas, Deos illos platonicos, referunt. Propter impuritates connatas quodammodo inuisus est metallis. Nam licet plumbum, stannum, argentum, & aurum, amalgamari cum argento viuo possint, tamen ob sordes non intimè vniuntur, sed leui negotio secedunt. *Vellet gaudere*; id est, argentum viuum dispositum est, vt possit idque obsequenter emundari: *Sed continuus, isque tristis motus obstat*. Argentum viuum æternus quidam liquor est, qui continuo motu agitatur, quasi animatus esset, vtpote spiritus agitabilis. Sed mouetur in impuritate sua insyncerè, quasi per affectum mœroris. *Inquietus est mercurius, & lachrymis deplorat sui contemtum, & tabem*; quibus verbis putamus argenti viui stillicidia, & in guttulas roresque distractionem, & volatilitatem designari. *Poscit à Medico vt ex intemperato faciat temperatum*, seu ex qualitate humida frigida ad auri, quod temperatissimum dicitur, licet intus sit etiam feruentissimum, complexionem adducat, quo opere, & ornamentum, & emolumentum sit accessurum magistro, qui sua arte per tincturam opulentus fieri potest, & honoratus. Hic Medicus opus aggreditur quasi imperio coactus, licet graue, seu arduum

Opus lapidis difficile.

sit, longumque & difficile factu, adeo, vt multos deceperit, qui temere voluerunt magistrorum literam sequi. *Eligit* autem *argentum viuum non quoduis, sed idoneum*, itaque in natura præparatum, vt obedire magistro possit, & ad perfectionem coqui; vnde sperari tandem & obtineri operæ precium, ne frustra laboret magister, queat. Ita repudiatur argentum viuum ex metallis, & imperfectis vitiatum: reiicitur quod in crudissimis, & impurissimis nascitur mineris: Eligitur fœcundo semine præditum, Hispanicum, Indicum Goritianum, Vngaricum, &c. Sequitur *operis procuratio* ipsa, in qua primum notabis *conditionem ducis*, Deinde *tres lectos*, quos ipsi ordine parat Medicus, & quo modo priores duos,

Tres lecti.

viuus, solusq; occupet, tertium mortuus, vbi tamen *à morte resuscitatur per aquam, oleum, & sulphur*, itaque perficitur, vt in sanguinea purpura resplendeat summam potentiam nactus. Hæc est dispositio *Trium operationum, vel Rotarum*, cum præparatione mercurii, ad lapidem rubeum prima vice perfectum, dissimulata fixione, augmentatione, multiplicatione, & protectione. Conditiones ducis Duenech, hoc est, mercurii nostri sunt *ita sese habere ad tincturam solarem, vt se habet Saturnus Soli oppositus.*

Saturnus chymicorum seu plumbū. Conditiones mercurii philosophorum.

Est autem *Saturnus* chymicorum nihil aliud, quam mercurii nostri frigida & humida constitutio, ex qua per intermedias crases fit mutatio ad contrarium, quod est calidum siccum, Leoninum, solare, virile, aureum: (auri interiora sunt calida sicca: foris censetur temperatum.) Hanc constitutionem cum habet argentum viuū, est prima materia, ex qua ordine consequuntur dispositiones, sicut fieri etiam in natura aiunt, putantes nasci metalla sic, vt initio sint argentum viuum, mox plumbum, inde stannum, à quo duplex via, vna ad argentum, altera ad aurum, sed intercedente ære, vel ferro, quæ significantur virore & citrinitate mercurii in magisterio rubeo. Hæc vna est conditio materialis. Altera est *solum debere esse ducem*, hoc est, argentū viuum nostrum solū sine omni metallo, & alia re in vase

Stultulus Hermeticus.

nostro poni oportere, vt nihil peregrini intret, nec vllum minerale aliud. *Stultulus* relinquitur *varietor*, qui tamen Medici minister est ad lectum fouendum. Tunc enim lusus est puerorum, & vilissimus ministrorum potest balneū calefacere. In mysterio ille moriunculus dynamin variorū colorum notat. Omnia enim metalla corporalia excluduntur: at nihilominus eorum vires & notæ conspiciuntur varietate colorū inter coquendum. Istis recreatur rex. Nam *dum nigrescit, albescit, citrinescit, rubescit, oblectamentum capit*, & recreatur paulatim, seu renouatus exaltatur. Corpore solus est in sua domo, seu homogenea natura. Medicus tertiam conditionē addit, dum ei candidum operimentum seu *albissimum linteum* contra accessum aëris, & volatilitatem, inducit.

Hæc

Hæc est *nota mercurii crystallini*, niueoq; colore conspicui, qualis fit per sublimationem à sale & vitriolo ex argento viuo naturali fœcundo de minera. Verũ in hac veste non manet. Ideo collocatur *in lectum seu stratum mundum*, & cogitur per *angariam, seu pœnas ignis diffluere in aquam limpidã* sudorificã: hoc est: Mercurius crystallinus reduci debet *in vnctuosum liquorem, qui in aquam claram balneo vaporis deliquescit*. Reductio fit per tartarũ, & farinam opere descẽsorio. *Aqua illa clara* in suo vase infertur in sudarorium. Hic relinquitur sub signatura Hermetica. Ascendit, quod calore molli resolutum est, sudanta vitro, & descendit rursum quasi collectus liquor, qui clarus sit, tamen albam stolam ducis maculat, h. e. varietatem colorum introducit. Quid multis? *Motu reciproco densescere, & inspissari incipit*. Prodit simul *nigredo prima*, quæ atræ bili comparatur. Hoc est, quòd ænigma dicit, atram bilem in vniuerso corpore ducis seu mercurii solutam esse, vnde tandem prima coagulatio adhuc impura existit, in qua maculæ niueam vestem infecerunt. Ista est cura in primo lectulo, seu operatio, & rota prima, in qua mercurius noster solutionem, seu putrefactionem, & coagulationem primam est expertus, lentissimo scil. calore. Sequitur *lectulus secundus*, operatioq; & rota secunda. Eum Medicus parat cum stultulo, vt sit firmus. Secunda enim operatio etiam habet nigredinem, varios colores, & albedinem, sed hanc fixam, constantemq;, postquam est consummata. Est ergo hic lectulus simul fixatiuus, & exaltatiuus: In hoc primum est *puluinar ex pennis aquilæ nigræ iuuenculæ*, hoc est, Lapis primò opere coagulatus resoluitur, & includitur vasi suo, vt putrescat. Primum signum est *nigredo volatilis*, comparata pennis aquilæ nigræ: *Puluinari imponitur ceruical ex plumis cycni*: quod est alterum signum complexi Elixyris iã aërei & argentei. Intercedunt a. colores iusti inter nigredinem & albedinem completam: qui duo colores initio tecti latebant linteo subnigro: quia primi operis coagulatum non est plene album, sed subnigrum, at potentia totum nigrum, & inde candidum. Transfertur itaq; dux ex primo lecto in secundum, ibiq; istos colores experitur, *donec candidissimo tegumẽto opertus conspiciatur*, seu abeat in Elixyr niueæ albedinis. Clauduntur a. omnia spiracula, ne quid subterfugere possit. Nam mercurius dum soluitur, est volaticus, debentq; ascendentes halitus in vitro concrescere iterumq; destillare, donec paulatim condensati exiccentur, & cum inferiore parte fixa coeant in vnum corpus. Sic *Draco vorat suam caudam*. Processus exponitur his verbis: *Postquam in secundo lectulo dux est calefactus, Pharut corpus & pedes eius oleo fœtido obungit, donec tota atra bilis ab vniuerso corpore ad caput peruenit*. Dicere vult lapidẽ primum secundò positum in Athannore calente diffluere in speciem oleositatis, & primo apparere nigredinem in totu, sed eam paulatim abscedere, donec tantum in ima parte, vbi feces colliguntur, cõsistat. *Ibi enim est caput draconis, cuius vertex est medius punctus capitis iam mortui*. Antequam autem nigredo abeat in albedinem, mutantur colores, quæ res cum in hominibus syncopen aut lipothymiam patientib contingat, hic comparatur ei, quasi similis hic passio accidat. Interim, dum nigredo abit, albedo apparet, eaq; maxime intus. Hinc dicitur Pharut *palatum niueum ducis inuenisse*: Sed non reliquisse. Ille enim & nigredinem tollit, & albedinem, idq; coctione per calorem suaui, veruntamen acriore, vt conferri possit cum rasorio. Pergit coquendo, & inungendo fatigatum ducem, donec impuritatẽ omnem nigram cum suo fomento in totum sustulerit, quod tunc fit, cum Elixyr vi caloris continuatiex albo in rubeum peruenit. Ita exustus est rex & occisus, hoc est, *in calcem rubiam mercurius noster conuersus*. Hactenus lectus seu operatio secunda. *Tertius lectus est fermentationis, & reuiuificationis*: Item *coniunctionis seu matrimonii inter marem & fœminam*. Is lectus eadem habet puluinaria, culcitram, lodices: Nam & hic mutatio est elementorum & ex nigredine per albedinem in rubedinem progressio. In lecto ponitur dux *non viuus*, vt ante, sed *mortuus*. Etenim mercurius noster iam fixus est, & coagulatus nõ amplius viuus. Vitam tamen & volatilitatem recipere debet, neque hoc tantum, sed adeo validus, & nobilis reddi, vt omnia metalla vincat, & in aurum transformet. Viuificatur ergo *aqua & oleo misto sulphure non alieno, sed suo*, hoc est, metallico aureo. *Aqua* est altera pars mercurii præparati & seruati: *Oleum* est igneum Elixyr, seu rubrum: *Sulphur* est aurum, seu aureum fermentum. *Mercurius est spiritus ille mediator*, qui tincturas coniungit. Hoc soluendus est lapis ruber: Seorsim etiam soluenda calx auri. Solutiones commistæ imponuntur tertio in phiolam Hermetice signandam, & coquuntur in Athannore soluendo, & coagulando perinde, vt in opere secundo. Finis est *tinctura pyropi, & sanguinei coloris*, cuius vi argentum viuum, & imperfecta metalla transmutari in aurum possunt. Sed quia nondũ hoc consultum est, ideo repetitis solutionibus, & coagulationibus elaboratur amplius, & augmentatur; donec vna pars possit mille vel plures transmutare. Ista *medicina debet in igne fluere, vt cera sine fumo*, ingrediq; & tingere. Idẽ fit experimentum in lamella argentea, vel ærea candente. Si diffluit cum fumo, amplius coquitur & agitur: si non diffluit, siccior est iusto: Ideo reponitur in ignem & imbibendo inceratur, donec respondeat voto. Hoc est diuinationum nostrarum rudimentum & specimen quoddam, in quo ob oculos ponitur tota rei natura, & qua ratione ex semine secundum substantiæ & speciei similitudinem in matrice artis paulatim fiat conceptus, Embryo, & infans, qui vt crescat augeaturque imo vt & tener sit & amplissimum robur acquirere possit, nutritur sufficienter. Ita crescunt animalia & plantæ. Mundus sic est creatus, vt initio videretur totus aqua esse: Sed hoc principium erat sequentium ex materia prima creaturarum. Nunc ad heptadem ipsam accedimus.

Aqua hyleales nostra & 1. Lectus.

Sudores mercurii fœtentes.

Atra bilis.

Lectus & operatio 2.

Lectus 3.

Aqua, oleũ sulph. in matrimonio nostro.

D. O. M. A.

HEPTADIS HERMETICÆ MONAS PRIMA.

OPVS IOHANNIS AZOTHI Particulare.

Sectio I.

Sublimatio hydrargyri.

IN nomine omnipotentis Dei recipe vitrioli Romani libram: salis communis vncias decem. Contere vna subtiliter, & mitte in ollam fictilem vitratam amplam, poneq; super ignem lenem, vt incipiat mistura liquari. Tunc cape argenti viui de minera non imperfecti, puri, libram. Include panno gossypino: Exprime foratim super materiam liquefactam, & immissa spatha lignea munda agita, & subige, vt totum argentum viuum absorbeatur, & occultetur, nihilq; de eo appareat, sed totum in pasta lateat. Sine eam concrescere. Deinde exicca temperato calore furni per noctē. Mane materiam arefactam contere super lapide in puluerem tenuem, quem immitte in cucurbitam sublimatoriam imposito alembico cæco, qui in vertice foramen habeat, per quod baculum possis demittere. Iuncturas luto tenaci optime claude, ne argentum viuum exhalare possit. Cum resiccatum fuerit lutum, impone cucurbitam furno sublimatorio in catinum arenarium ita, vt non possit inclinare, sed recto situ maneat. Succende ignem lentum per horas 4. vt aperto foramine aquositas euaporet. Post auge ignē, vt mercurius specie alba emergat, & super fecibus appareat, id quod demisso ligneo baculo, cui adhærebit aliqua portio, cognosces. Si enim exiit ex pasta, in superficie insidet instar lanuginis spongiosa & niuea. Tunc extracto baculo foramen in alembici vertice claude diligenter, & ignem intende vt niuea materia in alembicum eleuetur, id quod horis quatuor contingit. Post hoc da ignem viuum ex lignis aridis, vt si quid in fecibus restitisset, ascendat, in quo ignis augetur etiam vsq; ad catini ignitionem. Demum sine refrigescere furnum per noctem. Mane detracto circumspecte luto, vas aperi, & sublimatum exime. Si est densum, ponderosum, & album, bene est. Si porosum, spongiosum, leue, collige, tero & remisce cum fecibus tritis, vel tanto sale communi praparato. Sublima vt prius. Si tunc fuerit mundum, recte est, & collige id caute. Si non: nouis medicaminibus (vitriolo & sale praparatis) adiectis tertio & quarto sublima, donec sit candidum, densum, graue. Ita enim poluerit abundantem humiditatem, & impuritatem terrestrem. Serua id munde.

II. De aqua vitæ seu forti.

Aq. viridis.

Cape vitrioli Romani lib. 2. aluminis calcinati tantundem: halinitri libram vnam. Contrita mitte in cucurbitam, & alembico rostrato addito destilla aquam fortem secundum artem, primo leni igni bene clausis iuncturis, deinde fortiore, tertio fortissimo vt alembicus rubefiat. Tunc cessa. Vide vt huius aqua libras tres aut quatuor adipiscaris.

III. Aqua Regis.

Aq. citrina.

In dicta aqua fortis libra vna solue salis ammoniaci clari trientem. Ex viridi colore aqua abibit in citrinū, & poterit aurum soluere, cutemq; flauo tingere. Soluit etiam cinabrium, sulphur sublimatum, & argentum viuum sublimatum. Serua in vitro veneto duplo, bene obturato extra calorem euidentem.

IV. Aqua Mercurialis.

Aq. mercurialis.

Cape aqua regis pracedentis libram vnam. Mercurii sublimati puri, densi, clari, ponderosi vncias sex. Aqua sit in cucurbita forti. In eam iniice paulatim mercurium. Iniecto, orificium obstrue fideliter ne virtus salis armeniaci effugiat. Colloca in cineres temperate calentes. Aqua mercurium soluet. Sine ita, donec non amplius soluat, quod cum videris solutionem effunde caute in ampullam firmam. Quod insolutum restitit, exicca, & perfunde aqua regis noua, vt & ipsum soluatur. Procede sic, donec tota quantitas sit dissoluta. Posteriores solutiones affunde priori circumspecte, non confertim, sed guttatim, ne efferuescant. Postquam coniunxisti, claude vitrum cera obturatoria, & serua aquam diligenter.

Fumus albus & fœtens.

Mater aqua vita.

Signum perfectionis est, si iniecta lamella cuprea argenteum colorem trahat: Et si in aere frigido coagulet seu in glaciem mutetur, sique super pruna emittat *album fumum & fœtentem*: Item si pōderosa est valde. Vocatur *aqua vita mater, & omnia corpora metallica in mercurium, seu primam materiam reducit.*

V. De aquæ mercurialis purgatione.

Aquam mercurialem in cucurbitam longi & angusti colli infunde. Pone in fimum equinum bene digestum in dies 14. clauso exacte vase. Sine ibi in putrefactione, & feces ex aqua corpore separata ad fundum vitri concedent fietque aqua flaua ex citrina. Extrahe postea vitrum ex fimo, & transfer in furnum cineris. Impone alembicum cum receptaculo bene lutatis iuncturis. Destilla igne lento. Exibit aqua clarissima ponderosa, quæ hoc in opere appella-

Aq. flaua.

Lac virginis in particulari.

tur lac virginis, acetum acerrimum, aqua perennis, &c. Continua ignem, donec totum liquorem olarum eduxeris, quo facto ignem minue, & furnum sine refrigescere. Aquam serua. Signum perfecta est, si gutta in laminam aeream candefactam imposita statim penetrat, relicto vestigio albo: Emittit item *fumum album coniecta in prunas, inque aere in glaciem congelascit. Inter destillandum quoque gutta propter grauitatem non eadem, sed diuersis viis decurrunt.*

Signa perfectionis in aqua mercuriali.

Prætetea non agit in corpora metallica more aquarum fortium operatione corrosiua: sed re*soluit ea in materiam primam, qua est mercurius.* Nam per putrefactionem, & clarificatoriam destillationem ab omni

omni igneitate sulphurea, & corruptione corrosiua est depurata, vt non amplius in aquam corpora deducat, sed in mercurium, idque vi mercurii puri, quem recepit. Non habet feces turbulentas & terrestres, quia omnes fuerunt per destillationem sublatæ, omniaque impura segregata, retentum autem solum clarissimum, optimumque. In fundo destillatorii remanent feces nigræ. Color aquæ est clarus, & flauens. Serua eam accurate ad vsum soluendi corpora metallica in mercurium.

VI. Solutio corporum in mercurium.

Sit exempli loco *argentum. Hoc pure fulminatum, & repurgatum redige in scobem elimatam, vel folia per bractearum. Hac contere cum sale præparato in marmore, vt puluis exactus fiat, quem aqua calente ablue ab omni salsedine. Deinde exicca: Exiccatum pone in concham: imbibe oleo tartari. Reficca. Imbibe iterum & reficca, idemq; fac tertio. Tandem arefactum tere in calcem, & mitte in concham, vel phiolam, aut cucurbitulã. Affunde aquam mercurialem ad altitudinem duorum digitorum. Clauso vase pone super ignem lenem in cineribus. Tunc aqua mercurialis vertet calcem in mercurium. Si tota non est conuersa, effusa priore aqua cum mercurio, affunde nouam, & procede similiter. Aquam circumspecte effunde in aliud vitrum. Mercurium mitte in patinam vel calicem vitreum. Affunde aquam salsam, & ablue, vt mundus euadat. Tunc exiccata humiditate exprime eum per pannum lineum. Si totus transit, bene. Si non: aliquid erit insolutum. Hoc mitte in concham priorem, aut cucurbitam. Affunde aquam mercurialem, vt prius. Clausum vas transfer in cineres calentes, ibique detine, donec abierit in mercurium, qui ablutus, expressusq; per pannum cotoneum nihil relinquat: Et si etiam aliquid relinqueret, tertio redeundum esset ad idem opus solutionis. Signa huius corporalis mercurii sunt, primum, tarditas incursu maior quam vulgaris argenti viui: Secundum: si super laminam ignitam ponatur, & sinatur exhalare, relinquit post se notam fixitatis.*

Mercurius metallorum physicus & corporalis.

VII. Augmentum mercurii physici corporalis.

Cape mercurii istius corporalis vncias quatuor, vel quot voles. Adde ei limaturæ argenti puri puti dimidium. Fiat amalgama. Hoc misce cum argenti viui optime mundificati partibus 12. Mitte in vitrum, quod bene claudas. Infer in ignem cinerum blandum, ibiq; detine per mensem, vt fiat resolutio in mercuriũ. Tunc duitur summa volatilis superare summam fixi, & hanc itidem facit volatilem. Si amplius velis augere, sume huius mercurii partem vnam, & dimidiam corporis, additoque argento viuo procede vt ante. Hoc scito, quod hoc *sit totum secretum philosophorum:* Idem vero est processus, si pro argento aurum capias. Hactenus particulare.

Augmentatio mercurii corporalis.

Totum secretum philosophorum.

NOTÆ.

Quis fuerit ille Iohannes Azoth, obscurum est nobis. Videri potest fictitium nomen esse. *Azoth enim in arte est mercurius philosophorum*, vnde potuit magister ille sibi adoptare cognomentũ. Eius nomine circumferuntur in manuscriptis aduersariis plures formulæ sublimandi argenti viui, quarũ vna constat *halinitri, vitrioli, aluminis, salis ammoniaci, salis communis an. lib. 1. mercurii marcas seu besses duos cum dimidio, quæ sunt viginti vnciæ. Sublimatio fit bis ab iisdem: tertio & quarto à noua materia, nempe prima vice per se, secunda cum capite mortuo. Quinto per se solum sublimatum sublimatur, donec sine fecibus eleuetur, cauendo ne grossa materia cum subtili ascendat, alias opus est inane, idemque repetendum, donec subtile à spisso separetur. Alia formula capit vel pares mercurii & chalcanthi, vel huius duplum, fitq; septem vicibus sublimatio semper nouum vitriolum sumendo seu addendo tanta quantitate quantus est mercurius, hoc est, prima vice par pondus sumendo: sed ceteris vitriolum debet tantum esse, vt eliquatum capiat mercurium sublimatum in puluerem detritum.*

Formula sublimandi Azothi.

Tertia *habet argenti viui purgati, & salis communis partes singulas: vitrioli duas. Sublimantur commista vt decet. Sublimatum tritum remiscetur partibus vitrioli & salis præparatorum, repetiturq; sublimatio septies.*

Quarta *capit salis communis præparati libras tres, argenti viui purgati dimidium. Incorporantur sicce & lento igni per diem naturalem sublimantur. Idem repetitur septimum, primo loco cum fecibus, ceteris cum rebus nouis. Hic mercurius in ventre equino soluitur.*

Quinta recipit glaciem Mariæ, hoc est, *alumen & dimidium salis: quibus incorporare iubet vnam partem argenti viui purgati.* Non resumitur hic caput mortuum: sed semper res nouæ, quæ sublimatio melior est *ad fucos mulierum.*

Sexta pro vniuersali assumit *vitrioli libram, salis communis præparati vncias decem, quib. liquatis miscet libram argenti viui abluti, selectique. Prima sublimatio niuea remiscetur tritis fecibus, iterumq; sublimatur. Sublimato huic adiicitur dimidium vitrioli iuxta pondus. Mista sublimantur. Inde iterum assumuntur feces, fitq; sublimatio quarta. Dicunt sulphur philosophorum incõbustibile in mercurium inuectum esse.* Quinta sublimatio fit cũ *dimidio salis ad pondus sublimati.* Sexta repetitio est cum capite mortuo suo salso, Septima per se fit. Nã in medio vitro manens sublimatum fracto eo extrahitur, & per se adhuc semel sublimatur. Inde destillatur descensorie per tartarum vt fiat *aqua philosophorum.* In Alchemia pluribus locis proposuimus modos plures, ex quibus *Azothicæ* dicuntur illi, qui sublimatum spirituale, crystallinum, purissimumq; reddunt. Omnino studendũ est, vt quã maxime sit essentialis, totusq; spiritus ab aquositate, & terrestri crassitie immunis. Ita præparatur ad particularia, & vniuersale opus. *Est tamẽ & alius modus,* imo modi particularium plures. Dictum est de quibusdam in hypomnematicis. *Ex ferro & ære extrahũtur tincturæ spirituales,* quibus aurum soluitur pro Elixyre aurifico, vt Basil. Valentin. iudicat. *Ex mercurio quoq;* fit spiritus ad lapidis confectionem, & aurum potabile reddendum necessarius. *Argentum viuum debet verti in spiritualem substantiam, quæ purus est aer,* & paruo calore passim distribuitur: imo *auis est, quæ noctu sine alis volat,* & ex sua domo per Vulcanum in primam materiam expellitur, quæ cum cõclusa est in rotundo vitro ad similitudinem orbis sphærici, leni calore *ascendit, descendit,* soluitur, coagulatur, tenuaturq; & crassescit vicissim, corpus acquirit & fit *aqua clara perspicua spiritualis omnia soluens corpora,* quæ proculdubio est eadem cum Iohannis nostri.

Sublimatio pro vniuersali.

Spiritus mercurii ad lapidem.

Auis sine alis volans.

Plures

Plures desctiptiones aquarum mercurialium exhibuit Penotus *in denario, & in chymicis*: item Theophili à Petcis liber: Quercetanus & alii. Nos quoque *in aduersariis*, quæ ex vetustæ literæ scripturis pattim, pattim etiam aliunde congessimus, aliquot fotmulas descriptas habemus. Sed attendendum est Tyroni illud, quod est *in Rosario: Fac mercurium per mercurium, vel per aquã mercurialem*: quorum prius ad vniuersale pertinet, postetius ad particulate.

Spiritus mercurii singularis.

Considera hunc modum Basilii: *Cape minerale cinabrium purum, & elutum per alueolum. Adde ei marcasitham auro fœcundam, & ditißimam, quam habere potes, similiter elutam & repurgatam pondere pari. Cõmisce diligenter. Affunde oleum mercurii per se factum ex sublimato crystallino, per deliquium scilicet, in fimo, vel simili dispositione.* (Poterit tñ etiã attenuati per destillationem, siue liquorem destilles, siue sublimatũ ipsum, cuius destillatum rectificatione fit oleum.) *Digerantur in suo vitro per mensem* (vnde intelligis clauso vase id fieri debere, oleo ad 4. digitos super minetis stante, quod vt bene misceatur, solet cum illis in matmore teri ad fotmam salsæ: deinde totum confundi & in vitrum digestorium immitti.) *Fit extractio, quam à fecibus separa. Deinde in mundam cucurbitam infunde, & in balneo mariæ destilla, vt phlegmatica humiditas ab oleosa separetur. Hac autem in fundo vasis manet. Affunde ei spiritum vini tripla quantitate, circula in Pelicano, donec sanguineum accipiat colorem. Effuso postea isto spiritu vsque ad liquorem, repone nouum. Circula iterum: & spiritum muta tam sæpe, donec succus fiat dulcißimus rubens & perspicuus. Confunde omnia rursum, & destilla. Quod exiit, funde super calcem tartari.* Digere: *Destilla in cinerib. vt spiritu vini manente cum tartari calce, à qua retinetur propter familiaritatem, spiritus mercurii solus transeat.*

Vnde colligis per spiritum vini ex extractione superiore elicitum esse spiritum mercurii, qui tũ in vena cinabatina fuit, tum in liquore sublimati, & ex auri mineta (quæ potest esse antimonium auratum) assumsit vires altiores. Si spiritum istum imprægnaueris sulphure & sale solis ita, vt vna per alembicum exeant, nec sepatati possint: (Id fieri solet, si spititus extractus reddatur oleo, quod remansit, & sulphur solis cum sale ex minera auri assumsit: Digeratur, & destillatione per alembicum eliciatur sæpe repetito opere) *habes mercurium, qui auro potest secundum debitam proportionem fermentari, & in physico ouo coqui ad perfectionem lapidis pro medicina hominum, & metallorum.* Spiritus ille mercurii est vnica *clauis ad aurum potabile verum.* Oportet autem te artificiorum chymicorum petitum esse, ne damnum incuttas.

Aurum verum potabile

Apud Patacelsum *in Thesauro thesaurorũ*, qui est *in Tomo 6.* exiat simile magistetium, quod etiam *in hypomnematibus* recensuimus. Verum notandum est, quod ibi omissa sit auri minera, tantumq; assumta vena metcutii rubta, quæ cinabatis mineralis, & minium fossile dicitur. Loco liquoris sublimati ibidem assumitur aqua Regis, & in destillatione signa elementorum attenduntur, permitturque tandem Leo rubet (*a*) Pelicanatus. Sed quo modo Leo ad aurum potabile verum esse potest sine auro? Vide ergo, an non Patacelsus ibi sophistam egerit, & impostorem egregium, qui ex minera mercurii promiserit *id*, quod in ipsa per naturam nõ est, nisi adiicias autum minetale. Redarguit autem eum falsi desctiptio integrior apud Basilium Valentinum *c. 3. de reb. natur. & super. & radice metall: p. 45. editionis Tholdenii 1603.*

Nota de thesauro Paracelsi.

Divinationes.

1. Iste ptocessus videtur ex Lullii clauicula transsumtus, aut saltem eum eadem conuenire. Ratio est: quia idem opus huc contendit, vt per perfecta emendentur imperfecta, vbi *sol pater est, luna* (seu metcurius sublimatus crystallinus in sperma redactus) *mater à sole recipiens claritatem*, quibus duobus perficitur magistetium, vt & in processu Azothi. Deinde tam *mercurius crystallinus, quam perfecta metalla, vt coeant in materiam primam spermaticam sunt reducenda*, ita vt in semine solis sulphur, in semine lunæ argentum viuum nostrum intelligatur. Sunt & *duo argenta viua, vnum crudum fœmineum volatiuum ex hydrargyro minerali: alterum calidum & fixum solare sulphureum*, quod ex corpore perfecto per prius extrahitur. Hæc duo sunt sic miscenda, vt nunquam separentur. Assumit item Lullius *calcem lunæ*, per amalgama præparatam: facit *aquam fortem*, qua calx soluatur, & *aliam cœlestem pro circulatione*: Calcem imbibit oleum tartari, donec 4. autem 5. pattes eius assumserit.

Collatio cũ Lullii clauicula, & eius illustratio.

Exiccatam postea petfundit aqua forti ex vitrioli libr. 2. & halinitri lib. 1. septies destillata & à fecibus purgata per circulationem: vbi tamen *Lullius fallaciam commisit.* Impossibile est argentum in metcutium conuertere sine mercurio vel aqua mercuriali; Noster Azothus, quod omissum est *in clauicula* substituit, idque etiam Penorus, Theophilus, Basilius, & omnino omnes chymici apertiores eadem cum Azotho sententia indicant, & confirmant. Argenti viui corpotalis augmentationem Azothus luculentiorem, & euidentiorem multo habet, quam Lullius licet *cap. 3. & 5.* de eadem disserens.

Correctio clauicula Lullii

2. Noster tamen item habet defectum, qui ex Lullio & aliis restitui potest. Quid enim tandem, postquam mercurium nostrum cotporalem auximus? cuius est vsus? Lullius indicat *mercurium nostrum ex auro vel argento per aquam mercurialem factum esse iungendum cum proportionali quantitate argenti viui per oxalmen purgati*: Et vtrumque vna præcipitandum per se, vt calx fiat: huic adde posse nouum mercurium, iterumq; procurari præcipitationem, atq; ita in infinitum. Non autem recte iunguntur sicca humidis, sed calx semel facta reducenda semper in mercutium est per aquam mercurialem. Tunc mercurio crudo sociabitur, & per istum hic coagulabitur, quanquam alii aliter loquantur. Setuandum hoc est, vt in solutione plus sit mercutii fœminei: In coagulatione plus mercurii sulphurei & corporalis.

3. *Præcipitatum* hoc totum debet magna quantitate fieri, vt sufficiat in sumtus per reductionem

nem in metallū,& possit etiam ad multiplicationem sui impendi. 4. Cum magna quantitas est præcipitati, Lullius iubet vnam partem argenti in catino liquari, & paulatim immitti quatuor calcis lunaris,in pilulas didrachmales redactæ, vt pilula post pilulam iniciatur liquato forti igne argento, vltimo intendendo calorem,vt optime confluant,& contempetentur. Fusio effunditur in canalem illitum sebo,vt fiant bacilli. Id argentum purius perhibetur esse naturali. 5. Lullius addit etiam de aureo opere,de quo tacuit Azothus. *Calcis solaris triens per aquam mercurialem*, quod secretum nostrum vocat, *in mercurium redactus pondere trium vnciarum in phiolam mittatur. Interim fac amalgama ex vncia vna auri de minera, & tribus argenti viui purgati per sublimationem* (à vitriolo, vel sulphure: alii per oxalmen lauant) *Amalgama pone in eandem phiolam, in qua est mercurius calcis solaris. Succute, & bene moue manibus, vt optime commisceantur. Claude phiolam. Luto eam muni. Pone in ignem cinerum dando initio gradum primum, post suo tempore secundum, vltimo tertium.* In primo *nigrescet, fietq; Eclipsis solis, & lunæ.* Hinc secundo gradu color emerget *cinereus* in coagulatione primus. Tertio gradu mutabitur in *niueum*: quarto in *rubeum instar cinabaris.* Hæc calx item debet in copia fieri. Nam si eam redegeris in pilulas,& super aurū liquatum proiecetis, intrat, & mutatur in aurum, sicut de argento dictum est, modo hic calorem validiorem adhibeas. Pars de ea seruatur pro multiplicatione, in qua argenti viui partes 12. sumuntur: calcis solaris iam dictæ in mercurium per aquam mercurialem redactæ partes quatuor, & auri in scobem, vel calcem, aut folia ducti duæ. Omnia mista ponuntur in Athannotem & per gradus ignis præcipitantur vt dictum. Inde vsus sequitur idem, eademq; multiplicatio vsque in infinitum.

[*Particulare rubeum.*] [*Multiplicatio particularis rubei.*] [*Medium est duplum ad primum, & subtriplum ad tertium.*]

(a) *Literalis sensus nihil aliud habet vel infert, nisi tincturam ex terra extractam esse Leonem rubrum digestione Pelicani perficiendum & fecib. sidentibus separandum. Potest tamen per eum etiam solaris essentia ex auro intelligi, vt ex minera mercurii nihil sit, nisi menstruum ex auro elaborato tinctura.*

OPVS IOHANNIS AZOTHI Vniuersale.

I. NArrabo modum agendi physicum, & quomodo perficiatur tinctura alba, & rubea, seu Elixyr ex SOLO MERCVRIO PHIL. super mercurium, & omnia corpora mineralia (metallica) imperfecta in vera perfecta, naturalibus meliora. *Ex solo mercurio sapientum* (qui non est mercurius vulgi, & dicitur materia prima, Elementum aqueum frigidum humidum, aqua permanens, spiritus corporis, &c. quæ nomina quanquam diuersa sint, tamen semper vnam, & eandem rem significant) *eliuitur omnis virtus artis Alchymiæ.* Ipse suo modo est tinctura alba, & rubea. Non addimus rem extraneam, præter *aurum & argentum in fermentatione.* Sunt enim *coadiutores lapidis*, per quem opus verum chymicum perficitur. Tinctura lapidis physici non extrahitur, nisi ex sapientum mercurio corporali, scilicet sole & luna, aliis omnibus prætermissis.

[*☉. Virtus alchymia ex ☿. phil.*] [*Tinctura lapidis.*] [*Sublimatio philos.*]

Prima operatio ad perfectionem huius lapidis dicitur *sublimatio*, quæ non est vulgaris, sed *philosophica*, vtpote subtiliatio, qua superfluitates remouemus partibus subtilibus non fixis à fixis eleuatis per fumum, fixis autem manentibus: neque tamen debent separari, sed vna figi, ita vt volaticus fumus coagulatus reuertatur ad fixam partem, & cum ea concrescat. In sublimatione hac sunt omnes alii modi, vt: *Destillatio, ascensio, descensio, coagulatio, putrefactio, calcinatio, fixatio. &c.*

II. De operatione prima: quæ vocatur *mercurii corporalis præparatio.*

Mercurium philosophorum pone in alueolum (phiolam) clarum, lucidum, rotundum. Orificium claude Hermetice, ne possit respirare. Pone eum ad suffocandum in suo lectulo bene strato temperati caloris per mensem philosophorum continuo calide tenendo, vt per se sudet, nec amplius ascendat, aut descendat, sed putrescat, & coagulet maneatq; in fundo in nigram terram versus, quod caput corui dicitur. Hæc est vera sublimatio philosophorum. Decoquitur simul, & semel vno vase & vno furno. Facta quoque est *separatio Elementorum*. Nam Elementum aqueum frigidum humidum transmutatur in terreum calidum siccum. (Terra nostra non frigida est, sed calida sicca) Separatio itaque philosophica est in eadem re, qualitatum & dispositionum successiua transmutatio, quæ dispositiones comparantur elementis, & horum nominibus appellantur. *Duo* vero sunt *materialia, quæ apparent oculis, aqua* scil. *& terra*: Cætera in his virtualiter latent, vt in aqua est aer, in terra ignis. Est *& ignis occultus in aqua & terra, qui est causa colorum* in coctione. Terra dicitur *fex nigra, æs philosophicum, nummus, sulphur nigrum: vir, masculus, &c.* Fit in prima operatione per coagulationem ex liquido spissum: ex frigido humido, calidum siccum.

[*Vitrum. Lectulus. Sudor. Ascensus: Descensus. Caput corui. Elem. separatio. Elem. philosophica quasi. Ignis occultus causa colorum.*]

III. Dealbatio nigræ terræ.

Capitis corui, seu nigræ terræ cape partes duas. Adde eis aquæ physicæ reseruatæ partem vnam, ita vt terram siccam aqua imbibas, donec totam consumserit, ipsaq; penitus transierit in corpus terræ. Cum primum fuerint commista, claude vitrum, & pone in copellam cinerum. Adhibe calorem temperatum, vt tanquam in molli strato exiccetur continuo calore per octiduum. Incipiet hic paulatim dealbari. Exime ex vitro, & iterum pota lacte virgineo vt prius. Postquam bibit, repone in suum alueolum, & lectum caloris temperati, vt iterum exiccetur sicut ante. Ordo hic, quo terra imbibitur aqua sua reseruata parte, quater est repetendus.

[*Dealbatio terræ nigræ, & ablutio latonis.*]

Sic per hos gradus contritionis, aquæ imbibitionis, exiccationis, & calcinationis, *caput corui*, seu terram nigram & fœtidam sufficienter *mundasti* & ad albedinem perduxisti vi ignis calcinationis, & aquæ, quæ est causa dealbationis.

[*Mundare quid.*]

Terram

Terra alba foliata.

Animatio terra qua tunc dicitur corpus mortuum.

Matrimonium.

Terra alba: aqua: luna.

Terram dealbatam serua diligenter. Est bonum quæsitum: *Terra alba foliata: sulphur album: magnesia alba.* Ista compositione facta est coniunctio auri, & argenti, & viuificatio corporum mortuorum. *Qualibet imbibitione fructus centuplus emergit. Terra ista alba* iam apta est ad *fermentationem*, quæ est ipsius *animatio.* Serite aurum vestrum in terram albam foliatam, & portabit vobis fructum centuplũ. Quãtum igitur ad TERTIVM, procedendum est ad fermentationem terræ albæ, vt animetur corpus mortuum, & reuiuificetur, virtusque eius multiplicetur in infinitum, & perficiatur Elixyr desideratum album, tingens mercurium, & omne corpus (metallicum imperfectum) in lunam verissimam. Sed nota, quod *fermentum non possit ingredi corpus mortuum, nisi mediante aqua, quæ facit matrimonium seu copulationem* inter fermentum, & terram albam. Ideo in omni fermento notari debet pondus vniuscuiusque.

NOTÆ.

Est historia praxeos in opere albo vsque ad fermentationem, quam licet nomine albi proposuerit, tamen communis est etiam ad rubeum. Elixyr enim est commune. Primum proponit deinceps docenda. Secundo nominat materiam operis vniuersalis MERCVRIVM Sapientum: 3. finem artis ostendit: 4. Nomina mercurii recenset, quæ sane symbolica sunt, & partim à proprietatibus Elemẽtarib⁹ ducta, partim ab essentialib. quia cũ aqua nostra prius elementalis sit respectiue, post fit essentialis & cœlestis. 5. Solus ponitur mercurius noster pro materia communi: cui tamen, vt ad speciem dirigatur in opere albo adiungitur argentum, in rubeo aurum, quæ duo non sunt aliena à nostro mercurio. Sunt enim eiusdem naturæ, & ex eodem principio prodierunt, tanquam nati ex parente communi. Respectus tamen sunt inter vtraque. Nam *mercurius noster est prima materia cruda*, volatilis, potentialis: Sed *aurum & argentum sunt mercurii cocti*, coagulati, perfecti, fixi, qui vt multiplicare suum genus secundum specierum similitudinem possint, sunt vegetabiles reddendi, hoc est, resoluendi in primam materiam non communem: Iam enim est illa, vtpote mercurius noster: sed in suam, idque per primam materiam generalem, quando alius nullus restat modus. 6. Dicitur sapientum mercurius corporalis, non ille, qui *supra* in particulari erat paratus, sed idem noster, nostra aqua permanens cum iam aurum, vel argentum consumsit, & his est imprægnata. 7. Explicat *sublimationem, quæ non fit per distantiam sed per dispositiones*, quando per maturatiuam perfectionem ex imperfectionis formis elicitur vltima perfectio, quod perinde est, ac si quis Elementa transmutaret, & primum aquam frig. hum. acciperet: Deinde per calorem moderatum in terram densaret, vt fit in dilutis salium. Non enim nostra terra fit per frigus & siccitatem, sed per calorem. Ideo & censetur calida, non frigida. Ex terra postea aer conflatur, & ex aere ignis. Hæc est nostra transmutatio Elementorũ, quæ & destillationis negotio repræsentatur apud Lullium, Rupescissam, Arnoldum, &c. Verum per parabolismum. Quia ergo finis est in Elemento igneo: hoc autem cœlo maxime affine, & nobilissimũ est: Ideo operatio dicitur sublimatio in genere, vt eum explicat etiam Arnoldus. Constat hæc particularibus dispositionibus, quæ comparatæ aliis operationibus, earum vocabulis quoque nuncupãtur vt sic dum sublimamus, destillemus, sublimemus ascendendo, destillemus descendendo, soluamus, coagulemus putrefaciamus, calcinemus, figamus, &c. *His enim gradib. perficitur sublimatio philosophica.* Hoc est quasi proœmium operis totius.

Mercurii nostri & perfectorum metallorum congruentia & discrepantia.

Sublimatio.

Elementorũ transmutatio.

8. Sequitur praxis specialis, quæ constat duabus operationibus, quarum vna est *confectio capitis corui*, seu nigræ terræ: altera est eius *imbibitio seu nutritio* & dealbatio per *lac virginũ* dictum, seu aquam physicam, & mercurium philosophorum. Hic ergo habemus 1. materiam mercurium nostrũ: 2. phiolam sphæricam vitream, quæ possit Hermetice claudi, estque manifestum plures esse debere quamuis vnius formæ. 3. Lectum Athanoris calefactum moderato valde calore. 4. Gestionem materiæ in suo lecto. Debet enim continuo calore foueri, eoq; putrefactorio, qui soluat quidẽ, sed nõ perficiat, & ideo nigritiem sinat prodire: Deinde debet in sudorem resolui sine violentia ignis. Alias rũperet vitrum, & omnia perirent. Postea halitus specie à centro seu ima parte efferri leniter ad superficiem concauam, indeque post consistentiam relabi super inferius fixam partem, cum qua simul figitur: tandem vti coagulauit, ita fixà in fundo manere specie nigræ terræ.

5. Additur expositio specialis, quæ sit dispositio Elementorum in hoc opere primo: nempe duo Elementa prodire in conspectum, terram scil. & aquam: duo latere, ignem scilicet, & aerem, quæ duo dicũntur formæ magis esse & actiua: illa magis materiæ, & potentiæ passiuæ. 6. Nomina terræ nigræ proferuntur plura, quæ à similitudine cum rebus nigris sunt tracta. Vocatur enim magnesia nigra: plumbum: saturnus: fex nigra: caput corui: æs philosophorum: Nummus noster: vir: mas, &c. quanquam quædam sint æquiuoca. Quidam nolunt caput corui dici in prima operatione: sed tantum in fermentatione, vbi & vera Ecclipsis solis & lunæ. Viri quoque & masculi appellatio locum hic habere non potest, nisi occultum ignem in terra, qui & sulphur dicitur, designes, cuius merito mas sit in relatione ad lac virginis fœminæ, qua mox nutritur terra nigra.

Nomina nigra terra.

Notent ista nomina, & eorum locum illi, qui decepti vocum æquiuocatione putant *in metallico plumbo & ære esse artem: vel in antimonio*: cum in hoc magisterio isti termini dispositiones similes tãtum indicent. 7. Sequitur opus secundum de imbibitione seu nutritione, cum qua simul dealbatio & ablutio item fixio & subtilitatio, seu destillatio aeris ex aqua terra proponitur.

Plumbum nostrum, & æs, & saturnus & magnesia.

Notabis ergo hic 1. aquam physicam, quæ est lac virginis, & cum RESERVATA dicitur, intelligis *mercurium nostrum* postquam factus est, debere in TRES *partes diuidi*, quarum vna fuit *materia terra nigra*, altera est *lac nutritionis*, eiusdem scilicet naturæ, cuius erat & terra. Ideo dicitur etiam sanguis eius, quo alitur & crescit.

Aqua est diuidenda.

Tertia opus erit in fermentatione. 2. terram nigram potandam aqua. 3. vitrum debere esse aptum ad potandum, & posse claudi, recludiq;. Neq; n. ex toto occluditur, antequã quatuor partes suæ aquæ terra absorpsit: Deinde signatur Hermetice, & vsq; ad perfectam albedinem coquitur. 4. Stratum molle requiri, id est, cupellam cineream, vel similem, in qua iaceat vitrum, & calore temperato reuerberante calefiat. Nam repercussiuum debere esse intelligis, quia quod ascendit, resolui debet & vicissim depluere, quod non eueniret, si frigus esset in superficie, & in fundo calor. Ideo & balneum dicitur, & reuerberium. 5. Non multam quantitatem semel instillari, sed tantam, quantam putamus à terra capi, & consumi posse. Deinde cum hoc est vnitum, alia portio præbetur, vt & hanc recipiat, quæ sane maior est, quam prima, quia iam corpus est auctius. Ita agitur cum restantibus.

6. Tempus imbibitionis exprimitur. Nam initio terra nigra in igne per octiduum sola detinetur, vt si quid humidi haberet illud penitius coagulet. Postea potatur paruis guttis, pro vt assumere potest. Dum vniuntur, quidam relinquunt in tam leui calore, vt frigus putetur, sufficitque tantum cinis calidus sine subiecto igne. Sed post biduum, triduumue calor modicus admouetur, & fouetur, donec cibum suum hunc cõcoxerit. Quidam quinis diebus iterum cibant, & ternis sinunt vniri. Sed ipse intuitus te docebit, quando opus sit denuo nutrire.

7. Nota & hoc, quod Azoth dicit esse ex vitro terram extrahendam, & potandam. Hoc exponunt aliqui, quod in lapide teri debeat cum suo aceto, seu sinapi, vel lacte, vt fiat instar salsæ. Verum hæc symbolica sunt. Artificium hoc non habet *manuariam contritionem. Nam acetum nostrum acerrimum tritionem peragit, & terra nostra libenter admittit aquam nostram, cum sit de eadem natura.*

8. Calcinatio, contritio, dealbatio, ablutio hic vna eademque fiunt opera. Ideo huc pertinet axioma: *Ignis & Azoth abluunt latonem, seu nummum, plumbum & æs nostrum.* Ignis calcinat: aqua abluit. Hic terræ albæ nomina aduerte. Est aer, sulphur album, magnesia alba, calx alba philosophorum, Elixyr, &c.

9. Additur præparatio ad opus tertium, quod est FERMENTATIO, & viuificatio. Hinc intelligimus albam terram, quæ *foliata* dicitur esse *azymam, & corpus mortuum*, vtpote humoris plenioris assumtione, & vi balnei suffocatum, quod nullius foret vsus nisi animaretur.

10. In fine docet *tria requiri ad fermentationem*: vnum esse *corpus mortuum* iam præparatum: alterum *fermentum*: tertium *aquam*, seu spiritum & mercurium nostrum; qui est medium coniunctionis tincturatum. In præcedentibus erat primum vnum tantum: Deinde fiunt duo ex vno, vna radice, vnius naturæ: Tandem euadunt tria etiam vnius naturæ. Sic habes numeros istos: 1.2.3. Quaternarius est in singulis operationibus. Nam in omnibus est Elementorum similis dispositio. Sic existit Denarius Physicus, ex monade hieroglyphica, qui per se multiplicatus crescit, & suum incrementum multiplicat, fitque 100. 1000. 10000. &c. quo ordine & augetur virtus lapidis; operationibus repetitis.

Tria ad fermentationẽ.

Numeri lapidis.

DIVINATIONES.

1. Prima quæstio est de mercurio illo philosophico, qui est materia prima operis nostri, & postea fit menstruum solutiuum corporum, lac virginis, & nutrimentum terræ nigræ, simulq; azoth ablutionis. *In particulari sectione quinta* autor scripserat, *aquam mercurialem claram, & ponderosam ex solutione argenti viui sublimati per regiam destillatione factam esse aquam vita, & perennem* seu permanentem, item lac virginis & acetum acerrimum. Verum num si ibi, etiam hic in vniuersali? Et si est, quo modo recte dicitur *in fine particularis: Hoc totum est secretum philosophorum:* Item: *Ex ipso mercurio nostro solo elicitur omnis virtus artis*: iuxta illud: *Est in mercurio, quicquid quærunt sapientes*: Mercurio autem duplici *volatico & fixo*, seu crudo & cocto: primæ materiæ seu imperfectionis, vel seminis: Et vltimæ perfectionis: Generali, speciali: materiali, formali, &c. Quomodo nihil peregrini intrat, si mercurialis aqua conficitur ex sublimato & aqua regis? An non vis salis & vitrioli horumque spiritus vna assunt, & concretũ mercurium in forma liquida seruant? Nostra sententia est, *non quidem aquam istam viuam esse per se materiam vniuersalis, verumtamen partim eam continere, partim esse menstruum cœleste, & spiritum fœtentem*, quo præparatio perficitur.

Contineri sic arbitramur, vt postquam per regiam circulatione depuratam maxime crystallinus & spiritualis mercurius solutus est, inde reducatur, & à suo menstruo ita purgetur, vt nihil de eo maneat. Hinc destillatione euomere cogitur *viridem Leonem*, aut si placet sic nominare, *sanguinem* reddere: aut si vtimur *aquila alba* hieroglyphia, *Gluten*. Hoc cum primum *liquoris viscosi* specie occurrat, per putrefactionem physicam in calore fimi, vel balnei lenissimo *resoluitur in aquam puram*, porroque nigrescit & densatur, vt tandem specie nigræ terræ in vase iaceat. Ita solus est noster mercurius, in quo Elementa symbolica, seu Hermetica ordine apparent, fitque Elixyr & sulphur album ambiguæ ad aurum, & argentum naturæ. Esse vero menstruum eadem aqua sic potest si per eam resoluatur calx alba, vel rubea in mercurium primæ materiæ, à quo quicquid alienum est, id tollitur; quicquid aurẽ genuinum & mercuriale, id vna manet, constituitq; *lunam philosophorum, & semen fœmineum*. Illud cauendum, *ne sit vulgi hydrargyri* specie, licet in natura hanc habuerit. Scito ergo in reductione pro opere vniuersali, quod *quicquid prodit vultu argenti viui, id sit segregandum:* Et si etiam liquor seu vapor vnctuosus inter putrescendum rediret in hydrargyri formam, non possit esse prima materia, *cuius tota ratio est potentia metallum, actu vero aqua viscosa.*

2. Ista conferamus cum præscriptis *clauicula Lulliana. Mineram nostram albam dissolue in nostro menstruali fœtente, seu aceto nostro albo, hoc est, quatuor vncias calcis nostra viua dissolue in menstruo nostro, vt fiat aqua vi-*

Collatio eius clauicula Lulliana, & huius ex Azotho illustratio.

De aqua viridi vide ſupra pag.

qua viridis. In eiuſdem menſtrui vnciis 13. diſſolue vncias 4. argenti viui vulgi bene loti. Solutiones coniunge. Mitte in vitrum, quod claudes, & in fimo equino materiam digere diebus 30. His exactis deſtilla in balneo, vt totus liquor, qui elici poteſt, exeat vel donec habebis omnia, cuius ſenſus eſſe poteſt, elici debere primum liquorem: deinde hunc reddendum reliquiis; digerendum, deſtillandum; iterumq; refundendum, & procedendum, donec omnia per alembicum fuerint traducta, & in aquam mutata, à qua humiditas reuncata, relinquit *aquam noſtram*, ſeu mercurium ſolum. Hæc mens ex verbis colligi poteſt, nec dubitandum eſt in materiæ præparatione autores variare. Quo modo *calx viua* facta ſit ex argento per aquam mercurialem, ita vt prius in argentum viuum abiret, poſtea præcipitaretur in calcem cum ſuo corpore, dictum eſt. Hæc calx mercurialis in mercurium reducitur, vel potius in mercurialem aquam per eandem. Quoniam a. materia prima noſtri lapidis non patitur calcem corporalem, ſed requirit mercurium de minera, ideo huius ſolutio itidem per aquam mercurialem accedit, vt omnino pene ſint tres partes mercurii (*a*) mineralis, & vna lunaris. Illæ vero & quantitate & virtute excellentes, hanc in ſui naturam tranſmutant, vt ſic totum ſit mercurius noſter vndiquaque ſibi homogeneus. Vt autem Azoth noſter, ita & Lullius primum proponit de opere albo, ſed valde perplexe & obſcure.

Cum habueris omnia (inquit) *cape materiam alio vaſe, vt igne carbonum oleum extrahatur. Tunc materia reſidens erit nigra. Hanc in furnello pone ſuper cineres ad deſtillandum* (quaſi deſtillare velles, cum non fiat deſtillatio, ſed tantum toſtio) *per duas horas. Poſt refrigerationem aperi vas, & pone deſuper aquam per balneum deſtillatam. Laua bene. Deſtilla menſtruum per balneum, omnemque aquam, quæ aſcendere poteſt, & oleum per cineres, vt ſupra feciſti. Hoc toties reiterabis, donec materia remaneat, ſicut carbo nigra in fundo vaſis. Id eſt caput corui.*

Hæc Lullius, ſed quæ noſter Azothus egregie explicauit, vti viſum eſt. Finẽ huius operæ audis eſſe CAPVT CORVI. Deinde ſcis, quod philoſophi myſtici nullam habeant in magiſterio lapidis deſtillationem aliam, niſi ſymbolicam, quanquam eam enuncient verbis vulgaris deſtillationis. Ita hic Lullius quaſi herbam aliquam contuſam (*b*) in ſuo proprio ſucco maceraret: deinde deſtillaret aquam omnem in balneo: remanentibus fecibus nigris, cum quibus adhuc eſt oleum; poſtea fecibus his penitus arefactis reaffunderet ſuam aquam: Digereret, & in cineribus iterum deſtillaret primo aquam, poſtea oleum, vel etiam vtrumque ſimul, remanente nigro capite mortuo inſtar carbonis atro: ſic loquitur de magiſterio lapidis, minime iſta fieri debere, re ipſa ſentiens, ſed per diſpoſitiones ſimiles in vno vaſe. *Nam in vitrum ſuum mercurius noſter concluſus primum igne leni digeritur, & ſoluatur in ſudorem. Deinde aſcendendo, & deſcendendo peragit ſuas deſtillationes*, vbi prima diſpoſitio eſt ſimilis aquæ: Ideo dicitur aqua deſtillari: Secunda eſt ſimilis oleo, licet eadem ſit materia, ſed quæ iam inſpiſſata ad fixionem procedat.

Caput corui eſt in imo vitro.

Tandem totum vertitur in terram nigram, quæ carboni comparatur, & capiti corui; non coruo. *Nam quod in imo cubat, caput dicitur.* Hæc ergo eſt prima pars praxeos Lullianæ; quam declarat primum ſimili: poſtea axiomaticis principiis. Theſis eſt: *Corpus noſtrum ex mercurio noſtro prima coagulatione debet eſſe mortuum & nigrum:* Argumentum: *Debet enim reſurgere in terram permanentem, ad exemplum ſaluatoris noſtri, quem etiam prius oportuit mori. Nihil reſurgit in nobilius, niſi prius mortuum.* Secundo à genere: *Nullum ens poteſt vitam perpetuam conſequi, niſi prius mortuum, cum ex contrario fit mutatio.* Loquitur autẽ de rebus mundi imperfectionis, qui peccato vitiatus non poteſt æternam durationem accipere, niſi prius corruptus, & hinc reſtauratus, vti & homini euenire neceſſe eſt. Trahitur huc parabola Saluatoris *Ioh. 12. v. 24. 25.* Atque hæc eſt prima pars operis. Sequitur *dealbatio & ablutio*, quam Azothus ſimpliciter & plane dixit: ſed Lullius ſuo more ſymbolice: *Recipe*, inquit, *tuum corpus nigrum. & calcina in eodem vaſe per tres dies: Poſt ſine refrigeſcere, cumque aperueris, inuenies terram ſpongioſam & mortuam.* Hoc illud eſt, quod quidam præcipiunt, terram nigram adhuc humidiuſculam eſſe, & ideo vrendam, vt ſiccetur, & hiet, quaſi ſitiens & appetens per aquam ſuam irrigationem, ſicut infans ſiticuloſus appetit lac maternum. Vocatur hæc exiccatio *calcinatio* per ſymboliſmum. Pergit Lullius: *Aquam, quam per balneum deſtillaſti, deſtilla ſæpius, donec pura ſit, & in materiam cryſtallinam reducta.* Nihil hic aliud dicitur, quam de aqua noſtra qualis debeat eſſe, nempe pura, & tranſlucida vt cryſtallus, qualem formam etiam habuit, cum adhuc cryſtallino mercurio incluſa lateret.

Dealbatio Lulliana & operatio ſecunda.

Qualis debeat eſſe aqua noſtra.

Fit autem in aliis puritas illa per deſtillationem manualem: hic per elaborationem eſſentialem ſimul, vt *alibi* dictum eſt. Cæterum ex qua materia conſtat terra nigra, eadem etiam nutritur, augetur, albeſcit.

Inquit ergo Lullius: *Imbibe tuum corpus, ſeu terram nigram, ſua aqua propria paulatim rorando, & coquendo, quoad ſit alba facta, & multum ſplendens. Tunc enim aqua illi eſt infuſa, quæ viuificat, & clarificat. Tunc da ignem vehementem in eodem vaſe ſuo lutato, ac ſi velles ſublimare mercurium vulgi per horas 12. Aperi vas frigefactum, & reperies ſublimatam materiam tuam albam, quam vocamus Terram ſigillatam; Noſtrum corpus exaltatũ, & poſitum in magna dignitate: ſulphur noſtrum* (album) *noſtrum argentum viuum* (coagulatum) *noſtrum arſenicum* (album) *vbi ſeruare debes noſtrum aurum, quod eſt noſtrum fermentum, & noſtra calx viua: & intra ſe gignit filium ignis, qui eſt amor philoſophorum.*

Imbibitio & ablutio Lullii.

Terra ſigillata.

Hæc Lullius, quæ ab Azotho noſtro dilucide ſunt tradita. Quod enim Lullius iubet imbibere nigram terram hoc fine, vt fiat alba, ſplendens, clarificata, & quaſi viuificata, id Azoth eodem modo docet: imo addit quantitatem, vt ſint *duæ partes corporis, & vna aqua*: quæ aqua non confertim, ſimulque & ſemel eſt affundenda, ſed paulatim quatuor vicibus, interpoſita ſemper digeſtione octiduana, vt bene miſceantur. *Roratim* imbibendum eſſe, Lullius ait, docens etiam quartam partem nõ ſimul eſſe apponendam, ſed per modum irrorationis, vt tota terra irrigetur, & non alicubi abundet humore, alicubi ſitiat. Quod autem Lullius iubet dare *ignem ſublimatorium*, id in fine poſt coagulationem & albedinem perfectam facere debemus.

Filius ignis in igne conſtans & de natura ignis.

Proportio imbibitionis.

Tun

Tunc enim Elixyr nostrum habet fixitatem argenteam, & debet bene vri, vt vndiquaque per torum corpus considat fiatque homogeneum: In rerim autem imbibitio fit calore leni, cumque tota qoaotitas humoris est in sumta, tunc signatur vitrum Hermetice, & calore *quasi cinerum* blando agitatur, vi rotatim, seu *circulatim ascendat & descendat*, tandemq; post colores varios in albo constanter maneat, quam albedinem quando conspicimus; tunc augemus ignem in tertium vsq; gradum, vt penitos argentea fixitate dooetur.

Hæc etiam est *sublimatio* nostræ materiæ, nempe *exaltatio in corpore, & virtute*, nulla distantia intercedeote inter partes corporis, cum omnes sint vna in fundo fixę. Inde ponuntur nomina symbolica, *arsenicum album, sulphur album*, &c. Quod autem iubet *seruare nostrum aurum, quod est nostrum fermentum*, & c perplexum est. Nam quia Elixyr illud est commune albo & rubeo operi, diuidendum est in duas partes: voa adhibetur ad fermentationem per argentum: altera seruatur pro auro, quod est fermentum rubedinis, & cum azyma parte gignit filium seu lapidem igneæ virtutis *amorem philosophorũ*. In hac autem sententia implicatur Elementum & gradus caloris quartus. Nam illa pars, quæ in vitro reseruatur, in igne relinquitur, & vritur, dooec rubedinem sanguineam vel cinnabarinam acquirat: Et tunc vocatur CALX *nostra RVBEA: arsenicum rubrum, sulphur rubeum, auripigmentum nostrum, &c.* *Calx rubea ex albo Elixyre.*

3. Cum noster Azothus mentionem faciat *Alueoli mundi, mollis strati, & lectuli bene strati*, videtur cum processu tertio Barnaudi, in quo Duci *Duenech Pharut* medicus lectulum parat vice tertia; conuenire, & illum explicare. *Lectulus sane temperati caloris* blanditiem & mollitiem designat: Deinde stragula & culcitræ nigra, alba, progressum colorum, & dispositionem elementorum. Itaque possumus librum libro declarare.

4. Azothus noster semel tantum denigrat, semelque albificat ante fermentationem. At apud alios inuenimus rotam duplicem, *duas nigredines, & duas albedines: duas putrefactiones* seu solutiones, *duasq; coagulationes*, ita vt primæ operationis albedo conferatur cum plumbo; aut ad summum cũ stanno: secundæ cum argento. Verum Azothus compendio artem exposuit. Quia enim oigredo prima diu durat, & licet prima coagulatione nonnihil occultetur, tamen vt primum humectatur, in secunda operatione redit, & totum corpus occupat: Ideo tantum vna ponitur, & primum opus cõstat prima solutione & coagulatione: secundum secunda. Nam & in albatione per imbibitionem fit irrigatio, & postea solutio, quam sequitur coagulatio. Hinc potisima nostrum est, *quod Mercurius noster prima vice sit includendus suo vitro & suauiter in igne detinendus tamdiu, donec soluatur in sudorem, nigrescat, densescatq; quanquam nigritie nonnihil occultata: Secunda verò vice transferendus in aliud vitrum, in quo possit nutriri ordine, & mox includi, vt calore loci soluatur, nigrescat rursus per totum, & tandem candidus fiat, fixusq;.* Ita apte respondet hæc præceptio praxi medici Pharut, qui ducem suum simili modo ab atra bile correptum tandem purgauit, & albefactum inde rubefecit. *Duas operationes continere totidem solutiones & coagulationes.*

5. Mysterium videtur esse in hoc, ꝙ dicit: *Iste ordo reiterationis, qua terra imbibitur aqua sua reseruata parte, quater est repetendus: Et paulo infra: Qualibet imbibitione absoluta fructus centuplus emergit.* Si iotelligimus tantum imbibitionem illam, quæ est in operatione secunda, qua *Laton & æthiops* ille niger per ignem & mercurium dealbatur, ita vt nutrimentum imbibitionis oon simul & semel affundatur, sed quadripatito: qoomodo fructum centuplum possumus consequi, cum oondum matura sit materia, vt fructum ferre possit? Nam non tingit ante, quam tingatur, seu fermentetur. Iudicamus ergo, significari quidem imbibitioois partitionem in secunda operatione: sed nihilominus respici etiam ad sequentes. Hæc prima imbibitio tantæ est virtutis, vt fermentatus lapis possit partes centum mutare in metallum perfectum. Quod si istum lapidem secundo imbibas, hoc est, soluas & coagules, tã fortis fiet, vt vna pars centies plus possit, quod alii per milleoarium enunciant: si tertio; vna tinget 10000. si in quarto, 100000. atque ita deinceps. Vide ergo, quam fortem velis tuum lapidem reddere. *Ad medicinam autem non opus est tam sæpe imbibere.* Sufficit enim perfecta fermentatio rubra, seu tinctura rubra. *Aq. reseruata.*

6. Imbibitio dicitur fieri aquæ suæ reseruatæ parte. *Quæ est illa aqua reseruata?* Vocatur quidem sua, seu propria, vt iotelligatur illa ipsa, ex qua primum terra imbibenda est facta: Et quidam hoc enunciant valde Sophistice: *Dicunt enim nigredinem innatantem aqua debere colligi: Deinde aquam solam assumi: nigredinem in vitrum poni: ibique torreri; mox sua aqua ex qua emersit potari*: Verum senteotiam euidentius reddidit noster Azothus. Quoniam autem aqua ex qua coaluit terra potanda dispositiones habet varias & in primis lac virginis, vocatur illa mercurialis ex soluto crystallini mercurii destillata: *nũ hæc ergo sumenda pro cibo?* Neutiquam censemus. Nam sic extraneum quid de menstruo & peregrino sale intraret. Vide ergo, num hoc placeat: *Cape liquorem nostrum vnctuosum ex sublimato nostro. Include putrefactorio, & in fimo, vel dispositione balnei vapidi solue in aquam nostram. Hanc diuide in tres partes: vnam impone ad putrescendum & coagulandum: alteras duas reserua, vt sit vna pro imbibitione in opere secundo, altera pro solutione in fermentatione.*

7. Num hinc lux accedit Morieno & Artefio, qui iubent capere *Leonem viridem, fumum album, aquã fœtidam*: Deinde soluere, facere calcem, figere, liquare, sublimare, donec seruus rubicundus fuerit cum candida vxore, vt perfectum opus sit, cum calx facta albescit, & sublimatum euolat? Videtur eiusdem materiæ dispositiones quatuor attingere: In prima dispositione aqua nostra, seu mercurius vocatur leo viridis, vel aqua viridis: In secunda fit instar albi fumi cum resolutus ascẽdit ad vitri ambitum, indeq; relabitur, & reflectitur: tertio mutatur in aquam fœdam, fœtidam, & nigram: ex qua in calcem coagulatur, quæ porro est figenda: cum fixa est (vti fit in Elixyre albo perfecto) liquatur, hoc est, soluitur de nouo, & coquitur, simulque philosophice sublimatur, seu nobilior fit per matrimooium cum rubro seruo, seu auri fermento. *Morieni declaratio (quæ tamen variat.)*

Nam quando Elixyr habet albedinem perfectam, quæ in rubeo opere exaltatur in rubedinē, quæ acceſſione fermenti animatur, peracta coagulatione opus eſt perfectum. Eſt autem ibi candida mulier Elixyr ſcilic. ſolutum aqua noſtra, quæ eſt Gluten & vinculum fermenti, & fermentati.

8. *Iſta compoſitione facta eſt coniunctio auri & argenti* (inquit noſter) *& viuificatio corporum mortuorū.* Aenigma videtur dicere. Compoſitio alias ante fermentationem eſt nulla. Non enim dicitur compoſitio, cum infans nutritur ſuo lacte. Deinde qui iam poteſt eſſe viuificatio, cum Elixyr iam abſolutum dealbatione, & rubefactione perhibeatur eſſe corpus mortuum, cui ſpiritus & anima ſit immittenda? Sane oculum intendit etiam in ſequentia: Hic tamen compoſitionem improprie vocat nutritionem, & viuificationem. Nam Elixyr album & rubeum reſpectu terræ nigræ equidem poteſt viuum appellari, quod tamen ſi referre velis ad fermentationem, non viuum cenſendum eſt, ſed mortuum. Quod a. in Elixyre per imbibitionem facta ſit coniunctio auri, & argenti quæ alias minime fieri debet: *Non enim duo fermenta ſunt miſcenda*: apparet ex potentia. Idem enim Elixyr vim habet ad argentum, & aurum, ideoque etiam Luna noſtra dicitur, quæ rubedine vi ignis accepta in aurum mutari fertur, & hoc ordine etiam *omne aurum ex diſpoſitione argentea procedere etiam in natura.* Sicut n. diſpoſitiones in opere lapidis ſe habent: ita volunt in natura fieri, metalla, vt *alibi* quoque dictum.

Terra foliata.

9. *Cur Elixyr album ante fermentationem dicitur terra alba foliata?* Quid eſt *foliare, & foliatum eſſe?* Nū foliis ſpargere, & ſparſum eſſe? Mercurius ſapientum, viridis leo dictus, foliis comparatur. Quando ergo imbuitur terra nigra iſto mercurio, foliis ſpargi cenſetur, vt ſic *foliata idem ſic ac nutrita, irrigata, tectaq̃. Folia vero iſta tunc, cum abſoluta eſt, habent argenteum candorem.* Eſt & folium ob volatilitatem. Inde terra foliata quaſi volatica reddita, vt inſtar foliorum in arboribus emergat. Sed poſtea iterum deiiciuntur folia, coguntur q; in imo manere.

(a) Aqua mercurialis dupla duplum habet mercurium de minera. Deinde accedit pars tertia ex mercurio crudo: & tamen ſunt duo omnino mercurii mineralis & corporalis de natura & radice eadem.

(b) Nota: cum hac ſecundum literam conueniant etiam deſtillationi ſanguinis, ex quo faciunt lapidem animalem, quidam volunt clauiculam Lullii de ſanguine loqui.

Continuatio proceſſus de vniuerſali Iohannis Azothi de Fermentatione.

Opus III.

SI terram albam ad Elixyr album volueris fermentare, vt ſtet in complemento tincturæ ſuper corpora diminuta, & ſuper mercurium in omni probatione: *Recipe terræ dealbatæ, ſeu foliatæ, id eſt, corporis mortui partes tres: & de aquavitæ reſeruatæ partes duas: fermenti partem vnam & dimidiam. Fermentum* autem (album) ſit *preparatum in calcem albam, fixam, ſubtilem, ſi opus album intendis preparare. Si vero rubeum, tunc ſit calx auri citriniſſima, & non eſto aliud fermentum: quia fermentum argenti eſt argentum, auri aurum, cum in his corporibus inſint radii tingentes cætera corpora rubedine vel albedine pura, & in his ſecundum naturam puriſſima ſubſtantia ſubſtantiarum reperta ſit ad ſpeciem lapidis pertinens. Fac vnam quamque ſpeciem cum ſua ſpecie: quodque genus cum ſuo genere: cum albo eſt albificandum: cum rubro rubificandum: non miſceas opus vnius lapidis cum opere alterius.* Alioquin errabis.

Compoſitionis proportio
3 corp.
2. ſpir.
$1\frac{1}{2}$. an.

Terra alba foliata eſt CORPVS: *Fermentum eſt* ANIMA: *qua tribuit corpori vitam* AQVA *mediante*, quæ eſt SPIRITVS. *Conſice ergo has tres partes in vnum* MATRIMONIALITER, *ſuper lapide mundo conterendo, & vnum* CHAOS *per minima producendo, vt fiant vna* HYLE *confuſa, & reducantur in vnum corpus demum inſeparabile. Paſtia ponas in ſuam phiolam aptam, id eſt, torum caldum temperatum, vt coaguletur & fixetur, fiatq̃ vnum corpus album. Hoc facto rurſus exime lapidem candidum benedictum, ipſumq̃ contere ſubtiliter in lapide mundo: Et iterum cum tertia parte aqua ſua imbibito, vt hauſtam bibat. Impone eum in alueolum ſuum, clarum, mundum, & loca in lecto ſuo temperate calido, vt incipiat iterum ſudare, & hauſtum aqua bibitæ permiſtæ in viſcerib. eius exiccare. Sic reitera vice multiplici, donec excellentiſſimum lapidem album per hos gradus reiterationis præparaueris, fixum, & ſtantem in igni, perque omnia corpora imperfectorum metallorum velotiſſime gradientem, & ſuſtinentem pugnas ſuper ignem aqua fuſili*: qui lapis tingat mercurium & omnia imperfecta in ARGENTVM verum, *melius omni naturali.* Nota, quod quando huius complementi ordo reiteratur, ſoluendo, coagulando, conterendo, aſſando: tanto magis huius medicinæ bonitas multiplicetur, magiſque tingat, ita vt ſi in prima ſui abſolutione pars vna tingat 100. in ſecunda vertat 1000. in tertia 10000. in quarta 100000. in quinta 1000000. in ſexta infinita millia. Non ſufficit vna contritio & imbibitio.

Corpus, anima ſpiritus.
Modus concorporandi.
Fixatio:
Opus 4.
Lectus.
Sudor.
Multiplex reiteratio.

NOTÆ.

1. *Terram albam foliatam* autor noſter quaſi materiam ſtatuit ex qua fiat Elixyr, quod notandum eſt propter aliam ſignificationem vocis, qua illa ipſa *terra alba fixa* deſignatur. De Etymologia alibi dictum eſt. *In chymia pharmaceutica* compoſitionem eſſentialem ſignat ex pluribus, vnde Elixyr vitæ multiplex.

2. *Stare in complemento tinctura* eſt conferre argento viuo & metallis imperfectis per proiectionem argenti perfecti colorem & naturam, idque perſeueranter, & momentanee, aut fugaciter. Ideo etiam perfectio iſta declaratur indicio omnium argenti examinum, quæ ſunt poriſſimum *aqua fortis cum ſua quartura, & cineritium ſeu copella*: *Inde color, pondus, ſonus, conſiſtentia & puritas in coticula, coloritum argenti, extenſio poſt aurum maxima, & ſimilia.*

Nota argēti.

3. Cor-

3. Corpora diminuta dicit pro imperfectis. Est autem lapis albus familiarior corporibus albis, stanno, plumbo, tegulo, bismutho, calaemo seu cadmiæ Indicæ.

4. *Terram albam* iam appellat corpus mortuum respiciendo ad sequentem animationem, cum in præcedentibus per imbibitionem etiam viuificatū perhiberetur. Qui à vulgati physicorum mineralia vita priuatorum doctrina pendent, concedent nostris artificibus istas seu metaphoras, seu parabolas allegoricas. Qui vero interius perspiciunt naturas metallorum, gemmarum, & similium, *principium vegetatiuum siue vniuocum siue analogum in eis agnoscunt.*

5. In compositione nominantur tria, *corpus. spiritus, anima:* Et hæc proportionem habent suam vti positum hic videmus. Aliam tamen interdum inuenias apud artifices ideo, quia *non apud omnes omnia se habent eodem modo.* Quocirca & hic valet experientia & sagax iudicium, quanta aquæ copia requiratur. Si multam sumis, tarde coagulas: si nimis parcam, siccitas anteuerrit legitimum humiditatis terminum, nec potes assequi coagulationem iustam. Posita proportio potest esse regula, de qua in Riplæo plura.

6. *Reseruatam aquam pro spiritu* sumit. Intelligis ergo *etiam in matrimonio esse eundem mercurium nostrum*, cuius erit hæc tertia portio. Nam in principio diuiditur in partes duas. Vna imponitur ad soluendum & coagulandum. Altera seruatur, iterumque distribuitur in partes duas: per priorem fit imbibitio: per posteriorem coniunctio. In sequentibus adhibent quidam argentum viuum minerale purgatum pro mercurio: quia medicina id resoluere potest: sed solertius fit, si scis augere tuum mercurium per hydrargyrum. Nam *noster mercurius vt metalla vertit in primam materiam, quæ aqua est: ita & argentum viuum.* *Diuisio aquæ nostra.*

7. Fermentum in hac praxi non est aliud, nisi argentum natiuum purissimum de minera in calcem per mercurium redactum. Meminit a. etiam fermenti rubri per occasionem, vt de duobus fermentis, eorumque vsu distinctius philosopharetur. Mirum autem cur sapientes huius mysterii FERMENTI voce voluerint hoc in loco vti, cum nihil aliud fiat quam compositio præparati mercurii & argenti intercedente spirituali liquore & volatico mercurii eiusdem. *Fermentum.*

Fermentum alias non mutat substantiam massæ, sed qualitatem tantum, eamq; attollit in tumorem spiritibus quasi per resolutiuam quandam digestionem excitatis, nec eam à generali dispositione ad specialē quandā adducit. (Non n. si massa sit adorea, p fermentum ex tritico fit triticea.) Ideo & sæpe heterogeneum est fermentum, vt fex vini, cereuisiæq; vel spiritus vini: fimus columbinus & similia: sæpe ex ipsa massa exoritur, quæ & tota in fermentum abit *quadam putrefactione*, qua tum spiritus resoluuntur, tum humores acescunt. In nostro opere *materia generaliter disposita ad omne metallum, ad speciem trahitur per sulphur corporis perfecti*, quod simul in materia diuisibili diuiditur, distribuiturq; & exaltatur adeo, vt instar seminarii feracissimi acquirat vim ex determinato sui similia secundum speciem plurima procreandi. Nam *totum vertitur in semen purum & formale*, idque est εὐδεισον adeo, vt minutissimis portionibus sit instar totius, possitq; inde augeri in infinitum. Sane fatendum est, in aliquib. fermentum impropriè dici: in aliquibus tamen quandam rationem habet. Nam si molem non attolit, tamen virtutem auget, & totum mercurium penetrat, inq; sui naturam conuertit. Nec est scrupulose in symbolismis huius artis versandum, in qua summa est terminorum non necessariorum licentia, petiturque modificatio ab omnibus rebus, quæ videntur quocunq; modo consentire. *De termino fermentum.*

8. Cum dicit *fermentum argenti* seu lapidis albi *esse argentum, auri aurum, apparet non destruendam esse naturam istorum corporum, cum pro fermento adhibentur.* Itaque si quis vellet præcipitatum mercurii ex argento vel auro pro fermento sumere: falleretur. Nota hoc quoq;, cum fermentum debeat esse spirituosum, & simul rationem habere grani in terram fertilem seminandi, quod in ignibus non debeas aurum tuum, & argentum sic fatigasse, vt spiritum insitum amiserit. Quorsum enim aurum euanidæ virtutis, aut cadauer? Videant ergo, quid faciant qui cemento sulphureo, vel antimonii & similium torturis aurum frangunt, & non tantum spiritus fœcundos tollunt, verum etiam humidum radicale debilitant, & ineptum ad generandum reddunt. *Pura perfecta esse fermentum nō deprauata prius ignium vehementia.*

Vnde *optimum fermentum esse iudicandum est, quod purum putum ex minera extrahitur, & plerumq; etiā chrysoplysiis colligitur.* Probandum tamen id prius aliqua portione est, num plane sit purum. Qui triticum prius tostum serit, infeliciter sibi segetem, & messem frustra promittit. In puluerē tū redigendū est vtrumq; vt eo facilius possit per minima misceri & solui, sicut & pistores fermentum suum aqua dilutum cum massa subigunt. Modi puluerandi per mercurium vel folia melle & sale terendo, &c. dicti sunt in alchymia, modo caueamus, ne quid de peregrinis adiutoribus maneat.

9. Cur perfecta corpora pro fermento assumantur, rationem reddit, quia *in eis sunt radii tingētes corpora imperfecta, & argentum viuum.* Ratio quidem hæc vna est: sed dum vocabulo *tingendi* vtitur, aliquid interius significat, nempe transmutationem simul secundum speciem, & multiplicationem, ita vt nullum auri vel argenti argumentum desit in facto; quod non solum colore mutato fit, sed & substantia ipsa. *Radii tingentes* metaphorice dicuntur ad exemplum luminis radiosi vel diffusi, quod vndiquaque se distribuit per medium perspicuum, & vbi terminatur, colorem efficit pro subiecti dispositione, & modo termini. *Tingere quid sit.*

Aurum sol dicitur. Vt sol radios colorantes emittit, ita & aurum: sed vtrumq; in suo mundo. Similis ratio est lunæ & argenti. Potentissimus soli ignis est, vt & auro. Is sulphuri comparatur. Ideo cæteri philosophi totam rationem tingendi à sulphure auri spirituali petunt, atq; ideo etiam corpus eius album, quod tinctura separata reliquum est, negligunt.

10. Secundum argumentum assumti auri & argenti est *puritas substantiæ in istis duobus reperta*, quanquam inæqualis. Nam aurum longe purius est argento, quod etiam indicat nigra linea ductu

Purgatio auri & argenti externa.

argenti super membrana, aut tabella lignea candida producta. Notandum hic, si aliqua externa impuritas adhæret, eam tolli posse lauamentis acribus, quæ naturam non corrumpunt. Ideo folia vel calces diligenter detergent prius, cumque amalgamata fecerunt, ea abluunt aquis salsis studiosissime, donec omnis nigrities decessit: quin & postquam iam separatus est hydrargyrus, ne qua abluuio maneat, ablutionibus per quintas essentias vtuntur. *Quorsum autem puritas substantia requiritur;* Nimirum, vt purum putumq; aurum vel argentum per eam fiat. Simile enim procreat simile? Leprosum semen leprosos natos exhibet: sanum sanos. Ad speciem quoque lapidis pertinet ista puritas. Nā si impura esset substantia, lapidem aurificum paraturus plumbeum, stanneum, ferreum, &c. faceres, id quod contigisse nonnullis in purgando negligentibus indicat Geberus.

2. Axiomata philosophica de non miscendis aut permutandis fermentis sunt plana, & ex natura vegetabili animaliq; petita. Hordeo & tritico & lolio simul seminatis, non nascitur purum triticum. Semina diuersorum animalium confusa monstra euadunt. Est & rationabile secundum naturam fermentum debere esse homogeneum fermentato, & nō bene triticeam massam fermento hordaceo misceri. Præterea non est eadem vis, idem impetus, & calor vtriq;. Itaque citius vnum maturesceret altero: Et in multiplicatione alterum alteri foret impedimento. At, inquis, cur Hermes scripsit, *Pater eius est sol, mater luna?* Pater & mater semina conferunt in generatione. *Sol aurum est, luna argentum; ventus est spiritus mercurialis.*

An non aurum & argē tum sint coniungenda.

Inquam vicissim in terminis esse æquiuocationem. Per *solem* intelligimus *vim sulphuream*: per lunam *mercurialem*. Ideo quod ad dispositionem attinet, mercurius noster (qui respectu hydrargyri coctus est, calidusque) cum sulphure auri, vel argenti collatus, se habet vt *luna calida temperate, & humida*, quæ est crasis seminis fœminei. Hinc dicunt sapientes: *Mercurius est nostra luna.* Sol & luna in vtroque lapide requiruntur, quanquam in rubeo tantum sit auri semen, in albo tantum argenti. Quidam contendunt ex argento sine auro lapidem fieri non posse, quia omnino ignis solis requiratur, qui desit argento: vnde nequeat per se solum gignere.

Aurum an hermaphroditicum.

Non autem impedire aurum, sed promouere illius gestionem aiunt, esseque *hermaphroditicum*, cumq; albis album fieri, cum rubris rubrū: Insuper nullum aurum esse sine argento, vt nullum vitriolum sine alumine, quasi vt alumen corpus est chalcanthi, ita auri argentum. Item ex argento in aurum esse transitum affirmant. Verum hoc argumentum facile refutatur. Neque enim si ex vno fit transitus in alterum, etiam alterum pro altero assumi in generatione potest, nisi forte & plumbum & hydrargyrum & ferrum pro fermento esse posse arbitreris.

Priores rationes diluit Azothus experientia, dum ait *in vtroq; inuentos esse radios tingentes, & puram substantiam pro specie sua procreanda. Nihil autem tēdit vltra perfectionem sui, cum natura cuique suum terminum præfixerit.* Ideo & frustra labores, si velis aurificum lapidem facere per argentum, quanquam forte per errorem accidere possit, vt argentum fiat, cum aurum intenderis.

Tria in lapidis ortu.

12. Tria conuenire in fermentatione indicat, *corpus, animam, & spiritum*, qui est medium coniunctionis, quæ vocatur coniugium seu matrimonium, quo ipso mutatur tropus fermenti, in allegoriam à coniugio humano, cui adhæret simul symbolum procreationis viui hominis. Mas & fœmina consensu suo, & legibus probatis matrimonium ineunt, & conueniunt in toto coniugali ad operam dandum liberis.

Torus iste hic est mercurius noster: quanquam alia ratione etiam vitrum & athannor Thalamus dicatur: alia tota operatio & processus in eo, sicut ex parabola medici ducem curantis apparet. In rubro lapide, aurum, vel potius *sulphur & tinctura aurea est mas: fœmina est Elixyr præparatum.* In albo, *sulphur argenti mas est*, cætera sunt eadem. Si hæc declares per partes essentiales & instrumentales viui fœtus, *sulphura sunt anima: sed corpus Elixyr* vtrique. Spiritus autem est mercurius, quanquam vtriq; sulphuri etiam suus sit spiritus, qui cum mercuriali sociatus opus promouet, & administrat, sicut & in animalium plantarumque seminibus spiritus Plasticus constituitur, qui cum spiritu mundi in matrice recepto in idem opus conuenit.

Principium lapidis.

Nota, *hanc compositionem esse primum ortum lapidis* præcedentia fuisse tantum præparationem. Ideo & plærique philosophi hinc incipiunt suas descriptiones, & *studiosissime occultant mercurii apparatū, in quo sic totum est, vt ignorato totam artem ignores.* Vnde non immerito Pythagoras dixisse fertur: ἀρχὴ ἥμισυ παντός: quod alii dicunt: *Dimidium plus toto* ex Hesiodo: πλέον ἥμισυ παντός. Reliqua enim sunt lusus puerorum, & opus mulierum: sed principium requirit solicitum laborem, prudentiam, sapientiā & experientiam. Qui de facilitate artis disserunt, huc respiciunt.

Ars facilis & difficilis.

13. *Chaos* dicitur mistura, vel pasta, in qua omnia sic sunt concorporata, vt nihil per se appareat, veluti in amalgamate ex hydrargyro & auro exacto. Ita & vna *hyle seu materia* fieri perhibentur, in

Chaos

qua omnia habent rationem potentiæ passiuæ, sed ex qua producitur actus calore externo internum spiritum & ignem suscitante. Non manet aurum vel argentum, etiamsi sit adiectum materialiter, & sensibiliter. Nam *Elixyr per mercurium resolutum ipsum absorbet.* & in suam naturam conuertit, quantum potest, quanquam speciale principium delere non possit: sed dum patitur aurum ab Elixyre & mercurio, vicissim in vtrumq; agit, cumque sit formale, & sulphur habeat potentissimum, omnem materiam disponit, vt non euadere in aliud possit, quam in tincturam aurificam. Idem de argento dicendum pro sua specie.

14. Cum prima solutio & coagulatio peracta est, augmentatur lapis corpore & virtute. Ideo adhuc semel soluitur suo mercurio per modum imbibitionis, & inceratur donec penetret, liquescat, ingrediaturq; absq; signo volatilitatis, seu fumo. Quod si nimis fluidus est, amplius coquitur, &c. *Quo sæpius soluitur, & coagulatur, eo plus tingit*, quod tamen habet suam limitationem, *cum non possit finita rei virtus infinita esse*; sed sufficiendum aliquando fermentum est.

Diui-

Diuinationes, seu problemata.

1. In albo opere pondera sunt terræ tria, aquæ duo, fermenti vnum. Quæritur problematicè, *si inæqualia sunt in compositione, & prius vbi nulla compositio fuit, non opus fuit ponderibus, quorsum aliqui iubeant Anaticam propositionem obseruare.* Medici æqualitatem mensuræ vel ponderis designaturi vtuntur termino *Ana*. Inde anatica proportio æqualitatem infert. Num respiciunt ad æqualem fermenti mistionem, opinantes quantum habet sulphur, tantum & mercurium? Ita in mercurio nostro natura & ars vtrumq; adæquauit, vt *sulphur inuisibile* in illo tam potens sit, quam mercurialis natura. Hæc autem ad virtutem, non ad corpora pertineo, fieriq; potest, vt paruæ molis potentia exæquet magni corporis virtutem, vel etiam vincat. Oportet autem æqualitatem inter partes compositionis esse, vt homogeneum mistum fiat, quod & in naturalium ex elementis mistura requisiuit Aristoteles. Si non respexerunt tam ad illa, quam ad matrimonialem copulationem, dicendum est, de viribus cogitasse in æquali, de corporibus in inæquali proportione. *Anatica proportio.*

2. Cur non *calx viua* pro fermento eligitur, sed aurum, aut argentum? Num frustra in particulari calx viua alba & rubea fiebat? Videtur Lullius ad compositionem vocare istas. Sed responderi potest, eam potius corporis rationem obtinere quam fermenti seu animæ, si sit assumenda: Et possit quidem ad vniuersale accommodari: Sed satius est vnicuique relinquere suum processum. Calx illa viua iam constat corpore & anima, seu mercurio & fermento, estque facta ex mercurio corporis, aqua mercuriali, & corpore ipso, quæ in vniuersali locum non habent. *Calx viua.*

3. *Quæ sit ratio vnionis trium*, quæritur. Azothus vult eum fieri *matrimonialiter*, eo modo, quo mas copulatur fœminæ, forma q; materiæ, agens patienti: At proponit *contritionem super mundo lapide*, vt fiant per totum similaris offa, quæ *chaos* appellatur in se habens omnium elementorum, atque etiam ipsius cœli vires. Per minima debent misceri. Hoc autem naturali contritione potius, quam artificiali est consequendum, quomodò videmus sales aquis solui, & corpora acribus liquoribus. Imo *semen maris quando iungitur semini fœmineo in matrice, ita se afficiunt mutuo, vt inde fiat conceptus & corpus genitura spiritibus & liquoribus primum mutuo efferuescentibus; deinde amica quiete considentibus, vnde agente calore & spiritu in humore sequitur naturalis procreatio.* Enimuero posse quidem contritionem mercurii nostri cum auro vel argento ad modum amalgamatis fieri, vti & elixyris cum mercurio; sed postea in confusis sequi veram contritionem, & commistionem intrinsecam, arbitramur. Ita fiet contritio externa manu, sed interna à spiritu & natura.

4. Cur autor noster omittit signa, & processum huius operationis, vt potuissemus principia, media, & fines eo exactius iudicare? An quia elucescit ex superioribus? Instituitur lapis albus coagulatus, fixusq; perfectissimæ albedinis, & potentiæ argentificæ. Finem itaq; cognouimus ex intentione. Ad hũc progressus est idem, qui cũ fieret elixyr, nempe primum fit solutio in sudorẽ; qui nigrescit penitus, indeq; paulatim albescit cõtinuata coctione. Idẽ in rubra medicina manifestiùs exponitur.

5. At cur in fermentatione non fit imbibitio, sicut in secunda operatione? Vtrum quia ipsa seipsam massa abluit sufficienter, cum quantitatem iustam aquæ secum habeat, possitque hanc viribus suis consumere? Ibi vero cibatione opus erat particulari, quia imbecillior virtus non potuit totam copiam vel assumere semel, vel etiam concoquere.

6. Lapis benedictus candidus iubetur *eximi ex vitro*: conteri subtiliter in lapide mundo: tertia parte aquæ suæ imbibi, & reponi in alueolum clarum, mundum, vt denuo soluatur in sudorem, & coaguletur. Fixationem & augmentationem, quartamque operationem hanc aliqui appellant. De Tritione mouet superior quæstio. *Tertia* vero *pars aquæ suæ qua mensura censenda?* Si totam respicimus, prima pars erat imposita: secunda diuisa in duas, quarum vna cessit in nutritionem, altera in fermentationem. Si hîc noua pars est, debuit in tres diuidi portio reseruata. Veruntamen etiam denuo fieri potest, ne interim exolescat. Neq; vero duntaxat tertia pars totius residuæ accipi debere videtur; sed & quod hęc tertia sit diuidenda in tres alias, quarũ vna inseruiat tritioni super mundo lapide, reliquę duæ paulatim submittantur per modũ imbibitionis particularis. Nã infans noster etiamsi animã acceperit, tñ nondũ potest multũ cibum simul digerere. Ideo particulatim est nutriendus, cumq; omne nutrimentũ debitum receperit, tunc clauso ventriculo coctio est procurãda per gradus, vti conuenit.

7. Cum de frequentiore solutione, & coagulatione ad virtutis & corporis augmentum præcipit Azothus, ait, *fieri lapidem fixum, stantem in igni*, per omnia imperfecta metalla velocissimè gradientem, sustinentemq; pugnas super ignẽ aqua fusili, qui tingat, &c. *Quid est sustinere pugnas super ignem aqua fusili?* Num fixũ in fluxu perstare? Nam lapis aqua aut sal fusilis dicitur à facilitate liquationis cũ constantia, qualis est halinitrũ fixum & sal ammoniacus fixus. ὕδωρ χυτὸν, aquã fusilem Plato in *Timæo* ponit aurum adamantẽ, æs, &c. Lapis noster actu cõcretus postquam ignibus eliquatus est, non fugit in ista fusa specie. *Aqua fusilis.*

8. Quæ vero est conuenientia inter præceptiones Azothi, & Lullii *in clauicula cap. 9. & 10.*? Nos dicimus. *Azothum esse interpretem Lullii.* Ita habet Lullius *cap. 9. Pone illam tuam materiam* (quæ dicebatur TERRA sigillata, sulphur nostrũ, & arsenicum, &c.) *in metreto forti supra quam pone amalgama factũm de nostra calce viua, quæ facta erat in nostra prima practica, quam reducebamus in argentũ. Fieri autem debet de tribus partibus argenti viui vulgi, & vna parte nostræ calcis. Misceantur simul, vt supra: & pone super ignem cinerum: Et videbis materiam moueri: Tunc auge ignem, & in 4. horis fiet albißima sulphurea, quæ cum fixa fuerit, coagulabit, & fixabit omne argentũ viuum, vncia vna super centum, in medicinam veram; & rursus in mille, & vsq; in infinitum.* Hoc est caput IX. Fermentationem describi patet primum ex additamento calcis Lunaris: secundo ex virtute qua vna pars destinatur centum mercurii. Sed est obscuritas in aliquibus. Idemne est argentũ in calcem redactum cum mercurio nostro amalgamare: & cũ mercurio vulgari? Azothus vult fermentũ debere esse in calcẽ albam, fixam, & subtilẽ redactum. Idem vult Lullius. At quomodo? Azothus faciebat ex argento mercurium, cui addebat subduplum argenti puri elimati, *Lullii clauicula per Azothum exposita.*

vt fieret amalgama,(quod difficulter fiet,ſi artificium ignoras. Nam qui Pragæ ex auro fecerant hydrargyrum,non potuerunt amalgama conſequi.) Hoc duodecuplo argento viuo ſoluebat, & coagulabat in præcipitatum. Lullius calcem faciebat per argentum viuum & ſalem vt eſt *cap. 13*. Hanc imbibebat oleo tartari,& menſtruo fœtente ſoluebat in mercurium. Hunc affundebat amalgamati ex argento & hydrargyro. Totam offam per gradus caloris & colorum præcipitabat in albiſſimam calcem philoſophorum. In hoc ergo conuenit vterque. At videtur in vniuerſali deſiderari non argenti præcipitatum,ſed argentum ipſum;quia *fermentum albi debet eſſe argentum*;& vt citriniſſima calx auri requiritur in opere rubeo,ita hic albiſſima argenti. Veruntamen manifeſtum eſt *in calce alba eſſe ſeminariam vim & ſulphur argenti*;& videtur in hoc eſſe compendium, ſi quis particulare prius elaborauerit. Si autem non incepit à particulari,tunc neceſſe eſt argẽteam ſua natura calcem aſſumere,aut ſcobem,vel folia. Idem eſt iudicium de argento viuo,& mercurio noſtro. Si habes calcem albam viuam,argentum viuum vulgare purgatum lotione ſatis erit in amalgamatione fermenti:Si non habes, fruſtra facis amalgama cum populari hydrargyro,quod non poteſt ſoluere auri clauſtra,ſed ſumeodus eſt mercurius noſter iuxta Azothum. Quod autem *Lullius metretum forte poſcit*,perinde eſt, ac ſi *phiolam ex vitro robuſto & firmo* nominaſſet. Imponit etiam totam quantitatem ſimul , & non recludit vas ante finem eodem modo,quo noſter autor. Adhibet igitur cinerum, qui eſt ſecundi gradus; Iam enim materia eſt fixa & poteſt eum tolerare, quanquam nondum tota. Ideo & cinerum ignis graduatur ita,vt leui calore motus,ſeu agitatio,aſcenſio , & deſcenſio reciproca , procuretur. Hoc ceſſante aucto igni per quatuor horas color albiſſimus elicitur. Id acriore calore peragitur,quia motu ceſſante,certum eſt,materiam eſſe fixam,nec metuere pœnas ignis. Eſt autem intra tertium gradum ſubſiſtendum,quia *quartus non argento,ſed auro debetur*. Ita perfectus eſt lapis pro 100. partibus tingendis. Verum adhuc duo reſtant;vnum eſt exploratio perfectionis; alterum multiplicatio, ſeu exaltatio,vt vna pars cadat ſuper mille,&c. vbi Lullius iudicat in prima proiectione *non ſtatim fieri argentum ex mercurio vulgi*,ſed *medicinam*, quæ proiectione ſui prima vice centum procreat. Verum videamus de illo augmento.

Augmenti. *Capiatur ſulphur iam multiplicatum:Deponatur in metreto: Ponatur oleum deſuper, quod ſeruatum fuerat in ſeparatione elementorum, & ponatur vſque ſit mille: Poſt ſuper cineres ponatur ad ſuſionem dando ignem primi gradus,ſecundi , & tertii ad albedinem vſque. Tunc frange vas, & inuenies laminam cryſtallinam albam:de qua pone ſuper laminam calidam; & ſi fluat ſine fumo, proiice vnum pondus ſuper mille mercurii de prædicta, & totum conuertetur in argentum. Et ſi medicina non fuerit fluens,& fuſibilis;depone eandem in cruſibulo, dando de oleo guttatim,quoad fluat vt cera: Et tunc medicina veſtra erit perfecta ſuper mille; & poterit multiplicari in infinitum.* Adhuc Lullius. *Sulphur* eſt lapis albus ex fermentatione ortus. *Oleum* eſt mercurius noſter, ex quo primum ortus eſt lapis,& qui ſeruatus fuit huc vſque, cum præpararetur per modum deſtillationis elementorum. Poni iubetur offa in cineres ad gradum caloris ſecundum. Iam enim breui confici poteſt ſine metu effugii in iſto gradu propter fixitatem. Veruntamen vt ſupra,ita & hic ignis cinerum eſt graduandus propter oleum volatile, quod ſuperat in ſolutione ſummam fixi. Finis huius graduatæ coctionis eſt *Lapis ſeu tinctura alba inſtar lamina cryſtallina in vitro coacta*. Hæc eſt præparatio. Azothus noſter oleum diſtinctius iubet addere, nempe per modum imbibitionis; & cuiuſmodi ſit oleum, indicat, dum vocat *aquam ſuam*, ſcilicet lapidis noſtri, quæ eſt *mercurius noſter*. Definit & quantitatem.

Lullius declarat Azothum, & ab eodem declaratur.

Lullius vero addit aliquid amplius, nempe perfectionis explorationem, quæ ſimiliter inuenitur apud Arnoldum. Quod autem Lullius dicit, medicinam poſſe in infinitum multiplicari, id Azotus interpretatur apertius vt habes in litera. Nota *lapidem fermentatum* à Lullio vocari *S V L P H V R*, quod vocabulum habebat etiam elixyr *capite* 8. Fermentationem appellat multiplicationem, vt & ſequens incrementum per repetitionem operationis. Vnde intelligis, augmentationem, & multiplicationem ſæpe commutari. Alias *multiplicatio ſingularem ſenſum habet*, & ſignificat inſtaurationem eius à fermentatione, vbi pro fermento eſt metallum; pro corpore tinctura; pro ſpiritu mercurius vulgi: Sed *vitare oportet calorem validiorem, alias non fit multiplicatio, ſed conuerſio*. Azothus pondus per tertiam partem aquæ expreſſit : Sed Lullius finem, cum dicit, *ad molliciem addendum eſſe oleum*, nempe vt ſit ſalſæ craſſæ inſtar vel mellis. Nam in imbibendo non ſpectamus vltimam exiccationem, ſed tantum combibitionem. Hanc poſtea ſolutio & coagulatio in Hermetico vaſe ſequitur. Laminam calidam, in qua probandus eſt lapis, alii candefactam ponunt. Debet eſſe ærea; vel ferrea. Cætera ſunt aperta.

Sulphur fermentatum.

Nota bene.

Iohannis Azothi Pars poſtrema.

De elixyre rubeo ex albo.

SI vis lapidem album conuertere in tincturam Rubedinis ad ſolificum, ſic facito: ℞. *lapidem album. Diuide eum in duas partes. Vnam augmenta ad elixyr album, vt dictum eſt, cum AQVA SVA ALBA reſeruata,& fermento. Sed alteram partem pone in vitrum philoſophorum mundum, & ſic pone in furnum ſuum, vbi da ei ignem competentem , donec vi, & potentia digeſtionis in rubicundiſſimum conuertatur lapidem,qui apud philoſophos dicitur ſanguineus,aurum purpureum, Rubinus, Corallus , ſulphur rubeum. Colore hoc viſo excipe REGEM gaudenter, & ſi volueris eum in tincturam ALTISSIMI elixyris transformare , tunc fermentato eius partes tres cum parte vna & dimidia auri puriſſime præparati , vt ſit calx ſubtiliſſima, & citriniſſima, & cum duabus partibus AQVAE SOLIFICAE artificialiter in vnum chaos reduc , connexione per minima, vſque ad occultum* (occultationem) *corporis. Impone hoc in ſuum alueolum in vaporoſo igni, vt digeratur vſque ad finalem completionem,*

Nomina lapidis rubri.
Fermentatio rubra.
Aq. ſolifica.

tionem, & vt elucescat rubicundissimus lapis. Illum iterum augmentabis de parte sua solifica reseruata gradatim modo digestionis ignis fortioris, & procedas augmentando eum de sua parte solifica reseruata, iteratis vicibus: quia quanto plus auges, tanto fit melius, & plus tingit, ita vt vna pars eius in primo gradu perfectionis tingat centum partes mercurii abluti in crusibulo positi super ignem, vt ferueat, in aurum optimum, aut Lunam statim in verissimum aurum obrizum melius omni naturali: Et posset in reiteratione lapis augeri, vt tingeret mercurium, & Lunam in infinitum; Et si mente comprehendis, habes preciosum thesaurum incomparabile arcanum.

PHILOSOPHI: *Lapis noster est lapis trium colorum*, NIGER *in primo*, ALBVS *in medio*; RVBEVS *in vltimo*. Alius: *Calor agens in humido, primum generat nigredinem; in sicco, operatur albedinem, in albedine citrinitatem.* Nam album nihil aliud est, quam nigredinis perfecta ablutio. Ex multo albo collecto per fortiorem ignis digestionem mutatur in citrinum. Videntes albedinem in vase apparere, certi estote, quod RVBOR in illa albedine occultus est. Tunc non oportet vas extrahere; sed solum fortiter coquere, quousque Rubeus fiat. *Laudetur Deus sublimis naturarum, qui creauit istam naturam, & dedit isti substantiæ talem virtutem naturalem, quæ in nullis aliis rebus naturalibus sic reperitur.* Notate ergo verba: signate mysterium: QVIA HIC sub paucis scriptis collectus est, & constrictus TOTIVS ARTIS Alchymiæ occultissimus intellectus *simplici & plana verborum explicatione sine vlla palliatione*: quod DEO TESTE *in singulis philosophorum libris nihil melius continetur quam ea quæ supra scripta sunt.* Ideo ROGO quam maxime, ne vlli impio, aut superbo offeras TANTVM SECRETVM SECRETORVM OMNIVM, ne forte iram omnipotentis incurras, & tanta sapientia PORCIS & Tyrannnis non est largienda. Secus si feceris, sit tibi DEVS omnipotens contrarius, ne istud opus perficere possis: Quia Dominus cui vult, dat illud, & demit, à quo vult, cui GLORIA IN SECVLA SECVLORVM. AMEN.

Philos. testimonia. *Album quid.* *Nota.* *Sine palliatione.* *Noli timere; Nemo enim tibi credit: Et tuus liber inuentus est in loco abiectissimo chartæ cloacariæ inscriptus.*

Finis Iohannis Azoth.

NOTÆ

Totius arcani complementum habes *in vltima hac parte Azoti, exceptis arte faciendi ingressum, projectionis industria plana, & multiplicationis modo*, quæ duo tamen quodammodo attingit, de illo in totum silens. Partes tractationis suot. 1. Quomodo elixyr album sit conuertendum in rubeum. 2. Quæ sit ratio formentationis rubei elixyris. 3. Augmentatio multiplex. 4. Virtus tingendi iuxta gradus augmenti. 5. Proiectio paucis tacta. 6. Materiæ seu subiecta recipientia tincturam & transmutationem. 7. Multiplicationis mysterium paucis tactum. 8. Confirmatio per sententias philosophorum, in quibus tamen occultata est informatio singulis operationibus communis. 9. Gloria Dei, quæ finis primus. 10. Mysterii custodia ab indignis seu signatura & silentium Harpocraticum. 11. Obtestatio de non reuelando. 12. Nomen auctoris.

1. Lapidem album vocat hoc in loco *elixyr commune album* iam duabus operationibus confectum, & de cuius parte aliqua fermentationem, tincturam & medicinam albam docuit facere.

2. *Is* conuerti iubetur in Solificum, hoc est, tincturam Chrysopœam, cuius vi ex subiecta materia aurum possit fieri.

3. Diuisio autem fit in partes duas siue æquales, siue inæquales pro artificis intentione, & voluntate. Quidam plane non student albo operi, quod argentum longe vilius sit auro, & quod inde non sumi soleat medicina vniuersalis. Quidam student quidem etiam huic, sed fermentant simul vtrumq; in vasis diuersis, vt idem ignis, idemque furnus & opera eadem impendatur, verum vsque ad quartum ignis gradum, quem lapis albus non requirit.

4. Vasa nominantur *vitrum philosophorum* mundum, & *furnus arcanorum*, de cuius constructione, vt tantum vaporosum ignem conferat, multi scripsere. Expressit formam *Rupescissa*: aliam vitream *Khunradius*: aliam alii repræsentant, delectanturque *Acedia* plærique; sed nos formam nostram ex mente philosophorum *alibi* dedimus. Hoc requiritur, vt operi accommodetur *Athannor*, quocunque sane modo informetur. Debet esse concameratus ad reuerberandum calorem: Debet spiracula, & regimina habere, item aliqua fenestratus esse ad inspiciendum vitrum, quod in eo medio sic disponi debet, vt conspectui pateat, & vndiquaque admittat calorem. Ideo locatur in tripode armillari arcanorum. *Furnus Athannor.*

5. *Ignis competens* nominatur vaporosus: sed qui nihilominus graduatur generatim & speciatim vsque ad fixitatem, postquam in rubro lapide nullus ignis est magnus: In albo non peruenitur vltra gradum tertium, argumento argenti, quod maiore igne dissipatur, quanquam ignis cineritii, & excoctionis non sit paruus. Sed tunc medicaminibus, & subsidiis defenditur à detrimento.

6. *Elixyr Rubeum Rex vocatur*: Sed nondum viuus, nec diademate insignitus. Vt plenitudinem potentiæ, & dignitatis obtineat, amplius sudare cogitur. *Rex.*

7. Gaudenter seu cum gaudio est ex vase extrahendus rex, quia spe certus es, mox tincturam confectum iri, eamque breui. Neque enim iam prolixa expectatione est opus.

8. Proportio fermentationis, seu matrimonii est eadem cum fermentatione alba; Nam *elixyris rubei tres partes, calcis aureæ finissimæ pars vna & dimidia*, vtpote subduplum ad elixyr; *mercurii seu aqua solifica dua requiruntur*. Hæc tria concorporanda sunt, vt chaos fiant, rudis, indigestaque moles, in qua nequeas dicere, hoc est aurum, hoc mercurius, hoc elixyr. *Proportio.*

9. De igne vaporoso *ante* dictum est, quod spiritus calidus tantum debeat ad vitrum peruenire à latere, sursum reflexè, & ab imo, non autem flamma, aut recto allapsu, sed ad formã conceptus in vtero matris calorẽ excipientis. Is ignis vsq; ad finẽ perseuerare debet, donec nimirũ ebullitio, ascensio, descensio & colorũ mutatio cesset, sitq; vnus omnino in toto color. Cum rubedo, & quies appareat, ignẽ intendere valide oportet; vt totũ fiat vndiquaq; homogeneum. Ideo tũc nõ amplius vtimur

furno

Fixatio post fermentationem. Inceratio.

furno arcanorum, sed libera flamma fornacis pneumaticæ. Ita absolutus probandus est num satis sit fixus, aut etiam nimis asper, vti Lullius in albo monuerat, si quidem tingere nunc volumus. Præstat autem sequens quoque augmentum addere, & tunc explorare iustam fixionem, à qua & ipsum opus nomen FIXATIONIS traxit. Ibi præcipitur de inceratione, si lapis non habet naturam salis fusilis fixi, estque asperior, quam lex requirit.

10. *Gradus* tincturarum sunt manifesti. *Proiectio* notatur duplex, vna super mercurium seu argentum viuum vulgi: altera super argentum. *Hydrargyrus debet in catino feruefieri*, donec scandat & fumet. Tunc proiicitur super ipsum determinata quantitas: Tegitur carbone, & acriter insflatur folle iusti venti. Tandem aurum extrahitur, & examinibus subiicitur mallei, coticulæ, cupellæ, sulphuris, antimonii, Regiæ, Coloritii, &c. Debet esse melius naturali, seu altius tinctum, & nihil, nisi mera tinctura, ita vt si velles ex eo tincturam abstrahere relicto albo corpore, quod fit in naturali, non posses. Ideo Paracelsus gloriatur se aurum perduxisse ad caractas 28. & 32, si credere mendaciis assueto volumus. Vidimus tamen aurum artis inæquali colore; & prout etiam artifex fuit, & laboris industria, materiaque bona, ita graduatum.

11. Quod in laudem Dei tanquam finem primum & principalem confert artem, confirmat aliorum iudicium, qui volunt, *hoc mysterium aut inuenire, aut facere hominem pium*. Est enim admirabile Dei per naturam opus in omni philosophia nihil habens comparandum. Inferius quidem est amore generis humani & redemtione per filium, omnibusque miraculis seu Christi, seu legatorum eius: Veruntamen inueniuntur, qui hoc longe impossibilius esse, & minus credibile statuant, & affirmare audacter non vereantur, *se ne oculis quidem suis credituros*, sique factum aurum fuerit, variis præstigiis & elusionibus etiam Sathanicis id potius, quam potentiæ naturæ & artis per Deum hominibus manifestatæ acceptum relaturos; *quos nos contemnimus, & sua vesania relinquimus*. Noster autor non ab homine aut hominis industria vim istam deducit, *sed à Dei munificentia erga genus humanum*. Hinc sequuntur fines subordinati, *Dilectio proximi* scilicet ad sanitatem conseruandam, vel si perdita est, restaurandam: Deinde *adiumentum pauperum, & ministerii Ecclesiastici*, si processimus vsque ad Chrysopœan. Est & Reipublicæ sua parata vtilitas: Sed hominum vitio euenit, *vt non sit tutum, istud artificium publice profiteri, & exercere*. Deus ergo retrahendo suum bonum magnates egregie punit. Cum enim exemplis certissimis persuasi sciant artem esse veram, perpetua cupiditate eos æstuare, & tabescere neque sinit in veros artifices incidere. *Falsos* autem & *sophistas pro pœna immittit, vt dum nolunt credere veritati, & compescere appetitum, credant mendaciis, & sic decipiantur*. Suspendunt impostores à patibulis. *Quid hoc aliud est, quam suæ stultitiæ monumentum erigere, & publice spectandum proponere?* Cur enim credideruunt Paracelsicis iactatoribus? Cur veros philosophos non auscultant? Qui armatus est philosophia vera, non auditur. Qui aduolitat ex furuis caminis Paracelsistarum, & proiicit aurificæ artis ampullas, is primus est in magnatum penetralibus, sed exitus declarat morbum.

Magnates inhiantes auri montibus luduntur iusto Dei iudicio.

12. Bonus Azothus putauit, contra Dei voluntatem esse, si id scriptum in aliorum manus perueniat. Ideo iubet *notare verba, & mysterium signare*. Quia vero id impossibile est cauere, saltem vetuit impiis & superbis offerri. At ne hoc quidem cauere potuit. Deus inuidus quidem non est, sed suum Solem bonis malisque immittit; imo in hoc mundo improbis sæpe maiores diuitias largitur, quam piis: Veruntamen si nostri libri publicentur, ipse scit rationes indignos arcendi. Sicut enim Christi conciones & opera ab audientibus & videntibus quidem percipiebantur, sed interim nec audiebantur, nec videbantur vere; ita agitur & cum mysteriis chymicis. Ille liber Azothi est in angulo quodam bibliothecæ inuentus, tectus vilissima opertura, manu scriptus, & plane neglectus: quem etiam si videas, piperi potius, & sulphuri capiendo, ne quid abiectius dicamus, destines, quam lectioni, cum sit Thesaurus omnium thesaurorum mundi huius post diuinam sapientiam canonicarum scripturarum, possitque mille amplissimæ bibliothecæ fructu eius comparari. Quidam licet legant, tamen contemnunt, quia falsam putant esse Chrysopœian. Quotus vero quisque est, qui intelligat lecta? Nos dum omni studio hanc artem explanamus, etiam à chymiatris superciliosissimis & Paracelsistis arrogantissimis *putamur de rore populari, vel sale loqui*, & arbitrari *ex rore posse fieri lapidem, vel sale*. Idem euenit etiam aliis. Adeo vero efficax ille à Deo immissus error est, vt qui maximè student arti, eam in portentosissimis rebus quærant, & aliqui fabolas poëticas admireentur, aliqui Salomonis canticum detorqueant; nonnulli Epistolas Senecæ; & si quid verbulorum respondere videtur opinioni, proh hominum fidem quantopere sibi placent? Interim aspernantur manifestissima. Hoc sub sole infortunium datum est hominibus, vt spreta sapientia vanitatibus occupentur.

Pœna diuina est bonos libros contemni, stultos magnipendi.

Diuinationes.

1. Azothus noster in opere rubeo requirit aquam solificam, nulla facta mentione Lunificæ in albo. Etiam Lullius duo habet menstrua, vnum pro dissolutione calcis potatæ oleo Tartari; alterum pro dissoluendo lapide, licet vtrobique sint res eædem, & ferè eadem pondera, tantumque vitriolum in posteriore excedat. *Num ergò re vera sunt duæ aquæ?* Nos non putamus, duas esse necessarias. *Vna enim est radix vtriusque & elixyr idem commune rubeo & albo*, neque quicquam aliud accedit ad mercurium, quam aurum in rubeo, & argentum in albo. Itaque *Solificus* idem mercurius dicetur, cum ad lapidem aurificum vsurpatur; *Lunificus*, cum ad argentum: vel Solificus, quia facit Solem nostrum sulphureum & ignem: Lunificus, quia nostram Lunam seu album elixyr. Interim autem substantia non differt. Si putas, mercurium ex corpore argenti factum esse Lunificum, ex auri corpore Solificum, nisi confugias ad calcem Lullii, quæ possit esse pro fermento, falleris.

Alia ratione Solificus, & Lunificus fit, cum per eum extrahuntur essentiæ auri & argenti, quod vt faciat, in aquam mercurialem, seu menstruum soluens conuersum esse oportet. At tunc non est magni operis. Est & Lunificus, & Solificus in abbreuiato, de quo *paulo post*.

2. Quæritur, cur necesse sit ad rubeum opus elixyr commune diuidere, & partem solificam ante fermentationem rubefacere. An non idem album sulphur possit rubro fermento ita immutari, vt formã rubri lapidis perfectionemq; accipiat? Eadem aqua tinctura croci fit crocea, cyani cærulea: Non opus est mutatione præcedente. Communis materia balbutit ad vtrumque, estq; omnium formarum determinatarum pariter capax. Verum in hac sequenda est Regula: *Fac vnamquamque speciem cum sua specie, & quodq; genus cum suo genere.* Sulphur album propinque est de natura argenti; remotè de natura auri. In fermentatione requiruntur dispositiones propinquæ. Album sulphur aëreum est. Huius ergo fermentum similiter est affectum. Rubrum est igneum. Non sunt genera mutanda. Alias petit homogenia.

3. Cur Azothus axiomata philosophica de coloribus distulit in finem operis? Videbantur enim accommodanda suis locis. Loquitur de colorum permutatione, quæ fit in singulis operationibus ad rubrum, & habet generale præceptũ, quod licet scientificè præcedat, tamen interpres etiam potest submittere, tanquam argumentũ, quo thesis cõfirmatur, aut alio modo arguitur. *Tres colores principales* sunt in omni repetitione solifica & ordine naturali: *Niger* est primus, *albus* secũdus, *ruber* tertius: quanquam enim inter album perfectum & nigrum intercedat *Iris*, seu cauda pauonis, in qua ignea vis sulphuris apparet: tamen non annumeratur coloribus solennibus, vti nec viriditas, & citrinitas. *Iris* Ordo iste necessarius spectandus est, quia colores coincidunt cum naturalibus materiæ dispositionibus, quibus paulatim ab imperfecto procedit, & mutatur in perfectum lapidem. Et vt hæc consecutio naturalis possit seruari, oportet te arte quoque procurare. *Præuentio enim est pernitiosa. Niger color* est primus, isque in putrefactione à calore modico in humidum dominans agente proficiscitur. Intelligis ergo, te in initio debere calorem exiguum administrare, & operam dare in vnaqualibet repetitione, vt humiditas abundet. Quod si calor foret excessiuus, & siccitas anteuerteret humiditatem, nigro colore excluso rubrum, vel album produceres, & opus peruerteres.

Maturitas non fit ante tempus legitimum, nec profeceris festinando aucto calore: sed opus corrumpitur. Ideo nec nigredo suo loco mouenda est, nec albedo, nec rubedo; cumque illa sit cum dominio humiditatis sub caloris gradu primo, qui est balnei, seu fimi: albedo cum dominio siccitatis aereæ ex humido nigro emergentis: rubedo cum ignea siccitate ex albedine procedente, ita vt hic sit calor summus, in albedine medius ex secundo in tertium graduatus, patienter hæc sunt expectanda, atq; ita etiam arte iuuanda. *Inde & signum capimus legitimi caloris.* Quod autem albedo sequi debeat nigredinem, Azotus probat albedinis definitione. Si enim est *albedo nigredinis ablutio*, fitq; processus ex contrario in contrarium: albumque nigro est oppositum ita vt & Aristoteles nigredinem priuatione albi, & contra albedinem priuatione nigri definire ausit: *manifestum est, nigredinem antecedere.* Idem & generationis motu demonstratur. *Nigredo enim quasi corruptio quadam & non ens est: albedo vero generatio & ens:* A non ente, ad ens naturalis est progressus agente calore determinato. *Quæ etiam putrefiunt, humido adhuc abundante ferè nigrescunt.* In opere nostro est putrefactio quædam subordinata coctioni perfectiuæ. Sed vnde *rubedo*? Chymici hanc *vltimum colorum* esse deprehenderunt in his, quæ ignem vltimum sustinere possunt. *Ignis* quidem *in sua puritate est albus*, vt videre est in pura flamma & cœlestibus ignibus: Verum vbi corpulentia & spissitudo cum gradu summo caloris concurrit, rubedo existit, vt in pruna, ferro candente & similibus. Hinc & aurum perustum sanguineum est, & ferrum, & æs, cum cæteris metallicis vltimo crocescunt seu coccina fiunt Tyriæ purpuræ dibaphæ instar. Verum hoc cum dispositione naturarum coniunctum est. Intellige ergo in nostro opere ideo succedere rubedinem albedini, quia prædestinatione naturali ita affecta est materia, vt si in albedine calor & siccitas præualeat, inde existat rubedo. Talis autem est noster mercurius, vt vel ex præcipitatione saltem vulgati innotescit. Nihil ergo mirum in putrefactione exoriri nigritiem, in coctione albedinem, & assatione rubedinem. In nigredine nihil perfecti est. In albedine gradus quidam sunt, perfectissimumque sortitum est argentum. Ideo tunc mercurius ad argenti formam dispositus est, cum perfectam albedinem est nactus: Ad aurum vero, cum perfectam rubedinem. Concluditur ergo, artificem primum apparente nigredine, rectè operari & bona spe esse, si perrexerit leniter, albedinem certo secuturam; & hac quoq; acquisita non posse rubedinem deesse, quia nulla alia industria hæc conciliatur, quam caloris pertinacia. Tunc oportet solum fortiter coquere, quoad rubeus fiat lapis, inquit Azotus noster. Hæc quidem ita se habent in præparatione elixyris vsq; ad fermentum rubeum (ad album enim non opus est rubedine) Interim cum reiteramus & multiplicamus, quanquam subinde tempore breuiori, non oportet deesse eadem colorum signa vsque ad vltimam rubedinem in solifico: albedinem autem vltimã in lunifico. Ideo ad posteriora quoque se extendit de coloribus admonitio.

4. De tinctura rubra asserit Azotus, quod in primo gradu perfectionis tingat 100. partes mercurii feruefacti in aurum: aut Lunam statim in verissimum obrizum aurum melius natiuo. *Tinctura virtus inæqualis in subiecto inæquali.* Quæritur, sitne distinctio inter id aurum, quod optimum dicitur ex argento viuo fieri, & alterum, quod ex argento obrizum minerali præstantius: & cur hîc adiiciatur STATIM. Num ergo ex mercurio non fit statim? Loquitur de prima proiectione, qua super argentum viuum facta non statim fit aurum, sed *medicina*, atque etiam tinctura: Et si exaltatus est lapis ad nobilitatem, subtilitatemque vberiorem, vti Arnoldus indicat, etiam secunda super hydrargyrum proiectio exhibet non metallum, sed adhuc *medicinam*, quæ tum demum ex mercurialibus aurum educit. In argento iam fixitatem suam habente dissimilis ratio est.

Quia

Quia enim id proximè aurum est, ideo & prima statim proiectione lapidis aurifici fit aurum. Mercurius abest longius. Ideo primum sui similitudinem in argento viuo lapis procurat. Imperfecta metalla melius transmutantur per tincturam elaboratissimam. *Differentiam autem subiectorum facere differentem auri bonitatem*, non est difficile iudicatu, nisi tinctura sit fortissima.

Abbreuiatio.

5. An non potest in compendium contrahi opus? Paracelsus sane veteres irridet, quod tantis ambagibus ad ærarium rubri Leonis contenderint, prælecatque præparationes inuecta quadam coocordantia astrorum cum inferioribus, *iubens nihil aliud sumere, quam Rubei Leonis sanguinem, & gluten aquilæ albæ*, quæ sunt duo astra chymica, quæ cum terreno argento viuo, & imperfectis sic concordant, vt postquam illa fuerint exaltata, hæc libenter patiantur se immutari, non in tincturam; quod videbatur requirere finis naturaliter agentis, sed in aurum, ex quam tinctura erat orta. Verum quod ad veterum institutum attinet, illi longè diligentius inuestigarunt naturã rerum, quam ebriolus Paracelsus. Deprehensum est, *naturam ex solo argento viuo; cum in id inciderit sulphur analogum, longo annorum spacio gignere aurum*. Idem & chymicus arte poterat procurare, modo illud sulphur minerale obtinere, & arti obediens reddere nosset. Compendium autem inuentum est per *sulphur ex auro iam maturo reductum*; Et vt naturam sequerentur, itidem mercurium præparando dispositum reddiderunt ad auri sulphur excipiendum: posteà per modum fermentandi id sulphur ex auro intulerunt, atque ita consecuti sunt vim quandam naturæ, quæ iam excepta & in subiectum tractabile coacta, ab illis in immensum exaltatur, adeo vt *ex mercurio præparato & auro fœcundo sulphur aurificum merum, validumque fiat*, cuius proiectione breuissimo tempore id obtinent artifices, quod in natura vix mille annis creditur nasci. Legitimum hunc esse processum, inde patet, quia *naturam ducem sequitur*, vt tota artis ratio exigit, fatente etiam Aristotele, in naturalibus & artificialibus vasis eandem coctionem fieri posse, nisi quod Dei benignitate ars alicubi vincit naturam, facitque meliora, & elaboratiora. Multi tamen abbreuiationes minus operosas sibi arrogant, adeo vt non desint, qui putent, se lapidem mense, septiduo, triduo vel etiam dietim conficere posse, quod nos concedimus his, qui tincturam habent, & sciunt modum multiplicandi. *Alias licet etiam statim incipere à coniugio Solis & Lunæ, veluti cum mercurium in aquilam albam per sublimationem conuertimus, adeo vt iam sit merus spiritus fœcundus de natura fœminea calida humida: deinde hunc per tartarum reductum debita proportione* (vnius ad tria) *cum auri tinctura, quam oportet per aquam mercurialem cœlestem procurare, & non per regias auri destructiones, coniungimus, vt fiat offa, vel pasta, quæ & amalgama dicitur: Insuper hanc inclusam phiolæ obsignatæ coquimus industriè per gradus ignis, vt ex nigredine per albedinem in summam rubedinem pergat; tandemque hanc tincturam per mercurium nostrum denuo soluimus, & coagulamus, & si volumus, etiam amplius procedimus reiterando semper in secunda multiplicatione cum nouo auro: consequimur tandem optatum aliquanto compendiosius, nec cogimur primam & secundam operationem in solo mercurio instituere.* Verum *omnes periti tutius iudicant in veterum processu manere donec artifex quam peritissimus euaserit.* Cogita, quam facile errare possis, si statim auri tincturam, quæ est ignis validus, cum mercurio nostro committeres. Nam pauco ignis excessu rubedinem omissa nigredine & albedine eliceres, atque ita opus peruerteres.

Omissa ab Azotho.

6. Quæstio est, cur Azotus non faciat mentionem *auri potabilis*, quod tamen omnes recentiores volunt ex hoc fundamento procedere, & eadem arte fieri. Idem cum de vsu ad metalla transmutanda sæpe disserat, nihil habet *de morbis humanis*: cumque alii etiam *olei* faciant mentionem, & *gemmarum* per lapidem: item *vitri malleabilis* reddendi, & *separationum ex aquis*; nihil tale habet Azotus. Arbitramur, ipsum primarium philosophorum scopum respexisse, satisque habuisse summo fine expresso, cætera experientiæ, & industriæ cuiusque reliquisse. Interim autem & Lullius *in suo apertorio* nihil de gemmis & vitro habet. Azotus est Lullii hoc in opere interpres. Sed nec cum nostro æuo plures reperti sint, qui lapidem aurificum habuerunt, *nullus tamen eum ad morbos humanos legitur, aut auditur adhibuisse.* Putamus, caussam esse, quod si ad medicinam humanam debeat fieri, omittendus sit scopus metallicus; & *non possit idem morbos sanare, & simul metalla transmutare.* Quis autem est quin per lapidem aurum quærat? Nos tamen adhortamur studiosos, *vt medicinam humanam potius spectent.* Illam autem consequentur compendio, si absque longo processu statim mercurium nostrum cum auri calce perfecta & per modum tincturæ præparata iunxerint, & in Hermetico vase secundum artem coagulauerint. Hic est *præcipitatus noster medicus in omni morbo sanabili commodus*, si solertet dirigatur, id quod per additamenta fieri oportet; si modo directione indiget Catholicum per totum corpus se extendens. Inuenire vero hunc vsum est apud Arnoldum & alios nonnullos. *In aurora consurgente, & clangore buccinæ* quatuor virtutes enarrantur. *1. ad morbos humanos. 2. ad metallorum perfectionem. 3. ad lapides in gemmas transmutandos. 4. ad vitrum ductile* reddendum. Vide *in artis auriferæ volumine primo pag. 241. & 541*, editionis Basiliensis an. 1593.

Medicina humana ex lapide.

Oleum tingens.

Oleum qui volet ex tinctura sicca, is id consequetur *inceratione repetita.* Cogitur autem id oleum in frigore; resoluitur calore, vt solent & alia ex humore vnctuoso, seu butyro argenti viui sublimati. *Rubinum* preciosissimum si velis; illiqua crystallo per boracem fuso tincturam. Est autem etiam per se Rubinus in sua coagulatione solida.

Aurum potabile mysticum.

Aurum potabile per se non fit: Sed oportet per incerationem in olei facilitatem redigere. Huic affunde vini spiritum nobilissimum, seu quintam essentiam. Digere: abstrahe lenissimo calore, affusaque alia procede similiter pluribus vicibus, donec placeat consistentia, quæ in liquorem se diffundat. Aliqui obseruant modum tincturatum.

7. De Lullianæ clauiculæ cum Azotho in opere rubeo collatione. Ita habet *cap. 11. clauiculæ: Accipe in nomine omnipotentis Dei quatuor vncias de lamina prædicta. Dissolue in aqua seruata de lapide. Cum dissoluta fuerit, pone in balneo ad fermentandum per 9. dies: & capias duo pondera de calce nostra rubea, & proiice in prædictum vas, & fermentetur per nouem dies. Post destilletur in Alembico in balneo, post super cineres, dando ignem primi gradus, quousque materia fiat nigra: quæ est nostra SECVNDA DISSOLVTIO, & nostra secunda Eclipsis, quam fecit Sol cum Luna, quod est signum veræ dissolutionis & coniunctionis masculi cum fœmella. Post auge*

ignem

ignem vsque ad secundum gradum ad citrinitatem materia. Deinde fortificetur ignis quarti gradus, donec materia fuerit fusa, sicut cera in colore hyacinthi, & est materia alta, & regalis medicina, qua prompte curat omnes infirmitates corporis agri, & conuertit omne metallum in aurum purum melius naturali. Et nos reddamus gratias Saluatori glorioso, qui in gloria cœlorum regnat TRINVS & VNVS in aternum & vltra. Hæc Lullius, quem impossibile est intelligere sine Delio natatore, aut peritia artis. Delius natator nobis est Azotus. *Accipe quatuor vncias.*) Partem de elixyre albo quotam velis, exempli gratia vncias quatuor. *Dissolue.*) anticipatio est. Nondum enim soluitur, sed prius coquitur vsque ad rubedinem. Deinde soluitur seu sola, seu etiam calx auri. *Ad fermentandum.*) non vt iam in balneo fermentetur sine calce auri; sed finis posterior indicatur. *Per 9. dies.*) tamdiu debes in bono igne detinere, donec rubedo fixa emerserit, quod fieri potest critico vel climacterico aliquo termino. *Capiat duo pondera.*) Azotus dimidium calcis ad elixyr sumit. Intellige ergo hic vncias duas, si quatuor fuerunt elixyris rubei. *Proiice in prædictum vas.*) Coniunge solutum elixyr cum calce, siue id fiat conterendo, vt Azotus vult, siue alio artificio. *Vt fermenetur per 9. dies.*) idem tempus certum pro incerto; sicut & menses philosophorum non sunt determinati semper. Finis autem fermentationis respiciendus est. *Post destilletur.*) Cum dicat post, consecutionem & ordinem indicat. Vnde possumus etiam hanc sententiam nouendii exculpere, antequam calor adhibeatur, debere relinqui sibi misturam, vt penitus subigatur partibus humidis per omnes siccas penetrantibus. Mentio vero alembici & cinerum tota est mystica. Neque enim hic adhibetur alembicus, aut localis destillatio; sed ita primus gradus ignis describitur, vt secundus per cineres, quanquam nec aqua, nec cinis sit in Athannore. Sequitur autem statim explicatio, cum iubet dare ignem primi gradus, quousque materia fiat nigra; nec ab hoc gradu desistendum est, donec solutio totaliter est peracta: tunc secundum gradum paulatim incipimus, & siccitatem seu coagulationem procuramus. Interim fit sphæricus seu circularis motus materiæ, quo cessante secundus gradus plenus administratur, cumque procedit perfecta albedo, tertius, qui continuatur vsque ad citrinitatem, & tunc quarto gradu plena rubedo elicitur, idque etiam extra Athanorem igne violento. *Quæ est nostra secunda dissolutio.*) Secunda nimirum, quæ coniuncta est cum Eclipsi. Prima fiebat in albo lapide, vbi dicitur *Eclipsis Luna*: Secunda est in rubeo, vbi vocatur *Eclipsis Solis*, à Luna seu mercurio nostro & elixyre. *Quod est signum vera dissolutionis.*) Nigredo emergens est signum putrefactionis. Hæc autem interiores misti ligaturas soluit, vt etiam notum est physicis. Quamuis ergo etiam videatur solutio esse in amalgamatione: tamen vera non est. Eadem opponitur *solutionibus quoque corrosiuis, qua non fiunt in mercurium, seu primam materiam, sed in puluerem & calcem.* Nota ergo, quod *necesse sit nostrum mercurium ex naturali argento viuo extractum esse: nam talem solutionem nullaris naturalis præstare potest. Et coniunctionis masculi & fœmina.*) Nempe spermatica. Non enim est coniunctio vera, cum aurum hydrargyro copulatur & cum eo subigitur, quia separari potest, nec hæret.

Destillatio mystica.

Mercurium philosophicũ extractum esse ex naturali.

Vera coniunctio est duorum seminum confusione, & fermentatione mutua sic vnitorum, vt plane sit vnum homogeneum inseparabile. *Masculus* dicitur *semen ex auro extractum* per nostrum mercurium; *fœmina vero elixyr resolutum* per eundem, qui etiam cognatus vtrisque vtraque sic miscet & continet, vt omnino sint vnius, eiusdem naturæ, & in vnum fructum contendant. *Auge ignem vsq; ad secundum gradum ad citrinitatem materia.*) Distortus textus est. Nam ignis moderatus durare debet vsque ad quietem materiæ; & tunc gradus secundus procuratur vsque ad euidentem albedinem, à qua gradus tertius vsque ad citrinitatem sequitur. Est autem *citrinitas principium rubedinis*, quasi diluta rubedo, seu mistura ex albedine murata, & pauca rubedine, quæ porro vi ignis exprimitur gradu vltimo. Non tingit lapis, nisi tingatur prius. *Donec materia fuerit fusa sicut cera.*) præfractus est textus. Quarto gradu obtinetur summa rubedo, quæ hyacintho comparari non potest siue flauum intelligas, siue dilutæ violæ. Carbunculo, rubino, pyropo, sanguini, cinabari puniceo, croco spilo, &c. æquiparatur color, & consistentia. Inceratio, per quam lapis fermentatus fit fusilis, vt cera, vel sal fusile, est noui operis. Nam cum iam fermentatio est peracta, terra nostra rubea benedicta imbibitur oleo nostro inceratiuo, hoc est, *mercurio olei consistentiam habente*, & digeritur per vices, vt solet fieri in imbibitionibus, donec super lamina candente liquescat ceræ instar, aut halinitri fixi. Ibi simul figitur, vt fluxus fiat sine fumo. Apparet hinc, quantæ tenebræ sint in Lulliana clauicula, licet titulus promittat apertionem, & manifestam declarationem omnium, quæ Alchymia continentur. Sic beneficio Azoti nostri Lullium aperte loquentem auscultare possumus. In recapitulatione addit, *si de lapide fluente fixo, & fundente vnum pondus proiiciatur super* 1000. *mercurii vulgi, mutari in aurum finissimum.* Sed nobis succuttat illud Azoti NON STATIM. Nam primis proiectionibus, vt & Arnoldus indicat, non fit metallum ex argento viuo, sed medicina. Sunt autem & alia memorabilia in anacephalæosi Lulliana. 1. Testatur de veritate magisterii, quia *viderit, tetigerit manibus, & fecerit*: quæ est testificatio etiam Gebri & aliorum plurimorum, de quibus alibi. 2. Iubet lapidem philosophicum subtiliare *ingenio natura, & artis.* Neque enim verum est, quod osores magistris tribuunt, eos scilicet promittere lapidem solius ingenii & artis viribus. *Ars est natura ministra*, quam ita promouet, vt longe altiorem gradum consequatur, quam poterat vi naturæ solius in mineris terræ. 3. Lapis in argentum viuum debet reduci. Hoc quidem ipse in particulari de auro & argento ostendit; sed occultior est sensus Lapis hic, ex quo argentum viuum nostrum est, initio nihil est aliud, quam argentum viuum de minera, per salem & vitriolum in crystallinum lapidem redactum. Hoc est vnum. Deinde iste mercurius solutione, & coagulatione secundo fit lapis, licet non lapidea consistentia. Hinc reuocatur in mercurium per mercurium, & pro rubro opere corpori rubro iungitur, pro albo argento: qualis coniunctio etiam in particulari fit pro medicina multiplicabili, vt dictum est; sed hîc alia ratio est, aliudque consilium. Quod si tamen velis per particulare procedere, iubet Lullins denuo

Verum matrimonium est spermaticum.

Recapitulatio Lullii.

Veritas artis.

nuo materiam (albam vel rubeam) in mercurium per aquam mercurialem soluere, vt ex fixo fiat volatile addito fermento, quod animam infert corpori. Mistura decoquitur per gradus vsque ad puluerem album, seu lapidem album in albo opere, qui puluis ex volatili fixus est redditus, iterumque solutione volaticus factus figitur pari processu. 4. Multiplicatur ingenio artis & naturæ reiterationibus crebris solutionum, & coagulationum, semper attendendo, vt cum aqua coquatur, donec maneant omnia in examine ignis fluentia, vt cera sine fumo. 5. *Aqua prima solutionis sumenda est* (inquit) Intellige, si ad rubrum progredieris. Aqua illa vel coagulata est, vel soluta. Si coagulata, elixyr rubrum cape: Hoc soluitur mercurio nostro primo, vt omnia sint coessentialia. 6. *Solutione facta addatur aliquod citrinum*, hoc est, aurum. Azotus noster hoc matrimonium satis dilucide expediuit. Iungendum vtrumque solutum est, vt fiat communis offa vndiquaque homogenea. 7. *Per modum coniunctionis cum destillatione totius animæ.* Intellige coniunctionem seminalem, de qua *supra* in putrefactione. Tota vero anima destillari dicitur modificatè, pro decoqui & perfici per gradus ignis ita, vt quasi tota anima ex alembico extracta videatur, hoc est, tota pasta vim animæ tingentis consequatur. Nam cum absolutus est lapis ruber, *totus est anima*, seu tinctura, & nihil habet à se dissentaneum. 8. In illa destillatione, seu decoctione quatuor gradus ignis ordine sibi succedunt, cum in lapide albo tantum tres essent. 9. Repetit de *Hyacintho.* (a) Si gemmam intelligimus, non respondet color, nisi Lullius rubram aliquam sic appellet. Virgilius florem ferrugineum vocat, sed is ad cæruleum inclinat: Alias purpureus est, verum & hic non omnino ruber, sed violaceus, & veluti amethystinus. Est tamen & rubra purpura, vt Tyria cocco tincta, quæ adeo spissa fiebat, vt sanguinis concreti instar aspiceretur, sed cum fulgore. In 10. Metamorph. apud Ouidium est de pueri Hyacinthi disco occisi cruore in florem cognominem mutato. Flos iste Tyrio ostro nitentior dicitur à Poeta, & purpureus, forma lilii. Vnde intelligimus asphodelum sanguineum, vel lilium cruentum, aut hemerocallia accipienda esse. Huc ergo respexerit Lullius in suo hyacintho, qui fingitur etiam ex Aiacis sanguine prodiisse 11. *Metamorph.*. Atque hactenus de Azotha & Lullio, primaque monade Heptadis nostræ.

(a) *Nobilis Anshelmus lib. 2. de lap. cap. 30. primariam hyacinthum scribit esse cocci, vel miniinatiui, aut sanguinis admodum biliosi colore, ita vt instar ignis rutilet, proximè granatis Bohemicis, nisi quod dilutior sit: secundam flauescere rubedine croci: tertiam succini flaui instar esse: quartam albi pellucentis succini. Plinii hyacinthum amethystis annumerant, &c. Lullius itaque de prima sensit.*

D. O. M. A.

HEPTADIS HERMETICÆ MONAS SECVNDA,

NICOLAI MELCHIORIS CIBINENSIS Transsyluani ad Ladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem.

PROPOSVIT ille Nicolaus Lapidis sui descriptionem in forma Missæ adhibitis contra 11. præceptum sacrosanctis mysteriis, quo modo Paracelsici & monachi solent miscere secularia spiritualibus, & sanctissima, adorandaque mysteria furnulis suis fuscare, & atro fumo inquinare. Nos omissis profanationibus diuinorum officiorum, naturæ, & artis vocabulis terrenam hanc sapientiam ex suo autore reponemus. Ita est in editione Barnaudi:

Fundamentum artis est corporum solutio, quæ NON IN *AQVAM NVBIS; sed in AQVAM MERCVRIALEM resoluenda sunt, ex qua generatur verus Lapis philosophorum.*

Introitus: *Vitrioli, & salis nitri æquales partes: dans solutionis testimonium.*

Surge Aquila, & veni auster. Perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

Descendit sicut pluuia in vellus.

Felix conditor terræ, niue albior, suauitate dulcior fragrans in fundo vasis instar balsami: Salutaris medicina hominum, quæ curas in breui morula omnem corporis languorem, & das longæ vitæ terminum: naturam humanam renouas, paupertatem fugas, diuitias tribuis, tristitiam compescis, & vitam incolumem asseruas.

Testamentũ artis. Testamentum artis, in quo TOTA ARS chymica tropicis verbis occultatur. *Iubar cæli speciosum, mundi lumen radiosum: Hic cum Luna copularis: Fit copula martialis, mercuriisque coniunctio. Ex his TRIBVS maximè per fluminis alueolum nascitur ille gigas fortis, quem quærunt millia mille: artis magisterio ipsis solutis non in aquam nubis: Ea enim nostrum nunquam emendatur Gummi: Sed in aquam mercurialem resolutionis. Hoc gummi nostrum benedictum per se solutum iam nomen habet philosophorum spermatis.*

Tunc,

Nunc, nunc petit copulari, virgini sponsæ desponsari, eamque in balneo impraegnare per ignis temperantiam. Sed non repente virgo impraegnatur, nisi amplexibus crebris osculum ei tribuatur. Tunc in matrice concipitur, & sic felix fœtus procreatur, hocque naturæ ordine. Tum in fundo vasis apparet æthiops fortis, combustus, calcinatus, colore discoloratus, & penitus mortuus, vita carens. Iam rogitat inhumari, & suo humore subrigari, atque suauiter calcinari, donec ex ignis fortitudine appareat candidissimus. Sed sæpe prius sumit potum, quod ad æthera scandit totum, cum per se sit iam bene lotum in ignis perseuerantia. Nunc demum efficitur gratum, proprio sudore renatum, redditurque corpus ablutum prius obtenebratum. En mirabilis æthiopis regeneratio, seu renouatio. Hinc vendicat sibi nomen nouum per regenerationis lauacrum, quod philosophi appellant SVLPHVR NATVRAE, & eorum filium, qui est LAPIS PHILOSOPHORVM: sed obtenebratio fatuorum, qui per philosophiæ naturalis ignorantiam decepti sunt, per variam ignis repugnantiam. Ecce res est vna, radix vna, essentia vna, cui nihil extraneum apponitur: Sed tantum superfluum remouetur per artis magisterium. Vnitas homogenea *Demum affectat confortari, à sua natura fermentari, humore suo subrigari, & temperate destillari, postquam satis biberit. Et tunc incipit regnare, & contra vim ignis pugnare, vultque in cœlum sublimari, & diademate coronari. Postea omnes inimicos suos, & rebelles prosternit, & suo imperio subiicit. Hic est thesaurus thesaurorum, summa medicina philosophorum, cœleste secretum antiquorum. Beatus, qui hoc inuenerit. Qui vidit talia manifeste scribit, & loquitur, & scio, quod verum est testimonium eius. Sit Deus benedictus in secula seculorum per Iesum Christum Dom. nost. Amen.* Monas hieroglyphica.

Diuinationes.

1. Autor asserit, se tropicis verbis totam artem chemicam testamento suo occultasse. Videtur ergo, nihil plane & simpliciter dicere voluisse. Verum nonnulla sunt satis aperta. 2. Inter caussas efficientes primam & principalem ponit *Deum*, quem & sollicitè inuocat: Deinde *artem*, quæ constat præceptis, vsu & experientia comprobatis, ratione inuentis. *Naturam* quoque aliquando appellat, cum album elixyr sulphur naturæ dicit, & sanè eandem statuit, dum ait rem esse vnam, cui nihil extraneum apponitur, sed tantum superfluum remouetur per artis magisterium. *Si ars tantum abundantia tollit, cætera sunt naturæ.*

3. Finem refert *ad gloriam Dei, medicinam morborum diuitias*, & *auxilia contra Turcam.* 4. Forma comprehenditur nomine *Aqua mercurialis, lapidis, spermatis, æthiopis nigri, abluti corporis candidissimi*, & aliis, pro variis materiæ dispositionibus. 5. Materiam primam elicimus ex his: *Res vna, radix vna, essentia vna, sine extraneo, cui superflua demuntur arte.* Quis dubitet esse mercurium ex naturæ mineris? Materiæ descriptio. Requiritur aqua mercurialis. At hæc non est aliunde. Nominantur corpora, quorum solutio sit fundamentum artis. Si hæc in aquā mercurialem soluuntur, mercurialia esse debent. Hæc enim aqua est, ex qua generatur vetus lapis philosophorum. 6. Nominat quidem & *vitriolum* & *halinitrum*. Sed in his nihil est, de quo aqua mercurialis metallica prodeat. Aquam nobis ex eis elicimus: at non mercurialem metallicam (Terminus, *mercurialis*, hîc non accipitur de principio, quod est aquosus liquor, sed de argenti viui aqua) 7. Adiuuantia vero artificem sunt, vt possit superfluum demere, idque per modum sublimationis, quem pridem professus est Geber. 8. Sumatur ergo argentum viuum, vitriolum, & halinitrum, fiatque *sublimatum*. Sed quale? *Aquila.* Ita enim *in Graduali* cantat: *Surge Aquila.* Aquila alba philosophorum est spirituale & crystallinum sublimatum, cuius *Gluten est vera aqua mercurialis:* Aquila alba philos. 9. Num sublimatum per se est adhibendum? Non Sic enim in artem veniret aliquid peregrinum. 10. Quomodo ergo? *Soluatur in aquam mercurialem ope austri, seu destillationis descensoriæ, aut deliquii* in calido humido fimo, vel analogo: *Auster enim* calidus humidus est, vt eo resolui possit aquila. Flante per hortum nostrum austro, aromata fluere dicuntur, quæ est resolutionis per calorem humidum allegoria. Aromata sunt medicinæ confortantes, pro his est medicina lapidis nostri ex auro & mercurio. 11. Cuiusmodi tunc est? *Destillat sicut pluuia*, vel guttæ super terram: quibus verbis liquor destillans indicatur, quod potest intelligi de destillatione per deliquium: alias descensoria per ignem circularem proponitur. Ita *soluitur aquila nostra in liquorem*, sicut & per retortam in vnctuosum humorem. 12. Crystallinus ille mercurius conditor terræ dicitur. Ex eius enim liquore Terra nostra exit. Describitur, quod sit *candidior niue:* Et tale sublimatum requiritur. Fit quidem *infra* mentio etiam lapidis albi: Sed contextus hîc non de lapide facto loquitur. *Dulcior suauitate* vocatur, quia amissa acrimonia dulcedinem vitriolatam induit. *In fundo vasis, vt balsamus fragrat*, seu olet balsameum quid, quale etiam ex vitriolo exit. Liquor ex sublimato reductus iucundum spirat; & dicitur in fundo vasis esse. Nam huc destillauit ex resoluto lapideo sublimato. Dicitur paulo post etiam *fons sublimis*, ex *quo scaturiat vera aqua vita* vt sit salutaris medicina, qua breui sanantur morbi. 13. *Ex aqua vita hac*, vel mercuriali *verus lapis* philosophorum *gignitur.* Hæc sunt, quæ ad materiam spectant. Ea vero est prima: ad quam postea in elixyr redactam adhuc assumitur *cœli iubar*, seu *Sol vel aurum*, vt *infra.*

14. Materia quo modo elaboratur? Finis hic primum spectandus est. Debet fieri lapis philosophorum verus, vt est in initio. Materiæ elaboratio. Eius conditiones sunt *Regnare, contra vim ignis pugnare, in cœlum sublimari, diademate coronari, inimicos subiicere, morbos pellere cum tristitia & paupertate.* Omnia concurrunt in tinctura rubea. Tincturæ conditiones. Neque enim facile fiunt coronæ argenteæ, neque in argentifico lapide tantum est: Imo ne solet quidem ad medicandum morbis omnibus breui spacio commendari. Intelligimus ergo *Lapidem solificum* institui. 15. Quo vero modo? *Gummi* nostrum *benedictum* per se solui debet, vt fit *sperma philosophorum.* Operatio 1. Soluitur autem in suo vase per putrefactionem nostram, fitque sudor spermaticus, qui appetitu naturali fertur ad comprehensionem seminariæ virtutis. Dicitur *virgo.* Est enim mercurius virgineus, qui in nullo opere fuit, nec vllo alieno metallo adulteratus. Hæc impræ-

gnatur. A quo? A suo sulphure; quod secum habet inuisibiliter. Vbi? In balneo: hoc est: gradu ignis moderato, qualis est balnei temperati. Iste est *lectulus primus continens ignis temperantiam*, vt ait monachus. *Copulatio, & desponsatio* dicitur illa partium fixarum & volaticarum vnio.

Impragnationis tempus. 16. Num statim fit *impragnatio*? Non, sed oportet intercedere crebra oscula & amplexus, hoc est, *non fit vnio sulphuris & mercurii volatilium & fixorum nisi per frequentem ascensum, & descensum, quo fit, vt depluens liquor sæpe in fundo manentem partem attingat, & eam quasi osculetur, & in amplexus trahat.* Iste est motus circularis in sua sphæra, seu rotundo vitro Hermeticè clauso. Quidam vicies semel dicunt ascensum & descensum peragi. Ita fit conceptus in matrice & gignitur fœtus, hoc est, supera inferis conciliantur, & cum illis inseparabiliter vnita quiescunt, sicut conceptus in sua matrice, postquam semina commmissa iam agitari, & ebullire desierunt.

17. *Naturæ is ordo* esse dicitur. Nam naturaliter ex semine fit conceptus, ex conceptu fœtus.

Nigredo prima. 18. Quid fit, cum iam pax data est materiæ? Calore operante in humidum nascitur *Aethiops specie calcis seu terra combusta*, quæ etiam mortua dicitur. Hactenus prima operatio. Sequitur secunda.

Operatio 2. dealbatio. 19. Quomodo tractandus est ille æthiops combustus? *Debet inhumari, & suo humore irrigari*: hoc est, recondi in suo vase, & potari aqua propria, quæ est mercurius ille ipse, ex quo primum prodiit. Imbibitio fit pluribus vicibus particulatim, donec ordine biberit iustam copiam, semper interiectis exiccationibus. Ideo dicit monachus: *Sæpe sumit potum.*

20. Quid postea faciendum? Includitur arctissime, ne possit respirare, & paulatim igni administrato coquitur, donec ex nigro albefiat, & ex volatico figatur, euadatque calx alba fixa, quæ forti igni demum vsta fit candidissima, & æthercam nobilitatem adipiscitur. Hinc dicitur *efficigratus ille æthiops*, seu *speciosus*, & *amabilis*, postquam est renatus, seu reuiuificatus *proprio sudore*; hoc est, mercurio, & ablutus omni obtenebratione ablata, quæ mira est renouatio, qua etiam nouum nomen acquirit, & dicitur SVLPHVR NATVRÆ (alias sulphur album, arsenicum album, elixyr aereum, &c.) *Filius sapientum Lapis philosophorum*, obtenebratio fatuorum, qui ignem non possunt industriæ accommodare. Nota vero, nondum perfecte obtinere titulum lapidis, nisi autor implicauit lapidis albi sensum. Hactenus operatio secunda.

Elixyris albi nomina honoraria.

21. Debilitatus nihilominus est tam longis ignibus, solutione, coagulatione, ascensu, descensu, imbibitione, calcinatione. *Ergo*, inquit autor, *affectat confortari*, & *fermentari à sua natura*, seu à corpore perfecto, quod ex eadem radice prodiit, ex qua albus iste lapis. Nihil enim peregrini accedere debet, sed esse vna radix, & vna essentia.

Coniugium & fermentatio. 23. Quæ est ratio istius fermentationis? *Assumitur cæli iubar radiosum*; id est, Sol, seu *aurum purißimum*: Deinde *Luna*, quæ est, *mercurius noster* iam in elixyr candidissimum conuersus. Hæc duo coniunguntur *mediante aqua nostra* seu mercurio, fitque *copula martialis*, ignea, sulphurea, arcana, quasi Mars veneri copulatus est. Hæc tria per *fluminis alueum* coeunt, hoc est, per formam humoris, seu liquoris spermatici, qui vocatur aqua, non nubis, sed mercurialis, Mercurius duplex, duplex sperma; sicut animalium semina constituunt corpus geniturae in matrice. Inde nascitur *Gigas ille noster*, Lapis scilicet solificus fortior omni metallo.

24. Quid præterea? Idem est processus in fermentatione, qui in præcedentibus operationibus. Postquam ergo iam coagulatus est lapis, imbibitur & inceratur, donec fixus sit, & in lamina candente fluat sine fumo, vt cera. Satis debet bibere. Deinde in clauso Hermetice vase coqui vsque ad summam perfectionem, qua acquisita REX est actu, qui resistit igni, & argentum viuum, omniaque cætera metalla in aurum optimum conuertit. *Est thesaurus thesaurorum.* Omnia ista autor confirmat sua experientia. Desunt autem multa: Sed quæ ex aliis supplebis. Hactenus Monas Secunda.

Deo Gloria.

D.O.M.A.

D. O. M. A.

HEPTADIS HERMETICÆ MONAS TERTIA,

PROCESSVS PRIMVS NICOLAI BARnaudi intra Cymbali aurei Sympegma ab Anshelmo a Booth inuentus.

HISTORIÆ summa est, Nicolaum Barnaudum, Guilielmi Vrsini à Rosis in Bohemia Medicum, amicitiam contraxisse cum Anshelmo à Boodt Medico Belga, & ab hoc accepisse processum Lapidis philosophici, quem inuenerat appositum confractis Cymbali aurei in pelle arietina descripti tabulis cum puluisculo, quo veritas descripti artificii comprobaretur. Comprobata quidem fuit vera transmutatio argenti viui in aurum purissimum iuxta assertionem: Sed cum postea tum Anshelmus, tum alii ex descripto puluerem aurificum vellent concinnare, non potuerunt, vtpote sequentes literalis sensus tenorem, à quo absterrent filios doctrinæ philosophi. Ne vero omnino periret, & gratia Dei cæteris, qui forte felicius in ea re sint versaturi, subduceretur, in publicum cum bona sui fama & memoria præclara processum dedit: qui est huiusmodi:

Recipe auri obrizi vncias duas: Mercurii magno artis studio elaborati decuplum. Misce, & vulcano languido dissolue, dum mercurius expiret, aurique impositi pondus maneat, in atrum puluerem redactum: *qui tamen liquatus possit in antiquam auri naturam conuerti. Ex hoc puluere mercurium igne vaporarii, aquam continentis, elice, dum puluis in calcem niueam deuergat. Hanc septies aqua resperge, qua toties expiratione inde prolecta sit; & omni cura elabora, vt hac impulsione & excursione crebra sese extenuent, & ab omni sorde, & fece euadant purissima, vimque recipiant superiorum, & inferiorum, descendendo in terram, & rursus ascendendo, vt in Hermetis smaragdina tabula legitur.* Hæc aqua est *Azoth, spiritus viuens. Terra est fermentum: Aqua est mas: Terra, vel calx fœmina,* quorum complexu nascitur infans *Lapis.* Sed *non quouis tempore concipit mulier: Verum tum demum, cum vterus à natura conceptui preparatus est. Proinde calcem purificatam seu Solem philosophorum obturato vase putrefac, seu reconde ad digerendum 40. diebus, dum in humorem album, & crassum liquescat. In hunc iustis dierum interuallis aquam sensim infunde: Hæc est maris & fœmina coniunctio,* qua mirum in modum vniuntur, & fœmina maris amore tota fundatur (vt fœmina maris amore tota perfundatur) Hæc est *Matrimonium.* *solutio. Relinque, donec rursus suas vires recuperet. Tunc iterum coëat, idque toties, donec calx omnem suam aquam ebiberit. Tunc vterus clausus sit, ne quid expiret.* *Imbibitio.* Nam tũ infans concrescit, & ex illa frequenti coagulatione & solutione Lapis cõcrescit. Qui *colores* fiant omnes explicãt philosophi. Hęc vera esse HIC PVLVIS ostendit. *Hunc pone super mercurium in nouo tigillo, vt tamen mercurius aërem habeat. Ad drachmas duas pone duodecimam grani partem. Da fortem ignem. Postea adde boracem. Habebũ drachmam vnam auri. Si multiplicationem scis, non opus habebis lapide.* *Proiectio.* Inuenies apud me integrum processum, si felix es, cum omnibus suis circumstantiis: quamuis iste sufficiat, si diligens es. Nihil enim deest. Vale: & ab hoc infelix es, si abstrahatis.

Diuinatio.

1. Analysis huius processus est, quod primo nominetur *materia*, quæ est duplex, *aurum*, & *mercurius*, ex quibus postea fiunt *calx, aqua, Azoth, spiritus, Lapis, tinctura*, tandemque per proiectionem *aurum*, vt ex auro in aurum se conuertat tota. Secundo *operationes sex* nominantur partim, partim opere exprimuntur, si excipias præparationem mercurii, quæ supponitur. Prima operatio fit in mercurio tantum (*a*) cuius finis est *ater puluis.* Secunda in eodem, sed cum imbibitione ad abluendam nigredinem, eamque mutandam in albedinem, vt fiat *calx alba*, sed quæ postea in *Solem philosophorũ*, hoc est, *calcem rubeam* est vertenda. Hic prima *circulatio*, & sphærarum perambulatio habetur. Tertia operatio est *coniunctio matrimonialis*, vbi sunt tria, *mas, fœmina, fermentum*, seu aqua, calx, terra. Finis huius est *lapis rubeus*, sed nondum fixus ad debitum, atque ita apparatus vt tingere possit. Succedit ergo operatio quarta, quam alii vocant *fixationem:* Sed noster processus imbibitione & circulati per sphæras discursu describit. *Imbibitionis finis* est, dum aqua omnis debita sit assumta: *circulationis*, donec coloribus omnibus conspectis concrescat lapis, qui *specie pulueris rubre* in vsum veniat. Quinta operatio est *proiectio*, quæ aperte describitur: Sexta *multiplicatio*, quæ tacetur, qua tamen cognita non opus est lapidis ab initio repetitione. Tandem hæc adeo certa esse dicuntur, vt puluere comprobentur, & infelix perhibeatur quisquis se patitur ab isto processu abstrahi, quem tamen licet omnia contineat necessaria, abbreuiatum esse indicat, dum facit mentionem descriptionis alius, quem integrum vocat, qui proculdubio surreptus est hæredi, aut incuria periit. Sanè Belgæ ab antiquo fuerunt studiosi huius artis, vt & Angli, & Scoti. Plures itaque sunt, quorum scriptis hodie licet proficere Tyroni. Verum nec Dani, Germani, Galli, Italique sunt contemnendi, si qui aliquid chymiæ tribuunt, & non totià mera solaque Hippocratis, Galeni, Auicennæ, &c. litera dependent, cæteris omnibus explosis, quod cum solenne sit publicis Medicis, efficitur, vt ars chymica hæreat in cœno- *Chrysopœa à Medicis neglecta cum summis medicinis inter monaches ferè solos viget.*

biis inter monachorum manus, vixque sint alii, quam monachi, qui eam studiosissime excoluerunt, ex quorum numero sunt Thomas de Aquino, Albertus Magnus, Basilius Valentinus, Lullius, Iohannes de Rupescissa, Greuerus & alii multi. Nostris in locis eam sibi arrogant Paracelsistæ, sed qui nihil minus sciunt, & præstare possunt. Ideo mortibus miserorum & furtis imposturisque infames plærique aut exulant, aut suis pœnis iudiciorum vim declarant, aut contemnuntur à sapientibus. Sed aggrediamur processum ipsum.

Obrizum aurum.

2. *Recipe auri brizi vncias duas.* Materiæ pars in Chrysopœa est aurum finissimum, ex mineris tractum, non fabrile, aut mistum. Intelligimus statim institui non particulare, sed *vniuersale*; non opus album argentificum, sed *rubeum aurificum*. Neque enim opus est auro ad album. Naturale vero aurum intelligi & non artificiale vel sophisticum, idque optimæ notæ, vox *obrizum* indicat. Ita enim appellatur purissimum & præstantissimum, quale Moses inueniri in Heuilath vbi Phison amnis, seu Indus, tradit; & quod alibi vocatur ophirium (vnde nata creditur vox obrizum) aut Paruaim, non Peruanum, sed collectitium ex nauigationibus Salomonis, & vectigalibus, donariis, manubiisque Dauidis. Id autem statim suum erat, vt etiam hodie in littoribus orientalibus, & insulis inuenitur, & chrysoplysiis colligitur. *Arabicum* quidam vocant. Nos & *Hispanicum*, & *Vngaricum Apyrum* purum assumere possumus. Requiruntur eius *vnciæ duæ*, nempe pro libitu, non pro necessitate, & exempli duntaxat caussa. Alias artem etiam *in vncia* experiri possumus. Vnde propositio XII. Turbæ præmissa inquit: *Quicquid excedit valorem vnciæ vnius auri puri, non est de intentione maioris ordinis. Quindecim grana fermenti sunt idonea pro opere maioris ordinis, &c.*

Auri quantitas ad lapidem:

3. *Mercurii magno artis studio parati decuplum.* Mercurium vocat, vt intelligas, non vulgi hydrargyrum sumi debere, sed *philosophorum argentum viuum*. Id autem cum assumitur ex naturæ purissimis, & auro affinibus mineris, imparatum est. Ideo iubetur præparari, vt vniuocè sit noster mercurius. Præparatio non est leuiuscula per salem & acetum ablutio, neque etiam ex calce destillatio, sed talis, tamq; exacta, vt *abiecto binario maneat vnitas*, atq; adeo *monas hieroglyphica Londinatis*: hoc est; vt terrestri parte nimis ignaua & inepta, deinde etiam humiditate elementari superflua separatis, *media substantia* extrahatur, quæ respondet Astro mercurio, estq; cœlestis & spiritualis. Vocant primæ materiæ corpus, & *semen mercuriale*, quod ex se aliū mercurium gignere possit, vel saltem, quod *semen mercuriale ex mercurio concretu, auro & argento, queat assumere*, cumq; in materiam primam redactum est, etiam *aurum & argentum in primam materiam conuertere*. In processu deinceps mutabit nomina, & dicetur AQVA, AZOTH, SPIRITVS VIVENS, MAS (quanquam aliene) Præparatur primum ablutione per aquam & salem, tum expressione per pellem, aut spissum pannum, si quidem idoneum argentum viuum fuerit repertum, quod explorandum est destillatione. *Si enim purum à fundo eleuatur, & nullas relinquit feces plumbeas, vel similes, bonum est.* Alias repudiatur. Quidam portionem saltem in trulla dispitare sinunt super prunis, & ex residuis fecibus iudicant de bonitate. Hic labor potest omitti, si ex cinabari artificiali extractum sumas (Extrahitur facile per retortā cinabari mista cum silicum puluere, vel argilla & grumis laterum, aut panis crusta, &c.) vel si probatum ex India, Hispania, Vngaria &c. habere potes. Verum hoc non sufficit. Arripienda igitur est *sublimatio* Gebri, Arnoldi, Lullii (*in lib. de mercuriis*) Azoth, &c. de qua alibi copiose. *Spirituale sublimatum & crystallinum*, quod purissime sine fecibus ascendit, aliqui soluunt aqua cœlesti fixatoria, mox abstracta aqua sublimant spiritus siccos, Vnde valde purus & spiritualis emergit. Sed pars eius figitur, & in imo manet præcipitati specie. Non est nimis subtiliandum. Si habes purissimā eius essentiam terrestreitate, & humiditate superflua absumta, satis est. Hic est lapis in vertice montium natus, cuius scaturigine vtuntur philosophi. Apud Ouidium est *Acis* saxo Polyphemi percussus, & in flumen mutatus. Est *Aegeria*, quæ in lacrymas & fontem liquitur: *Arethusa* quoq; in fontem mutata huc traducitur, & *Biblis*, item *Cyane*: Imo *Proteus* & *Vertumnus* in flumina conuersi. Fit ista conuersio destillatione descensoria per tartarum, & farinam, quod est *secretum secretorum*. Potest tamē etiam per retortam institui, vt prodeat non argentū viuum in sua specie, sed *liquor vnctuosus, qui possit mutari in aquam limpidam*, & claram sola digestione vaporosa balnei. Magnæ hoc est operæ, & neutiquam opus mulierum, & lusus puerorum. Ideo est *in processu magno artis* (non inertiæ, & temeritatis) *studio* (non negligentia, & perfunctorie) *elaborati*, vt *laborandū esse* intelligas Deus enim hominibus bona sua vendit labore. Hic refutantur illi quibus persuasum est alicubi inueniri materiam, quæ nulla præparationis molestia constet. At laborandum. Hi quoque redarguuntur, qui arte efficiendam materiam putant. Quod elaboratur, iam existit, & accipit vltra naturalem suam perfectionem aliquas dignitates, & aptitudines, per quas ad vsum sit habile.

Mercurii præparatio.

Argenti viui boni exploratio.

13. Metam. 15. Metam. 5. Metam.

Mercurius noster est opus naturæ & artificiosi laboris.

Pondus mercurii ad lapidem: Si tota quantitas esset vncia 12 & hac sola maneret citra augmentum, vno grano tinctura 12. drachmas auri præbente, tandem existerent ex libra tinctura super argentum viuum 69120. drachmæ.

4. *DECVPLO.* Vnciæ viginti forent, ad quas cogita, quantum argenti viui mineralis, & sublimati requirantur. Neq; enim crudum argentum viuum postulatur, sed elaboratum; Et quod tamen sit mercurius, hoc est, *essentia cœlestis argenti viui*, quam oportet esse simplicem. Ideo nec sublimatus lapis accipi potest, sed *liquor*, fons, humor viscosus, aqua viscosa, ex monte, sicut aqua viua in deserto per baculum Mosis vi diuina profluebat. Non autem necesse est simul & semel tantam aquæ viscosæ quantitatem parare. Non enim imponitur prima vice tanta: Et si pararetur, euanida ante vsum viribus decrescere, & debilior euadere posset. Etenim ad minimum in tres diuidenda est portiones, quæ ordine & successiue adhibentur. Si processui nostro attendimus, etiam quarta requiritur. Nam *prima portio* est fundamentum operis per solutionem & coagulationem in operatione prima, qua fit nigrum corpus. *Secunda portio* destinatur ablutioni, imbibitioni, & dealbationi corporis istius nigri: *Tertia* pertinet ad fermentationem: *Quarta* inseruit imbibitioni secundæ: sed pro hac tamen alii argentum viuum crudum, ablutum duntaxat capiunt. Vide ergo, vt initio habeas vncias quatuor. Reliquas sedecim seruare potes in sublimato, cuius libras 24. aut 30. vel quot sufficient, præparabis, sed non omnes vno opere in aquam viscosam resolues, cum sufficiat

Quid sperandum ex augmento. Iam 12. duæ vnciæ existunt ex auri duabus & 20. mercurii. Fient sine augmento 126720. drachmæ auri optimi.

tantum

tantum destillasse, quantum præbeat vncias quatuor vel quot voles imponere. Vide autem vt liquorem illum vnctuosum diligenter mundifices; ne quid sordium, aut peregrinæ aquositatis cum eo maneat. Quidam putant rectificatione *in oleum* redigendum esse, alii *in aquam claram per destillationem, & circulationem.* Si reuiuiscit in hydrargyrum, inutilis est.

5. *Misce.* Qui secundum literam operati sunt, proculdubio amalgama ex auro & argento viuo studiose abluto, & repurgato fecerunt, atq; ita ab Hermetico scopo aberrarunt. *Mistio ista est mystica*, & quomodo peragi debeat, docetur tum imbibitionis, tum matrimoniali coniunctione. Temerarium est, vulgare amalgama facere, nisi fortasse, vt sit subiectum transmutationis, vti fit cum ex argento viuo cum absterso ferro aurum intendimus per tincturam aurificam. Michaelius aliquando nos irridebat, cum de *amalgamate* scripsissemus. Sane artificii, quod tractabamus, litera sic habebat. Verum *amalgama* aliud erat ab aurifabrili, nempe quod fit *cum aqua perenni*, seu *mercurio sapientum*, & non cum vulgari. Ideo & mirifice lætantur mutuo, & aqua aurum intime soluit, vt nunquam refici in aurum, nisi proiectione possit.

Mistio mystica qualis.

Amalgama philosophorũ

Aurum ante fermentationem non est addendũ mercurio.

Tunc etiam oportet tria concurrere.

6. *Dissolue Vulcano Languido.* Cum aurum additur aquæ nostræ, & terræ mortuæ ad reuiuificandum, fermentatio, & matrimonium secretum dicitur. At id in principio non fit secundum processũ veterum. Abbreuiatores id volunt fieri statim: sed peritos esse oportet, qua de re *supra.* Noster processus matrimonium post introducit. Vnde patet, non abbreuiatum esse, sed integrum iuxta methodum priscam. Sic ergo verba accipimus: si velis de matrimonio intelligere, anticipatio est: Sin autem de prima operatione, quæ antecedit matrimonium: debes mercurium nostrum, vt primum ex sublimato reductus est, includere cucurbitulæ luto obstructæ, & in athannorem inferre, ibique languido calore fouere, donec primum soluatur in sudorem lentum, deinde paulatim coaguletur, & nigrefiat totum, qua forma hic *Ater puluis* dicitur. Vita caloris excessum, & vltra primum lenem, qui est putrefactiuus & solutiuus nostri mercurii, non ascende.

7. *Dum mercurius expiret.* (b) Litera est fallax. Nihil debet expirare: Imo ne expiret, clauditur cucurbita, & calor languidus obseruatur. Si esset argentum viuum, leni calore expirare non posset; vtpote quod satis magno resoluitur in ventum. Est a. expiratio mystica, per quam intelligitur coagulatio, vbi perinde fit, ac si aufugisset mercurius. Hoc dicit, quod omnes: Solue. Coagula.

8. *Auri impositi pondus maneat in atrum puluerem redactum.* Si imponeretur hic aurum, nihil detrimenti debebat capere. At ante fermentationem in opere prisco non requiritur. Aurum dicitur potẽtia, aut per metalepsin. Mercurius coagulatus nihil debet deperdidisse, sed in se sidisse, vt iam atrum puluerem referat, qui est primus color, signum scil. solutionis veræ & putrefactionis. Procedente vero calore magis magisque coagulatur, & incipit nonnihil albescere ob siccitatem, quia subinde fit siccius corpus. Calor autem agens in siccum producit ex nigredine albedinem.

9. *Qui tamen ater puluis liquatus possit in antiquam auri naturam conuerti.* Si hoc iuxta literam accipis, nulla facta est philosophica solutio: In amalgamate aurifabrorum id fit quidem: at non in nostro magisterio, in quo siue aurum, siue argentum, siue hydrargyrum aut mercurium assumas, ita mutantur omnia, vt neutiquam reduci queant. Itaq; & *aurum potabile* huius magisterii irreductile est, neque potest esse verum artificium, si vel mercurius in pristinum rediret. Illa ergo conuersio interpretanda est pro magisterii conditione: Aurum illud atrum liquatur nulla alia re, quam aqua propria in imbibitione, & solutione nostra. Ideo & non est aurum essentialiter, sed modificate, ita vt lapis niger, terra nigra, corpus mortuum, caput corui, &c. (Ita n appellatur) in aquam resoluatur operatione secunda, in qua fit irrigatio, de qua mox differetur. Hic iterum fit mercurialis liquor per aquam mercurialem, & calorem, quibus duobus etiam dealbatur Laton, seu æthiops, &c. Ideo vero additur ista conditio, vt præmoneatur filius doctrinæ, *ne nimium vrat atrum istum puluerem, sed relinquat sic dispositum, vt queat iterum aquescere, quæ erat antiqua eius natura, nempe fluida & liquorosa, seu liquida.*

10. *Ex hoc puluere mercurium igne vaporarii aquam continentis elice.* Sensus vnus est, caput corui destruendum seu amputandum esse, & puluerem conuertendum in aquam mercurialem. Agens ministeriale vocatur ignis vaporarii aquam continentis, quibus verbis describitur solutio per calorem lenem in balneo vapido, seu tali calore, qui sit humidus simul, & conueniens putrefactiuæ solutioni. Hinc Cibinensis austrum aduocabat. Si literam velles sequi, destillatio indicaretur localis: sed quæ ab hoc magisterio deinceps abest. Esset & ineptum, præcipere, ex atro auri puluere aquam calore balnei elicere: Imo nec si sæuissimum ignem adhiberes, posses exculpere aquam. Alius sensus, isq; ad rem præsentem accommodatior, est, debere nostrum mercurium iam in nigram materiam mutatum amplius coqui, & exiccari, donec incipiat albere. Nam talis exiccatio in nostro opere vocatur destillatio, & prolectatio aquæ. Deuergere debet *in niueam calcem.* Id autem *signum est exorientis siccitatis in quam calor agit post nigredinem.*

11. *Dum puluis in niueam calcem deuergat.* Hoc fieri non potest, si auri puluis reductilis esset. Caput autem corui processu coctionis fit siccius, & incipit albere, ita vt tandem in Elixyr niueum transmutetur. Veruntamen albedo hæc in initio adeo parua, & obscura est, vt nigredini adhuc accenseatur, & accepto humore etiam atretur. Vnde ablutio Latonis & dealbatio æthiopis sequitur.

12. *Hanc septies aqua resperge.* Ex fundamento, quod in mercurio sit, quicquid quærunt sapientes: & nihil debeat peregrini accedere, sed omnia ita homogenea esse, vt nunquam segregari in diuersarum substãtiarum partes queant, facile colligis, ex qua re calx sit, & quænam aqua illa, qua debet irrigari, nempe nihil aliud, quam mercurius noster, qui & principium materiale, primaque radix fuit calcis.

Nostrum mercurium hactenus in blando igne detinuisti SOLVM. Is resolutus est in vnctuosum & viscidum sudorem: inde nigredine totus obductus, quasi computruit: sed incepit procedente calore exiccari, & albescere, quo ipso simul in corpus subnigrum, seu cinereũ coaluit. Hæc est operatio prima. *Aperire iam oportet vitrum, cum videris materiam siccam*, & sitientem, atque guttatim irrorare partem secundam aquæ tuæ mercurialis, quæ dicitur ab aliis reseruata de prima aqua, quæ ad soluendum & coagulandum erat imposita.

Quantitas tota incerta est, & pendet à iudicio artificis, qui quantum imposuerit & coagulauerit, sibi in memoriam reuocabit. Deinde æstimabit molem materiæ imbuendæ. Tantum dabit potandum, quantum potest recipere, cauendo, ne Ysir submergatur, & omnia natent. Non semel potum immittet: sed particulatim, ita vt interponat aliquid spacii ad distribuendum, quo modo & infantes lactantur. Noster processus Embrochiam, seu *irrigationem septies procurandam exigit*, vt in numero perfecto & graduali rationabiliter maneat. Septena hæc imbibitio inæqualis est. Prima enim vice valde parum instillatur: Secunda plus; tertia iterum aliquid vberius, & sic deinceps. Quidam eximere & in lapide mundo conterere iubent, seu subigere & amalgamare. Sed naturalis appetitus, & familiaritas manualem tritionem amouet. Natura lætatur sui simili, idque iucunde recipit, fouet, & sibi iunctum cupit. Alicubi definitur *portio quinquagesima* primum instillanda, quo termino parua omnino quantitas designatur.

13. *Quæ totiens expiratione inde prolecta sit.* Arbitror processum Belgico sermone conceptum fuisse, indeque in Latinum translatum, vbi facile fieri potest, vt imperitus rerum peccet. Aqua nutritiua non debet prolecta septies (c) esse à calce, vt postea ei restituatur toties: Sed indicatur parabolica nostra destillatio, in qua aqua manente & coalescente cum corpore perinde accidit, ac si destillatione fuisset abstracta, sicut fit, cum essentias separatim elaboratas reconiungimus & sales terramq; virgineam quasi mortuam iterum perfundimus suo spiritu pauca quantitate, & factam pastam digerimus, vt essentialia reduniantur: postea liquorem elementarem qui fuerat comes & vehiculum spiritus essentialis, per blandissimam destillationem separamus, idque repetimus, donec terra nihil amplius recipit, & videtur superfluum humorem respuere. Hæc ergo sententia est; *Calcem nigram, quæ aliquod albedinis primordium habet, reseruato mercurio imbibe pauca portione prima vice irrorata. Digere per dies duos, aut tres, aut quinq; donec videris, quod aqua cibus ille seu brodium sit absorptum.* Quidam triduo extra calorem detinent, quinque dies modice calefaciunt: Et sic octonis diebus, semper post septimum, repetunt imbibitionem. Hoc artifici æstimandum relinquitur, modo sciat, non confertim, neque etiam nimis cito sufficiendum potum nonum esse, sed interposito digestionis, vel potius distributionis spacio. *Septem irrigationes totidem requirunt exiccationes*, seu interposita spacia, quibus cremor lacteus (lacti enim comparatur; vnde & lac virginis dicitur) in ventrem condatur, in que venas diuidatur. *Tunc claudendum vitrum est signatura Hermetica, ne quid possit expirare.* Debet esse sphæricum cum fistula lõga, quæ

Vitri circulatoris modus. igni colliquescat, atque ita sphæræ globum vndiquaque solidum & imperspirabilem reddat. Sit & proportionatum materiæ, cui spacium relinquendem est & distantia iusta, in qua ambitus superior, vbi vacuum est, cœli rationem obtineat: sed inferior locus, vbi materia iacet, respondeat medio globo, seu terræ, & aquæ. Nam *materia resolui debet, & ferri in cœlum, indeq; relabi in terram innumeris conuersionibus, donec tandem omnia quiescant in imo, & fixa maneant*, seu cum prius superauerit summa volatilis, iam superet summa fixi, & nihilominus id, quod superius fuit, sit idem cum eo, quod est inferius, vt fiat vna res mira.

14. *Omni cura elabora, vt hac impulsione, & excursione crebra sese attenuent, & ab omni sorde, ac fece euadant purissima, vimq; recipiant superiorum & inferiorum descendendo in terram & rursus ascendendo* (in cœlum) *vt in Hermetis smaragdina tabula legitur, &c.*

Hoc est, quod iam dixi. Vitrum debet esse sphæricum & duabus partibus vacuum, tertia impletum, vt repræsentetur proportio, qualis est inter cœlum & terram. Curæ tuæ hæc vna pars est. Deinde quia audis, agitatione tali opus esse, per qua fiat ascensus & descensus reciprocus, veluti in Eurypo, in hunc finem, vt partes agitatæ, circuloque circumactæ fiant subinde tenuiores, & subtiliores, quod alias solet euenire etiam in circulationibus Pelicani, cum aquas cœlestes, & spiritus facimus; hoc autem fieri sine calore exquisite temperato non possit; debes *ouum tuum* (nam globus ouo comparatur) in cameram, seu stufam siccam, quod est ergasterium, & officina nostra, athannoris includere, & ab imo, lateribus, superioreque parte hoc est vndiquaque calorem vaporosum continuum & æqualem administrare, cuius beneficio agitetur materia, & resoluta blandissime (omnis enim violentia abesse debet, ne spiritus multiplicati vas disrumpant) ascendat ad ambitum sphæræ, ibique consistat, quandoquam non diu. Ideo calor debet super sphæram reuerberari, & ex fornacis concamerato regmine reuocari super vitrum, ne condensata aqua ibi maneat.

Notum vero est, *aquam nostram mercurialem frigore densari, calore resolui.* Sic in medio cameræ seu stufæ siccæ super tripode arcanorum maneat tuum vitrum nudum, & sine catino cinereo, (qui ponunt hunc, non materialem, sed formalem, seu symbolicum intelligunt) *vt possis intueri colorum & consistentia, item motus variationem.* Hac de causa aliqui vitreum conficiunt Athannorem, quod attinet superiorem partem. Sed melius est ex argilla figulina fieri, vt calorem æqualem cõseruet. Potest autem à latere fenestella clausilis relinqui ad inspiciendum opus.

Prima species est quasi picis nigra liquamen. Si paulo augeas calorem, surgunt scintillitantes stellæ, inardescuntque miri calores ascendentes & descendentes. Sed non est præueniendum tempus. Tu quoque suauiter & ingeniose. Cum incipiet fixari, procedet *cauda pauonis*, indeque sequetur paulatim *albedo ex nigredine*, quæ diu durat, nempe ad dies 80. vel vltra. Cum albedo apparet, motus cessat. Iam enim æquata sunt

sunt volatilia & fixa, totumq; ad fixitatem tendit. Tunc calor paulatim augeri in secundum gradum potest. Finis est, dum ab omni fece & sorde materia euadat purissima. *Nigredo vocatur fex & sorditities. Hac dicitur ablui, cum per alterationem mutatur in albedinem.* Eadem est ablutio Latonis & æthiopis dealbatio. *Laton* appellatur plumbum nostrum, vel æs, aut orichalcum nigrum, hoc est, illa ipsa *materia atra* in globo nostro secreto. *Ablutio* fit per Azothum, id est, *aquam nostram*, seu mercurium, quo primu putabatur. Fit & per ignem, calorem scilicet stufæ siccæ temperatissimum, & æqualem, ad tactum manus teneræ, qui calor administratur lampadibus, vel candelis, aut prunis iuniperinis sub cinere raro: vel ex furno acediæ, vbi adesse oportet regulas, & spiracula ad calorem moderandum: quem vt, quantus sit, explores, aliquando per fenestellam operculi immittitur manus: aut qui in summo vertice est tubulus aperitur, vt digito gradus inuestigetur, vel vola manus. *Dum materia in globo circulariter mouetur, ascendit, descendit, vaporat, depluit*, fit, quod ex Hermete adducitur. Veteres putantur reos declarasse oceani in cœlum expirationibus ad potanda sydera, & relapsu reciproco pluuiarum: qua de re etiam Rosarium proponit picturam depluentis cœli. Alii comparant *auiculis, aut aquilis* in cœlum volando contendentibus, indeque in terram redeuntibus.

Aes, plumbum, orichalcum Laton, magnesia, &c.

15. *Hæc aqua est Azoth, spiritus viuens: Terra est fermentum: Aqua est mas: Terra vel calx fœmina, quorum complexu nascitur infans lapis, &c.* Partim declaratio est, partim transitio est ad tertiam operationem, quæ est fermentatio, & coniunctio maris cum fœmina, vt fiat inde lapis. Hactenus nondum lapis euasit, sed *terra tantum abluta*, quam aliqui CINEREM de cinere (candidum ex nigro) appellant, quanquam interdum indiscrerim lapis dicatur qualiber operatione. Eius materia fuit *plumbum nostrum*; seu nigra materia, & aqua, quæ nuncupatur *Azoth*, hoc est, mercurius noster, aqua permanens, lac virginis, &c. Inde euasit terra purissima, albedinis scilicet niueæ.

Aues Hermetis & aquila nigra.

Si iam voles, potes eam diuidere, & partem albo, partem rubro lapidi destinare. Aqua nostra etiam spiritus viuens pro vitali nominatur. Habet enim se ita ad corpus nigrum, vt spiritus vitalis ad nostrum corpus. *Viuentem* dicuot, pro efficaci & virtuoso, non quod principium vitæ in se habeat, quo modo de eo disserunt Peripatetici, & Galenici. Hermetici tamen *vegetabile principium & seminale in mineralibus* quoque agnoscunt, quod vulgares philosophi non possunt videre, quia clausum & ligatum intuentur. Si vinculis soluerent, vt calore in sua matrice adhibito posset agitari, etiam oculis gestionem quandam vitalem seu vegetabilem agnoscerent. In vteris animalium conceptus potentia viuus est, cumque calore exuscitatur, fit embyro, qui viuit vitam stirpium. Tandem natiuitate prodit infans. Similiter loquuntur Hermetici de suo artificio, & seminali mercurio, item compositione matrimoniali, in qua *vnum se habet vt mas*, h:e. pars sulphurea, ignea, calida, sicca, actiua, formalis: *alterum vt fœmina*, hoc est, pars mercurialis calida, humida, passiua, materialis, quæ tamen & ipsa patiendo reagit. Duo semina vnita proficiunt in artis matrice fomento iusto externi caloris in infantem, seu lapidem. Hæc est sententia huius parabolæ.

Lapis quando vere factus dicatur.

Aqua cur viuens.

Quod autem *aqua mas* dicitur, *terra fermentum, & simul fœmina*, suspicamur vel studiosam confusionem esse, vel translationis, aut descriptionis erratum. Pertinere vero ista ad sequentem operationem, quæ matrimonium, & fermentatio vocatur, ipsi termini indicant: vri & cum anima, spiritus; corpus appellantur. Hic *mas est & anima aurum ipsum obrizum*, quod in se habet ignem incredibilem, & totum pro sulphure actiuo proponitur. *Fœmina est corpus* iudicio suo calidum humidum ad naturã aeris, quod in albo est temperatius, sed auctiore gradu in rubro. *Aqua nec mas est, nec fœmina*, sed medium coniunctionis spermaticum, quod vtraque soluit, vnit, & spermatice coniungit.

Si studio autor vocauit aquam marem, intellexit iam auro mistam: Et terram fermentum dixit pro calce auri, cum re vera terra sit fermentanda, & animanda, cum habeatur pro mortua, & per se effœta nisi granum in eam coniiciatur. Ita & prisci philosophi terram pro coniuge Iouis habuerunt, eamque fœminam & matricem posuerunt. Inter terram fœminam in *sperma resolutam, & marem, qui est calx corporis perfecti*, per aquam mercurialem itidem in femineam formam redacta, fit complexus maritalis & conceptus, cuius fructus est *lapis noster*. Hæc est quasi præfatio in sequentem operationem.

16. *Sed non quouis tempore concipit mulier: sed tum demum, cum vterus à natura conceptui est præparatus, &c.* Sicut in matrimonio humano fieri quidem potest externa copulatio, sed vt hæc fœcunda sit, oportet fieri coniunctionem in communi toro, vbi libido osculis & titillationibus frequentibus prouocatur, vt semioarium oaturæ aperiatur, & desideret irrigari semineæ fœcunditatis imbre, sine quo desiderio & appetitu non fit conceptus: Ita disseritur de matrimonio secreto lapidis nostri. *Tempus nec diebus, nec horis definitur, sed præparatione vteri ad concipiendum per varia blandimenta, & libationes suauiorum.*

Coniunctio maris & fœmina.

Vterus est fœminæ: *Fœmina est elixyr aereum in albo, igneum in rubeo.* Hic de rubeo principaliter fit sermo. Præparatio illa non ascribitur arti, sed naturæ. Notum est, naturam fœminarum impelli ad cupiditatem tempore mensium turgentium. Similiter conceptus noster fit vtero à menstruo sanguine, & spiritu seminis corpori incluso turgente. Ars tamen in hoc adiuuat naturam, & fœmineũ corpus in femineum humorem resoluit, administratoq; calore titillante, appetitum ad concipiendum intus in suo thalamo excitat.

Fœmina.

17. *Proinde calcem purificatam, seu solem philosophorum obturato vase putrefac: seu reconde ad digerendum 40. diebus, dum in humorem album, & crassum liquescat, &c.*

Sol philosophorum.

Subiectum seu materia hic calx nominatur. Ea vero erat facta operatione secunda, & ita a nigredine sua depurata, vt candidissima exiret: Et tunc pro opere albo satis erat pura: Verum non pro rubro, ad quod calx rubra requiritur, quæ hic vocatur Sol Philosophorum. Est enim calida

sicca,

ſicca & ignea pro effectu ſolis in Leone. Hanc puritatem vt concilies, non indiges nouo labore: ſed ignis tantum continuatione, & augmento vſque ad quattum gradum conſummatum. Neque enim iam metuere potes fugam, cum omnia ſint fixa hoc ſaltem animaduertendo, vt non ſtatim ſummum quartũ adhibeas ſed per tres gradationes procedas, pro vt in quolibet gradu ponitur principium, medium, vltimum. Debet fieri complexus, vt naſcatur infans, idq; per matrimonium aquæ fœminæ, & fermenti matis in aqua noſtra, ſeu ſpiritu, qui eſt mercurius. Facile ergo intelligis, non ſolam calcem rubram ſolarem eſſe decoquendam: ſed totum, quod certa proportione ex tribus illis conficitur. Proportionem habes in Azotho, Riplæo & aliis. Potes & tuo iudicio vti. Aqua nimia non debet ſumi, ſed quanta eſt ſufficiens ad ſoluenda corpora. Alias coagulatio in longum differretur, quod etiam notandum eſt in imbibitione.

18. *Obturato vaſe.* Phiola debet eſſe ſphærica, eaque per ſignaturam Hermetis occludenda.

19. *Putrefac.* Calore fimi adhibito, ſeu balnei, nec in fimo, nec in balneo, ſed tali calore in Athanore foue, vt quaſi putrefiat, hoc eſt, ſolutio contingat Elementorum; quæ eſt putrefactio philoſophica noſtra. Proceſſus iſtam putrefactionem etiam digeſtionem in ſua camera, in qua recondita iacet materia, appellat, vt diſcernatur à vulgari putredine.

20. *Quadraginta diebus.* Eſt menſis philoſophicus: & intra hos dies debet materia nigreſcere, ſeu incipere atro colore infici, cum ante eſſet aliter colorata. Illa nigredo diu durat. Ideo vide, vt procedas lente. Cõdita eſt ſub ea albedo & ſub hac citrinitas, ſub qua rubedo ſanguinea: Et adhunc vſq; finem per gradus ignis debes procedere, nunquam reſerato vitro.

21. *Dum in humorem album & craſſum liqueſcat.* Materia, quæ prius ex calce Solis, ſole philoſophorum & mercurio noſtro erat miſta ad formam Embammatis ſeu ſalſæ, calore agitatur, & mercurius aurum reſoluit in primam materiam: ſoluit & ſolem philoſophorum, ſeu *Leonem*. Ideo pereunt priores formæ fitque tota oſſa intra quadraginta dies humor albus, viſciduſque; vt *agnoſcas mercurium noſtrum, aquam permanentem, & liquorem vnctuoſum.* Poſtea vero *in nigra picis liquata ſpeciem tranſibit,* quæ res vocatur *caput corui verum*, & Eclipſis ſolis & lunæ, ex qua aucto calore ſtellæ innumeræ, variique colores emergunt.

22. *In hunc iuſtu dierum interuallis aquam ſenſim infunde.* Si hoc ad literam ſit intelligendum, debes prius ſolem philoſophicum per ſe ſic liquare: deinde mercurium immittere. *(d)* Sed ſine aqua non fit coctio, nec putrefactio. Fieri poſſit, vt etiam talem modum coniunctio admittat: ſed cæteri philoſophi ex tribus ſtatim faciunt vnum, & ſemel clauſum vas non recludunt ante finem. Malo itaq; hanc infuſionem intelligere de ſolutione viſcidi iſtius liquoris in aquoſiorem conſiſtentiam, quæ partim volatilis eſt, partim fixa. Ideo & agitatio circularis fit in vitro, & aſcenſus, deſcenſuſque plane vt in ſecunda operatione, donec quieſcant omnia & fiat coagulatio, quam ſequitur aſſatio, vt lapis rubedinem iuſtam accipiat.

24. *Hac eſt maris, & fœmina coniunctio, qua mirum in modum vniuntur, & fœmina maris amore tota perfunditur:* (fœcundatur) *Hac eſt ſolutio, &c.* Quorſum tendat illa aquæ in album ſpiſſumq; liquorem infuſio, iam traditur, nempe vt fiat matrimonium, & coniugum coitus fœcundus: In quo tanquam in venerem partes ſoluuntur in ſemineum liquorem, & corpus genituræ. Coniunctio principium habet internum, nempe ſimilitudinem ſecundum ſubſtantiam, & diſpoſitiones, quam ſympathiam, & familiaritatem, ſeu amicitiam naturalem appellant. Fœmina amat marem, hoc eſt, Elixyr ſolare ſolẽ, ſeu auri calcem intimo affectu naturæ ſic appetit, vt ſeſe inſinuet in totam, & eam vndique penetret, reſoluatque non corroſiue, ſed alio modo, quo butyrum liquatum ferueniſque, concretum reſoluit, & ſecum inſeparabiliter miſcet. Ideo *opus hoc ſolutio* vocatur. *Succurrit hic præcedentis textus etiam alia interpretatio.*

Modus alius matrimonialis.

Quidam præcipiunt, vt iſta tria in lapide conterantur, inque paſtam ſubigantur: Deinde huic affundi poteſt plus liquoris noſtri, non confertim, ſed diuiſim, vt per interualla iuſta quantitas aquæ addatur: Poſt clauſo vitro coctio inſtituatur. Si quis ergo ſic accipere velit infuſionem aquæ, ei non contradicimus, ſed tantum monemus, videat, quo modo vel cum ratione, vel magiſtrorum cæterorum experientia & iuſſibus conueniat poſt 40. dies hanc affuſionem fieri debere. Vidimus, qui iuberet coruum capite ſuo truncare, & nigredini proprium ſanguinem pro pabulo reddere quinis diebus, intercedente trium quiete, vt ſic quinque octonariis totum lac virginis ſit infuſum. Fors & hoc ſenſit autor huius proceſſus. Non negandum eſt, hac in parte eſſe diuerſitatem quandam, ipſius artificis arbitrio permittendam.

Quo modo anima à cœle in corpus Regis redire compellatur.

24. *Relinque, donec rurſus ſuas vires recuperet, &c.* Primis duabus operationibus mercurium noſtrum ita fatigari, vt quaſi vita ſpoliatus pro mortuo, & inualido habeatur, magiſtri omnes affirmãt. In fermentatione recuperat animam, & fœmina ſocietate maris adeo delectatur vt eius vim, & ſuccum totum attrahat, atque ita veluti vitæ reſtituatur. Sed non momẽto reuiuiſcit. Ideo proceſſus dicit. *In clauſo vitro coniuges iſtos cum ſuo mercurio relinquendos eſſe, donec terra noſtra ſolaris recuperet vires, fiatq; valens, & robuſta.*

Id dicere poſſumus etiam de fermento, quod principio eſt integrum, cum admittitur in complexum fœminæ: ſed fatigatur ſolutione in ſperma, vt rex in balneo ſuffocatus nominetur. Verũ non ideo granum in terram fœcundam coniectum in totum perit: ſed recuperat vires, exitque longe robuſtius, & fœcundius, quam pridem. Sine ergo in ouo noſtro, cubiculo, lecto, balneo, ſphæra, &c. noſtrum regem vel tabeſcere, & animam efflare: *modo illa à cœlo in ipſum reuertatur, quod tunc fit, cum volaticus ſpiritus ad vitri ambitum aſcendit, indeque reciproce repellitur ſuper materiam, & cum ea coaleſcit*, atque

ſic ipſam

sic ipsam vitæ restituit. Huc ptinet pictura Rosarii de anima à cœlo in corpus revertente. 25. *Tunc iterũ coeat, idq; toties, donec calx omnẽ suam aquam ebiberit*, &c. Rex præcedente operatione coitu eneruatus restitutus est crebro ascensu, & descensu, quo cessante anima corpori infusa, & sic est reddita, vt factus sit valentissimus, & nobilissimus. In natura ita res habet. Calx rubea & elixyre albo igneam accepit virtutem. Nam internum eius foras est versum. Deinde coniunctione cum aqua mercuriali in fœmineam naturam rediit. Hæc cum auro resoluto per eundem mercurium; vt sit spermati similis, copulata est per modum matrimonii, vbi oportet duo semina simul eodem tempore in vtero concurrere, & non vnum prius per 40. dies imponi, alterum submitti. Nam anteuertens semen fit euanidum, & ex crasso spirituosoque corpore mutatur in aquositatem sterilem. Quando coniunctim eodem tempore assumta sunt ab vtero semina, dicitur masculum à fœmineo fatigari, & debilitari; ita vt cogatur cum hoc quiescere, quasi somno deditum, vti fieri solet à coitu animalium. Sed in masculo semine ignis est naturæ. Hæc externo calore in actum vocatur, vt coagulationem incipiat, & ex nigro mutet materiam in album, & ex hoc in rubeum sanguineum, quod plane est igneum. Sic vires recepit, factusq; est LAPIS infans. Huic qua est infans, debetur alimonia. Ideo philosophi, qui hanc allegoriam sequuntur; ita disserunt de quarta operatione, vt de nutritione, & lactatione infantis. Qui vero in matrimonii societate perseuerant, nostri processus verba retinent. Iubet ergo efficere, vt iterum coeat mas noster, hoc est, lapis regius cum fœmina, quæ iam non amplius est elixyr vt prius, sed tantum mercurius, isque secundum quosdam mineralis lotus & purgatus, secundum alios elaboratus, vt sit æqualis primo. Nihil autem ratione materię interesse putatur. Nam mercurius philosophorum, quia natus est ex minerali, hunc in sui naturam vertere potest, cum sit longe actuosior, & iam etiam robur acceperit tribus circulationibus & fermento.

Quarta operatio fixatio vel augmentatio.

In fixatione minerales mercurius potest esse pro philosophico.

26. *Idq; toties, donec calx omnem suam aquam ebiberit, &c.* Vbi coitus est, duorum coniunctio est. Vnum hic est lapis rubet: alterum dicitur aqua. Modus coitus seu copulationis describitur verbo EBIBERIT: nempe lapis noster mercurio per vices potandus est, vt quantum capere potest, capiat, cauendo, ne euomat potum, aut suffocetur copia humoris. Plane seruandus modus est imbibitionis superioris. Interim vna attendimus etiam ad incerationem: quæ tamen postea peculiariter instituitur. Vide ergo, vt primum affundas parum extra fornacem: quod cum per triduum se in materiam insinuauit, calore modico digere circiter dies quinq;. Tunc iterum infunde vel instilla modicum, & sic procede, donec iustam quantitatem ebiberit, & in suo ventre occultauerit.

27. *Tunc vterus clausus sit, ne quid expiret. Nam tunc infans concrescit, & ex illa frequenti coagulatione & solutione lapis coalescit.* Vterus vitrum est. Hoc claudendum est Hermetice, vt *supra*. Quia enim dum calor subditur, pars volatilis ab imo ad summum tendit, indeque debet relabi, & crebra circulatione attenuari, tandemq; coagulare, spiritui omnis rima claudenda est: sed vt monui *supra*, cauendo ignis excessum, ne resolutio tanta fiat, vt capi vitro non possit, quod mihi aliquando mercurium coercituro euenit. Alia ratio est vteri mystici. Hic tunc clauditur, cum totum in se sidit, & non amplius halitũ emittit, quod est fixum esse. Dum in vtero est *conceptus* (processus vocat *infantem* improprie) debet cõcrescere. Scribendum erat coagulare: vel etiã crescere & augeri. Nam mole & virtute fit maior. Deinde frequens solutio & coagulatio in isto claustro dicitur euenire. Intelligimus ascensum & descẽsum reciprocum, & circularem, tanquam in Pelicano, vt *supra*. Fit tamen simul etiam solutio & coagulatio, quia quod inferius est, qua est volatile, soluitur & ascendit: quod superius constitit, reuertitur ad materiam in imo, paulatimq; concrescit, & coagulat, donec quiete facta omnia eandem naturã obtineant, sintque lapis ad transmutationem vtilis, si ei possis incerationem, & ingressum conciliare.

28. *Qui colores fiant, omnes explicant philosophi, &c.* Nempe initio aqua est, inde spissescit, & nigredine inficitur sub qua tecta latet albedo. Inter albedinem perfectam & nigredinem omnes colores intercedunt, sed euanidi sunt, & momentanei. Ab albedine, si rubeum sit opus præ manibus; transitus est in citrinum, & hinc in rubeum. *Colores principales sunt nigrum, album, sanguineum*. Mentio fit & viriditatis in initio, & in cauda pauonis. Iam ergo 4. operationes sunt absolutæ. Eis addi debebat *exploratio lapidis & examen recte facti*. Nam si fluit lamina candente, vt cera sine fumo, ingrediturq; & tingit; bene est: si fumat, mollior, & humidor est. Ideo amplius coquitur. Si nec fluit, nec fumat, rigidior & asperior, sicciorq; est: Quocirca amplius imbibitur, quod vocant INCERARE, (e) quod tamen est etiam in præcedente operatione. Vide, vt lamina argentea sit, cum exploras. Nam argentum statim debet mutari. Possunt & alię adhiberi, sed iudicium ex hac est certius.

Examen lapidis.

Inceratio.

29. *Hæc vera esse hic puluis ostendit, &c.* Testimonium propriæ experientiæ, quæ non refugit etiam aliorum experientiam & iudicium. Datur demonstratio, quæ quomodo responderit Anshelmo, Barnaudus in historia explicat.

Testimoniũ veri reale.

30. *Hunc pone super mercurium in nouo tigillo, vt tamen mercurius aerem habeat. Ad drachmas duas pone duodecimum grani partem. Da fortem ignem. Postea adde boracem. Habebis drachmam vnam auri, &c.* Descriptio proiectionis est super argentum viuum. Hoc debet in catinum aurifabrilem mundum infundi: Deinde in tripode super prunis flagrantibus, donec incipiat fumigare. Tunc puluis inclusus chartulæ, vel rubræ ceræ iniicitur, & statim imponitur carbo latus, accipiturq; follis satis copiosus, qualis est aurifabrorum, & fortiter afflatur, vt vndiquaq; colliquescat materia, & dense considat, alias ratio iusto mansura. Processus ponit quantitatem, nempe granum vnum pulueris ad tres vncias argenti viui. Verum alii artifices monent, prius explorandum esse valorẽ. Nam potest aliquod impedimentum interuenisse, vt minus fortis, vel etiam validior sit lapis, quam putaueramus. Si ergo primis proiectionibus explorasti virtutem, deinceps secure potes procedere. *Mirum est, quod hic tantum dimidium pondus maneat.* Nam ex duabus drachmis argenti viui scribitur prouenire vna auri drachma.

Proiectio.

Cur mercurius tantum dimidius maneat.

Num

Num exhalat reliquum, dum afflatur fortiter? An rarior est auro Mercurius? At tunc non debet pondus minui, sed moles. Num diminutio facta est ideo, quia ferri scobs elimata non est addita? An dicendum est, impuritates rot intermistas esse? At qui hoc cõsentit cum Pontano & aliis, qui plane nihil separari docent, sed omnia simul transmutari. Suspicor etiam hoc. Arnoldus prima proiectione non facit aurum ex mercurio, sed medicinam: quæ iterum parit medicinam, & tertia tandem vice aurum. Sed oportet tunc lapidem repetitis operationibus exaltatũ esse, vt validitate virtutis præoccupet argentum viuum, & nihil sinat difflari. Cum iniicitur puluis in argentum viuum feruens, incipit ebullire, & poppismos edere. Sed paulo post sidit. Tunc cum in fluxu est, boracem pulueratum super eo comburimus, vt pulchrum aurum fiat. Inde effunditur in canalem, & transfertur ad vsum. Debet vna pars tinxisse partes mille, atque ita granum vnum drachmas sedecim & 40.gr. At in hoc experimento exeunt tantum 12. drachmæ. Itaque poterat exaltari amplius, si possessores methodum sciuissent.

Borax cur adauciatur.

Annotandum & hoc est, si proiectio super corpora sit facienda, præcipere philosophos, cauẽdum esse, ne nimis subtilis sit lapis, & à corporum commercio alienus. Neque enim intrat impura, sed natat in superficie. Ideo iubent prius proiectionem facere non super mercurium vt fit, cum hydrargyrum volumus transmutare, sed super corpus proprium millecuplum, nempe aurum fusum si quidem est lapis ruber: argentum, si albus. Inde ingressum præstari.

Proiectio super corpora.

Ingressus.

31. *Si multiplicationem scis, non opus habes lapide, &c.* Multiplicatio hic vocatur lapidis semel facti perpetua instauratio(?)ita vt non necesse sit ab initio repetere opus, sed si habes aliquam paruã portionem, potes eam in immensum augere. Id autem non fit alia ratione, quam qua fermentatus est & auctus ante, quanquam breui tempore. *Fiat solutio auri per mercurium: soluatur & medicina, coniunctum vtrumque coquatur more consueto. Deinde coagulatus inde lapis augeatur per imbibitiones mercuriales, & cum satis potauit, inclusus phiola per colores ordine sinatur procedere, solui & coagulari, vt auctior fiat tinctura.* Hæc proiectione sui super mille partes argenti viui, atque iterum super mille, multiplicem medicinam præbet. Hanc si velis denuo multiplicare, cape partem & fermenta, vt ante cum loto mercurio: post imbibe, & omnino perge iuxta methodum, poterisque in infinitum procedere. Semper enim medicina renouatur per corpus perfectum, & vires capit nouas. Quod si imbibitiones ter quaterue repetes incrementum erit maius. Hæ sunt nostræ coniecturæ, & diuinationes, ex ratione, & autorum commentariis.

Multiplicatio.

32. *Inuenies apud me integrum processum, SI FELIX ES, cum omnibus suis circumstantiis, &c.* Descripsit proculdubio autor totam artem euidenter, & alicubi reposuit remouitque in adyta quædam, vbi non possit inueniri, nisi quis fortunam habeat propitiam, vt gentiles loquuntur, vel vt nos loqui fas est, nisi singulari Dei gratia & benignitate. Deus enim est autor omnis boni perfecti, idque dat, cui vult, & pro arbitratu dispensat omnia. Si precibus deuotis hæredes Deum solicitassent, forsin artis descriptionem incidissent. Num autem pater Ansbelmi fuerit eius peritus, aut quod verisimile est, ipse alicunde comparauerit ære, vel dono cymbalum istud in membrana descriptum, non liquet. Arbitror, ne ipsum quidem sciuisse tantum Thesaurum in sua Bibliotheca latitare, & cum abditus fuerit in sympegmate libelli adeo, vt ni fractæ fuissent tabulæ, forte adhuc lateret; quam arcte & occulte putas plenam descriptionem fuisse custoditam? Forte adhuc alicubi latet, sicut Azothus in angulo Bibliothecæ cuiusdam cum puluere & telis aranearum dimicabat, donec protraheretur. Multi in tales libellos incidentes, quia chrysopœam explodunt, eos contemnunt, & lacerant: aut quia non intelligunt modum disciplinæ, abiiciunt.

33. *Quamuis iste sufficiat, si diligens es. Nihil enim deest. Vale: & infelix es si abstraheris.* Processum hũc esse compendium prioris, indicat, ex quo per diligentiam æque possimus proficere. Requiritur industria, notitia naturarum, peritia ignis & vasorum, debetque pedum via visa esse, & sermo philosophorum intelligi. Diligentia iuuat meditationem, & inuestigationem: deinde promouet etiam opus ipsum. Meditare ergo sedulo, & confer sententias artificum inter se, & cum natura rerum. Ex fine collige principium, & noli abripi ad somnia stulta Paracelsistarum. Mane in via veterum. Cum vsum rei feceris, offerent se compendiariæ rationes sua sponte. Omnia habes in processu, materiam rubri lapidis, duplicem scil. mercurium: & elaborationem eius per coctionem primam, imbibitionẽ primam, fermentationem, imbibitionem secundam, proiectionem, multiplicationem. Licet & obscure quædam sint insinuata, tamen explicari possunt cæterorum comparatione. Omnia enim fiunt eodem modo, si præparatum & elaboratum habeas mercurium. Tantum de hoc processu.

Finis Monadis Tertiæ.

DEO GLORIA.

AVCTARIVM.

IN Manu scripto libro veteris literæ inuenimus hunc processum: *Per solam substantiam mercurii faciamus excellentem medicinam eam albedinis, quam rubedinis. Recipe mercurii vulgi bene purificati: & mercurii solis, vel lunæ ana. Fac matrimonium. Pone in ampullam cum collo longo in cineribus ad lunam candelæ, quousq; inuenses totum nigrum & mortificatur secundum quod fuit strictum ad modum pastæ. Deinde pone dictam ampullam in furno philosophorum, aut in fimo, quousq; soluatur. Post iterum congela in cineribus, vt supra: Et iterum solue & coagula, vel congela. Quanto plus solueris & congelaueris, tanto plus petrã multiplicabis. Idẽ est labor in albo & rubeo.*

Præsup-

Præsupponit hic processus mercurium vulgi seu mineralem ita præparatum, vt sit essentialis. Hunc cum pari mercurio solis vel lunæ iungit: quod nos intelligimus, cum elixyre albo lunari, vel rubeo solari pro vt opus album vel rubeum intendimus. Hęc elixyria aliqui tantum calore soluunt: Sunt enim quasi congelata. Solutis addunt mercurium nostrum per modum instillationis, vt commisceantur. Verum necesse est, vt tunc ista elixyria habeant formam ab auro, vel argento. Nam alias ad speciem metalli perfecti non alligatur lapis. Cum etiam matrimonium appellet, semen corporis rubei, vel albi adesse necesse est, vt sint tria, corpus, anima, spiritus: Duo scilicet coniuges, & tertium, quo copulantur. Ampulla longa phiola intelligitur. Iubetur putrefactio in cineribus institui, donec nigrescat materia, seu mutetur in corpus mortuum. Sed primo nō dandus est ignis cinerum: Verum lenis balnei, aut fimi.

Finis est coagulatio pro ratione firmitatis, & ponitur forma pastæ, quia sequitur solutio, quæ non est, nisi coagulari. Ideo primā operationem hactenus percepimus, quantum attinet ad hunc processum, Postea in athanore vel fimo instituitur solutio noua. Verum hæc non fit sine mercurio. ideo per imbibitionem sufficiendus est mercurius conueniens, qui iam potest esse mineralis purgatus. Solutio fit primo gradu. Eam excipit coagulatio gradu secundo caloris vt *supra*: Vnde intelligimus, in præcedentibus metathesin factam esse, & debuisse præmitti fimi calorem. Hæc est operatio secunda. Imperatur & tertia solutio & coagulatio; & aliæ multæ deinceps, quia in his sita est multiplicatio. Pleniorem explicationem inuenis in præcedentibus, & sequentibus. Sensus literalis est simplex. Debemus facere excellentem medicinam. Materia ponitur duplex, mercurius, crudus præparatus, & alteruter ex corporibus perfectis, exempli gratia auro. Duo mercurii pari quantitate miscentur, & inclusi cucurbitulæ longicolli in cineres imponuntur, vbi languido candelæ calore fouentur, donec fiat pasta nigra. Hæc calore alio validiore Athannoris eliquatur. Inde iterum in cineres infertur ad coagulandum, seu præcipitandum, idque fit alternis sæpius. Hinc expectare tandem nihil potes aliud, quam præcipitatum solis, aut Lunæ.

Literalis sensus pro præcipitato solis vel lunæ.

(a) *Licet enim & aurum apponatur, tamen id substantialiter redit, atq; ita si additur, tantum calcinationis & alterationis causa adiicitur. Nostra aqua alias totam naturam eius soluit.*

(b) *Si literam velis sequi, nihil aliud habebis, quam auri calcinationem per argentum viuum, qua calx pro fermento esse potest. Mercurius vero ille, cū quo facta est ista calcinatio, non assumitur in initio ad opus. Idem insinuat sequens textus. Verum quidem est, per amalgama istud aurum in atrum puluerem mutari: sed aliud quid respici indicat inanis opera ex sensu literali.*

(c) *Litera vult mercurialem aquam prius super aurea calce debere fuisse: & inde destillata septies, semper nimirum affusa noua. Ita enim creditur fieri attenuatio & spirituale corpus. Eadem aqua postea est suo corpori reddenda, vt cum eo coalescat. Si vis sequi literam, localis destillatio erit: sed quam in opere artificis non agnoscunt. Expirationis vox aliquid occultius habet.*

(d) *Qui literam velit sequi, possit eam applicare ad primam coagulationem, qua pastam referat, & potanda sit nouo liquore. Verum cum de conceptu & sole loquatur, non potest accipi prima coagulatio. Quid si de fermentatione intelligatur hoc modo, vt nō ad finem rubedinis perducatur lapis ante imbibitionem, sed tantum vsq; ad albedinem vel albam massam, atq; ita citius potetur? Verum confer cum his cæteras monadas, potestq; in hoc esse quadam varietas.*

(e) *Nota diuersitatem aliquam. Azothus iubet lapidem augmentare imbibitionibus & digestionibus aliquot vicibus: quibus procul dubio inceratio continetur. Noster hic processus tantum semel ponit augmētum: sed ei nihilominus inceratio erit addenda, per quam potest etiam in oleum perduci.*

(f) *Artifex monuit possessorem pulueris, vt multiplicationem indagaret. Si enim sciret illam, non opus esse lapidē facere, qui tinctura possit multiplicari vel vnico saltem gradu. O Anshelme, in manu tua habuisti mare diuitiarum. Id perdidisti ignorantia multiplicationis.*

D.O.M.A.

D. O. M. A.

HEPTADIS HERMETICÆ MONAS QVARTA,

EPITOME ELEMENTARII CORnelii Drebeli Belgæ cum declaratione coniecturali.

PRÆFATIO.

Nota hunc tractatū adeo conuenire cum Michaelis Sedinuogii, vt ex hoc extractus videri possit.

EDitus est non ita pridem libellus Cornelii Drebelii sub titulo: *Breuis tractatus de natura Elementorum, & quo modo ventum, pluuiam, æstum & Tonitrua procreent, & quid commodi vel vtilitatis afferant*, scriptus primum idiomate belgico, sed post fideliter in vsum studiosorum naturæ Dialecto superioris Germaniæ expositus. Cum ad manus nostras libellus perueniret, longe aliud, atq; id quidem secretius, quam de populari, simpliciq; Elemenrorum Physica differere est visus. Quorsum, quæso, attinebat de transmutatione Elementorum inter se cōmentarium condere & Germanorum eruditissimis scholis, aut ēt peritissimis Belgarum nautis scribere, elementa esse quatuor, & quidem ita, vt ignis elementaris more Platonico cum cœlo veniret vnius elementi nomine: deinde ex igni nasci aerem condensatione, ex aere ignem rarefactione & expansione: ex aere aquam coagulatione, ex aqua aerem resolutione: ex aqua per concretionē terram, ex terra per liquationem aquā, calore resoluente, attenuante, laxante, & liquefaciente, frigore contra densante, constipante, congelante? An hæc ignorabant vel maritimi illi tempestatū grauissimi, peritissimiq;, vel mediterranei nostri, qui vel foris cum ista mutatione circulari colluctari cogerentur, & vim elementarem in suis corporib. acriter sentire, vel domi in cellis, culinis, vaporariis, cubiculisq; transmutationes tales quotidianis experimentis cognoscere? Ventos fieri resolutione humidi aquei vel fabri follibus Aeoliis norunt: tonitruorū specimina, si nullæ essent bombardæ etiam lixis & calonibus notæ, risus Vulcanii & ignitorum in aquis extinctiones in officinis metallurgorum exhiberent. Pluuias fieri coagulatione vaporum, docēt nos catarrhi, heu nimium Germanorum vulgo insidiosi infestique, & nulla est anicula, quæ destillandi artificium callet, quin id sciat, ne quid de caminis & ollis coquorum dicamus. Ignes a. in materia eremia & fomite per attritum durorum corporum, aut affrictum scintillantem & rarefactionem vel etiam mutiplicationem reflexionemque calidorum halituum fieri, quis est, qui nesciat? Sed nec chymici deerant Germanorum nationi, qui de elementorum natura, & mistis quam solertissime seu docuissent, seu possent docere, quorum ēt industriam si velis cū populari isto elementario conferre, tā excellentem exquisitamq; cognoueris, vt Drebeliana ista vix pueris digna esse iudicare possis. Vnde venti aliæque aeris, ignis, aquæ & terrarum commotiones, & tumultus oriantur: quæ sit tranquillitatum, serenitatum, æstuum, frigorum, pluuiarum, niuium, glaciei & similium causa, longe acutius isti differunt, & inuestigant exactius nec in istis vulgatissimis morantur, addunt de Cometis æthereis & elementaribus, aliisque insuetis ignibus: de lapidibus, sanguine, lacte, ferro, sulphure, sale aliisque etiam portentosis inquirunt, atque ex illis præsagia expediunt: quo modo mista fiant non ex elementis solum, verum etiam ex cœlestibus essentiis, quæ sunt potentiarum validarum subiecta primum, narrant exquisite, & de virtutibus pharmaceuticis, nutritiuis, confortatiuis, conseruantibus, & omnino tota medicandi ratione, & quo pacto vtile ab inutili, medicum ens à venenato, essentiæ ab elementis sint separandæ, aut citra separationem tota corpora in cœlestes essentias transmutanda, aliaque plura pro salute humana solerter & petite præparanda studiose præcipiunt, & commentantur. Siue Physicos scholarum spectes, siue chymicos Hermeticorum, frustra vtrosque deiecerit à suis opinionibus, & sentētiis Drebelius. Populari vero notitia cum ipso certauerint vel nautarum remiges, atq; etiam colonorum aratores. Neque tamen temere videtur vel ipse scribendi, & suas cogitationes aliis communicandi laborem suscepisse vel alii scripturam in aliud idioma conuertisse. *Negat legisse veterum physicorum commentarios*, neque tamen dubitare potuit, omnia diserte tam ab illis, quam à recentibus esse exposita, vt nihil dici possit, quin pridem sit dictum, & diligenter inuestigatum, communique vtilitati donatum. *Scribit gloriæ diuinæ illustrandæ, prædicandæq; causa: vult Deum ex creaturis nostri debere: Primordium creationis ex præsente elementorum consideratione deducit, & causis propositis effecta elementaria exponit*: quæ omnia vel vnius hominis, aut plantæ, aut bestiæ, aut solis contemplatione longe luculentius consequi possis. Sunt scripturæ dominicæ, in quibus est liber naturæ, & traditionum mysticarum cum fide authentica, & infallibili. Ex his omnia certius, & melius didiceris. Verum ille vulgari specie & populari orationis filo, nō de satyris, faunis, agricolis, nautisque notis elementorum dispositionib. & permutatione effectisque variis sermonē instituit, sed explicare *sua experientia voluit axioma Hermeticum de magno magisterio lapidis*, quod dicunt, nihil aliud esse, q̃ *Elementorum conuersionē*: quasi conflator aliquis metallorum sententiam cōem de cōflatura, nempe, *optimā esse, in qua elementa temperarentur*, vellet dilucide interpretari, & populariа experimenta proponere, perque ea auditorem

Optima conflatura.

in conflatutæ rationem intelligendam introducere, & conuersim hac intellecta maioris mundi elementa, eorumq; labores illustrare, cum vicissim se arguant talia. Ita Drebelius, vt intelligas præparationem lapidis, notissimam omnibus de Elementis materiam proponit, &, quod est fidelium doctorum artificium, atque etiam Logicæ sapientiæ decretum, per notum nos ducit ad penetralia rerum ignotarum, vt quemadmodum ibi agitur, ita hic, vel simili modo agi credamus, facilimâque methodo artis intelligentiam & vsum consequamur.

Hoc autem & ipse *in proœmio ad lectorem* ostendit, ne quis existimet, tantum superficialem doctrinam in libello, nihil autem mystici, contineri. Non putent studiosi artis chymicæ, sibi oleum & operam perire, & tempus male collocari, si in elementario, seu stœchiologico Drebeliano parumper morentur. Cognita enim via hac ad Hermeticam officinam, & perspectis, perlustratisque intus contentis, mirbuntur tanta facilitate, & perspicuitate posse comprehendi, doceri & intelligi id, de quo propter traditionum antiquarum perplexitatem, parabolas, symbolismos, hieroglyphemata, cabalisticasque & magicas tenebras, specu Platonico obscuriores, & disciplinam numeris Pythagoricis, & sphyngis ænigmatibus intricatiorem, à multis & olim est desperatum, & hodie cum iactura sumtuum, temporis, famæ, valetudinisq; à multis desperatur. Non omnia persequemur verba. Quoniam enim per typographos vulgatus est liber, formaq; Enchiridii vix vndecim capitulis, iisq; paucorum foliorum comprehensus, populari etiam sermonis genere, & ad captum plebeium cōmodo traditus, facile potest à studiosis totus perlegi. Mysteria saltem attingemus, & populari tegmine detracto in lucem protrahere studebimus, protestati in primis, nos *tantum coniecturis, & quasi diuinando, dicendoque, quid nobis videatur*, ad scopum inuestigandum vti, vt cæteris, atque etiam auctori sua sententia relinquatur salua. Neque enim ignoramus, vnam, eandemque dictionem varios admittre sensus posse, & in his variare interpretes.

Deus bonis nulli inuidet & solem suum bonis, malisq; immittit.

Analysis præfationis Drebelianæ.

De Elementis.

Duo tractat *in præfatione*: Primum est de causa scriptionis impulsiua: Secundum de argumento libri, & modo eius. I. *Non quærendæ gloriæ & ostentationis causa*, inquit, *accessi ad tractatum elementarium conscribendum, sed vt commodis proximi seu fratris inseruirem. Non gloriæ causa*: quia 1. gloria huius mundi vana est: 2. quia per eam homo excidit innocentia: 3. propter ostentationē & φιλαυτίαν fit, vt alter de altero etiam ignoto sinistre iudicet. 4. In Deo gloriandum: 5. Humilitati studendum. Humiles n. Deus glorificat. 6. Nihil habemus, quo merito gloriari ex nobis tanquam ex nobis possimus: Ex Deo n. sumus id, quod sumus: Et in eo sunt nostræ diuitiæ. 7. Superbia seu insolentia aduersatur cognitionē naturæ, ex qua Deus agnoscendus. *Proximo volui commodare*: 1. quia frater est, & fratrum est fratres diligere, iuxta mandatum: 2. Dei exemplum imitandum est, qui nobis etiam plura dat, quam petamus, nedum fratri nos aliquid largiamur seu tanto magis fratri aliquid tribuere debemus. *Quod autem Deus plura petitis conferat*, probatur, quia per ipsum parent nobis *Thesauri Dei*, & diuitiæ mundi inseruiunt, secuturis post hoc seculum cœlestibus donis, infinities melioribus. Ita vt à Deo dilecti sumus sic proximus seu frater est diligendus. Addit prolepsis: *At tu rudis quid præclari doceas?* Respondetur 1. à pari: vide, ne tu æque sis rudis, aut etiam me rudior. 2. si doctior me es, te oportet docere magnalia Dei ex creaturis, & non me odisse, cum sim frater tuus, neq; ego oderim te: Ex creaturis autem Deus cognoscendus potius, & laudandus, quam fictitiis monachorum cultibus, professione, rasura, &c.

II. Propositio tractatus. *Scribam de elementis communibus vti tibi quam optime sunt nota.* Thesi huic subiicit rationes, cur scripserit, nouas; 1. vt discas intelligere *naturam terræ, in qua 4 Elementa sunt perfecta, & cui reliqua tria Elementa inseruiunt.* 2. Quia Deum desideraui cognoscere ex natura, doctricē naturam amaui, & tibi peruestigationem eius à me factam volui communicare, vt simili amore naturæ Deum quæreres. 3. Grati debemus esse munerum diuinorum æstimatores, & præcones. Proponit & documenta miraculorum naturæ, de quib. *paulo post*, atq; ita illicit lectorem ad simile studium. *Monet, ne liber contemnatur insipientia & imperitia.* Prolepsis: *At tuas obseruationes non confirmas autoritate, & sententiis veterum.* Resp. Nihil refert, neque etiam eos legendos putaui, sed id scribendum, quod ipse animaduertissem. At quorsum? Resp. *Inuenies hic à multis abscondita*, seu quæ plurimos latent: Id quidē non assequeris, quam vtilitatem hæc scriptio afferat, si non intelligis scripta: *neq; me oportet omnia nudare* (cum dicta sapientum à rudib. non intellecta pro ludibrio habeantur) *post mortem tamen meam spero sensum meum manifestatum iri.* Num quid noui ergo condis? Resp. Nihil noui, sed *quod ante mille annos* (tunc autē Saraceni & Arabes in hac arte fuerunt insignes, vt de Gebro, Bulcasi, Mesue, & aliis constat) *viguit.* Hæc est res præfationis.

Notabilia.

1. Elementa in perscrutatione naturæ docebant me *genium & naturam terræ.* 2. Videbam *terræ crystallinum spiritum instar nebulæ.* 3. Videbā *animam eius tinctam* instar sanguinis. 4. *Fixum eius corpus instar crystalli*: 5. Conspiciebam, quomodo *luctaretur spiritus, & vinceret animam & corpus*: quæ tamen tria concordabant, & vniebantur. *Corpus famulabatur spiritui & animæ, eratq; eis pro habitaculo firmo*: Spiritus illuminabat corpus & animam, vt cœlum crystallinum: *Anima ornabat corpus & spiritum suo cœlesti rubenteq; instar Rubini gemmæ seu carbunculi colore.* 6. *Intuebar mortem, resurrectionem & immortalitatem oculis.* Hinc gratus eram Deo, & fauebam naturæ, &c.

Documenta artis quæ conspiciuntur in fermentatione.

Spiritus corporis & animæ mutua officia.

Diuinationes.

TErram hic autor accipit ſymbolice, ſeu myſtice pro *corpore miſto*, quod ex prædominio qualitatũ conuenit cum terra, nõ qualis fingitur à Phyſicis frigida ſicca, ſed qualis creata à Deo eſt in principio, cui etiam vim vegetabilem & animalium productiuam contulit. *Terra noſtra calida eſt, cœleſtiq; dicitur, & lunæ comparatur.* Eſt materia noſtra ob quaſdam conditiones terræ vulgari analogas, & reſpectu cum cæteris elementis noſtris ita appellata. Eſt omnino radix & fundamentum artis Hermeticæ, cœleſtium & terrenorum vim conſecuta, vt eſt in tabula ſmaragdina: Aſcendit à terra in cœlum iterumq; deſcendit in terram: ſpiritus ſcil. cum anima, &c. Item nutrix eius terra eſt: virtus eius integra eſt, cum verſum eſt in terram. Hinc Drebelius dicit, terram eſſe compoſitam ex quatuor Elementis, & tamen tria cætera ignem, aerem, aquam miniſtrare terræ, igne agente in aerem, aëre in aquam

[*Spiritus terra aſſurgens.*]

(vel in aqua) aqua operante in terra humiditatem. Terra, luna, mater in artificio Hermetico rationibus, non re differunt. Terra noſtra eſt viua, & fuſilis: vnde & ſal fuſile dicitur. Habet corpus fixum more cryſtalli, &c. 2. *Qualis autem ſit iſta terra*, ſequentibus axiomatibus exponitur. *Spiritum enim habet conſpicuum*, qui nebulæ inſtar aſſurgit in vitro ſeu ſphæra noſtra. Is dicitur cryſtallinus, quia corpori confert cryſtallinam tranſparentiam, quæ ſpiritu extracto perit. Eſt quidẽ etiam ab aqua puritas cryſtallina: ſed à ſpiritu ſeu aere puro magis. Ideo & terrea tranſparent, non tantum aquea. *Halitus metallicus mercurialis eſt*, qui ex terra ignibus reſoluta exhalat. Documentum habes in ſublimationibus ſalium, & marcaſitharum, &c. Veruntamen non talis eſt ſpiritus noſter, qualis flos antimonii & ſimilium, qui etiam ſpiritus dicitur: ſed vt ſal fuſilis, & aqua glaciata, &c. 3. *Anima tribuitur terræ*: Vnde viua

[*Anima terra.*]

& animata vocatur. Illa vero *agnoſcitur ex colore rubro*, ſanguineo, ſeu carbunculi & pyropi. Tunc ergo animata eſt actu, cũ rubra apparet. Verum & ignea eius diſpoſitio rubedine proditur. Sol n. noſter rubet: at nõdum eſt animatus. Intellige ergo de illa terra ſermonẽ eſſe, quæ per fermentationem ex auro accepit animam ſeu tincturam rubedinis, vt iam poſſit ẽt alia tingere. Hæc *tinctura anima vocatur*, & dicitur eſſe indicium animæ in terrã noſtram ante mortuam infuſæ. Vin' explicite? *Terra iſta fuit elixyr album*, & ex albedine vi ignis rubefacta: ſed nondum viua & animata. Adde ei *Leonis rubri ſanguinem, ſeu auri tincturam, tam ſi debite coniunxeris, animata erit*, idq; oculis tuis per vitrum perſpicies. 4. Vidit

[*Corpus terra cryſtallinum*]

Drebelius etiam *fixum terra corpus* quod fuit *inſtar cryſtalli*: nempe fixum id eſſe non poteſt, niſi prius à fixo figatur, ſicut neq; aqua permanens talis eſſe põt ſine ſuo corpore. Si ergo cryſtallinum fuit perſpicua albedine, vidit poſt nigredinem & eclipſin ſolis albedinem cryſtallinam emergere, ſub qua occultata eſt rubedo. Hic eſt ordo colorum principalium. 5. Vidit *pugnas & certamina ſpiritus cum anima & corpore*: ſed in quibus victoria penes ſpiritum manſit. Vidit ſcil. reſolutionem in volatilẽ halitum, q circulariter per vitrum motus eſt & modo reflexus eſt reciproce ſuper terram, modo aſcẽdit, idq; ſæpiſſime repetiuit, donec attenuauit corpus & tincturam eius, ſeu fermentum, vt & ipſa fierent volatilia. Ita n. procedendum eſt iuxta regulam: *Fac volatile fixum, & fixum volatile: ſepara terram ab igni, ſubtile à ſpiſſo ſuauiter, magno ingenio, &c.* Id fit per ſe ſine tua manu in ouo noſtro, cui incluſa ita eſt materia, vt nequeat expirare, vbi etiam lentiſſimo calore ſubinde caleſit, vt verum ſit, quod autor dicit, *terra famulari ignem &c.* 6. Tandem *tria iſta, corpus, anima ſpiritus, elixyr, fermentum, mercurius coiuerunt poſt pugnam in amicitiam*, ſunt vnita inſeparabiliter, vt iam euaſerit vnus, idemq; lapis, qui deinceps maiore calore paulatim figitur. 7. *Corpus factum eſt habitaculum ſpiritus, & anima*, nimirũ per vnionem illam. *Spiritus* eſt mediũ & vinculum, per quod corpori anima cohæret. *Spiritus coagulatus*, fixuſq; & inſeparabiliter innexus corpori *tincturã in eo retinet conſtantèr*: q̃ omnia potuit partim oculis notaſſe Drebelius, partim intellectu colligere. 8. *Spiritus innexus vtriq; attulit eis perſpicuitatẽ* & illuminationem vt ante dictũ eſt. Itaq; cum materia noſtra eſt translucida, ſpiritu dotata, & plena eſſe cognoſcitur. Inde cõparatur *æthereo cælo*, quod quidam volunt *cryſtallinum*, ſeu adamantinum eſſe. 9. *Anima attulit ornamentum* colore coccino, ſeu puniceo, quod ẽt vocant veſtimẽtum regiũ. Si corpus per ſe ſpiritu plenum accipis, vti apparet in albedine perfecta, cryſtallinũ eſt: ſi pergis calorem adhibere, fermenti tinctura vim exerit, & albedinem mutat in colorem pyropi, ſiquidem materia eſt ſolida: ſi calcis inſtar & pulueris, ſanguini cõparatur. 10. Vidit *ſigna*, quib. potuit *de morte rerum* ſeu interitu, *& immortalitate* iudicare. Hinc in opere illo bis ponitur corp' mortuũ, & bis reuiuificatio, ſemel a. tm̃ animatio, vt in fermẽtatione, vbi ſimul eſt reuiuificatio & animatio. *Immortalitatis* argum. eſt in lapide fixo, q nulli igni cedit, nec corrumpi noſtris ignib. põt. Ideo hinc colligitur *qualis ſtatus futurus ſit terræ purgata poſt mundi*

[*Terra in altera vita ſtatus.*]

incendium: itẽ quo modo ex corruptibili fiat incorruptibile: quod tñ ex analogia tm̃ concluditur, ſicut Theologi etiam ex aliis naturæ documentis, vel figmentis, vt de Phœnice, &c. iudicant, & myſteria diuina declarant. Aurum vulgare eſt corpus interitui obnoxium, & corruptibile, chymico documẽto, licet id aurifabri, & conflatores deſtruere non poſſint. Ex corruptibili fit incorruptibile. Ita eſt de

[*Aurum natura corruptibile.*]

mercurio noſtro, *cuius coagulatio corpus dicitur: reſolutio vero ſpiritus.* Idem eſt *mater, & luna* in fermentatione, in qua *ſol pater, & aqua mercurialis ſpiritus, ſeu ventus*, qui in occulto ſeu potentia lapidem noſtrum portat, ſeu potentia coagulationis & fixionis eſt noſter lapis. Hæc ex præfatione, quæ lectorem facile inducunt ad iudicandum non eſſe de vitioſa nuce, & rebus plebi notis diſſertationem. Confer ea cũ tabula Hermetis. *Verum: ſine mendacio: certum: veriſſimum. Quod eſt inferius, eſt ſicut, quod eſt ſuperius: & quod eſt ſuperius, eſt ſicut quod inferius* (ſpiritus aſcendens & volatile homogeneum eſt manenti in imo vitro,

[*Tabula Hermetis ex Drebelio declarata.*]

& contra) *ad perpetranda miracula rei vnius*: (ad lapidem per conſenſum & concordantiam ſpiritus, animæ, & corporis, vt per eum miraculoſæ fiant tranſmutationes, & res vna ex tribus, vel ad mirabilem rei vnius admirandæ conſtitutionem.) *Sicut omnes res* (creatæ materiales) *fuerunt ab vno* (aqueo corpore & principio actiuo intus exuſcitato) *meditatione* (ſapientia & potentia) *vnius* (verbi, ſapientiæ, filii Dei) *ſic omnes res* (naturales, quæ à natura habent originem, quæ eſt poſterior creatiua potentia) *natæ fuerunt ab hac vna re* (naturæ principio interno,) *Adaptatione* (agentium & patientium diſpoſitione, cõcordia, & ſeminaria poteſtate, quæ artifex ingenioſe coaptat.)

Pater

Pater eius (vnius istius rei mirabilis seu lapidis & tincturæ nostræ) *est Sol* (rubeum elixyr ex mercurio nostro, vel sulphureum principium, & igneum in perfecto metallo: Nam hoc principium est masculinum. Nota videri simul sutni fermentum & elixyr rubeum, vt sint pro vno parte:) *Mater eius est luna* (terra nostra alba calida humida: principium materiale. Vtrumq; tamen est potestate in vno: & pro opere diuerso diuersimode coloratum est. Accipere etiam potes de mercurio nostro, qui se habet vt fœmina. In Riplæo inuenies abstrusiora.) *Portauit illud ventus in ventre suo.* (Ex mercurio est natum per coctionem perfectiuam: & postea etiam spiritus fit resolutione, in cuius potestate iterum est tinctura; vel dic, quod anima inclusa sit surgenti halitui & nebulæ crystallinæ:) *Nutrix eius terra est* (cum dispositionem terræ habet, nutritur & imbibitur: melius: in terra fouetur & crescit ille spiritus animæ vector, in eaque conseruatur, alias auolans:) *Pater omnis thelesmi totius mundi est hic* (simulacrum omnium perfectorum operum mundi naturalis in regione elementari, atque etiam creationis) *Vis eius integra est, si versa fuerit in terram* (si illa vna res perfectam fixationem accepit, integram virtutem habet.) *Separabis terram ab igni, subtile à spisso, suauiter: magno cum ingenio.* (Fixum fac volatile, & contra in vno vitro, suauiter coquendo, quæ est regula communis in operationibus omnibus. Neque enim vis, & inscitia proficiunt.) *Ascendit à terra in cœlum, iterumq; descendit in terram, & recipit vim superiorum & inferiorum* (modus separationis istius fit per partis volatilis ascensum, & descensum, donec omnia per istam sphæram transeant, & reuolutione crebra potentiam volatilium, & fixorum, cœlestium seu astralium, & terrenorum, seu elementalium nanciscuntur. Vt enim ex Sedinuogio cognosces, in fundo vitri manet fixum granum, & terra. Ab hac eleuatur spiritus, qui perambulato circulo reuertitur seu reflectitur in terram, & cum ea coit multis osculis, &c.) *Sic habes gloriam totius mundi.* (Speculum contemplatiuum, & practicum. Imo & medium acquirendi scientiam & dignitatem.) *Ideo fugiet à te omnis obscuritas.* (In intellectu, & in existimatione mundana. Diues eris, honoratus, sapiens.) *Hic est totius fortitudinis fortitudo fortis.* (Quanta vis potest esse in rebus medii mundi, hic est. Nam astrales potestates concordatæ sunt cum terrenis: habes hic medicinam fortissimam ad metalla, & corpus humanum. Potes diuitias maximas acquirere, quibus omnia cedunt mundana. *Philosophiam tanquam in paruo speculo vides:* Theoricas & practicas inductiones habes, non in lapide confecto tantum, sed & eius præparatione, quasi naturam nudam videres, vt Sedinuogius scripsit.) *Quia vincet omnem rem subtilem* (mercurium & mercurialia volatica superabit, & nihil erit in tota medicina subtilius si sæpius soluas & coagules) *omnemq; solidum penetrabit* (solida quoque metalla vel in fluxu, vel ignitione peruadet: corpus a. humanum totum penetrabit. Neque enim hæc sunt extendenda vltra minorem mundum, & res metallicas, quibus gemmæ adduntur, & vitrea materia omnium mistorum terrenorum) *sicut mundus creatus est* (omnia initio aquea apparebant, & soluta: Inde cogebantur, & eminere iubebatur arida. Sic fit lapis noster ex aqua nostra, quam extrahimus ex minerali argento viuo, & salibus purgamus. Sic & plantæ & animalia; minor scilicet mundus ex seminibus humidis, corporibusque genitorarum existunt. Item vt in vitro nostro spiritus resoluti ex aqua & terra in ambitum concedunt, & ibi aliquando instar stellarum lucent, nebulæq; forma apparent: Ita & in mundi origine partes discessisse & sua loca occupasse dicuntur.) *Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum mundus hic est:* (Mirabilia opera per huius medicinæ accommodationem efficere poteris: Et habes eorum veluti paruum exemplar, & mundum in lapidis præparatione. Quo enim modo illum præparasti, ita multa alia medicamenta poteris concinnare, atque etiam ad varia declaranda eundem adhibere, vt mirentur homines, ex quo principio sapientia ista tua naturaliter profluat. Omnium enim generationum & virtutum naturalium speculum viuum habes.) *Itaq; vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes philosophiæ totius mundi* (Vsus eius lapidis & artificii est in philosophia diuina, & humana, atque etiam praxi vtriusque) *completum est, quod dixi operatione solis.* (Est artificii plena descriptio: quia eadem fere in singulis operationibus recurrunt. Est & opus absolutum, intelligendo de lapide rubeo & tinctura solari.)

Operatio pro elaboratione & confectione tinctura solaris.

Analysis Capitis I. Drebelii.

1. OMnium creaturarum primordia à Deo esse dicit: argumento, *quia in eo etiam finem sint habitura.* Arguit autem finis principium, iuxta communem experientiam, qua videmus ex elementis facta in Elementa resolui.

2. *Omnia perfecta apud Deum fuisse, & sic condita* ponit. Hinc colligit post elementorum colliquefactionem etiam perfecta reditura, nulla re pereunte, nisi *iniustitia*: claritate vero apud Deum redeunte (seu Elementis in claritate apud Deum in vnionem iterum coeuntibus.)

3. *Modum creationis secularis hoc ordine proponit*, quasi *Deus primum*, cum omnia condidisset, *à cæteris ignem separauerit*, subtilissimum nimirum elementorum, quod summum locum, infinitamque amplitudinem occupando, omnem gloriam Domini sit amplexum asceodendo sui leuitate. Omne enim leue ascendit: *Secundo aerem* post igoem subtilissimum, segregauerit in proximum igni spacium, *aqua & terra* vtpote crassis corporibus ad imum sic sidentibus, vt aqua terrã circumdaret, sicut aquam aer, aerem ignis.

Qualis verò discessio fit in vitro Hermetico, talis in mundi primordio fuisse creditur.

4. Eleuatæ ex aquis *terra impositus est homo*, tanquam in medio elementorum (inter ignem, aeremq; & terram cum aqua) vt contemplatus claritatis diuinæ splẽdorem ex creaturis propter harum perfectionem in Dei amorem ferretur.

5. Quatuor *Elementorum* quodlibet pro sui subtilitate suas habet vires, igne præ cæteris excellente.

 6. Potest

Ignis causa vitæ. 6. Potest enim cæteris suæ similem *claritatem* afferre: Est *causa vitæ omnium:* Absq; eo omnes res sunt mortuæ, *vt in hyeme patet.*

7. *Ignis autem clarificat* expulsis tenebris inducto lumine: Purgat à vapida humiditate, & fumis terreis: Adimit ei crassitiem omnem, facitque, *vt omnia solida penetret*, itaque assimilat sibi, vt differentia sit nulla: argumento ignis flammei in focis nostris, qui aerem attrahit, & in sui naturam conuertit: quod si facere prohiberur, perit.

8. Colligitur hinc Dei creaturas obseruare sibi iniunctum munus, & *operari quousq, materiam inueniant:* Item quo plus inueniant, eo plus clarificare, nisi impediantur. Hi sunt aphorismi primi capitis.

Diuinationes.

1. Symbolismos audimus ex magno mundo ad declarandum opus Hermeticum accommodatos. Nam vt Hermes, inquit, quo modo philosophorum lapis fit, ita mundus conditus est, vt si velis artis modum intelligere, oporteat te respicere ad creationem mundi, quæ vicissim se in lapidis generatione manifestat. In mundo conditor Deus est omnipotens, & sapientissimus. Ars habet artificem Hermeticum, quem Deus donis suis instruxit, vt sapienter, perite, ordineque operari possit, & omnia sic disponere, vt natura cuiusque requirit. 2. Primus & secundus aphorismus ostendunt, quod artifex studere debeat materiæ puræ, & ab omni sorde immuni. Deus enim in principio mundi non fecit inquinata corpora, sed pura, mundaque, & in renouatione talia est reducturus, cum augmento pro gloriæ statu. Qui ergo studes huic arti, dispice de materia pura, aut si pura non occurrit, munda & purga impuram, sicut Deus purgabit mundum. 3. Materia debet esse Elementaris, & sic elaboranda, vt postquam singula Elementa per se sunt clarificata, tandem vniantur perfecte, & pure, tanquam in mundo renouato apud Deum.

4. Tertius & quartus aphorismus monstrant ordinem operis. Circa artificem, *cum primum operari incipit, sunt aqua & terra subtus: sursum aer & ignis*, vt sic quasi medius sit inter elementa. Procedat ergo laborando sic, vt ab aqua incipiat, indeque terram per coagulationem producat. Ex terra progredietur ad coofinem eleuatæ, seu sublimatæ, aerem, tandemq; ignem, qui totum opus claudit, & est in fine: quæ certe sic se habent in opere aurifico. Nam *primo est aqua nostra: ex hac terra exit: Hinc aereum corpus educitur, & tandem igneum:* Et tamen non est diuersum, nisi dispositionibus. Nam vltimo omnia sub ignis forma comprehensa vniuntur. 5. In nostro magisterio nullam dispositionem materiæ, quæ sub certi elementi nomine assignatur, esse vacuam virtute, aperte iudicat sententia quinta: sed gradus sunt impares. *Fortissimus enim omnium est lapis, cum igneam naturam accepit*, pro vt subtilitas, ita erit virtus, Ideo non temere dicit, vires esse pro subtilitate: quæ tamen non debet excedere naturam generis, vt in sequentibus monebit. Nam nimis subtilis artem non patitur. 6. *Ignei lapidis potentia illustratur*, quod cætera elementa sui claritate & vita donet. Sane aqua, terra, aer, omnia tandem in ignem nostrum mutantur, & in eius naturam concedunt, cumque prius *pro mortuis* haberentur, cum igneum sulphur auri, tinctura q; abesset, iam censentur *viua & animata*. Sed hoc non tantum in materia lapidis, quæ ordine perficitur, sic se habet, verum etiam apparet in proiectione. Adeo n. validus *est ignis in sui perfectione*, vt in mercurium proiectus sui similem ignem producat, tandemq; aurum faciat melius auro natiuo, ex quo fuerat tractus.

Ignis medici na robur. 7. Septimus aphorismus vim ignis maxime declarat in aere. Lapis enim noster igne cœlesti pollens aereum mercurium, seu argentum viuum sic afficit, vt dicitur: Imo & eodem augescit, & imbibitur, seu conseruatur, & nisi pabulo aereo frueretur, euanesceret vis eius aurifica. *Recipit autem nutrimentum mercuriale quam auidissime, propter familiaritatem.* Nam aereus mercurius igni familiarissimus est, & leui negotio ei assimilatur, nisi qua impuritas prohibeat, aut aliud impedimentum interueniat.

8. Magister artis nullam potentiam ad rem affert. Nam materia per se sua sponte procliuis est ad opus & effectum, modo debite accommodentur agentia patientibus, fiatque continuatio, & directio prudens.

Analysis Capitis II. Drebeliani.

APhorismus 1. *Vt in aerem operatur ignis, ita & in aquam, & terram*, clarificando scilicet, seu illuminando, argumento pruna ardentis, quæ ex nigro ignescit, & transmutatur in primum ens, cineres, in quibus non amplius apparet: resoluitur etiam in inuisibilem spiritum, quo modo & cinis posset in vitrum, & hoc in inconspicuam essentiam conuerti.

2. *Videtur aqua ab igni clarificari*, tanquam à contrario, *non posse*, nec ex eadem materia esse. (Quæ in se mutuo agunt, familiaritate materiæ consentiunt. Inimica sibi, non videntur posse ex eadem cõstare.) Respõdetur, *duo contraria sine medio non coniungi.* (Aristoteles diceret subiectum commune, seu materiam requiri, cum contrariæ potestates naturales fiont inseparabiles.

Ignis ex chao separatus 3. Cum Deus *ex chao ignem sicciβimum*, subtilissimum, clarissimum (purissimum) *separasset*, simul erat creatum eius contrarium, *crassities nimirum terræ, & humiditas aquæ*, corpus crassissimum, obscurissimum, humidissimum, frigidissimum.

Aer chymicorum siccus, nisi ex parte. 4. Sed vt cohærere hæc & vna esse possent, *humiditas aquæ temperabatur siccitate aeris* (chymicorũ aer siccus est, non humidus) & terræ: crassities terræ & siccitas moderationem accipiebat à subtilitate aeris, in humiditate aquæ.

(Physica

(Physicus diceret in vno globo ignem & aquam coniungi intercedente aere & terra. Aer enim igni familiaris est caliditate, simulque subtilitate: Aquæ consentit humiditate & fluxibili natura: Vinculum ergo est inter duo. Aqua postea addit terram corpulentia & frigiditate, quam & ignis prehendit siccitate. Hæc in Peripato pulchrè respondent. Sed Chymicus *terram calidam siccam* ponit, *& aerem partim siccum, partim humidum*, vt siccitate ignem contineat, humiditate aquam, terra & igni interim familiarissime consentientibus) Propter temperamentum ergo aqua desiit infestissima igni esse, &c.

5. Temperamentum ignis & aquæ per subtilitatem aeris, & siccitatem terræ est in forma *Aquæ vitæ*, seu *olei*, quæ est res mirabilis, & nos inuitare debet ad fidem & laudem Deo præstandam.

6. Ea est *creatura creaturarum*, seu prima materia, in qua ignis, aer, aqua, terra, lucent in ea forma, in qua sunt à Deo condita.

7. *Animaduerte modum separationis elementorum.* Spiritus ignis sursum fertur, secum vehens aerem, aquam, & terram, quæ frigore aeris frigefacta, & densata recedunt ad suum genus, vnde venerunt. Humidum olei, quod aqua est, mutatur in vaporem nebulosum, & relabitur in forma stillatum aquæ: *Terra* (intellige non totam) *assurgit vt halitus, & recidit specie nigra. Aer à seipso comprehenditur.* *Mutatio seu conuersio elementorum.*

8. Perspicuum ergo est, quod *ignis sit vita omnium* (vel de omnibus) quodque clarificet (attenuet, rarefaciat, perspicua reddat) & mutet (conuertat) omnia in eam formam, qua fuerunt in principio apud Deum, tam aquam, quam terram & aerem: Sed non sine medio.

9. Crassities enim aquæ debet per subtilitatem aeris ad mediocritatem redigi, seu temperari, & humiditas per siccitatem terræ. Tunc parata est materia, & potest clarificari, & viuificari ab igni.

Diuinationes.

1. *Capite toto secundo* explicatur *vis ignis in elementa cætera*, & quo modo inter se conuertantur ipso agente: cuius rei documenta quidem habemus in maiore mundo, quæ etiam ab Aristotele sunt proposita, dum vel ipsis sensibus perspicimus calorem Solis & ignis, qua in superficie terræ, aut sub terra est, resoluere aerem, aquam, terram, vertereque humida in vapores, sicca in halitus, qui variis mistutis varia meteora producunt. Resolutio affert resoluto perspicuitatem, raritatem, seu tenuitatem & puritatem; contraria vero à frigore congelatio crassitiem & densitatem, aliquando cum opacitate coniunctam. Sed in opere Hermetico omnia sunt illustriora, vbi vult Drebelius *purgata elementa in materiam eam reduci, quæ ab initio est à Deo condita*, quamque arbitratur fuisse *essentiam purissimam, nobilissimamque specie aquæ oleosa, in qua quatuor prima corpora, tanquam in chao, vel, vt alii loquuntur, in matrice, capsa, vel arca fuerint conclusa.* *Qualis materia prima fuisse fingatur.*

2. Primus aphorismus de hac ipsa vi ignis in elementa agit, dicitque, ea verti in spiritum inconspicuum, nempe in igneam naturam, & æthereum, similem *igni cælesti, qui spiritus est inuisibilis*: Res manifesta Physicis, metallurgis, destillatoribus, sublimatoribus, proflatoribus & similibus. Exemplum affertur *à Carbone*: Sed de nostro mercurio cogitandum est, qui similiter patitur in mysterio chymico. Vocatur *illuminatio & clarificatio*, quia attenuata fiunt pura, & perspicua. *Ignis est artis, & naturæ*: actualis, & potentialis: Hic ab illo excitatur, & in actum producitur. *Ignis.*

3. Aphorismus secundus obiectionem proponit, & soluit. *Contrarium agere in contraria* in subiecto communi, notum est ex generationibus physicis, & principiis. *Contraria genere conueniunt, specie differunt*, inquiunt logici, & monstrant physici. *Ex contrario iter est seu motus in contrarium, per medium*, quod est particeps vtriusque extremi. *Ignis in aquam agit per medium*, nisi vi committantur, vt cum in rogos aquam infundunt, aut candefacta in ea extinguunt. Vapores autem inde, & porro spiritus aereos nasci, notum est.

4. Aphorismus tertius vt & quartus, explicant aliam quæstionem. *In actione & passione contactum fieri necesse est.* Ignis ab aqua naturaliter ita dissentit, vt fugiat ab ea, & extinguatur, seu opprimatur. Quomodo ergo vna esse possunt? Respondetur per modum mistionis naturalis à Deo primum in creatione institutæ. *Temperatio efficit, vt in vno coeant contraria.* Contemperationis ratio redditur à qualitatum concordantia. Nam elementa non sic dissident, quin aliqua consentiant. Ignis & aqua in vno esse & vniri possunt per alia duo elementa inter se symbolica. Etenim si aer est calidus siccus, sicut & terra, ignis ipsis est amicissimus, cum & ipse sit calidus siccus. Iam aqua inter aerem & terram est media, crassior aere, terra rarior. Terræ halitus, & aquæ vapor spiritum ignis recipiunt cum aere. Ita simul coalescunt. Plato dicebat *longissime distantia cœlum & terram iungi vinculo duplicis naturæ*, quod est *aqua, cuius pars rarior aereus spiritus* dicitur, & cœlum attingit; densior est aqua, & terram prehendit. Ita factus est globus. Sed noster autor mistionem ex separatione declarat, quo modo scilicet elementa in vitro nostro vi ignis segregata possint in vnum redire. Si in principio fuerunt in communi chao concordia, cur non in vitro nostro? Etiam in principio segregabantur, & tamen vna erant. Si aqua summum humiditatis retineret, non posset cum summo ignis siccitate constare. At non retinet: quia ad mediocritatem redigitur aerea siccitate, quæ cum sit igni sicco familiaris, efficit, vt coëant. Ita se res habet etiam in qualitatibus materialibus.

Terra, ignis, aer, sicca chymicis elementa (aer tamen aliquà humidus.)

Aer aquæ addictus.

Aqua igni iuncta medio aere.

Nam densissima terra cum igni & aere coalescit mediante aquea reouitate moderata: Et rursus, vt 8. aphorismus ait, aquæ crassities per aeream subtilitatem attenuata conciliator igni. Ita fit in vitro Hermetico, in quo conclusa materia igni externo excitatur, permutatio, & rotatio circulatis subtili rarefaciente crassum, & crasso alligante, addensanteque subtile, calore & frigore agentibus.

5. Aphorismus quintus habet, qua forma appateat materia nostra ex conuersione elementorum circulari nata. *Tam perspicua & pura est*, inquit, *vt pro aqua vita, & oleo haberi possit*, quæ naturam ignis & aeris coagulati referunt. Alii dicunt, actione ista, circularique conuersione fieri resolutionem in aquam, vel oleum clarum, quod porro crassescit. Verum res non indiget disputatione, sed experimentis innotescit.

Prima materia mundi qualis.

Moses & Hermetici in creatione mundi differunt.

6. Aphorismo sexto creditur talis fuisse prima corporum naturalium materia. Arbitrantur enim lapidem philosophicum esse *specimen & argumentum creationis mundi*, vt sic alterum altero possit demonstrari. Dicitur creatura creaturarum, tanquam prima, ex qua cæteræ materiales sint procreatæ, quanquam opinione potius, quam scientia. Quomodo Deus mundum creauerit, Moses scripsit: Sed cuius verba non omnino hoc dicunt, quod ex solo lapide colligunt Hermetici.

Nigredo quando fiat.

7. Aphorismus septimus *ascensum descensumque* & circulatem agitationem materiæ in globo chymico declarat, vbi notandum est, quod *Nigredo* tribuatur terreæ patri iam resolutæ, itcrumque coagulatæ. Nam quando peracta est solutio philosophica, & incipit coagulatio, nigredo emergit, totumque abit in opacam, & atram terram, quæ caput corui vocatur. Hinc dicitur signum putrefactionis, & solutionis veræ.

Ab igni vita.

Calor à cœlo vt distribuatur.

8. Octauus & nouus aphorismus volunt mutationem, & agitationem illam esse ab igni, qui habet potestatem rarificandi, & repurgandi, seu dispositas materias in sui similem essentiam transmutandi, cumque illa agitatio vitæ comparetur, & calor etiam sit administer vitæ, colligitur *ab igni vitam quoque omnium esse, & cœlestem puritatem*, qualis in initio ponitur fuisse. De vita sane non difficultet persuaseris philosophis scholarum, siquidem non flammeum ignem, qualis est in focis nostris, intelligas, sed Hippocraticum illud calidum, cuius cum pars maxima in altum ad cœlestia corpora constituenda separata sit, non parua tamen portio in imo mansit: nonnihil etiam ex cœlo redit per vertiginem, & irradiationem, seu influxum, aut translationem, & distributionem, partim etiam attractionem magoeticam familiarium. Verum, vt dictum est, materiæ insitus noster ignis est, & ab externo excitatur magna industria temperandi, ne excessum aut defectum committas, & vel non commoueatur materia, vel violente concitetur. Ita debes calorem administrare, vt possint fieri ista, quæ scripsit Drebelius.

Aphorismi Capitis III.

De aeris potestate in elementa reliqua.

PRopositio est: *Videamus virtutem, seu potentiam aëris in cateris elementis*, postquam nimium de vi ignis in ea *præcedente capite* est actum. 1. Vt reliqua tria elementa absque igni sunt mortua: ita & ipse sine illis est mortuus. 2. Vt *ignis est vita, & in aëre viuit*: sic *aer viuit in igni*, & *aqua in terra: terraque in aqua*: & rursus aqua etiam in aere. 3. Ignis purgat aerem, aer aquam, aqua terram: & *per ignem vnumquodque alterum reddit simile sua claritati*: Exemplum est in æstate, vbi Solis calor aquam rarefactam attrahit, quæ per aerem attenuatur ita, vt iam nullum discrimen sit inter aerem, & aquam resolutam, quandiu vapidi halitus frigore non addensantur, & coagulant, seu consistunt. 4. Vt ignis omnia attenuat, ita frigus oppositum igni omnia densat, & cogit vapidum aerem in aquam adimendo ipsi calorem ignis, & tenuitatem aeris. 5. Hinc aqua recidit stillatim, seu specie roris & guttarum, quæ à terra receptæ fiunt alimentum in terra nascentium, seu natura elementorum (in pluuia, rore, niue, pruina & similibus est natura omnium elementorum, vnde illis possunt nutriri terræ fœtutæ ex 4. elementis commistæ.) *Penetrant enim semen vsque ad radices*: Inde terrahuntur à calore Solis, & se insinuant exterioribus plantarum partibus. Rursus relictis spiritibus terrestribus seu elementis terræ, aqua se recipit ad terram, quæ terra *caloris solaris, qui est natura & vita stirpis*, viribus transmutator iuxta formam, & potentiam eiusdem (stirpis.) Plantæ ergo nutriuntur & augescunt perpetua aquæ transitione, & imbibitione. 6. Quando vero frigus vehemens est, seu superat, aqua congelascit, & mutatur in speciem terræ, quandoquidem frigus, vtpote effectum terræ, aquam condensat, & terrenæ crassitiei, & duritiæ assimilat. Sic *aer ignem inspissat*, cum eius frigiditas vincit ignis calorem, transitque ignis in aerem, aer in aquam, aqua in terram, qua mutatione mirabili superiores nostræ rationes de elementorum separatione in prima materia, seu ente primo confirmantur. 7. Etenim sicut Deus separauit elementa ex prima sua creatura seu corpore & chao; ita per nostrum ignem (quæ res est veluti vmbra primæ materiæ) elementa reducuntur in primam materiam. Exemplo sit lampas ex oleo. Nam vi ignis oleum resoluitur, & fit flamma à flamma ignis indiscreta. Penetrat etiam flammam, & vi frigoris, quod igni contrarium est, in suum elementum conuertitur (id est, aerem.) Vnde separatio in elementa, & separatorum reductio in primum esse elucescit, estque res mira.

Quomodo stirpes in terra nutriantur à pluuia.

Imbibitio.
Congelatio.
Aer frigidus.
Ex chao educta elementa per ignem reducuntur in chaos.

Diuinationes.

Propositio autoris videtur satis manifesta quidem esse: Verum si rem ipsam penitius inspicias, dicere possis *præcedente capite* actum esse de solutione: in hoc vero *de coagulatione per imbibitiones, seu nu-*

tritiones

fusiones nostras, in operatione secunda. Ratio est; quia dicit, se de vi aeris in cætera elementa loqui velle, hoc est, qua ratione lapis fiat aereus, in qua dispositione oleo aereo comparatur, dominante tandem potestate aerea. Deinde pluuiæ & nutritionis facit mentionem, vt & *infra capite octauo*, vbi loquetur de operatione quarta. Pluuia vero illa & nutritio in nostro magisterio, non est operationis primæ, sed secundæ, & deinceps omnium cæterarum, quæ augmentationem per imbibitionem habent. Omnino huc tendendum est, vt lapis noster terreus fiat aereus, quod per destillationes Arnoldini enunciant, quasi debeat ex aqua & terra iterum coniunctis oleum elici aereum, sicut fit in stirpium anatomia chymica.

2. Aphorismus primus loquitur de necessitate coniunctionis elementorum, quod in nostro opere non tantum oporteat rationem haberi naturæ ignis, verum etiam cæterorum elementorum, cum ignis sine illis non subsistat, quod & Aristoteli visum est, scribenti *ignem se maxime habere, vt formā, cum semper videatur in aliqua materia esse.* 3. *Gen. an.* 11. Viuit ignis in cæteris elementis & elementatis, maxime quæ ignea sunt, & aerea, qualia spirituosa & pinguia (spiritus ardentes, olea rarefacta destillationibus, petroleum, &c.) esse nouimus. Cætera vitam dicuntur habere ab igni, vtpote cuius vi calescunt, & motiua mobiliaque sunt, quod satis indicant frigoribus congelata, aut densata, item stupores, & mortificationes per gelu excedens; vnde & *mors extinctio, vita vero vigor natiui caloris est.* Hæc nostri physici haud grauate concesserint, cum fere sic de vita & morte disserere soleant, quanquam instrumentaliter tantum, cum principium vitæ & actionum vitalium sit anima. Drebelius autem Platonicis chymicis accedit, & *ignis nomine etiam luces cœlestes, & sydera comprehendit.* De his qui dici potest, quod sint mortuæ sine elementis mutabilibus? Imo quo modo in temperationem cum corruptibilibus, patibilibusque venit incorruptibile, & impatibile cœlum? Dicet ille, se non curare sententias physicorum: *suo se modo philosophari, cuius rationem non intelligant scholæ Peripateticæ.* Atqui & Hermetici cum Platonicis stellarum ignes vindicant ab elementari contagio. Relinquitur, vt dicamus *symbolicam esse locutionem*, ignemq; illum æthereum sine æthereis, & formalibus elementis non esse, cum quibus ordinatione diuina vt in prisco chao fuit, ita etiam postea manere possit, indeque simul mistis communicari. Nam in his sunt essentiæ cœlestes simul cum corruptibilibus elementis tanquā capsulis, de quibus alibi. *In nostro ergo vitro vbi omnia sunt homogenea*, & cœlesti puritate, nobilitateque sic est ignis, vt terra, aqua, aer; & sic hæc, vt ille. Ideo enim fit ascensus descensusque, vt nostra tinctura vim superiorum, & inferiorum accipiat. 3 Idem dicitur aphorismo secundo, quod scilicet *mutuo in se viuant elementa nostra vndiquaque igni perfusa* tanquam vitæ omnium principio. *Vitam* autem intelligimus parabolice ex similitudine. Ignis, seu calor cœlestis, & qui insitus est animatis rebus, alias instrumentalis vitæ caussa est. Cum *anima vocatur ignis*, modificate vocatur; licet fuerint philosophi veteres, qui eius substantiam ex ignibus cœlestibus in elementari igni analogiam habentibus deduxerint, cum sit incorporea, quædam etiam separabilis, & viuens extra materiam.

Vita Hermetica.

4. Aphorismus tertius iterum commendat *vim purgatiuam ignis*, omnemque motum principaliter illi asscribit adeo, *vt catera elementa actiua esse sine igni negentur.* Ignis terræ sociatus, in ea assimilat cætera elementa terræ. In aqua fit aqueus; in aere aereus. Inspiciendæ hîc sunt dispositiones materiæ nostræ in nostro vase, in quo omnia peraguntur vi ignis, vt sic coagulatio quoque, qua ex aqua fit terra, vti prius ex terra aqua, ex aqua aer, ex aere ignis, eidem tribuatur. At si terra sibi similia reddit cætera per ignem, quorsum frigus coagulatiuum & gelatiuum adducitur? Relatum intelligimus. Notum enim est, nostrum *Athannorem gelatiuum frigus non admittere.*

5. Quartus & quintus aphorismus causam reddit *pluuia nostræ mystica.* Maior vis ignis est incentro materiæ: Minor in peripheria. Hæc se ad illam habet, vt frigus ad calorem. Quicquid ergo disgregatum est vi ignis centralis, id fertur ad ambitum sphæræ, ibique loci frigore coagulando consistit, & postea incrassatum grauitate materiali depluit. Pluuia hæc insinuat se in materiam, quæ est circa centrum, ibiq; iterum rarefacta ascendit, & coagulata defertur, qui est Euripus, & oceani agitatio circularis in nostro vitro. Tale quid dicitur etiam in plantis euenire verbis satis apertis. *Lapidem prima operatione ex mercurio nostro confectum, quanquam mortuo similem, & plane nigrum, irrigamus aqua nostra per modum imbibitionis. Cum bibit humorem sufficientem, includimus eum Hermetico hypocausto. Ibi sudat, & resoluitur in halitus languido igni. Halitus eleuati consistunt, vicissimque deferuntur, & rotatione frequente attenuant crassiores partes, donec omnia fiant aqualia, & cōquiescant.* Hæc res plantarū generatione & nutritione declaratur.

Pluuia mystica.

Materia in vitro Hermetico agitatio.

Terra coagulatio.

6. Aphorismus sextus mirabilia proponit. Terra sane nostra magis coagulat calore, quam frigore, & ideo etiā calida censetur: Mirabile & hoc est, quod ait, *frigus esse effectum terræ, & aquā densando reddere terræ congeneam duritie, & crassitie.* At prius dicebatur terra ignis beneficio sibi assimilare cætera: *Aer* quoque *prius calidus, iam frigidus* ponitur, vt qui frigiditate sui ignem inspisset. Hæc nisi explices relate, non consistunt. Ita, quod calidum est vno, id frigidum erit alio respectu: nisi velis dicere his magistris relinquendum esse suum morem, sicut & Sedinvogius vult, non curandum esse, licet contradictiones alicubi occurrant.

Contradictiones chymicis familiares.

7. In septimo aphorismo ars opponitur naturæ creatrici. Hæc elementa ex chao separauit; Ars ea in chaos reducit. Separatio, & reductio vtraque fit per ignem, in materia scilicet diuersimode se habente & diuersis gradibus diuersa operantē. Quod violentior potestas resoluit, id mitior redunit. Sic ignis lenis materiæ motum affert, & paulatim exiccando coagulat, licet initio quædam fiat resolutio. Cum exiccatio pedetentim procurata est, & partes ita vnitæ, fixæque, vt discedere à se mutuo non possint amplius, paulatim augetur ignis, fitque consolidatio, & fixio completa.

8. Ignis appellatur *vmbra primæ materiæ.* Ita sane verba videntur exigere. Nos instrumentum nostrū potius cū potentia creatrice conferre possumus, si licet terrena comparare cœlestibus. Quod de figura, vmbra, & simulacro dicitur, potius est materiæ nostræ, quam chao prisco æquipatant.

9. Oleum

9. Oleum reſolui ab igni in halitus inconſpicuos, & ſpititus igneos partim, partim aeteos, partim etiam fauillam fumidam notæ eſt experientiæ. Noſtra materia ſit inſtar olei. Agat in eam calor. Fiet reſolutio ſpiritalis, quæ in ſua raritate ab igni ſpirituali non poteſt ſenſibus diſcerni. Coagulata vero poſtea exhibet concretum fumum, & ſpititus duplices, quod & deſtillatio olei docet, pro fauilla aliis recrementis remanentibus.

Analyſis Capitis IV. Drebelii.

De meteororum aereorum & igneorum quorundam cauſſis.

1. INtellectis benè *ſuperius* expoſitis, perfectè poſſumus cauſſas *ventorum*, *tonitru*, & *fulguris* cognoſcere. 2. Sole viuifico radiis ſuis abſque impedimento aquam frigidam craſſamque & aerem penetrante, rarefaciente, & calidum reddente, aer dilatatur, ſeu expanditur, diſgregatur, reſoluitur, & tranſmutatur in naturam ignis, & aqua in aerem. 3. Inde perpetua agitatio exiſtit, quæ ſe diffundit ex omni latere ſuper terram ad eam bumectandam. 4. Aqua rarefacta, quæ fertur ſuper reflexione (qua radii à terra reuerſi deſinunt) ſeu aere calido, & pertingit vſque ad ſpiſſum, denſum, frigidumque aerem, cogitur rurſum, craſſeſcit, & in minorem molem coarctatur, tranſmutaturque in aquam: quæ guttatim defertur. 5. Hinc neceſſario ſequitur tranquillitas, vti expetimur cœlo pluente, niſi adhuc duret eleuatio, ſitque fortior (diſgregando) quam aer frigidus incraſſando, & deſando. 6. Sicut calor aerem & aquam ſubtilem, tenuem, & in magnam molem tumefactam reddit: ita frigus, calori aduerſum, congregat, cogit, & in anguſtum, paruumque corpus compingit eadem, & conſtringit omnes ventos per calorem excitatos: Exemplo eſt *ampulla retorta vacua conſpicuis contentis, ſuper pruna ardente ſuſpenſa, & roſtro in cadum aqua frigida immerſa.* Vt primum enim incaluit, diſgregatus aer ventos in aquam emittit, vnde bullæ exoriuntur. Quando vero remota ab igni ampulla aer in ea frigeſit, condenſatur, & ipſa aqua impletur. Oportet autem eam citra rupturam valde feruidam reddi, ad quod lapidea commodior eſt quidem, ſed vitrea coagulationem, & impletionem oculis ſubiicit. 7. Quo denſior aqua eſt & craſſior, eo magis diſgregatur calore, ſitque mole maior etiam plus millies. Idem docet pomum, dum aſſatur, ex quo diſgregati vapores erumpunt. Ita fit follis Aeolius, in ſphæram ignitam per foramen immiſſa aquæ gutta.

Ampulla experimentũ in ſolutione, & coagulatione.

N o t æ.

Nihil iſta habent myſteriorum. Digreſſio eſt ad declarandos motus ventorum & generationes, ſub cœlo in maiore mundo, qua de re phyſici copioſe. Sunt autem principia eadem cum vulgaribus ſcholarum, calor ſcilicet diſgregans & frigus congregans, ſeu condenſans. Dictum eſt, in globo noſtro myſtico eſſe loca diuerſa, centrum & circumferentiam. Circa centrum exiſtentem materiam calore reſolui in ſpiritus, ſeu halitus, qui ad ambitum contendunt tum calore eleuati, tum materiæ mole locum ampliorem petentes. In ambitu in frigus incidunt, & partim denſantur, partim repercutiuntur. Aſcenſus & deſcenſus ſit ab omni latere, adeo vt agitatio ſit continua, quæ *ventus* dicitur. Quando vero coagulata ſunt rurſus omnia, ceſſat commotio. Par ratio dicitur eſſe ſub cœlo in mundo externo. Ariſtoteli Sol excitat, & ſedat ventos, ſed diuerſa ratione. Excitat ex aqua & terra fumos eliciendo calore diſgregante, cui accedunt Vulcani ſubterranei, qui ex Aeoliis ſpecubus proflant halitus. Interdum in cauitatibus montium, & vallibus piget aer craſſuſque hæres diſſoluitur, ſitque excuſſio violenta ex loco anguſtiore in ampliorem. Sic naſcitur ventus halitibus à mari, terraque euectis, ſed repercuſſis deorſum, vel in latus, &c. Idem Sol tamen cum diſgregat ſeu diſcutit fumoſos ventos amplius, ſublatis halitibus quietem inferre poteſt. Verum ex aduerſa interim parte coagulationem fieri neceſſe eſſe, noſter autor iudicat. Quorſum enim tandem vlterior reſolutio, quæ ſemper amplificat molem, & vaſtius ſpacium deſiderat, ſi non alicubi, vt ad Septentrionem, vel alia loca frigida, ſit condenſatio in nubes, aquam, niues, &c. Sol etiam abitu ſuo relinquit aerem frigidum, qui craſſitie inducta ventis materiam ſurripit. Aſtrologi ſuos habent aſpectus, & Aeolos in cœlo, ex quo etiam Paracelſus ventos tanquam excrementa & flatus alui egerit, ne quid deliramentorum ſit vſpiam, quod in Paracelſo non ſit. *De Tonitru* vero *& fulguribus* certiora documenta habemus in puluere pyrio, halinitro, ſalis ammoniaci improuida deſtillatione, calce martis & ſimilibus. Si quis etiam vellet in noſtra ſphæra myſtica violente mouere elementa, ſentiret itidem crepitus tonitruales. *Fulgura* ſunt *ſtellà noſtra* ſcintillantes per modum Iridis, quam & caudam pauonis vocant.

Ventorum origo.

Analyſis Capitis V. Drebeliani.

1. CVm ſub occaſum Solis attenuatio aquæ & eleuatio deminuitur, plærumque *tranquillitatem* adipiſcimur, quanquam *aqua nunquam, niſi congelata, vaporibus careat*, argumento aquæ in patinis in frigido conclaui poſt aliquot dies nonnihil conſumtæ; quod aer conclauis calidior ſit, quam aqua. 2. *Cum veſperi non ſequitur tranquillitas, non in noſtris aut nobis vicinis locis facta eſt diſgregatio, ſed in remotis.* Diſgregationem ſequitur ventus, qui tunc ex longe diſſitis in noſtra loca infertur ſerius. Non autem ſtatim animaduertimus reſolutionis finem, etiamſi iam ceſſauerit; ſicut & ſonitum è longinquis tarde percipimus, licet ictum coruſcum cito videamus. 3. Poſt vnum ventum tranquillitas magis ſentitur, quam poſt alios, propter loci conditionem. Cum vicini ſumus loco diſgregationis, ſtatim adeſt ſilentium ac Sol occubuit, ſeu veſpera incepit. 4. Certis anni temporibus multum pluit, vt Martio, Aprili, Maio, Septembri, Octobri, Nouembri, quod intelligi item poreſt ex dictis cauſſis. 5. Nam iſtis menſibus inter calorem & frigus ſic verſamur, vt vagæ nubes defectu caloris

Pluuia temporaria.

bis

bis nequeant disgregari, & rarefieri. Aer autem commodus est, dispositusque ad eleuatas nubes in pluuiam conuertendum.

6. *Infrigidu locis exuperante gelu parum pluit.* Nubes enim prius, quam in gelidissima loca perueniant, deferuntur propter frigus aeris, nisi eleuatio sit fortis & diuturna, frigusque ab austro superetur: vel ventis validis nubes sustineantur & celeriter præter nostras prouincias ferantur, vehementiaque frigoris in niuem conuertantur. *Niues.*

NOTÆ.

Neque hîc videtur quicquam mysterii esse. Pergit enim de caussis *tranquillitatis* vespertinæ, item de *pluuiis* & *niue* differere. *Accommodari hæc possunt ad operis nostri coagulationem, & quietem materiæ in vitro post agitationem circularem flatibus aeris comparatam.* Cessante resolutione, materiæ flatuum, hoc est, halitus, quiescunt. Id fit calore decedente in maiore mundo. Verum nostri magistri tunc calorem intendunt, & figunt. Putemus ergo ignem externum quidem augeri, sed internum non amplius resoluere Verum ista remittantur ad physicos. Cum prope nos fit resolutio à Solis calore, eam cessare dicit vesperi decedente Sole, & sic quiescere simul aeris commotionem. Sic tranquillitas non sequitur, statuit disgregationem à nobis procul abesse, ita vt eius finem non è vestigio obseruemus: reliquias vero exhalationum impulsarum ad nos perferri, tardiusque desinere motum. Est aliquid in hoc, quanquam non totum. Aër procul commotus, quia continuum est & agitabile corpus, tandem semper moto proximo etiam nostrum commouet; Imò sæpe nouum impetum capit repercussionibus locorum, & collectionibus. Aeolia spiracula quoque aliquid conferunt. Sæpe fiunt Ecnephiæ, & turbines, qui cessant nubibus auectis. Verum hæc physicorum scholis committimus, in quibus & de flatibus ex antro Smellenio cum maximo fragore erumpentibus paruo motus principio dato disseri solet, & de halitu pulueris pyrii propter halinitrum, deque vtribus magicis, aut nodis, vnde sibi quilibet possit ventum quem, & quam fortem velit in mari facere. Habemus & in nobis ipsis caussas flatuum, & in terræ motibus inclusos ventos data via erumpere, item per fistulas & cauernas terræ ex sinubus immitti; aut in rogis subterraneis resolutiones factas alicubi cum fumis & fauilla, vt ex Vesuuio, Aetna, chimæra, & c. alibi cum aquis, vt in Carolinis thermis, effundi, impetum addente etiam angustia, cauernarum, per quas mole succedente coactus halitus eluctatur, compertum habemus. Niuis, pruinæ, glaciei, grandinis, granulationis & similium caussas satis doctè feliciterque expediunt Peripatetici, vt monitore Hermetico non indigeant.

Caput VI. Drebelii.

1. Quæstio est, cur æstate sæpe fiant Ecnephiæ, ex nubibus delato vento, & non ex loco resolutionis, & eleuationis? Respondetur, rarefacta à Sole aqua vapores sursum ferri vsq; ad frigidi aeris regionem, vbi iterum nonnihil addensati deferuntur nebulæ crassæ instar vsque ad locum reflexionis à terra, vbi aer notabiliter calidior est, qui denuo rarefacit, & attenuat demissam nebulam, atque ita commotionem aeris efficit, calido resoluente & eleuante, sed frigido in superiore parte congelante, & repellente. 2. Aer frigidus, densus, crassusq; super reflexione radiorum à terra existens, nubibus spissis descendentibus recipitur, postquam ab aliis locis calidis exclusus est; vnde ventus ab omni latere surgit, & dilatatur, efficitq;, vt aliquando nubes contrario motu sibi occurrant. Frigidus enim aer super calido fertur vsque ad loca gelida, vbi sub vmbra; & frigore nubium se insinuat, recipiturq;, deinde rursus à calore disgregatus eleuatur super reflexionem à terra. 3. Ita venti perflant, refrigerantq; terram ordinatione Dei sapiente. 4. Ideo sentimus eos ex illis locis, in quibus conspicimus crassas, atrasq; nubes vagari. 5. Cum æstate cernimus nebulam crassam à partibus Libonothi consurgere, non multo post Libonothum percipimus: Inde Fauonium, circium, aquilonem, eutoaquilonem, & sic deinceps ex omnibus locis, in quibus appatet nebula. 6. Sunt & caussæ certæ, cur venti aliquando sint impetuosi & violenti: Cur in Hollandia & vicinia Eurus, & Eutonotus sit valde pluuius: Qua de caussa cori tam inæqualiter spirent, & modo cum pauca pluuia, comite tranquillitate; mox cum flatu fortiore: Item cur in calidis regionibus maritimis ventus per totum diem ex mari inflehatur: vesperi vero, vel post mediam noctem sit mediterraneus; quem apogæum vocant: quorum omnium rationes ex prioribus peti possunt. *Ecnephia.* *Nubes ex loco contrario.*

NOTÆ.

Pergit in sua physica ventosa, & argumento commotionum in vitro Hermetico de varietate halituum seu flatuum maioris mundi differit. Sane si vellemus omnem ventorum motum vbiuis terrarum, & in mari excutere, fortasse Vulcanus, & Æolus noster Hermeticus non sufficeret, cum in sua sphæra non habeat sinus varios, & montes, planicies, caueroas, & alia, quæ flatus mirifice mutare possunt; vti testantur nauigationes Indicæ, & Americanæ, in quibus admiranda de ventis legimus; rationibus non tanta facilitate se prodentibus. Dicas Hermeticos istos aliquid humanitus pati, & *mundum arbitrari palmam esse, vt inspecto opere agitationum in sphærula Athannoris mercurialem liquorem continente, putent se vbiuis in magno & paruo mundo N V D A M naturam contemplatos esse*, quos sua phantasia frustratur. Ecnephiæ, typhones, turbines, presteres æstate ex nubibus violente deferuntur, quia in illis magna vis halituum; spirituumque non coagulatorum continetur. Hi sursum contendentes ab obuio frigore repelluntur, coguntur que confertim in inferiora refugere. Aliquando antipetistasi conclusi colligunrur, donec viribus accepris vi perfringant obstantia latera, & cum sulphurei sint, etiam incendantur, vt in nubibus tale quid eueniat, quale *Hermeticis mundus est palma seu vitrum vix iuglande maius.*

intra

intra terræ cauitates quoque contingit. Non raro condensati iam fumi caloribus iterum resoluuntur, & ex angustiis prosiliunt, vt in tormentis, bombardisque fieri consueuit. Verum de his alibi.
Nubes arietantes. Nubes ex aduerso sibi sæpe occurrere videntur, dum humiliores & grauiores propulsu nebularum in nubes coalescentium feruntur suis halitibus comitatæ: altiores autem seu mundi vertiginem sequuntur, seu in celsioribus orto spiritu. *Cæcias* etiam attrahere nubes dicitur, vtpote repercussus, reflexusque montium altissimorum obstaculis. Ita nubes ex ortu & septenttione vidimus in meridiem iuxta occasum inferri; inde reuerti in ortum & septenttionem totumque spacium opplere. Hic in reuersione occursum accidere, non est mirum. Repelluntur contrariis qualitatibus, montibus, flatibus, iussu diuino, &c. Fieri potest, vt quod autor dicit, nubes frigidæ à calidis locis repulsæ confugiant ad ex aduerso venientes nubes alias, vt iuxta prouerbium graculus assideat graculo, & simile ad simile feratur, propter naturæ familiatitatem; sicur & in conflatoria metallorum argentum liquatum per lapidem ad plumbum confugit, & argentum viuum impatiens ignium in frigida se sursum, deorsum, ad latera recipiat. Sed procedamus.

Cap. VII. Drebelii.

De Tonitru & fulgure. Misso vento de tonitru & fulgure seu coruscationibus agamus. 1. Cum tonat & fulgurat, aer siccus est, subtilis, & valde calidus. 2. Aqua calore Solis ascendens mutatur in aerem, & vagatur in alto super reflexione à terra, vbi à frigore cogitur, & crassescit, iterumque in aquam redit. 3. Ideo descendit instar nebulæ, & frigidi aeris vi depellitur in subtilem, siccum, feruentemque (qui est prope terram) qui crassas nubes celeriter peruadit, disgregat, attenuatque & in aerem conuertit. 4. Vno momento species earum sæpissime (plus centies, infinities) disgregatur, & resoluitur, vnde commotiones validissimæ existunt, quæ fragoribus, & crepitibus aerem incendunt, & agitant, donec æquentur inter se resolutio & coagulatio, densitas, & raritas. Inde est quies: argumento halinitri, cum igne resoluitur, & in aerem transmutatur: aut madefactus pannus cum in candefactum ferrum, aut eliquatum, feruensque plumbum coniicitur: vnde strepitus, & fragor exoritur, igne repente resoluente aqueum humorem. Est & documentum in silice, qui ad chalybem celeriter frangit, & rarefacit aerem comprehensum, & lucidum ardorem producit.
Vnde sint ictuum repetitiones. 5. Quando residuæ nubes præteruectæ sunt loca, vbi facta est inspissatio, & refrigeratio, denuoque incidunt in aerem subtilem, & feruentem, qui sursum fertur, penetratque istas nubes, & attenuatas in aerem transmutat, diuersa tonitrua audimus, semper durantia in omnibus locis calore Solis valde disgregatis, moxque iterum temperatis, & frigefactis.

NOTÆ.

Tonitrua, fulgura, fulmina, presteres, melius aliis exemplis declarantur, quam operis Hermetici, in quo per se nihil tale euenire debet, nisi quod varietas colorum in vitro possit ad fulgura referri, coagulatione & solutione. Peripatetici non absurde vtuntur risu Vulcanio, extinctione ignis (vt ferri, & lapidum ignitorum) in aquis, & similibus, vbi calidi, frigidique spiritus colluctantur obstante aquæ crassitie, quæ simul impetu feruoris resoluitur; adeo vt non tantum inter frigus, & calorem sit pugna, verum etiam inter siccitatem & humiditatem: raritatem, & densitatem: Et sæpe frigus adest nullum, vt in aqua feruente, in qua nihilominus ignita strident. Metallici aliquoties sentiunt ex catinis liquata metalla excuti, eueniique parua aqua, vt æs feruens dum ad regulam recoquitur cum impetu, magnoque fragore sursum feratur. Caussa est, quia *spiritibus feruidis totum turget. Hi pauca aqua repulsi in centro coguntur, cumque multiplicati loci angustia contineri nequeant, cum fragore prorumpunt, & us secum in altum vehunt.* Idem accidit argento in catinis feruenti: De tonitru calcis aureæ, quã fulminantem dicunt, legere Crollium potes: scilicet ramenta aquæ regiæ, quæ spiritus halonitri, aluminisque & salem ammoniacum resolutum habent, vi salis tartari resoluti circa calcem, in quam penitus se insinuarunt, concreuerunt. Est autem his magna vis in ferrum. Si ergo admoneas ferreum stilum, repente fit resolutio & inflammatio, quam comitatur excussio cum valido crepitu, & fulmine. Fit efferuescentia & stridor etiam cum liquores ipsi confertim confunduntur, sique adderes spiritum inflammatilem, proculdubio etiam hic sequeretur flamma. Sed in siccis vis est maior. Ferri contactu id contingere mirum est. Ad antipathian referre posses, nisi constaret ferrum ab acribus facile resolui, & partibus resolutis, quæ sunt sulphureæ & salsæ, vicissim agere, & incalescere, vnde repente orta flamma spiritus concretos & interius à puluere receptos resoluit, qui cum impetu erumpentes puluerem totum discutiunt, & dissipant. In nubibus quoque esse halitus sulphureos, & nitrosos, ipse odor fulminum, & fulgetrorum, itemque inflammatio indicat, vt sic Drebelius valde simpliciter videatur ex suo globo Hermetico de caussis tantarum commotionum loqui. Quid diceret *de tympano rubeo continuis bombis, fragoribusque personante?* Num hic caussa esse possit violenta resolutio, & addensatio, cum ne appareat quidem in nubibus tonantibus magna disgregatio? Exemplum halinitri, & panni madidi in metalla feruentia proiecti placet quidem, sed non satis explicat caussam datam. Fit sane resolutio aquositatis, & mercurialium, igneorumque spirituum halonitri: fit & lucta qualitatum, quæ ipsa corpora in consortium trahit, indeque sui impetus occasionem sumit. Sed vbi ista rarefactio, & subitanea coagulatio, ad frigus accessio, & in calorem repulsio? *Puluis pyrius in pollinem redactus vix paululum stridet cum ex bombarda emittitur.* Dices rarefactionem iam peractam minus negotii facessere, cum addensatio aduersa non obstet. Nostra vero sententia est læuigando perire spiritus violentiores, & eos, qui restant, non laborare eruptione & effractione suorum corporum, quia

quia sunt in expedito. *Quo crassior puluis est, cæteris paribus, eo magis intonat*, quia spiritus excitati frangunt rumpuntque sua claustra, & corpulentum puluerem validius allidunt parietibus tormenti. Verum de his philosophari copiose, non est huius loci. Varietas ictuum in nubibus proculdubio ex incendionibus, resolutionibus, excussionibus, extinctionibusque repetitis est, adeo, vt halitus sulphurei simul deferantur, nec raro etiam fulminei lapides, sulphur & bitumen olentes. Corpora quoque animalium percussa vim salium, sulphurisque, & similium sentiunt, & præsertim ignei & nitrosi frigidi, simulque sulphurei spiritus; vt in catinis pro fluxu adhibiti metalla liquant, ita & gladios in vaginis illæsis: qui &, cum frigore præcellunt, in doliis vina possunt glaciare, & animalibus apoplexias seu syderationes, indeque spirituum gelationes afferre, quale quid *viatoribus per montana Cilensium in America* euenit, *vbi aer proculdubio halinitrosis eiusmodi spiritibus*, vt & antra illa frigidissima Sueciæ, Hungariæ, &c. *abundat*. Hinc chymicus argumenta motuum & turbatum maioris mundi per fulmina, & fulgura rectius petiuerit, præsertim cum acrium confusiones, metallorum solutiones per corrosiua, destillationum, conflationumq; impetus & similia insignia habeant documenta.

Analysis Cap. IIX. Drebelii.

1. SApientia, bonitas & omnipotentia Dei ex creaturis cognoscenda & amanda proponitur, dum miro ordine omnia disposuit. 2. Aqua crassa inuisibiliter per Solem eleuatur, & in aerem resoluitur mole ampla collata: vnde simul vis motiua ventorum existit. 3. Vagatur, superque regiones aridas fertur, vbi ex defectu aquæ nulla potest esse attractio, rarefactio, & ampliatio. 4. Interim calore Solis sursum trahitur vsq; ad aeris frigidi regionem super reflexionem à terra, vbi iterum inspissatur & cogitur ad instar nebulæ. 5. Inde tranquillitas est vespertina, quando & aer nebulosus, seu caliginosus apparet, nubesque crassiores fiunt, & in guttas concrescunt. 6. His sitiens, & indiga irrigationis terra humectatur. 7. Aqua recepta, seu humor in ea putrescit, & liquitur, suaq; vligine peruadit plantas, & quæ ex terra nascuntur: sed per Solis calorem humiditas eleuatur vsque ad extremas stirpis partes. 8. Cumque aqua fugacior seu volatilior sit, quam nutrimentum terræ: ipsa exiccata, seu in siccum corpus mutata deserit nutrimentum, quod per vitam rerum in naturam stirpis conuertitur. Terræ ergo creaturæ hac vnica substantia conseruantur, aluntur, & augentur. 9. Quocirca per putrefactionem iterum in terram mutantur, res cuilibet conspicua, sed quæ inter mille vix ab vno intelligitur. 10. *Si hoc multi Alchimistæ intelligerent, non tam misere soliciti essent de notitia suæ materiæ.* 11. Cum nebulæ istæ eleuatæ in feruentibus regionibus feruntur, excitant tonitrua & fulgura per celerem resolutionem, insuperque ventum. 12. Quando vero aer naturaliter se habet, pauloque calidior est, quam nebula, seu nubes nebulosa: tantum flatus fiunt, & pluuiæ.

Plantarum alimentatio & prouentus.

Diuinationes.

Quæ *capite tertio & sequentibus* dicta sunt de exhalationibus, vaporibus, nubibus, ventis, & pluuiis, videri possunt *hoc capite* siue per tautologiam, siue anacephalæusin reponi, atque adeo temeritate non vacare. Quorsum enim istam Cramben sæpius, cum vel rustici, & nautæ de istis mutationibus seu æque bene, seu melius quoq; fabulari possint? Nos mysterio rem non carere existimamus. Sumserat Drebelius occasionem digrediendi ad mundana ista ex his, quæ in decoctione, solutione, & coagulatione Hermetica lapidis contingunt: ab eis iam videtur quasi leni & molli gradu reuerti ad symbolicam imbibitionis, vel circulatis agitationis in fermentatione expositionem. Primus aphorismus quidem indicat *ad agnitionem Dei ex creaturis & amorem scientia operum conditorum caput hoc referri*: Verum idem etiam in superioribus propositum fuit. Exculpamus itaque si quid latere iudicamus. 1. Duo designari arbitramur, quorum prius est *Aqua nostræ præparatio*: posterius *terra nostra per eum imbibitio, solutio, & augmentum.* 2. Aqua nostra fit ex aqua per attenuationem, exaltationem, & condensationem. Calor attenuat & exaltat, mutatque aquam nostram in spiritum calidum, & leuem, cuius est euehi sursum & ampliorem locum occupare. Frigus, quod super reflexione terræ, quæ in fundo sublimatorii cum aqua continetur, hoc est, vbi desinunt feruentes radii caloris, tanquã in aeris summo eleuatos halitus addensat, stipatq; & cogit. Calore abeunte, cessat resolutio, neque amplius efferuntur halitus, & sic sub vesperam, vel in fine sublimationis tranquillitas contingit. 3. *Ex eo, quod in parte sublimatorii superiore coagulauit, elicimus rursus aquam, quæ sit vtilis ad terram nostram, plantasque in ea irrigandas, nutriendas, & augendas*, quod dicitur fieri per putrefactionem nostram, in qua noua fit resolutio, & reciproca coagulatio, vt tam superiora, quam inferiora sustententur. 4. Cui autem hæc referamus ad fermentationem, & imbibitionem fermentati, causa est, quia *cap.* 3. videtur tradita esse prima coctio, & cocti lapidis imbibitio, præcedente elementorum mysticorum explanatione. Idem etiam aphorismi insinuant. 5. Nam in secundo dicitur aqua crassa inuisibiliter per Solem eleuari: hoc est, mercurius in forma concreta imam vitri partem obtinens per calorem ignis resolui in spiritum inuisibilem calidum siccum, qualis est ventus. 6. In tertio halitus fertur super aridis: quippe in sublimatorio terra, ex qua resolutio aquæ facta est, exucca, aridaq; est: vel sine intellige, vt scilic. ex resoluta aqua fiat humor ad terram nostram sitientem imbibendam, seu irrigandam, quo plantas ferre, & nutrire possit. 7. In quarto habetur, halitum in superiore regione, qua caloris ab imo sursum tendentis vis desinit, cõsistere à frigore; quod item sublimationi nostræ conuenit, dum circa collum cucurbitæ, & in capitello nebulosa apparet coagulatio. 8. Sequitur postea tranquillitas, quia sublimatione peracta ignis exspirare finitur, quod Solis occasui comparatur, quanquam *ortus, meridies, occasus & nox media* etiã aliam habeant in opere nostro hieroglyphian, qua *occasum dicimus, cum incipit materia nigrescere; mediam noctem, qua tota est atra; ortum cum albescit; meridiem cum perfecta albedine, aut rubedine persplendet*. 9. Ex sublimato nostro fit aqua mercurialis per destillationem descensoriam, vel ex retorta: qua aqua sitiens terra humectatur, & resoluuntur semina, vt turgeant, & in stirpem contendant. 10. Terra nostra recipit suam aquam cupidissime, vtpote familiarem sibi, cum prius ex eadem esset extracta, seu eadem radice mer-

Aqua nostra præparatio.

Anguli Solis, partes diei naturalis, in opere nostro.

curiali elicita. 11. Fit commiſtio vtriuſque, quia aquæ humiditas peruadit terram vndiquaque, in qua ſemen noſtrum, ſeu aurum aut argentum, quod pro grano ſeminato habetur, defoſſum latet. Inde & ad ſemen ipſum peruenit, in quod intrat, idq; ſoluit in tumorem. 12. Interim Sol redit, ſeu iterum admouetur calor, fitq; in clauſo vitro putrefactio, & reſolutio, vnde aſcenſus, deſcenſuſq; oritur reciprocus ad lapidem noſtrum viribus nobiliorem, corpore tenuiorem, & mole auctiorem efficiendum. 13. Aqua in ſua forma manens quia volatica eſt, non poteſt nutrimentum terreum plantæ noſtræ eſſe. Ideo coagulari debet, & aſſimilari plantæ. Dum hoc fit, ſimul accipit animam & vitam à vita grani, ſeu plantæ noſtræ, hoc eſt, vim ſulphuream, igneam, aurificam, vel argentificam pro genere fermenti. Non eſt alia ſubſtantia, qua imbibatur & augeatur lapis noſter. Ideo vnica dicitur. 14. Aphoriſmo nono videtur obſcure indicari operatio, quæ fermentationem ſequitur. Nam hîc iterum putrefactio ſeu ſolutio per imbibitionem, & coagulationem requiritur, quod cum ipſa ratio dictitet, tamen pauci animaduertunt, putantes *in peracta fermentatione finem eſſe*. 15. Inde vero iudicium ſumi de materia noſtra poteſt. *Eadem enim eſt, ex qua fit lapis, & qua imbibitur, creſcitq;, hoc eſt, ex mercurio artis ſtudio præparato.* 16 Si quis vellet calorem nimium adhibere, is fulmina excitando opus perderet, qua de re monet aphoriſmus XI. Lente ergo procedendum. 17. Naturaliter autem habentibus omnibus tantum fit reſolutio ſpirituoſa ſeu halituoſa; Halitus coagulati iterum deferuntur, & ſic in vitro *circulatio noſtra ſecreta peragitur.*

Materia noſtra.

Caput IX. Drebelii.

1. IGnis officium & vim ſatis intelleximus, vt & aeris, aquæ, terræ, ad intelligendã naturę potentiam, & cuiuſq; elementi eſſentiam: 2. *Ignem ſcilicet eſſe auram ſubtilem: aerem aquam tenuatam & rarefactam: aquam terram ſubtilem; & terram craſſum ignem.* 3. Nam *terra vi ignis* aut purificatione naturæ reſoluta *abit in aquam*, fit ſalſa, & potentia terrea, (ſeu terræ) vt in calcinatione conſpicimus clare. 4. *Sal per ignem reſolutus mutatur in aquam*, argumento deſtillatarum aquarum fortium. 5. *Aqua reſoluta* per ignem conuertitur *in aerem*: aer in ignem, 6. ita craſſa & opaca *terra in* ſubtiliſſimum transformatur *ignem*, ſplendentem, penetrantemque, cuius vis omnia peruadit & clarificat, facitque, vt & alterum penetret, & clarificet, ſeu pura & lucida corpora reddat.

Diuinationes & Notæ.

1. Ne quis putet, Drebelium in vulgaribus vagatum eſſe elementis tantum, docet hîc principaliter, & primum ſe reſpexiſſe elementorum diſpoſitiones & ſigna, ſeu ſymbola in opere Hermetico. 2. *Ignis in mundanis elementis poßit dici ſpiritus ex aere reſoluto* tranſmutatus, calidus ſiccus, ſubtiliſſimus, tenuiſſimus, leuiſſimus: Sed *in noſtro opere ex aereo fit lapide*, ita, vt ſit veluti aer tenuatus, & ſubtilis. Hic tibi occurret in forma coagulata rubra poſtquam album, & aereum elixyr diuturniore igne aſſaueris, ſimiliterq; in fermentatione, & omni rubri lapidis augmentatione. 3. *Aer* hîc vocatur *rarefacta aqua*: mito definiendi modo. Cur enim non elementum per rarefactionem ſeu reſolutionem ex aqua factum? Appellatur & *ſpiritus inter aquã & ignem interiectus*, ſique ignis eſt aer attenuatus, cur nõ aer ignis addenſatus? Cur *ignis coagulatus* craſſefactuſq; *terra* potius nuncupatur, quam aer? ſymbolum nimirum habet ad vtrumq; elementum etiam in Peripato. Sed hic intelligendum eſt, *aquam noſtram prius cogi in terreum corpus*: Deinde *hoc reſolui vicißim in aquam, ex qua aëreus lapis prodit forma coagulata*, ſeu fixa, & non volatica, ſicut & ignis noſter fixus eſt, qui ex aere per inſtantiam ignis efficitur. 4. *Aqua eſt terra ſubtilis*, inquit magiſter: Imo eſt reſolutum ex terra elementum per colliquationem. Aqua quidẽ erat etiam in initio: Sed in ordine ſucceſſionis elementorum non illa intelligitur, verum quæ poſt ex coagulata terra reducitur, quia mox in aerem eſt vertenda. 5. *Terra eſt craſſus ignis*, non ſcilicet illa primæ coagulationis, quæ ignis dignitatem & iudicium ſuſtinere non poteſt: ſed *rubea noſtra, rubeumq; elixyr*, quod & corpus fermentandum anima ſeu auro vel argento, intercedente ſpiritu mercuriali. Vt autem diſtincta elementa per ſua ſymbola in diuerſis operationibus ante fermentationem procedunt, ita ordine etiam in vno elixyre rubeo, & fermentatione, cæteriſq; rubri lapidis elaborationibus cõſpiciuntur, id quod tyrones animaduertent. 6. Quod *aqua ſit terra reſoluta*, vel *elementum humidum ex terra per reſolutionem factum* probat efficientibus cauſis, quarum prima eſt *vis ignis* reſoluens, ſecunda *purificatio naturæ* in putrefactione, ibi concurrit aqua interdum. *Ignis & azoth ſeu aqua mercurialis abluunt purificantq; latonem noſtrum nigrum.* 7. Igni reſoluta in aquam terra, *ſalſa* dicitur, id eſt, *ſal fixus & fuſilis*, quod in inceratione apparet poſt fermentationem. Nam *lapis noſter debet igneo calore fundi, vt cera ſuper* candefacta lamina Hæc autem *aqua* ſic per liquationem facta *eſt terra ſecundum potentiam, quæ* calcinatione, ſeu igni luculentiore etiã *in calcem tranſit*, licet prius fuerit terra, & poſt aqua, ſeu liquor. 8. Producitur ad illuſtrandum *deſtillatio* vulgaris, per quam fit aqua fortis ex alumine, & halinitro, quæ ſunt in numero ſalium. S*ed in noſtro magiſterio talis aqua locum non habet.* Ideo tantum pro maiore luce poſitum eſt exemplum: niſi forte reſpicere ad particulare velis. Inde ſequuntur cæteræ reſolutiones, donec ex terra in aquã per aerem fiat in igne terminus. Eſt enim *lapis noſter ignis quidam prolificus, cœleſtis, ſplendens, lucidus, ſubtilis, & maxime penetrans ſpecie quidem puluerîs, ſed qui inceratione in oleum abit.* Idem lapis igneus penetrando mercurium, ſeu argentum viuum momento ſibi aſſimilat, facitq; *medicinam pariter aurificam, quæ exaltata denuo medicinam parit*, & tandem aurum, ſi fermentum fuit calx auri.

Aqua definitio.

Lapidis definitio.

Analyſis Cap. X. Drebelii.

1. AD exemplum dictorum intelligendum eſt, *omne ex elementis creatum eodem modo clarificari*, ſeu ex craſſo per intermedias conſtitutiones in ſubtiliſſimum corpus, quod igni cœleſti reſpondeat, tranſmutari more elementorum, ſiue minerale ſit, ſiue vegetabile, aut animale.

2. Sic

2. Si enim aliquid horum clarificare seu exaltare, & in cœlestem essentiam mutare volumus, *terra clarificanda est per ignem, vt abeat in aqueam speciem, quæ est instar salis*, qui clarificando per destillationem mutatur in aquam, sicut corpus aeris clarum instar crystalli, perspicuum vt aer, & splendens sicut ignis. *Non est necessaria altior clarificatio.* Ideo hac contenti simus. 3. Nullos enim inuisibiles spiritus custodire possumus, nisi in corpus sint redacti. Nam alias perderemus, seu amitteremus eos. 4. Enimuero cum in aquæ formam clarificatum est, per destillationem in aerem seu speciem aeris mutatur, & condensatione frigoris in aquam reducitur tanquam aspectabile corpus 5. Quando vero in speciem ignis tendit clarificatio; tunc frigus eum cogit in formam aeris. At tunc quomodo poterimus tractare, & ad vsum accommodare? Idem est vltimus rerum apparentium, & *pro nostro opere inutilis*. Quare clarificatio tantum vsque *ad aeream speciem* (non ad ignem) procedat, qui aer in aquam condensatur, & non alius. 6. Omnes enim res, quæ perducuntur in summam perfectionem, nullam habent generationem, nec multiplicationem. 7. Quando vero id *per destillationem clarificauimus in aquam claram perspicuam, oleum*, vel quocunque nomine appellare velis, tunc *in nostra corpora serimus sperma, quod in eis putrescit & clarificatur in parem claritatem*. 8. Itaque ex aqua facimus terram vi ignis. 9. Inde pergimus, sicut natura, & *terram cineream in albam mutamus, quæ & clara est & transparens, sicut aer*, quam quam specie visibili. 10. Ex aeris specie conficimus *tincturam igneam, claram, puram & immaculatam, rubentemque instar rubini*, quæ perfectione sui excellit omni creaturæ. 11. Quando ignem clarum & purum altius clarificare animus est, *reduci debet in priorem essentiam*, seu materiam *per aquam*, vti dictum est, vt generatio sustentetur. 12. Et per semen putrificatum perfectumque in frigore, & calore, cuius *ignis est in cute*, sed *humiditas in centro*, generationem procuramus seu transmutationem in *aquam humidam*, cuius siccitas est intrinseca, &c. 13. Sic naturas sinimus iterum exaltari, & in melius prouehi, vt dictum est. 14. Per quam reiterationem materia nostra adeo redditur pura, mundaque penetrans & subtilis, vt sit vltra fidem. Breui enim omnia vasa penetrat, & si hoc fieret, periret. (Ideo non nimium est attenuanda per repetitiones operationum.)

Nimia materiæ subtiliatio inutilis est.

Qualis debeat esse aqua nostra.

Terra alba qualis.

Tinctura ignea ex terra aerea.

Exaltatio & reductio elixyris rubei.

Diuinationes & Notæ.

1. Caput hoc decimum est medulla, & quasi epitome totius libelli Drebeliani. Integram enim artem sapientum in breui synopsi proponit. 2. Primus aphorismus est axioma generale, quod transmutationem elementorum inter se, sequantur mista, quæ sunt trium generum, nempe mineralia, vegetabilia, & animalia. Nam & in his est rota circularis. Terra liquescit in aquam, seu aqueũ corpus vi ignis: ex aqueo liquore, igne pergente, nascitur essentia aerea, quæ tandem in ignem mutatur summo gradu caloris. Ab igni reciproca est via, sed alio agente, scilicet frigore. Etenim coagulatus redit in aerem, aer in aquam aqua in terram, quæ proximè etiam ex igni reducitur propter symbolum, si densetur seu inspissetur, quod *coagulare* vocant artifices: quippe quæ, vt ignis calida sit & sicca, differatque ab eo consistentia & interiore vi essentiæ, non qualitatibus externis excepto gradu. 3. Siue vero sint naturalia, siue artificialia commista, seu composita, eandem artem subeunt, fiuntq; hinc TRES LAPIDES sapientum: Mineralis ex mercurio, vegetalis ex vino, animalis ex sanguine potissimum humano. Reliqua analogia horum æstimantur. 4. Nemo vero tam infans sit, quin istam solutionem terræ in aquam, & hinc in cætera elementa sic intelligat, vti chymica disciplina requirit. Aristoteles quidem alicubi terram in aquam irresolubilem dicit (*in 3. de cœlo cap. 7. tex. 62.*) alicubi vi ignium quædam terrea liquefacit (*4. meteor. cap. 6.*) & aquam solam humidorum negat incrassari, qui & nesciuit salem vi ignium posse fundi, nisi forte populari sensu & absque excessu ignei caloris, vti de ferro & cornu scribit. Sed chymicorum experientia latius se extendit. 5. Platonis aquæ concretiles, & fusiles si non sunt per naturam tales, arte præparari debent, vt elementorum rotam tolerent. Ideo & in salium naturam seu calcium solubilium rediguntur mista terrea, summeque repurgantur: Et tunc patiuntur διακρίσεις καὶ συγκρίσεις elementarias. Atq; hæc in genere axiomaticè sunt dicta. 6. Aphorismus secundus declarationem habet specialem: nimirum si velis elementa conuertere in magisterio philosophorum, quod terreum est, oportere repurgari & in salis speciem deduci. De hac enim constat, quod sit in aquam resolubilis per destillationes, vtpote cum omnia salina, cuiusmodi sunt chalcanthum, alumen, halinitrum, nitrum, sal commune, & aliæ eius species per destillationem ignium vi transmutentur in spiritus aqueos, qualis est aqua fortis, regia, mercurialis, spiritus vitrioli, salis, &c. aut in liquorem per resolutionem vapidam locorum humidorum. 7. Si quæras, cuiusmodi est species illa salis, & quousq; exaltanda, cùm constet esse exaltationum diuersos gradus? respondetur, cum *clarificando peruentum est ad aëream puritatem*, vt materia nostra ex terra per aquam in aeris naturam peruenerit, sitque *pura, vt crystallus, & translucida cum splendore ignis puri*, non tamen ignea, satis est purgata & exaltata. 8. Hinc porisma chymicum, si non es bardus, facile potes elicere. Certum est, extra genus metallicum nostram materiam non esse quærendam, *Nam finis magisterii est metallũ perfectum* ex eo, quod dispositionem talem à natura accepit. 9. Omne metallum est de natura argẽti viui, quod indicant variæ proprietates, & in primis familiaritas eius cum puris metallis, & ex iisdem reductio, quando omne metallum in argentum viuum potest transmutari, & argentum viuum in metallum vicissim. 10. Quicquid autem perficitur ex imperfecto sui generis, perficitur procedendo per gradus imperfectionis secundum naturam vsq; ad vltimum actum agente calore naturali, aut eo, qui similiter naturæ moderatur. 11. Vt ergo perfectum metallum assequamur, assumenda est materia ad perfectionem disposita, & hæc ad certam speciem alliganda, ne fiat metallum ἀορίστως, seu indeterminate, sed definite aurum vel argentum, idq; cum multiplicatione, vt opus nostrum sit fructuosum; in-

Tres lapides.

4. met 6.

Liquescit cũ & lutum & terra item pyrimachus & mola.

Elementa conuertere.

Quò vsque tendendum in præparatione materiæ.

Nota inuestigationem materiæ.

star vegetabilium,& animalium,quæ vniuoca generatione procreantur ex semine,& eodem etiam multiplicantur. 12. *Quid ergo aliud assumendum, quam argentum viuum naturale*, quod benefica natura nobis materialiter exhibet,vt non opus sit ex concretis corporibus extrahere, quanquam & inutile hoc foret,licet vellemus extrahere,quia iam perfectam maturationem adeptum est, nec recrudescit:*nostra vero materia debet esse cruda* quidem,sed *ad coquendum disposita*. 13. Mineralis mercurius si posset sic tractari,vt absq; aberratione perfecti metalli vim nancisceretur,& semen determinatum,sane solus veniret in opus.Sed longissimi foret res temporis.Ideo *perfecti metalli semine dirigitur*,quod fit in fermentatione.14.Nihilominus tamen vt aqua nostra ex eo fiat,indeque aer,est præparandus. *Non enim est nostra aqua, & noster mercurius dum in sua natura minerali manet*; sed corpus minerale grauitate sui quamlibet aliam terram vincens.15.Indicat ergo Drebelius, quod debeat *in salis speciem deduci*: & deinde in aquam redigi,porroque exaltari,vt aeream puritatem,& subtilitatem accipiat. Sed mercurius,qui aliter sali fiat similis,quam per sales?Simile procreat simile.Sales autem oportet esse metallicos,quales in metallis inueniuntur, & eorum mineris. Hi sunt *vitriolum, halonitrum*,aut simili natura sal alius.Hinc inuentum est,vt *argentum viuum minerale misceretur vitriolo puro,& sale repurgato*, & cum his sublimaretur toties,donec superflua aquositate, & terrestri crassitie demtis (Nam hæc obstant exaltationi & virtuti,prohibentque,ne aurum possit hydrargyrus dissoluere,& in primam materiam seu aquam reducere)purum nitorem ad instar crystalli adipisceretur, quo in statu etiam est aereus spiritus,quamuis inclusus salium lapideæ consistentiæ,sed quæ facile tollitur. 16.Ita iam de materia satis est informatus. At cur non ascendimus præparatione ad igneam excellentiam? Cur in aeris natura subsistimus? Responder Drebelius, igneos spiritus intractabiles ab arte esse, quia propter subtilitatem omnia penetrant, & inuisibiliter aufugiunt. Ideo contenti simus aerea elaboratione,quæ est mercurii nostri crystallini. 17.Idem probatur reductione aphorismo quarto. Hypothesis est,nos *in arte aquam desiderare*. Nam tale fuit & mundi primordium, cuius exiguum simulacrum est lapis noster.Aqua vero per frigus proxime ex aere,& non ex igne reducitur.Si igneus fieret noster mercurius, reductio non aqua, sed aerem exhiberet,qui non est idoneus operi nostro. 18.Idem dicitur aphorismo quinto; vbi tamen quæstio est ex eo, quod de frigore reducente aereum mercurium in aqueum,ponitur.Age enim elaborauerimus nostrum salinum mercurium,vt euaserit crystallinus & aereus.Quo agente in aquam nostram mutabitur? *Frigore* respondetur. At hoc destructiuum est,& congelat amplius. Deinde multi putant, si sublimatum crystallinum frigidæ vapidæque cryptæ deliquio in humorem soluatur, eum esse aptum ad nostrum magisterium, sed decepti sunt.Neque enim *aqua nubis* requiritur;sed *quæætherea sit præstantia*, cum in nostro opere *elementa* sint *cælestia*, & non polluta contagio impuritatis, quæ est in sublunaribus elementis. 19. Sensum ergo esse putamus,in sublimatoria clarificatione non procedendum esse ad spiritus igneos, quia coagulatio in vasis parte superiore præberet non aquam,sed aerem in summitate capitelli, qui à nobis repudiatur.In aerea dispositione quiescendum est, & paulo inferius consistet aqua nostra, quam *siccam & non madefacientem manus appellamus*, quanquam actu non sit aqua fluens, sed lapideæ dispositionis,seu petra nostra deserti, ex qua Mosaico percussu liquorem fluentem elicimus. Aliter sic vocatur etiam aer noster, & ventus in fermentatione,propter qualitates aereas, vitæque adiumentum, qua de re vide *infra*.

Argentum viuum debet naturam salinam induere.

Argentum viuum non debet fieri igneum præparatione.

Nota de sublimatione nostra.

Aqua sicca, non madefaciens.

20. Aphorismus sextus aliud affert argumentum contra spiritus igneos,qui in verticem alembici inter sublimandum feruntur.*In lapide nostro requirimus generationem seminariam,& multiplicationem.* Hæc fieri non posset,si materia nostra statim in initio ad summum gradum fuisset perducta. Nihil est superius summo. At in arte nostra ex materia ordine naturali ad aliquod superius contendimus, ita vt virtus aucta repetitionibus pluribus fiat multiplicatiua: quod fieri non potest in materia summi gradus.Necesse est ergo,vt sit gradu inferiore,ex quo possit prouehi altius. 21. Aphorismus septimus docet,quod noster *mercurius crystallinus debeat per destillationem* (descensoriam, vel ex retorta) *redigi in aquam claram*, & perspicuam; à qua per rectificatoriam destillationem separamus elementatem aquositatem,vt maneat *oleo comparandus liquor*,seu *vnctuosus noster humor,gluten,& gummi nostrum*.Hic est *mercurius noster hylealis*,& prima materia,quanquam non sic relinquatur,sed subtilietur prima & secunda operationibus, vt ex terreo lapide fiat aqueus, & hinc aereum elixyr. Istius mercurii aliquam copiam habere debemus,siue simul factam,siue post,cum est necesse, ex crystallino reducendam, quorum hoc melius, ne inter reseruandum virtus exolescat. 22. Cum præparatus est mercurius, & in aquam conuenientem eliquatus, itemque elaboratus amplius, *vocatur* TERRA NOSTRA, *in quam sperma nostrum conjicimus*,seu granum,quod nisi putrescat in ea, fructum non affert.

Aqua ex mercurio crystallino qualis.

Dum autem putrescit,resoluitur,fitque *aqua simili excellentia & claritate. Semen est aurum vel argentum*,quod à nostro mercurio soluitur in similem aquam, quæ omnino est homogenea illi, & sic *prima materia metalli perfecti*. 23. Sed quo modo elaboratur, vt terra fiat ad semen idonea,seu aqua apta ad aurum in primam materiam soluendum? Responder Drebelius *octauo aphorismo, ex aqua facimus terram vi ignis*,hoc est,aquam nostram ex crystallino elicitam imponimus in vitrum suum, ibique blandissimo calore amplius eliquamus & in aquam claram conuertimus. Hanc porro digerimus & coquimus,donec inspissetur,fiatque vt pix liquata, seu oleum viscidum; inde nigrescit, & paulatim condensatur calore pergente, donec desinat in terram cineream adhuc nigritie infectam. Quidam cinereum istũ lapidem adhuc subiiciunt nigredini,& terrã vocant mortuũ: quidam *plumbo* & Saturni vesti cõparant. Hactenus est *prima operatio*, & prima elementorũ seu destillatio; seu cõuersio, in qua *ex aqua fit terra*, h.e. destillatorie enunciando, aqua ex terra mortua per destillationẽ separatur, quod

Prima materia auri & argenti in opere Hermetico.

Aqua hylealis elaboratio.

Prima operatio, & elementaris destillatio.

quod est, coagulatur, vt aquositas transeat in terream siccitatem, quasi chelidoniam contusam in fimo putrefecisses, deinde destillasses ad siccum remanente terra mortua & nigra. Apud Lullium sane nostrum opus sic declaratur, vt & apud Arnoldum, & Rupescissam, nisi velis istas declarationes esse obscurationes. 24. *Aphorismo nono* continetur operatio secunda, in qua ex aqua in terram versa fit *lapis aereus*: vel vt destillatoriè dicamus, terra nostra mortua sua aqua denuo perfunditur, digeritur, & destillatione proiicitur primum aqua (. Nam imbibitione facta soluitur in aquam) deinde oleum aereum: terra candida in fundo vitri manet, estque potentia ignis. Finis huius operationis est *TERRA clara, transparens, instar aeris puri, & coagulati.* Talis autem fieri non potest, nisi ex vnctuoso nostro humore, qui extractus est ex argento viuo crystallino. Sed nec alia liquescere calore instar salis fusilis potest, posteaque aqua nostra, seu mercurio imbibi, & nutriri. Vocatur symbolice, seu cabalisticè, & magice in disciplina Hermetica *calx viua alba, oleum incombustile* (nam fixitatem argenteam habet si perfecta est) *arsenicum nostrum, sulphur nostrum album*, elixyr commune: In lapide rubeo, ortus: in albo, meridies, quia ex vespera & media nocte, hoc est, tenebris nigris in splendorem lucis mutata est. 25. Sed multa hîc omittuntur, quæ sunt repetenda ex superioribus capitibus de imbibitione, & nutritione nostra, præsertim ex *capite tertio*. Hic enim *oportet terram cineream igne auctiore, neque tamen excedente, sed moderato vrere: Deinde potare suffectis portionibus paruis particulatim & ordine, donec nolit quicquam amplius recipere.* Potus est idem liquor mercurialis, ex quo facta est terra ab initio. Ideo & iubetur diuidi in duas partes; vna imponitur ad soluendum, & coagulandum: altera in alias duas partienda asseruatur, cumque album elixyr ex plumbeo seu cinereo efficere volumus, vna assumitur, & instillatur, vti dictum est. *Cum non amplius vult bibere, vitrum claudimus Hermetice, & ignem nonnihil augemus*, vt cinerum calor possit videri; sed cauendo excessum. *Tunc fit solutio, ascensus, descensus*, & omnia illa, quæ de elementorum conuersione circulari scripsit Drebelius, vnde etiam maioris mundi meteororum rationes sumsit. Hic est nigredo, cauda pauonis, & tandem albedo, seu lapis albus coagulatus, qui iam argentea fixitate in igni constat.

Aer chymicorum & elixyr aereũ.

Nota argumentũ de materia ex mercurio sublimato.

Imbibitio & nutritio prima terra nostra.

26. Aphorismus decimus ostendit progressum magisterii ex elixyre albo in rubeum perfectum in opere aurifico (quandoquidem in argentifico non proceditur ad rubeum.) *Ex aere facimus tincturam igneam*, inquit, quod est, elixyr album perfectum gradu tertio ignis coquitur paulatim, donec in rubeum mutetur, qui color Leoni, & igni ascribitur, enunciaturque ea res elementaliter per transmutationem aeris in ignem: vel destillatoriè, per destillationem ignis, seu ignei olei, quasi chelidoniam herbam (quæ est symbolum aurifici lapidis propter flores, succum, & radicem aurea) contusam, & putrefactam: primum destillasses ad siccum; vbi sicca pars vocatur terra; humida, quæ prodiit, aqua. Tritæ terræ affunditur sua aqua: maceratur, destillaturque. Tunc elicitur primum aqua, secundo oleum aereum, terra in fundo manet, in qua adhuc est igneum elementum. Hoc vt elicias, affundenda tritæ denuo est sua aqua mercurialis (aliqui & aereum oleum reddunt) macerandum, destillandum, & exit aqua mercurialis cum phlegmate elementari: sequitur aliquid olei aerei, & tandem vi ignis oleum igneum. Singula seorsim elaborata reducuntur in vnum, postquam ex capite mortuo salem, & terram virgineam collegimus. Tali modo se res habet etiam in magisterio minerali, quanquam symbolicè, & sine locali destillatione. Aer noster solo calore aucto & continuato transit in ignem, hoc est, elixyr rubeum purum, immaculatum, & tandem quarto gradu ignis Rubini, seu carbunculi fit similis.

27. Addit Drebelius, *hunc Rubinum perfectione sui omnem creaturarum antecellere*, quod primum intellige de creaturis sui generis, vti habentur in natura: hoc est, de mercurialibus & metallicis. Nam & auro præstat elixyr rubeum. Vincit omnem rem fortem, dicunt alii: & Hermes: hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis. Postea accipe magis de lapide iam fermentato, quam de dulci seu azymo elixyre. Ratio est, quia lapis tandem istiusmodi vires habet, idque indicat Drebelius, cum augmentationem subiicit. Hæc autem non sequitur immediate elixyr rubeum, sed intercedente fermentatione per aurum.

28. Notandum est, *album elixyr, ab aliquibus diuidi, & partem fermentari argento ad argentificum lapidem, partem diutius in igne detineri, donec rubefiat*, & tunc aurum addunt, quæ res *matrimonium* appellatur, in quo tria concurrunt, *corpus* seu elixyr iam præparatum (calx alba, vel rubea) *anima*, aurum vel argentum: & *spiritus*, hoc est, mercurius noster. Si ergo libet ad vtrumque lapidem procedere, ista partitione potes vti. Cum etiam lapis fermentatus est, eadem signa apparuerunt, quæ in præcedentibus duabus operationibus, scilicet nigredo, resolutio, ascensus, descensus, albedo præcedente varietate, & in aurifico tandem rubedo. Tunc vna pars centum tingere perhibetur. Verum artifices propter maius commodum nondum tingunt, sed excellentius elaborant lapidem, vt mille possit; vnde intelligis, quantæ iacturæ esset, si velles tingere tantum centum. 29. Sequitur ergo in Drebelio: *Quando ignem clarum & purum altius vis clarificare, seu ad claritatem & virtutem maiorem exaltare, reduc in materiam primam per aquam, eo modo, quo generata solent sustentari*, hoc est per imbibitionem. *Accipe ergo lapidem rubeum: & in cucurbitulam aptam impone. Affunde ei stillatim lac nutritiuum, seu aquam nostram mercurialem, ita vt guttatim irroretur: Et cum primum rorem absorpsit; plus de eo instilla, & sic perge, donec videas, quod nihil amplius velit assumere. Tunc immitte totum in phiolam, quam Hermetice obsignatam colloca in Athannorem, accensoque igne paruo solue & coagula*, quod breui fiet. Nam propter fortitudinem igneæ naturæ in lapide non opus est diuturno tempore. Tu modo externum ignem diligenter rege. Ibi fient circulares agitationes, paulatimq; materia in aquam soluta crassescet & nigredine tota perfundetur: inde sequetur viriditas & alii colores; post quos albedo, & tandem rubedo perfecta in aurifico lapide, cuius pars vna tingit mille mercurii. Hæc etiam est medicina hominum vniuersalis. 30. Aphorismus duodecimus explicat vndecimum. Quo modo enim generatio instituitur, & procuratur? *Per semen*, inquit.

Augmentatio & imbibitio secunda.

Vniuersalis medicina ex lapide.

Quod & quale semen? *Purificatum & qualitatibus actiuis perfectum, quod actu igneum* est, seu calidum siccum; *potentia aqueum & humidum*. Nihil hoc aliud est, quam elixyr fermentatum seu tinctura per aurum, vel argentum in lapidem album, aut rubeum mutata, in qua mutatione calor & frigus fuerunt adhibita ad soluendum, & coagulandum: facta etiam est purificatio, & exaltatio in igneam virtutẽ, ita vt lapis fit in cute, seu cortice, hoc est, foris externo contactu ad sensum siccus: Sed intus seu in recessu, & potentia humidus, & aqueus. Ideo & addita aqua per imbibitiones, & vi caloris resoluitur in aquam; sed quæ procedente coctione iterum coagulatur in substantiam siccam, qualis erat potentia. 31. Tandem adiicitur, si velimus denuo soluere & coagulare, idque opus amplius quoque repetere, fore, vt tantam accipiat subtilitatem, vt nullo vase contineri, aut comprehendi vllo corpore queat: quanquam neutiquam ad id subtilitatis sit accedendum: sed cum vna pars tingit 10000. vel pro iudicio nostro, subsistendum, tantumque multiplicationi, seu instaurationi studendum.

Analysis Cap. X I. seu vltimi Drebelii.

1. QVæstio est, qui possit res ad tantam perfectionem perduci, & exaltari, vt sui similes multo numero procreet? Omne semen quidem generat sui simile: sed interdum melius, interdum peius: nec videtur artifex meliora producere calore suo posse, quam Deus Sole. 2. Respondetur, nostram clarificationem, seu exaltationem alio modo fieri. *Corpora enim à Deo per naturam clarificata, per ignem & aquam amplius clarificamus.* 3. *Facimus tam clara, quam est crystallus*, & purgamus ea ab omni sorde & immunditia, quam natura in eis reliquit. 4. *Redigimus eadem in formam aquæ, in cuius interioribus natura terra est occultata.* 5. In hæc seminamus nostra corpora, & per aquam mundam purificamus ita, vt claritas claritati fiat æqualis. 6. Hoc non fit in natura. Ideo omnes res generatæ in natura manent in forma, quam à Deo in creatione acceperunt. 7. Semen enim in terram iactum, per eam non clarificatur quidem: terra tamen claritatem accipit ab igni seu calore, & seminis vita, cum terra impurior sit semine. Ideo semen semper manet in eodem esse, & terram tingit in suam speciem.

Aqua nostra debet esse in terram coagulabilis, quales sunt quæ ex salinis per deliquium aut destillationem fiunt.

EPILOGVS

Hæc de natura scripsi, *vti manu mea laborando deprehendi & comperi, cumque me nihil magis ad Deum attraxerit, quam cognitio naturæ: scripsi de natura elementorum, cum elementa sint habitaculum & domicilium naturæ, sine quibus non cognoscimus naturam. Viuimus quidem in illis, & sustentamur, sed si non etiam cognoscere satagimus, neque nos, neque naturam perfectam habemus. Qui elementa discit nosse, Deum, seipsum, & naturam discit, sine quibus Dei omnipotentiam & bonitatem non possumus recte diligere. Quis de Deo testimonium maius habet, quam natura? Ad imaginem Dei creati sumus, vt per hæc cœlestia dona discamus nosse, quæ à creatore nostro cum creatione nostrum accepimus, vt quantum in hac vita requiritur ad notitiam Dei, nostri, & naturæ, exploratum haberemus. Vitemus lites, & quod non intelligimus, nec laudemus, nec vituperemus, & anima nostra quietem inueniet, Deique sapientiam gustabit, &c. Boni hæc consule, & naturam explora, seu scrutare, ita fiet, vt de his testis, & intelligas consecutura, nempe, summum miraculum quod in natura in elementis conspicimus ad laudem & gloriam saluatoris nostri. Amen.*

F I N I S.

Diuinationes.

1. Quæstio de possibilitate artis explicatur diuersitate operum naturæ simplicis, & arte elaboratæ, adiutæ, & directæ. Ars, inquiunt prisci, quadamtenus imitatur naturam: quadamtenus etiam exuperat, & excellentiora facit; non quod homo possit se contra creatorem efferre, quasi aliquid excellentius queat producere, quam in natura creator: sed vt hoc ipsum in laudem eius cedat, qui tantam potestatem, tantumq; donum contulit homini, & naturæ potentiam, per quam possit in melius prouehi, concessit, quod ipsum tota agricultura abunde declarat. 2. Ad materiam autem artis quod spectat, sanè dilucidè admodum ea declaratur, Necesse est, *vt non tu facias materiam, sed ex natura*, vbi à Deo facta erat, *sumas*: quo ipso refutantur stulti illi, qui sibi imaginantur nesciu quæ corpora, & quas res, quas sibi debeat artifex parare. 3. Materia ista in natura non est inefficax, aut nullarum virium: Sed iam *exaltata à Deo est, & benedicta, vt possit sui simile gignere*. Hoc illis opponitur, qui chaos quoddam, & primam materiam Aristotelis, vel Platonis, in quo nihil sit, nisi mera potentia, quærunt: Et qui aliena assumunt. *Id quod ex natura petis ad metalla multiplicanda, debet metallicam claritatem habere*, & si perfecta intendis, à Deo iam aurum vel argentum creatum esse. Nam nostra ars non infert dispositiones, & naturas, sed iam inexistentes, & aptas, ad exaltationem elaborat, & perducit ad summam virium. 4. Quibus autem vtimur in exaltando? Igni seu calore artificiose adhibito, & aqua. Quid clarificamus? Corpora naturalia iam à Deo potentiam clarificationis adepta. Ignis & Azoth abluunt Latonem nostrum ex eodem Azoth seu mercurio, qui hic aqua dicitur, factum. Spectamus autem aurificum, & argentificum. Ergo per aurum & argentum naturæ. Hæc enim sunt corpora clarificanda. *Aqua clarificans* est eorum naturæ homogenea. 5. Sed hæc non potest clarificare, nisi prius clarificata. Nam in natura tantum habet concretam clarificationem. Vt amplius & vltra naturam clarificet, etiam ipsa est exaltanda, & viribus maioribus nobilitanda. Quis ergo est modus? 6. Crystallinam claritatem, seu puritatem afferimus corporibus nostris, quæ sunt aurum, vel argentum. Si hoc fit per aquã nostram, & simile gignit simile, ipsa prius debet ad puritatem crystalli elaborata esse. *Cape ergo argentum viuum minerale auro familiarissimum, idq; per sales elabora, donec crystallinam puritatem consequaris. Postea reduc in aquam claram, eamq; coquendo amplius ad vires excellentiores perducito. Tunc si eam iunxeris auro, vel argento, hac similiter clarificabis, & exaltabis, in omnibus calore debito accedente.*

Quæ sit materia lapidis.

7. Duo

7. Duo sunt facienda: Vnum: sordes adhærentes & relictæ in naturali generatione tollendæ: Alterum: vires ad maius prouehendæ. In omnibus est mercurius crudus vel coctus præ manu. Satis autem est à crudo sustulisse terrestres impuritates, & aquositatem superfluam cum sulphure combustibili. Nam huius postea beneficio purgabuntur quoque corpora, vt non sit opus hæc per se purificare, modo non adhæreat aliquid ab argento viuo alienum, quod solemus amalgamando detergere.

8. Formam aquæ debent accipere aurum, vel argentum: aquæ vero mercurialis, quia hæc est ipsorum essentia. Id non fit alio modo in nostro mysterio; quam per aquam iam actu existentem, quando per id, quod actu est, alterum in potentia existens debet in actum perduci.

9. Aqua debet aperire posse corpora, & cum illis rursum in terram redire, vti fit coagulatione. Solutio enim omnia facit eiusdem naturæ: Coagulatio omnia in vnum homogeneum corpus cogit. Intellige ergo omnem aquam excludi, quæ non potest in terram reduci: omnem item, quæ non est homogenea auro & argento. Quanquam ergo multæ sint concretiles & coagulabiles aquæ (vt ex calcibus deliquio solutis, & ex salibus, &c.) multæ etiam soluentes (fortes, regiæ, aceta, &c.) tamen nulla hic locum inuenit, nisi quæ est de natura argenti viui prius ad crystalli puritatem elaborati.

10. *In hanc aquam, quæ potest terra fieri, & iterum aqua, quasi aquam terream diceres, seminamus nostra corpora*, quæ sunt fœcundum aurum vel argentum de minera, quæ *viua* dicuntur, non à fabris corrupta. *Eadem aqua terrea etiam soluitur terra propria*, quæ est *elixyr ex eadem factum*. Hinc sequitur, vt qua claritate est aqua, ea fiant etiam corpora nostra. Itaque si aquam tuam bene elaborasti, etiam lapidē accipies bonum.

11. Talis elaboratio non fit in naturæ mineris: sed vnumquodque quando suam perfectionem est consecutum, finem habet motus sui, nec per se tendit ad alia quoque perficienda.

12. Semen tamen aliquid suæ terræ, in quam seminatur, confert. Contactu enim & virib. per calorem, & humorem in actum vocatis, eam alterat, & quicquid ex ea exuxit, in suam substantiam transmutat eo ordine; vt in plantam paulatim ipsum vertatur, & mox sibi assimilet suum nutrimētum, donec tandem simile sui cum fœnore procreet. Huius rei documentum etiam in arte sequimur. Nam & in hac, quando aurum vel argentum elixyri nostro terraqueo commisimus, terra ista & aqua in naturam auri vel argenti conuertitur: Imo etiam hoc fit, vt tinctura medicinaq; nostra vnà atque altera vice patiat similem sui tincturam & se etiam in terra sua per terram multiplicet, non aliter, ac si quis bulbum bulbosum, vel radicem asphodeli, aut ari prolificam, terræ commisisset, vbi non tantum in plantam seminificam & frugiferam euadunt, verum etiam radicibus multiplicatis se propagant. *In semine est vita secundum potentiam, Est enim animatum potentia*: Sed vi terræ matricis, & caloris cum humore apto in actum prodit. Hæc sunt, quæ Drebelius voluit de hac arte scribere, in quibus vides non inane de elementis nugamentum, sed maximi arcani naturalis per artem documenta euidentissima: quę si nō intelligis, teipsum stuporis accusa & inscitiæ, & Deum tibi nolle tantum bonum communicare vltro profitere.

Quæ *in Epilogo* habentur, pietatis & fraterni amoris sunt plena. Ex natura ad Dei notitiam & dilectionem non habes maius argumentum. Interim autor non negat, longe præstantiorē esse modum per reuelati verbi doctrinam. Negat autem se cum quopiam de veritate artis disputaturum, cū sua experientia eam cognitam & exploratam habeat, certumq; sit etiam te cogniturum, si naturam pie scruteris. Si non intelligis, digitum ori apprime & tuam imbecillitatem agnosce. Non fac, vt multi, qui quod nequeunt assequi intellectu, vel opere, vituperant, & cruci destinant, quod hominum genus pessimum est, & ipsum cruce dignum. Da gloriam Deo & inserui proximo.

Finis Monadis Quartæ.

Deo soli Laus & Gloria per CHRISTVM Saluatorem nostrum, Amen.

D. O. M. A.

HEPTADIS HERMETICÆ MONAS QVINTA.

Expoſitio Propoſitionum

IOHANNIS D'ASCIA ANGLI.

PRÆFATIO.

VITVS VLRICVS ab Ebnit Mareſchallus, vir eruditione, & nobilitate generis excellens, miſit nobis varios libros antiqua Monachorum litera conſcriptos, in quibus præter alia ſingularia vidimus multa, per typographias diuulgata quidem, ſed in plæriſque partim mutila (vt videre eſt *in Arteſio* nuper in Gallia excuſo, in quo eſt aliquot foliorum & figurarum defectos com ſcriptura valde vitioſa, quanquam & manu exaratum exemplar alicubi ſit corruptum) partim perperam praueq; lecta, & diſtorta. Fatentur quidem aliquando vulgatores ipſi, ſe prout legere Monaſticas abbreuiaturas potuerunt, edidiſſe, & aliquando iudicio ſuo in corrigendo vſos fuiſſe: Verum ideo non dederunt meliora, eſtq; difficile admodum, ne dicam impoſſibile, eum, cui diſciplinæ noſtræ termini, & ductus, ſignaque ſunt inexplorata, & qui artem ipſam non callet, nec crebro verſatus eſt in notariorum monaſticorum libris, neſcitque diuinare de notis vocum ex rerum notitia, correcte transferre, & transſcribere volumina illa de Hermetico magiſterio priſco. Reſtat, vt voluntatem publicantium ſeu doctorum, ſeu typographorum boni conſulamus: Cætera experientiæ & notitiæ diſciplinæ commendemus, aut ſaltem libris libros, quod etiam eſt conſultum ſapientum, aperiamus, cumq; in diuerſarum manuum, quarum alia aliis fuit diligentior, attentior, magiſq; perſpicua, notationes incidimus, alteram ex altera pro rerum ipſarum natura, & artis veritate corrigamus. In publicum bono conſilio ſuperioribus temporibus, veluti anno Saluatoris 1599. Iuſtus à Balbian Flander Aloſtanus dedit tractatus quoſdam Roſarii abbreuiati, vt appellat, de quibus dicit, quod ignotorum ſint autorum, deſumti ab exemplari vetuſtiſſimo ab indoctiſſimo aliquo, artiſq; Hermeticæ ignariſſimo deſcripto ita vt ægre potuerint legi, adeo referti mendis, vt difficilime ſe potuerit extricare, coactuſq; ſit fiducia ſtudii huius, in quo fere ætatem conſumſerit, errores corrigere.

Inter eos tractatus primum nos inuenimus in monaſticis commentariis non ignoto autori, ſed IOHANNI D'ASCIA Anglo aſcriptum ab impreſſo Balbiano nonnihil variantem, ita, vt alter ex altero corrigi poſſet, & ſi qua deficeret, ſuppleri. Cum itaq; artem hanc pro virili illuſtrare hactenus ſtuduerimus, vtilitati publicæ conſultum fore iudicauimus, ſi impreſſum ſcriptumq; conferremus, & cum noſtris qualibuſcunque ſeu ſcholiis, ſeu diuinationibus denuo proponeremus. Vidimus autem in artis auriferæ voluminibus Baſileæ editis, & Theatro chymico Argentoratenſe, aliiſq; nonnullis alibi excuſis ſimilem diſcrepantiam, quam etiam ſedulo annotare ſtuduit amicus quidam noſter, adeo, vt magnum volumen confecerit, quod typis committere, ſi officinam inueniſſet, non dubitabat. Similiter Clariſſimus Martinus Copus, Medicus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, nec indoctus Hermeticæ diſciplinæ, Catalogum ad nos miſit partim nuſpiam vulgatorum, ſed adhuc in manuſcriptis hærentium, partim emiſſorum quidem, verum adeo vitioſe & mutile, vt pro non editis haberi poſſint, quorum ipſe correctiora exemplaria volebat exhibere. Sed neq; hic dum inuenit typographiæ curatorem, quod noſtris temporibus artificium Hermeticum malicia Paracelſiſtarum peſſime audiat, ſitque etiam alias tanta librorum copia, vt, emtoribus nullis, abiiciantur pro charta maculatoria, vt loquũtur bibliopolæ, pœniteatque ſumtus in prælum elocaſſe multos. Quid noſtris commentariis euenturum ſit, neſcimus. Interim tamen aliquibus inſeruire maluimus, quam contemtorum plurium iudicia ſiniſtra extimeſcere. Hoc nobis videtur aſſeri abſque vanitate poſſe, ſi ex bis, quæ ſtudioſis Alchymiæ ſeu tranſſcripſimus, ſeu declarauimus, non proficit lector, nec ex veterum recentiumue commentariis proficere poſſe, quo magis *ridiculus eſt ille*, qui ad Martinum Rulandum piæ memoriæ ſcripſit, *nos vel in ſale, vel rore ponere magiſterium.* Fatemur quidem, nos in prioribus alicubi ſeruaſſe diſciplinæ myſticam traditionem, & nõ ſemper omnia eodem orationis filo aut verborum ſono explicuiſſe: ita tamen docuiſſe, & ſuccedentibus commentationibus priora ſic illuſtraſſe, vt non fore Phyſicæ, Peripateticæ & Academicæ (id enim eſt in præcognitis) peritum arbitremur, quin verum ſenſum artificum ex deſcriptis ſit conſecuturus, modo Deum habeat propitium, ipſiuſque gratiam & illuminationem ſedulis precibus impetratam meditatione & opere prouebat. Verum ad inſtitutum pergimus.

IOHANNIS D' ASCIA ANGLI,

PRÆPARATIONES

Pro Rosario abbreuiato.

PRIMA.

Manum scriptum.

SOlutio corporis est fundamentum artis. Istud est primum verbum huius operis. Dicitur ideo primus gradus operationum. Est *corporis in aquam reductio*, id est, in argentum viuum. Et hoc vocauerunt solutionem, cum dixerunt: *Soluatur aurum, quod est in corpore magnesia occultum, & in suam primam materiam reducatur, vt fiat sulphur verum, & argentum viuum:* Quia oostra solutio non est aliud, nisi quod corpus reuertatur in humidom, & resoluatur io naturam argenti viui, suiq; *salsedo* sulphuris minuatur, quod *sulphur diuinum à duobus sulphuribus* sit, cum obuiat corpori.

Impressum.

Aduerte, carissime, quod quæ sequuntur verissima sunt intelligentibus. Prima præparatio, & fundamentum artis est solutio, id est, corporis in aquam reductio, hoc est, in argentum viuum: Et hoc vocarunt solutionem, cum dixerunt: Soluatur aurum, quod in corpore magnesiæ est occultum, vt in suam primam materiam reducatur, vt fiat sulphur & argentum viuum, non vt reuertatur in aquam: quia nostra solutio non est aliud, nisi quod corpus reuertatur in humidum, & resoluatur in naturam argenti viui, suiq; salsedo sulphuris minuatur, quod sulphur diuinum à duobus sulphuribus abstractum sit, cum spiritus obuiat corpori.

COLLATIO.

Titulus io impresso deest. Autor appellatur io manuscripto: & consilium seu institutum eius apparet ex fine. Voluit enim Rosarium philosophorum io summam, seo Epitomen contrahere, omneq; magisterium 7. aphorismis complecti: vnde & Rosariom abbreuiatum dixit. Qui prolixam declarationem requirit, intret Rosarium ipsum, fietque voti compos si bonus erit Physicus & chymicus, diligeoterque meditetur, orer & laboret. Epigraphe est: *Præparationes.* Io sequentibus etiã *propositiones, operationes, & verba sapientum* nomioantur. Terminus *Verbum*, oihil aliud significat, quam *axioma scientificum*, ab aliis proposirio & sententria georalis dictum: quomodo in Geometricis Euclydes haber sua *Theoremata*, Aristoreles *theses & principia*: alii *conclusiones & scientias*, &c. Est quidem Hebraica consuetudo inde ad Arabes translata, *sententias verba appellare*: Sed D' ascia ille videtur imitatus esse priores chymicos, vr *Rosinum de quatuor verbis philosophorum, & Arnoldum* in semita semitæ de iisdẽ, apud quos & res ipsa conueoit. Nam quod *Calid* de tribus verbis, seu tribus mensium teroariis, quibus ars completur, habet, aliud est ab illis.

Præparationis vox communiter sumitur pro parte operis & elaboratione. Ideoque idem senlus est, siue præpatationem dicas, siue operatiooem quanquam oumerus sir inæqualis apud diuersos autores, sicut & hic oumerus verborum *septenarius* est, cum apud priores esset Pythagoricus *quaternio* iuxta elemeotorum numerum.

2. Impressus codex præmittit exordium, quod attentionem monet & dociles facit. Policetor enim ooo vanam & impostoriam artem, sed *verissimam*, ad exemplum Hermeris in tabula smaragdina. Ista vero animorum præparatio necessaria est non rantum ptoptet contradicentes, quorum infinitus est numerus, verum etiam dubitantes, & qui in ea infeliciter ad lireram sunt versati.

3. Verissima vero Intelligentib. ait propter disciplinæ morem. *Si n. quis velit literam inspicere, ei ars foret falsissima.* Mysterium, quod lirera occultatur, verissimũ est, & sic apparer, inueniturq; & probatur experientia intelligenti, & prudenter operanti. Est a. cõmune cum aliis scieoriis, pro falso haberi, si oõ intelligas, aut contemni. *Ars non habet inimicum, nisi ignorantem.* Ideo ignari eam eriam vituperant. Sophistæ ex sua metaphysica multa deblaterant: sed hoc ipso indicant, *quantum differat logicus homo à perito rerum & sensibus vtente exercitatũ.* Iubemur aduertere, cumq; nos appellet *carissimos*, ex charitatis vi profectam doctrinam inrelligimus. Charitas aurem fucum & dolum excludit. Si non assequimur statim omnia, ne desperemus. Animum aduertendo iotelligimus. Sed oportet *nos filios doctrinæ, & orgiis chymicis physicisq; initiatos esse*: Imperiti & plebeii opioãrur esse opificium quoddam lapidem facere, sicut sutores vestes, & calceos suunt. Ideo aurifices, barbitonlores, & id genus perditorum ardelionũ cum destillatoribus inepris se in hanc artem, quæ solorom sapienrum, & philosophorum est, adeoq; summum miraculum à Deo in narurам implanratum, & argumentum sapieotiæ potentiæ, & gloriæ eius, penetranr cum maximo suo & aliorum, quibus, aliqui esse videntur, malo. Hi dererrentur, cum nec aduertere possint, nec intelligere, nec complexu charitatis filiorum doctrinæ comprehendantur.

4. Man. script. incipit: *Solutio corporis est fundamentum artis.* Sententia eadem est quidem etiam in impresso, sed emphasin illam non habet. Autor enim proponit sapientum principia. Deinde suas declarationes ex collatione cum priscorum philosophorum dictis, & experientia, iudicioque proprio subiicit, quod facile est videre ex schemate Hermeneutico, & more interpretum.

5. Eui-

5. Euidentius loquitur scriptum: *Istud est primum verbum huius operis*, vt ordinem indicet methodicum, qui non tantum in Theoria talis est, sed & praxi: Vnde adiicitur esse primum gradum operationum. Balbianus in vnam sententiam omnia contraxit, putans se corrigere vitium scripti.

6. Idem: *Vt* in suam primam, &c. Rectius scriptum ET. Est enim copulatiua sententia ad sequentem finem tota directa.

7. *Vt fiat sulphur*: Scriptum bene addit VERVM, vt à vulgari falsiq; nominis sulphure discernatur. Solere autẽ Hermeticos suas materias *veras* appellare, non quod cæteræ res sint falsæ, sed quod in arte sua non sint vera subiecta, notum est. Qui vellet ex soluto auro philosophico sulphur officinatum exculpere, et ratet, etsi etiam assequeretur, non verum sulphur sapientum sed falsum nancisceretur.

8. Balbianus addit: *Non vt reuertatur in aquam*: quod mihi adulterinum videtur. Si fieri debet solutio in sulphur, & argentum viuum: hoc autem est aqua nostra, cur non in aquam? Imo sequitur corpus debere in humidum reuerti, idque appellatur natura argenti viui. Item solutio dicitur corporis in aquam reductio. Alii aquam Nubis remouent. Aut ergo mendosa est additio, aut apponendum NVBIS.

9. Balb. *Sulphur diuinum à duobus sulphuribus abstractum*: Melius scriptura: *Extractum*, qui est terminus arti vsitatior. Fit quidem abstractio etiam in extractione: sed abstrahi magis dicitur, quod cũ attractum, vel adiectum esset, separatur, sicut abstrahimus humiditatem à calcibus destillatione vel filtris.

10. Balb. *fit, cum spiritus obuiat corpori*: M. script *fit cum obuiat corpori*. Difficilis hic nodus est. In quarta operatione dicitur: *Ipsa aqua efficitur aerea, cum prius esset inspissata & coagulata cum terra, & hoc obuiatione sui propinqui.* Obuiatio hic est occursus & commistio, vel additio familiaris, vt fiat aqua aerea ex terreo corpore, in quo aqua erat potentia. Ita hic intelligimus argentum viuum coniunctum secum habere sulphur suum, sed cui adhæreat salsedo, quæ est minuenda. Vnde vero sulphur istud per solutionem reductum: *Extractum est ex duobus sulphuribus*. Quando? *Cum obuiat corpori*, hoc est, cũ corpori coniungitur, seu per coagulationem in corpus mutatur. *Extractio enim nostra non est localis, sed spiritualis*: vt extrahi dicitur aqua, cum soluitur siccum in humidum: aer extrahitur, cum per exaltationem ex materia terrea fit aquea, & hinc aerea.

Morienus: Tota operatio nostra nõ est aliud nisi extractio aquæ à terra, & huius super terram remissio.

Potest tamen & altera lectio retineri, nempe *sulphur nostrum per solutionem tunc fieri, cum spiritus obuiat corpori*, vt euenit in fermentatione, in qua habetur spiritus, anima, corpus, aurumq; sulphur præbet, cum soluitur per mercurium, qui spiritus dicitur, corporique, hoc est, elixyri rubeo iungitur. Sed meminerimus, hic sermonem esse de fundamento graduq; & operatione prima potissimum, licet solutio se extendat per omnes alias operationes.

Rosinus.

11. Conferatur textus hic cum *Rosini, & Arnoldi. Primum verbum nostri sermonis seu operis, est in primam materiam reductio. Et illud est, quod philosophi vocarunt solutionem, quod est artis fundamentum vt dicit Morienus: Nisi corpora solueretis in vanum laboratis: de qua solutione loquitur Parmenides Philosophus in Turba: stulti quidam olei solutionem audientes, & non, &c. Ergo solutio philosophica est imbibitio aquæ, seu corporum in aquam conuersio, vnde procreata fuere: vt: gelu* (glacies) *vertitur in aquam liquidam ex qua primo fuit. Ecce per Dei gratiam iam habes primum elementum, quæ est aqua ipsius corporis in primam naturam redacti.* Hæc Rosinus. *In semita semita*, quæ Arnoldo tribuitur, paulo aliter legimus: Ita scilicet:

Primum verbum nostri magisterii siue operis est corporis in argentum viuum reductio (ibi quidam phantasta adiecit, *argenti viui reductio*, & corpus intellexit cuprum, vel aliud metallum.) *Et istud est, quod philosophi vocant solutionem, quæ est fundamentum artis, vt dicit Franciscus: Nisi corpora solueritis, in vanum laboratis. De qua solutione loquitur Parmenides in Turba: Quam solutionem audientes ignari, putant aquam nubis esse. Si autem nostros libros legissent, & intellexissent, scirent vtiq; esse aquam permanentem*, (Hic deprauatus textus est. Lege vero ex *Turba* sub nomine *Agadmonis*, & non Parmenidis) *quæ absque suo compare, cum quo facta est vnum* (aliis corpore seu fermento fixo) *permanens esse non potest. Non est ergo solutio philosophorum aqua nubis: sed corporum in aquam liquidam* (limpidam aliis) *conuersio, ex quo primo procreata fuerunt, scil. in argentum viuum: sicut glacies conuertitur in aquam, ex qua prius fuit. Ecce per Dei gratiam iam habes primum elementum, quod est aqua, & ipsius scilicet corporis in primam materiam reductio.* Hactenus semita.

Nota eadem priora quatuor verba haberi etiam in flore florum Arnoldi, quanquam in verbis nõ nullus sit discrepantia.

Collatio tibi monstrat infelicitatem scriptorum huius artis, quamque misere deprauent seu transscriptores, seu typographi, textus, quibus etiam immiscentur, quæ imperitus quidam Notarius margini adiecit, aut alias inseruit, qui arbitratus est, se belle intelligere sapientum sermonem. Quæ Francisci & Morieni nomine citantur *in Turba* etiam *Zeumoni* asscribuntur, qui dicit: *Nisi corpus teratis, diruatis, imbuatis, ac diligenter regatis, donec suam pinguedinem extrahatis, & faciatis tenuem spiritum impalpabilem, in vanum laboratis.*

Diuinationes

1. FVndamentum artis dicitur solutio corporis. Nimirum aliud hoc fundamentum est, quam in Turba, vbi legimus: *Scitote sapientiæ inuestigatores, quod huius artis fundamentum vnum quidem sit, omnibus naturis fortius, & sublimius apud philosophos: sed apud incipientes* (insipientes) *est omnibus rebus vilius.* Nimirum hic de subiecto & materia sermo est: ibi de principali operatione, quam & *Rosinus ex Morieno* pro fundamento allegauit, & *Arnoldus ex Francisco* suo. Solutio antecedit coagulationem in hac arte. His duobus tota completur. Quæ ergo prior est in omni operatione, *fundamẽtum* appellatur. Hinc incipiendum sibi esse omnino sciat studiosus. Si prius coagulat, quam soluat, committit ὕστερον πρότερον, & in arte infeliciter versatur.

2. Solutio

2. *Solutio* fundamentum dicitur. At nihil soluitur, nisi coagulatum. Est enim ex contrario in cõtrarium transitus. Merito igitur dicitur *corporis solutio*. Cuius corporis? Naturalis, an artificialis? Vsurpo hic illud Morieni: *Res & via magisterii vna est & linearis. Totum magisterium ex re vna & via vna constat. Tota operatio nostra non est aliud, nisi extractio aquæ à terra, & huius aquæ super terram remissio, donec ipsa terra putrescat, &c.* Soluendum corpus terreum est in omni solutione, cumque plures sint operationes ordine reperendæ, puta de omnibus dictum esse. In initio tu ipse facis corpus ex spiritu ex natura petito, nisi prius eum natura coagulauit, sicut solet argentum viuum ex sua minera lapidea excoqui. Sed hunc spiritum per sales purgas, & in corpus cogis. *Ex corpore crystallino reducis.* Hæc est prima solutio. Deinde cum aquam tuam putrefecisti & coagulasti, *aliud corpus, quod est mortuum*, fœtoreque & nigredine obsitum, confecisti. Hoc soluis iterum, & sic *secundam solutionem* administras per imbibitionem in operatione secunda. Hic quoque fit reductio. Tertio in fermentatione sequitur *duplex solutio, vna fermenti seu animæ, altera elixyris*, vt sit vna corporis naturalis, altera artificialis. De cæteris cogita similiter.

3. Dicitur *primus gradus* operationum. Plures esse operationes partim necessarias, partim arbitrarias, planum est. In omnibus coagulatum soluitur: Deinde iterum coagulatur. Hoc respectu essent duo gradus, quorum prior solutio. Verum respectu elementorum sunt quatuor: & si symbolicas dispositiones, ordinemq; perfectionis respicias, adhuc plures. Verum tamen est, *vbique solutionem*, quæ coniuncta est cum putrefactione, ita vt nigredo apparens vtriusq; sit signum, *primas obtinere*.

4. *Solutio est corporis in aquam seu argentum viuum reductio.* Bene. Si reductio est: id autem, quod reducitur, in pristinam suam formam redigitur, necesse est corpus id, quod reducitur, primum fuisse aquam, quæ est argentum viuum, quod & PRIMA MATERIA nuncupatur. Igitur si crystallinum lapidem reducis, is prius coaluit & concreuit ex viuo argento, licet id argentum viuum, quod redit ex corpore, qualitatibus & puritate longe sit excellentius priore. Si vero reducis lapidem mortuum, per aquam nostram, iterum facis aquam, ignis tamen adiutorio. Si in fermentatione resoluis elixyr, & corpus perfectum, tertio facis aquam ex eis, quæ primum quoque aqua eadem fuerunt. Ita & in cæteris.

Hinc discis, vnam esse aquam omnino homogeneam, vnam radicem, vnam essentiam mercurialem, quæ circulatem sustinet solutionem, & coagulationẽ, donec ad perfectionis suæ complemẽtum perueniat.

5. *Soluatur aurum.* Quod prius *corpus* dicebatur, iam aurum appellatur. Id autem alias *sulphur* est & *semen*: alias *elixyr rubeum*, vtpote *sol philosophorum* & *Leo rubeus*: alias *fermentum* ad aurum, quod non est, nisi *aurum de minera in calcem redactum*, quod mercurio non est alienum, quia ille huic mater est, & prima materia: atque ita ambo vnius radicis, vt & argentum, quod est fermentum lapidis albi. Non distant, nisi coctione. *Mercurius respectu perfectorum corporum dicitur crudus.* Atqui & lapis niger, & elixyr album, ipsaque medicina in multiplicatione soluitur. Num vbique est aurum? Crystallinus mercurius aurum non est. Dico quod crystallini mercurii reductio possit quidem solutio vocari, sed vera & vniuoca non est. In cæteris omnibus fit vera solutio, *fitq; mercurius per mercurium semper. Aurum* autem *corpus* vocatur κατ᾽ ἐξοχὴν. Possumus dicere, quod in imbibitionibus etiam non sit vera solutio, sed tantum æquiuoca, cum proprie nuncupetur irrigatio, nutritio, imbibitio, potatio, &c.

6. *Aurum in corpore magnesiæ occultum.* Magnesiæ vox varie accipitur. Vulgo est antimonium minerale. Rupescissæ vitriolum intelligitur, in cuius corpore est *aurum inuisibile, quod sulphur dicitur incõbustile*. In opere nostro materia tunc vocatur *magnesia*, quando tota est denigrata & fluxilis, sicut stibium, plumbum & similia, vt sit humiditate abundans corpus. *In Turba natura ex mare & fœmina magnisia vocatur, quia in ea est maximum arcanum.* Sed non est, vt varia significata comportemus. Aurum hic est soluendum. Vbi illud? Latitat in corpore magnesiæ: h.e. corpus nigrum quidem & molle foris apparet, sed id re vera est aurum: quod non soluitur aqua nostra, transit in argentum viuum, & post etiam in sulphur album in opere albo, rubeum in opere rubeo: quæ omnia potissimum pertinent ad operationem secundam, in qua per imbibitionem primam iam ex humido coagulati prima vice lapidis, mercurius iste, & sulphur vtrũq; exoritur. Possunt tamen etiam ad fermentationem, & fermentari nouam solutionem referri. 7. *Solutio nostra non est aliud, nisi quod corpus reuertatur in humidum, & resoluatur in argentum viuum, suiq; salsedo sulphuris minuatur.* Aperta hæc sunt ex reductionis luce. Vbi inueniis corpus coagulatum ex aqua, quod reducendum est, magisque attenuandum, & exaltandum: ibi memineris, tuam solutionem, aurum, aquam & sulphur esse, licet impari modo. Ita salsedo adhæret sulphuri vitriolato in crystallini sublimati reductione, vbi est tollenda. In cæteris parabolica intelligitur acrimonia, impuritas nigra, &c. 8. *Sulphur diuinum extractum è duobus sulphuribus* maxime accipitur de rubro lapide seu elixyre, quod fit tertia extractione. *Primum sulphur est fœtidum: secundum album*: Hoc in rubeo lapide dicitur ex albo extrahi, cum album sulphur in rubeum vi ignis mutatur. Ita est sulphur de duobus sulphuribus.

Magnesia corpus.

Sulphur de duobus sulphuribus.

Quo modo alias de suis sulphuribus, quod sulphur sulphure contineatur, & sulphur sequatur sulphur, &c. differant artis periti, *in Turba* & aliis libris est videre.

Præparatio, seu operatio & propositio secunda.

Transit aqua in corpus, quod vnum non soluitur, nisi reliquum coaguletur, eo quod corpus argenti viui concipiens coagulat ipsum, & coagulatur ab ipso, & fit terra.

Istud est verbum huius operis secundum, de quo dicunt philosophi de Græcia: Aqua de terra procreatur, quia aqua fit terra, cum vincunt in ea terræ qualitates & terra fit aqua, cum vincunt in ea aquæ qualitates.

Scriptum.

Fit enim

Fit enim solutio corporis, & coagulatio spiritus, vt vnam habeant operationem, & fit vnum, cui nihil extraneum apponitur, nisi quod in præparatione superflua remouentur cum apparatu.

Secunda præparatio est, cum aqua transit in corpus, quod vnum non soluatur, nisi alterum coaguletur, eo quod corpus argentum viuum concipiens coagulat ipsum, & coagulatur ab ipso, & fit terra.

Impressum. *Istud est verbum opinionis, de quo dicunt philosophi. Aqua de terra procreatur, quia aqua fit terra, cum vincunt eam terræ qualitates: & terra fit aqua, cum vincunt eam aquæ qualitates. Fit enim solutio corporis, & coagulatio spiritus, vt vnam habeant operationem, & fit as vnum, cui nihil extraneum apponitur, nisi quod in præparatione superflua remouentur cum apparatu.*

Collatio.

1. Præterimus barbarismos monasticos in syntaxi literali, vti & permutationes illas, *reliquum, alterum, &c.* Est tamen, quod in hoc notandum veniat. Videtur n. & sententia diuersa esse per *reliquum & alterum*. Nam vbi *alterum* ponitur, intelligi duo dissentanea possunt: sed vbi *reliquum*, vnius homogenei partes diuersæ, quæ sunt volatilis, & fixa, subtilis & spissa. Verum hoc lediculum est.

2. Ita differre videntur *concipiens argenti viui, & concipiens argentum viuum*. Prius est; quod corpus argenti viui, dum concipit, & impraegnatur: posterius: corpus, quod argento viuo irrigatur, idq; suscepit. Sed hoc melius. Nam quod concipitur a corpore argentum viuum, coagulatur ab ipso, abitq; in terram. Quo modo vero argentum istud coagulatum a corpore vicissim hoc ipsum coagulat?

3. De Græcia. ψευδόγραφον, quod cum legere non posset, aut intelligere Balbianus, induxit. Ergo: *Dei Gratia aqua de terra procreatur, &c.*

4. Hæsit Balbianus etiam in Hvivs operis, legitque *opinionis*. Sed si inspexisset sequentia, difficultatem superasset. Opinio non habet locum in principiis scientiarum: Et quomodo autor verissima pronunciasset quæ proponit? 4. *Cum vincunt eam, &c.* Melius scriptum *in ea*. Cum enim in aqua dispositiones seu affectiones terræ exuperant, & aqua fit magis calida sicca, quam est humida frigida, licet adhuc habeat aquæ consistentiam, dicitur fieri, nondum tamen esse, terra.

5. *Vt vnam habeant*, &c. Videtur legendum esse *CVM vnam*, &c. Vna n. est operatio corruptio vnius & generatio alterius, & ideo cum hoc corrumpitur, alterum eodem numero motu generatur. Siccut simul & vna linea (vt loquitur Morienus) spiritus coagulatur & corpus soluitur? Quia vna numero operatio est huius solutio, & illius coagulatio. Rationes tamen differunt. Dum corpus soluitur, nō absolute rarefit, sed adhuc habet aliquam crassitiem, aut saltem incrassandi potentiam, qua spiritum comprehendit, atque ita coagulabilem natura, addensat. Neq; tamen etiam finalis affectio reiicienda est, licet malimus legere, *vt fit*, quam, *& fit*. Nam coagulatio spiritus, & solutio corporis huc tendit, vt vnum fit.

6. *Fit as vnum*. Melius scribitur, *vt fit vnum*. Nam æris terminus est materialis, non finalis, & perfectiuus. Aes dicitur materia, non elixyr aut lapis.

7. Rosinus breuis est: *Secundum verbum est*, inquit, *quod fit terra:* Et hoc est, quod philosophi dicunt, quia *ex grossitie aqua terra concreatur*. Sic habes aliud elementum, quod est terra. Semita sic: Secundum verbum: *Quod fit terra*. Et hoc est, quod philosophi dixerunt: *Egressio terra aqua concurrit*. Sic habes secundum elementum, quod est terra. Dascia euidentissime scripsit. Rosinus quoque satis aperte. Terra enim ex aqua fit densata. Arnoldi semita malum habuit interpretem. Aqua *concurrit*, hoc est, *stipatur, cogitur, crassescit*, (laufft zusammen) quod est, egressio terræ, seu productio.

Diuinationes.

1. Quæritur, quod nomen debeatur huic operationi? Respondetur: *Coagulatio*. Hæc enim ex aqua terram præbet.

2. Quæritur, cum plures sint coagulationes, de qua potissimum verbum sit? R. Vt præcedens operatio potius conueniebat primæ solutioni, ita *coagulatio hæc de prima est magis accipienda*. Ratio est, quia ibi dicebatur exire elementum aquæ, hic autem de terra pronunciatur. Ita qui per destillationes loquuntur, ex materia putrefacta destillant primum aquam: deinde inueniunt terram in fundo cucurbitæ, tanquam corpus mortuum, licet adhuc habeat ignem & aerem. Secundario interpretari possumus de fermentatione, vbi in vnica operatione continuata procedunt ordine omnia 4. elementa. *Solue, coagula*, cum frequenti repetitione vsque ad summam perfectionem per totum magisterium sonat. Quando vero Solve dicitur cum elemento aquæ esse, & *coagula* terram primum exhibere, de prima operatione sunt accipienda, cuius finis est terra mortua nigra, aut cinerea: caput mortuum, quod operatione secunda per Imbibitionem reuiuiscit quodam modo.

3. *Vnum non soluitur, nisi reliquum coaguletur*. Quod soluitur, corpus est, cui tribuitur fixio relata aut perfecta pro perfectione lapidis: Quod coagulatur, est spiritus, cuius est volatilitas: Non quod duæ diuersæ res sint in principio, cum sit vna eadem aqua mercurialis, humiditas vnctuosa, mercurius noster, totus homogeneus actu: Sed quod diuersæ sint in eo potentiæ & dispositiones. Ignis, cum adhibetur in suo gradu, simul resoluit & coagulat, rarefacit, addensat, &c. Non possunt effugere halitus ex rarefactione. Vitrum enim clausum est. Dum ergo attenuantur, redire in se, & in nondum attenuata per reflexionem coguntur: sicut cum sol ex globo medio attenuatos vapores elicuit, illi simul disgregantur, & congregantur in se reflectendo ab ambitu aeris frigidi, & consistendo.

Opor-

Oportet tamen concipere, diuersas partes esse eiusdem, quæ rarefiunt & densantur, atque etiam easdem, sed cum diuersitate ordinis, & temporis. Idē enim quatenus idem, cum disgregatur, nō congregatur: at postquam disgregatum est, mox consistit rursus: Et in angusto vitro non potest distendi vnum, nisi alterum simul cogatur. Non enim est vacuum. Ita in maiore mundo negant per ignem & solem posse in locis calidis quicquam resolui, nisi ad partem frigidam septentrionis analoga fiat resolutorum condensatio. Non enim est vacuum separatum, quo se resolura possint recipere, neque sphæræ superiores patiuntur se diduci, & ampliari. Ideo nota in vitro rotundo ita clauso, vt nullum possit esse respiraculum, id fieri: Deinde sic moderato calore, vt dum disgregat, non impediat congregationem: quam rem Drebelius pulchre explicabat frigore coagulante:, quod relate intelligitur (nā alias tota stufa, seu camera nostra calet) & calore attenuante. *Disce hinc physicum oportere esse, qui huius magisterii peritiam rationalem velit consequi*, non stultum blateronem ex Paracelsi aut opificum fece.

4. Solutionis & coagulationis in diuersis materiæ partibus simul factæ ratio redditur, quia in nostra aqua est argentum viuū, quod *spiritus, & vapor, vel fumus aspectu albus* dicitur: Est & *corpus*. Quando argentum viuum spirituale factum & volatile reflectitur super corpus, quod est in imo vitro (debet hoc tertia saltem parte plenum esse, vt moueri possint elementa) excipitur ab eo, & in eo coagulatur vicissim, interim corpore ipso non otioso. Nam *dum spiritus super eo reflexus concrescit, ipsum simul soluitur & fit volatile.* A quo vero? *A spiritu reflexo partim, partim à calore.* Corpus coagulat spiritum, spiritus attenuat corpus, demumq; vtrumq; in vnum coactum fit terra.

Nescio, an corrigenda sit litera, & sic ponendum: *Corpus spiritum coagulat, & ab eodem vicissim resoluitur.* Nam spiritus patitur à corpore & accipit condensationem. (Agentis naturalis finis est similitudo passi) Corpus patitur à spiritu, & accipit rarefactionem, cumque nulla sit fuga, tandem resolutione cessante dominatur coagulatio, fitque terra ex toto. Hoc apertius dicit Rufinus: *Aqua incrassata transit in terram, quam tamen incrassationem antecessit attenuatio. Nam oportet fieri fixum volatile, & volatile fixum suauiter, magno ingenio, & longo tempore.* Nihil aliud habet sequens explicatio.

5. *Aqua procreatur de terra, quia aqua fit terra.* Cum vnumquodque in id redeat, quod primum fuit: Et aqua per coagulationem transit in terram colligitur in initio terra fuisse. Verum hic excipere oportet materiam primam, quæ creatione Dei omnipotente non ex alio disposito corpore processit. Neque enim fuit terra ante aquam, sed statim aqua in initio, vti nostri expositores sentiunt. In sequentibus operationibus euidentius est dictum: *In terram mutaberis, quia es factus ex terra.* Tyro consideret destillationem elementorum chelidoniæ.

Aqua in terram abit: ergo ex terra est facta.

Cheldonia destillatio.

Ea fuit integra naturæ planta. Destillator fregit eam & contudit, succumque expressum inclusit vitro. Hic eum putrefecit: & destillando mutauit in aquam. (Ita enim est loquēdum: quod alias exeat: *abstraxit seu elicuit aquam*) Aqua consumta restat coagulum, quod est terra. Sic cogitet de prima operatione minerali in mysterio sapientum. Quod putrefacimus, est succus. Vnde sumtus? *Ex crystallino mercurio sublimatione crebra elaborato, & in spiritualem conuerso.* Hic succus putredine soluitur in spiritum seu vaporem. Quia vero initio erat terreus, qui etiam poterat exiccari in præcipitatam terram, post resolutionem cum addensatur, in terram redit, & non in succi consistentiam, eo quod dispositio terrena proxime lataret sub forma succi. Sic aqua ex terreo succo facta in terram reducitur, estque eadem ratio spiritus, qui ex aqua resoluta factus in aquam regreditur, tandemq; in terram concedit.

6. *Nihil extraneum apponitur.* Tota materia est homogenea. Hæc causa est, cur solutio vnius sit coagulatio alterius, & contra, tandemq; totum abeat in aquam, & post hanc in terram. In vna omnia fiunt operatione. *Extraneum* dicitur, quod non est mercuriale & metallicum, veluti si velles addere aquas fortes, regias aut alias, vel sales, &c. Posset sane liquor noster vnctuosus per oleum tartari, aquas regias, fortes, spiritum halinitri, vel ammoniacum liquorem in terram redigi, id quod fit etiam ad medicinam à Crollio, Quercetano & aliis, vt suo loco exposuimus: Sed istorum nihil hic locum habet. Vt per se solo agente calore temperato soluitur, ita etiam per se coagulatur. *Soluit seipsum, & coagulat seipsum.*

Extraneum.

7. *In præparatione superflua remouentur cum apparatu.* Præparatio hic non est pars operationis integralis: sed materiæ nostræ ex mineris naturæ tractæ elaboratio, vt idoneum artis nostræ subiectum fiat. Argentum viuum vti per se est in natura, vel etiam ex anthrace, & minio natiuo, vel cadmia argentaria excoctum, non potest esse vtilis & apta materia operi nostro. Ideo semper clamatur in nostro laboratorio: *Argentum viuum nostrum, non est argentum viuum vulgi.* Interim tamen syncerum, purumq; & optimū, quod haberi potest ex mineris naturæ, assumitur: sed non sic in vitrum Hermeticum imponitur: Verum cum habeat humiditatem superfluam frigidam: sulphuream pinguedinem corruptibilē & destructiuam: item halitus perniciosos, nimiumque volaticos, & terrestrem pigram que sorditiem, ab his est expurgandum, & sic non argentum viuum vulgi, sed *essentia pura, & media, qua & semen eius dicitur*, seu spermaticus humor, non frigidus humidus, vt erat argentum viuum naturæ, sed calidus, spirituosusque, non spiritu destructiuo, sed plasmatico, & perfectiuo, *eligenda est.* Hæc tandem est nostra *prima materia*, nostra *aqua, mercurius* noster, *gumma, ros Madian, acetum nostrum, &c.*

Præparatio materiæ ante opus magisterii.

Est argentū viuum minerale & nō est

8. *Cum apparatu.* Quis est iste apparatus? Media mineralia, vt vitriolum, sal petræ, alumen, sal commune, &c. assumuntur, fitque lauacrum seni nostro primum ex sale & aceto, quibus detergetur sulphurea sordities & nigredo leprosa. Deinde miscetur cum præparato vitriolo, & sale: vel etiam

Apparatus materiæ.

halinitro & alumine(addito, vt placet aliquibus, pauco ammonio) vt in sublimationibus exponitur. Inde sublimatur bis ab eadem materia: & bis à noua: quintò, sexto, septimo per se, donec crystallina puritas & consistentia placeat. Si nondum, aquis cœlestibus soluitur, & abstractis vicissim coagulatur, & sublimatur, omninoq; studiosissime purgatur, quod ni fiat, non respondet voto. Inde reducitur, & ab omni salsilagine liberatur, fitque vnctuosa nostra humiditas, nostra prima materia, &c. Hic est apparatus totus.

Præparatio, operatio & propositio D'ascia tertia.

A*Ratur terra, & rigatur, iungitur, & in aqua nutu Dei dirigitur.*

Istud est tertium verbum huius operis. Dicunt philosophi: Hac terra cum aqua putrescit, & mundificatur. Tunc cum Dei auxilio magisterium recto tramite diriguur, vel continuatur, quia terra non germinat absq; frequente irrigatione. absq; præmissa desiccatione: Et hoc sciunt pueri, & mulieres, semina & fructus in hortu suu ad perfectionem deducendo. Ideo dixerunt philosophi, quod operatio sua non fuerit nisi opus mulierum, & lusus puerorũ. Ideo toties corpus imbibitur, quoties post vices desiccatur, quia omni ponderi pondus, omni mensura modus, & omni operi opus est adhibendum: Et tunc recta putrefactio philosophorum sequitur: Et eorum putrefactio non est, nisi mortifica-
Putrefactio Philos. quid. *tio humidi cum sicco, quod humiditas tantum siccitate deriuetur: Et quamuis humidum frigidum fugiat ignem, tamen retinetur à sicco, vt fugere nequeat, quia non possunt grauia superius trahi, nisi leuium adiutorio: nec leuia, nisi grauium consortio, detrahi, nisi cum scorpione.*

Tertia præparatio: *Aratur terra, & rigatur: & in igne, & aqua nutu Dei peragitur: Et est istud tertiũ ver-*
Imp. *bum huius operu. Dicunt enim philosophi: Terra cum aqua putrescit, & mundificatur. Tunc Dei auxilio magisterio relicto finite continuare, quia terra non germinat absq; frequenti irrigatione, & absq; præmissa exiccatione: Et hoc sciunt cum pueri, tum & mulieres, semina & fructus suos in hortu ad perfectionem deducentes. Ideo philosophi dixerunt; Naturæ operatio non est nisi opus mulierum & ludus puerorum: Et ideo toties corpus imbibitur, quoties per vices desiccatur, quia omni ponderi pondus, & omni mensura modus, & omni operi opus est adhibendum, & nunc recta putrefactio philosophorum sequitur, & eorum putrefactio non est, nisi mortificatio humidi cum sicco, eo quod humiditas tantum siccitate detinetur: Et quamuis humidum frigidum fugiat ignem: tamẽ retinetur à sicco, quod fugere nequit: quia non possunt grauia nisi leuium adiutorio superius trahi: nec leuia nisi grauium consortio detrudi nisi cum scorpione.*

Collatio.

1. Differentia est in axiomate ipso. Impressum omittit *τὸ iungitur*: quod est in scripto. Quæritur vtrum rectius? Est rustica comparatio. 1. *Cor*. 3. 6. legimus: *Ego* (Paulus) *plantaui: Apollo rigauit: Deus dedit incrementum*. Ita rusticus terram arat: cœlum rigat: Deus per aquam profectum & fœcunditatem largitur. Non tamen est inutile illud, *iungitur*. Nam vnionem oportet fieri inter imbibens, & id, quod imbibitur. Vide, an legendum sit, *irrigatur IVGITER*. Neque enim semel potasse satis est, sed ad necessitatem. 2. *In igne & aqua dirigitur*, inquit impressum. Scriptum omittit *in igne*. Veruntamen subintelligi potest. Nam sine calore non fit progressio. Is nisi externus est, internũ prouocare debet, vt coagulatio procedat, si rem consideramus, quid quæso scoriendum? Corpus terreum, quod suo modo erat mortuum, iam imbibendum est, postquam calore est ita exiccatum, vt terræ sitienti aridæq; cõpareretur. *Finis imbibitionis est terræ irrigatio, quanta est necessaria*. Hæc recte fit per aquam, quod est dirigere, Dei gratia accedente. Superfluum ergo est *τὸ in IGNE*. Balbianus videtur pro *iungitur* legisse *in igne*. Eadem expositio firmatur interpretatione sequente per hæc verba: *Terra cum aqua putrescit & mundificatur. Tunc Dei auxilio, &c*. vbi nulla est mentio ignis. 3. Plane delirauit Balbianus cum scripsit *Tunc Dei auxilio magisterio relicto finite continuare*, &c. Nam autor vult explicare id, quod in axiomate erat: *in aqua Dei nutu dirigitur*: quanquam Balbianus legerit PERAGITVR. Sed melius & vsitatius est sapientibus *τὸ dirigitur*. Recte ergo scriptum est. *Tunc cum Dei auxilio magisterium recto tramite dirigitur*. Quid est *dirigi Dei nutu*? Est Dei auxilio recto methodo, tramite, via, processu, recte fieri, & discrete agi seu dirigi. Tolle magisterium: Seu magistri curam, non iam dirigetur, præsertim si id fieri sine ignis regimine prudente non potest. Non relinquendum, aut negligendum est magisterium, sed accurata diligentia, & magno ingenio continuandum.

4. Scriptum est: *Dirigitur, vel continuatur*. Balbian. impressit, *finite continuare*: scilicet ex sua phantasia, quod relicto magisterio sine ope sit natura per se continue operati. Verum si nos imbibimus seu potauimus nostrum corpus, Deum pro auxilio compellamus atque continuo sinimus moueri. Si enim ignem recte administrauerimus, probe succedet, & eueniet quod debet fieri. Videtur sensisse hoc ipsum Balbianus, sed in corrigenda litera nimis fuisse accuratus. *Continuationis* vox, & *irrigationis* frequentis mentio confirmat meum stochasmum, *pro iungitur*, scribendum esse *iugiter*.

5. Scriptum est: *Quod operatio sua*. Balbianus impressit, *operatio naturæ*: Male. Nam opus mulierũ, & lusus puerorum de artis facilitate post coniunctionem, & imbibitionem dicuntur. Interim natura persequitur suum institutum. *Philosophi nullum habẽt laborem*, vt Bernhardus inquit, *quando conclusa est materia in vitro*. Si puer vel mulier calorem fouet blande satis est.

6. Vtrum melius *deriuetur, an detinetur*? Neutrum probum vel improbum, puto. Nam vult dicere putrefactionem esse, cum humidum sicco mortificatur: argumento, quia humiditas nulla alia re, quam siccitate terminatur, vt & Aristoteles scripsit.

Lege *destruatur, deleatur*, aut simile: Et fortasse voluit dicere, *deriuetur*, pro *à fluxu & decursu prohibeatur, & alio diuertatur*. Verum sensus est apertus ex vi contraria sicci & humidi actiue consideratorũ. Habet & Balbianus, quod pro sua litera dicat. Nam siccum est vinculum humidi. Retinet ergo, & coercet humidum, seu coagulat, densat, stipat, constringit & cogit. Id confirmatur sequente litera: *humidum retinetur à sicco.*

7. *Vt fugere nequeat*, habet scriptum. Balbianus impressit: *quod fugere nequit*. Sensus vtrobiq; idem est: sed melior finalis affectio, à sicco humidum retineri, ne possit fugere, licet alias volatile sit.

8. Rosinus hæc habet:

Tertium verbum est: Quod præcessit terra mundificatio: de quo dicit Morienus: Hæc terra cum aqua sua putrefsit, & mundificatur, & tum munda fit auxilio Dei: de qua philosophus dicit in Turba: iunge siccum humido. Siccum est terra: humidum aqua. Ecce iam habes aquam, & terram: id est: terram dealbatam cum aqua. Semita aliter paulo: *Tertium verbum est terra mundificatio, de qua dicit Morienes: Hæc aqua cum terra putrefit, & mundificatur, &c. philosophus: Iunge siccum humido. Siccum namque est terra: Humidum vero aqua. Ecce iam habes aquam per se: & terram dealbatam cum aqua.*

Diuinationes.

1. QVæritur de nomine huius operationis. Respondetur, quod varie appelletur. Hic in litera habemus *mundificationem: putrefactionem: irrigationem, mortificationem humidi:* Alias imbibitio est, & *nutritio. Dealbatio Latonis* melius ponitur in fermentatione. Destillatores reducunt aquam super terrã: digerunt, & oleum aereum eliciunt.

2. De quo ordine est sermo? Respondetur, *de operatione secunda* potissimum, in qua fit noua solutio per imbibitionem, nouaq; coagulatio: Et dum hæc peraguntur, nigrum trãsmutatur in album, & quod mortuum erat, succo recepto reuiuificatur, tandemq; fit elixyr album cum argentea fixitate. Ideo de prima imbibitione accipi debere, non tantum res ipsa loquitur, & numerus præparationis: verum etiam assignatio elementaris, quod iam habeamus aquam & terram, quæ duo elementa iterum sunt coniungenda per modum irrigationis. Nam sicut exucca & arida terra agri rore, vel pluuia madefit ad fructum ex semine ferendum: ita nostra terra arefacta & exhausta humore suo perfunditur irrorando, siue instillando sensim, donec ad satietatem, sed non ad superfluitatem biberit. Secundatio transferri possunt dicta etiam ad quartam operationem, quæ succedit fermentationi.

3. Quid est: *Terra non germinat absque frequenti irrigatione & absq; præmissa exiccatione?* R. Semel totum liquorem affundere, est submergere, suffocare & perdere vim prolificam. Tẽperatus humor paruis portionibus, pro vt concoquere & consumere nostra planta vna nutritione possit, est instillãdus. Ideo repetitur imbibitio sæpe. Sed nihil potus dandum est, nisi sitienti, & arefacto. Ergo *inter imbibitiones semper intercedit exiccatio*, sicut & in initio terra nostra mortua bene est arefacienda calore athannoris, vt eo cupidius assumat depluentem potum. Inde sequitur toties corpus, seu terram imbibi, quoties desiccatur. At quoties tandem? Numerum tibi indicabit res ipsa. Tantum hoc stude, ne lutum facias, & terram suffoces. Ipsa per se non assumit aquam vltra debitum. Cum vides non amplius bibere velle, desine.

4. Quid sibi vult argumentum: *Omni ponderi pondus: omni mensuræ modus, omni operi opus adhibendum?* R. iustitiam significat, quæ cuique tribuit suum. Considera, quanta tua sit terra: & ei da proportionalem succum, non totum semel, sed per partes. Id exemplo infantis, qui nutritur, aut plantæ, quæ crescit ad iustam & determinatam formam, intelliges. Das infanti pro siti, & plantæ pro penuria, æstimando modum quantitatis eius. Ita fac & in hoc artificio. Pondus ponderi debet esse analogum, nõ vt semel des tres vncias potus, si corpus est quadrãtale: sed determinando potũ nutritionis fine. Modus debet esse in mensura, non superfluitas. Moderate admetire potũ. Operi adhibe opus, seu specta, quodnam opus habeas præ manu. Vis nimirum ex nigra & impura terra facere albam, certoq; id fine. Si velles nimium humorem apponere, tarde ad finem peruenires. Ergo vt consequaris maturam dealbationem, quæ est opus nostrum, accõmoda imbibitionem, quæ operi isti respondere debet. Tunc sequetur recta iusta, & legitima, satisque matura putrefactio, quæ si parcior sit humor, ita vt superet humiditatem siccitas, non succedit, quia coagulas prius, quam soluis: Sin autem abundantem das potum, inhibetur putrefactio, quæ nec in siccitate est, nec humoris superfluitate, vti potes ex Physicis vulgaribus discere.

4. *Putrefactio philosophorum est mortificatio humidi cum sicco, quia humiditas tantum sicco detinetur, &c.* Mira definitio. Putredo naturalis opposita est mixtioni, estq; dissolutio misti destructo vinculo siccitatis à prædominante humore alieno, postquam calor natiuus & humidum radicale à calore externo est extractus. Iam discimus in putrefactione debere humidum mortificari, seu humiditas siccitate permutari, vt id quod prius erat humidum, postea fiat siccum. Est quidem siccitas putrescentium extremum etiam in maiore mundo: Sed hactenus, non putrescunt. In putrefactione nostra fit solutio, cuius signum est nigredo, quæ fit, cum calor agit in humidum prædominans. D'ascia ergo alienius loquitur & putredinem à fine, quo tendit, describit, non à propria forma. *Mortificare humidum sicco est humiditate sublata siccitatem inuehere per exiccans actiuum.* Nigredo.

6. *Detinetur.* Dictum de litera est ante. Sensus est: *Siccum esse vinculum humidi, ne auffugiat igne percepto.* Quomodo vero? Num humiditas actu manet, & tantum detinetur, ne discedat? Non manet actu, sed tantum potentia, sicut fit in coagulatione humoris vnctuosi conglaciati. Ibi constringitur, & terminatur humiditas actualis siccitate: Sed ita, vt ipsa maneat in potentia. Sal fusilis densatur

frigore & ſiccefcit. Sed ideo non amiſit radicalem humiditatẽ, q̃ cum fixa ſit, calore admoto redit. Eadẽ dicuntur verbis ſequentibus: Quãuis humidum, &c. ex quib. diſcimus humidũ eſſe volaticum & ſpirituale per ſe: Sed cũ ſuperuenit ſiccitas, figi fieriq; corpus in igni conſtans: id quod ſpectatur dealbatione per imbibitionem, nempe vt non tantum nigredo cedat totaliter, ſed & elixyr albũ fit fixum, quod tertium ignis gradum non metuat.

7. *Grauia ſurſum trahuntur adiutorio leuium: Leuia deorſum conſortio grauium.* In Elementorum mutatione res manifeſta eſt. Quod ex graui factũ eſt leue, ſua natura ſurſum fertur: & quod ex leui graue deorſum. In reſolutionibus tamen per calorem efficitur, vt vapores graues comite ſpiritu calido & leui attollantur, & vehiculo abſcedẽte coaleſcant in nubes, tandemq; in aquam, vel ſimile corpus, quod ſua grauitate deſcendit. Quando etiam inflammatum in ſublimi ſulphur delabitur, ignis cohærens licet ſua natura ſurſum contendat, tamen trahitur à graui corpore. In noſtro vitro ſimile quid fit. Nã *ſpiritus reflexus è ſuperioribus in terram, hanc reſoluit*, & ſcandendo iterum reſolutam, comprehenſamq; ſecum vehit, non vt Veſuuii flamma eiaculatur molas: ſed vt fumus reſolutiones ardentium, ex quibus fit poſtea concreta *fuligo*: cuius rei documenta multa ſunt in conflaturis metallicis. Omnino fixum fit volatile per volatile & volatile fixum per fixum operante calore.

8. *Niſi cum ſcorpione.* Intelligo inſtrumentum violentæ detruſionis, & diſſipationis. σκορπίζεσθαι ſeu σκορπίζεσθαι eſt diſpergi, & hic rarefieri, ſubtiliari, in ſpiritum ſolui. Sunt & *ſcorpiones* tormenta, quæ exploduntur, vel ad ictum emittuntur. Ita foret violenta quædam excuſſio & eleuatio, ſicut ſi quis magnam bombardam in cœlum exploderet, & fumos pulueresque in altum diſpergeret violente. Eſt & cum per vim detrudimus ea, q̃ aſcenderunt, vt in fulminibus videmus. Cum argentum viuum per ſe volumus præcipitare, includimus id vel ſolum, vel cum auro, aut argento cucurbitæ longi colli, & in catinum cinerarium ſuppoſito igni imponimus. Cum incaleſcit, aſcendit. Sed contis præligatis peria ex corio detruditur, idq; donec præcipitatum in fundo maneat. Poſſumus nomine ſcorpionis venenum quoque mortificans intelligere, vt non detrudi volaticum exiſtimemus ſine conſortio, niſi occiſum ictu ſcorpii. Talium præcipitationum & repercuſſionum exemplis non caremus, vt aliunde patet.

Hydrargyri per ſe præcipitatio.

Præparatio, operatio vel propoſitio quarta.

Script.

Gaudet natura cum natura. Natura lætatur natura. Natura naturam vincit. Natura naturam continet. Natura naturam ſequitur & amplectitur, & ſic nutu Dei opus perficitur.

Sublimatio.

Iſtud eſt quartum verbum huius operis, quod notari poteſt ſublimatio ſeu aſſumtio, de quo dicunt philoſophi: Ipſa aqua efficitur aerea, cum prius eſſet inſpiſſata, & coagulata cum terra: Et hoc, obuiatione ſui ſcilicet propinqui: Et id eſt: Natura cum natura gaudet & lætatur, eo quod continentia ipſius eſt eius propinquitas: quia tanta eſt propinquitas inter naturam quanta eſt inter magnetem & ferrum: Et maior: quia ex radice ſunt vna & non pluribus. Victoria quoque: quia nihil eſt vlterius corpore mortificato morte incorruptibili: Et ideo natura naturã vincit mortificando ſcilicet corpus, & viuificando (ſpiritum) qui ex ipſo radicaliter fuit, & in ipſum conuertitur, augmentatur, & multiplicatur: Et extrahit Deus ex vno plura. Et ideo natura naturam continet, & naturam ſequitur complete nutu Ieſu Chriſti.

Impreſſ.

Quarta præparatio: *Gaudet natura cum natura. Nam cum natura lætatur: natura naturam vincit. Nam naturam continet: nam naturam ſequitur & amplectitur, & nutu Dei opus perficitur.*

Et iſtud eſt quartum verum huius operis, & poteſt dici Sublimatio ſeu aſſumtio, de qua dicunt philoſophi: Ipſa aqua efficitur aerea, cum prius eſſet inſpiſſata & coagulata cum terra, & hoc obuiatione ſui ſcilic. propinqui: Et ideo natura cum natura gaudet & lætatur: quia continentia eius eſt ipſius propinquitas: quia tanta eſt propinquitas inter naturam, & naturam, quanta eſt inter adamantem & ferrum, atq; etiam maior: quia radice ſunt vna, & non plures: virtute quoq;: quia ſpiritus eſt alterius corporis mortificatio morte imperceptibili: Et ideo natura vincit naturam, mortificando ſcilicet corpus, & viuificando, quod ex ipſo radicaliter fuit, & in ipſum conuertitur, augmentatur, & multiplicatur: & extrahit Deus ex vno plura: Et ideo natura naturam continet, & naturam ſequitur completurq; nutu Ieſu Chriſti.

Collatio.

1. Propoſitio iſta de natura crebro legitur *in Turba* & aliorum philoſophorum libris. Verba *Parmenidis in corollario* recitabimus, qui addit, *quod iſtis verbis totum opus comprehendatur. Cuſtos* inquit: *ſapientes dixere: quod natura naturæ lætatur propter propinquitatem, quam habent inter ſe hæc duo corpora cum aqua permanente.* Horum duorum vna eſt natura. Inter eos propinquitas eſt, quæ ſi non eſſet, non ita cito cõmiſcerentur, nec continerent ſe inuicem, nec vnum fierent. Plato: *Verte terram in aquam: aquam in ignem: ignem vero in aerem, & celate ignem in intimis aquæ, terram vero in aeris ventre, & calidum miſcete humido, ſiccum vero frigido: quia natura naturam ſuperat: Deinde vero natura naturæ congaudet: tandem natura naturam continet. Continens autem omnia terra eſt. Cum enim quatuor naturæ in cœlum aſcenderunt, rurſus tandem deſcenderunt, &c.* Mandinus: *Qui parce regit as, eius ſcit complexionem, extrahit ex eo naturam omnes naturas ſuperantem. Tunc magiſtri verba complebuntur, quod natura naturæ lætatur & natura naturam ſuperat, & natura naturam continet: Et tamen non ſunt diuerſæ naturæ, nec plures, verum vna tantum, forma differens, ſuas habens in ſe, aliis aliisq; accidentibus, quibus operatur quod eius naturæ congruit, &c.* Omnino crebro occurrit axioma. Balbianus aliquoties mutauit *naturam* (quæ abbreuiate fuit ſcripta nã) in ratiocinatiuam coniunctionem NAM, quaſi poſterius eſſet argumentum prioris: Sed male.

Elementorũ conciliatio.

2. Verum

2. *Verum*, pro *verbum*, sphalmate graphico. *Notari & dici* periňde sunt. De qua *sublimatione*, vel de quo *opere* aut *verbo*. Et ideo rectius: *& id est*. Nam est exegeticum: eo quod: *& quia*, pro eodem sunt: Melius tamen *eo quod*, vt vitetur rautologia in dictiooe.

3. *Inter adamantem & ferrum*. Melius *Magnetem*. Hoc enim exemplo vtitur turba & cæteri. Adamas à quibusdam perhibetur etiam ferrum trahere: Verum qui trahit, de magnetis natura est, sicut cum ferrum trahit magnetem, & magnes magnetem ferrosum.

4. *Radice sunt vna & non plures*. Male Balbian. Rectè scriptura: *Sunt ex vna radice, & non pluribus*. Id enim verum est, & sic pronunciatur à magistris.

5. *Virtute* quoque: Imo *victoria*, vt recte est in scripto. Nam respicit axioma: *Natura naturam vincit*.

6. In hoc: *quia spiritus est alterius corporis mortificatio morte imperceptibili*: à litera & sensu aberrauit Balbianus, & deprauauit, non correxit scriptum. Propinquitas maior est victoria quoque, quia corpore mortificato morte incorruptibili, nihil est vlterius: seu altera natura, quæ victa est pro mortua habetur & non ente. Mortua vero non morte destruente & corrūpente omnia, sed sine corruptione materiæ. Alias *spiritus potius viuificatio est corporis mortui, quàm mortificatio*: nec est mors imperceptibilis, sed sensibus occurrit tanquam materia priuata omni vita, & corpus inane & inanime.

7. Melius scripsit Balbianus: *natura vincit naturam mortificando corpus & viuificando, quod ex ipso radicaliter fuit*. Ideo adue otitium est: *spiritus, qui*: 8. *Completurque*, melius in impresso est; quam *complere*: nisi malis legere *complete*, vel *completą*.

9. Rosinus: *Quartum verùm (verbum) est aqua, quæ poterit sublimari euaporato, in qua sublimatione affinatur ipsa terra, cùm prius esset insp ffatá cum aqua. Coagula, & habebis terram, aquam, & aerem*. Hoc est, quod *philosophus dixit in Turba*: *Ipsum dealbatum subito igne sublimate, quousque ex eo extrahatur spiritus, qui in eo vi get, qui dicitur* Anser Hermetis, & pullus Hermogenis. *Tunc remanet terra calcinata in profundo, quæ est natura ignea: Et sic habebis in prædictis præparationibus quatuor elementa, hoc est, (aquam, aerem) terram, & ignē, de illa terra calcinata, quæ est puluis, de quo tractat Morienus dicens: Cinerem, qui est in fundo, ne vilipendatis. Est quidem in inferiori loco: Sed est terra corporis tui, quæ est permanentium finis*. Hæc Rosinus: Sed Arnoldus in *semita sic*: *Quartum verbum est: quod aqua possit euaporare. Sublimatione, siue ascensione efficitur ipsa terra aerea, cùm prius esset inspissata cum terra, & coagulata: Et sic habes terram, aquam, & aerem. Hoc est, quod philosophus dixit in libro Turbæ: Ipsum dealbate, & cito igne sublimate, quousque ex eo exeat spiritus, id est, argentum viuum, quod in eo inuenites, qui dicitur* auis Hermetis, *& pullus Hermogenis: Et remanet terra calcinata in fundo, quæ est vis ignea, id est, ignea natura. Et sic habes 4. elementa: hoc est: terra ignis, & illa terra calcinata, quæ est puluis, de quo dicit Morienes: Cinerem, qui in fundo est, non vilipendas: quia est in inferiore loco, & est terra corporis, quia est spermatum. In eo enim est Diadema cordis.* *Anser Hermetis pullus Hermogenis.*

DIVINATIO.

1. Opus hoc *sublimationem* dici, ex textu est euidens. Quem verò ordinem tenet in magisterio & locum? R. Rectum omnino absque ellipsi & metathesi. Nam postquam mercurium præparasti, includis eum vitro, & leni igne coquis, donec soluatur, & coaguletur, vertaturque in nigrum corpus, aut cinereum terram. *Elementa* ...

Hæc est operatio prima, in qua nihil agis alind, quam quod administres lenissimum calorem sine festinatione, longa patientia, quando finis primæ operationis vix solet ante 80. aut 90. dies contingere. Deinde lapidem hunc seu corpus, vel terram (quo nomine velis appellare) imbibis eadem aqua seu mercurio, ex quo erat coagulata. Imbibis autem prudenter, vt dictum est. Postquam sufficientem humorem potauit, vas Hermetice claudis, & suauiter coquis, dum iterum soluatur & coaguletur: nigrescat & albescat. Hactenus tria elementa elicuisti, aquam, terram, aerem. Sequitur iam ea praxis, quæ quarto verbo est descripta, nempe *aeris sublimatio*, & eius, si rubeum opus instituisti, in ignem mutario, quæ nulla alia re absoluitur, nisi augmento caloris ex secundo gradu in terrium, quo terra fit candidissima & valde splendens, fixaque argentea constantia. Hinc procedis, & paulatim auges ignem in gradum quartum, quo ex albedine mutabitur in citrinum, & hinc intenso calore transibit in rubeum, qui color est igneæ virtutis, & elementi ignis indicium. Tunc ignem superat materia nostra, nec curat. Itaque vritur flammis validissimis, perseuerat q;, vt aurum aurea fixitate. Hæc est sententia dictorum plana, & aperta.

2. Quod attinet axiomata illa mystica: *Natura lætatur natura*, &c. continent causam imbibitionis & mutationum sequentium. Si enim interroges de veritate, & constantia istius imbibitionis, an etiam alterum in alterius sub stantiam concedat, cum diuersa sint elementa, aqua & terra: respondetur, *vniri intime inter se & transire in vnam homogeneam naturam, & aquam à terra quam cupidissime suscipi, & combibi*, quia eadem est natura vtrisque: Vnumquodque suo simili gaudet, idque sibi intime vnitum cupit.

Videmus, quam auide aurum mundum purgatum argentum viuum combibat. Si per frigus ex aqua feciffes pruinam, vel niuem, aut glaciem, quam in puluerem vertisses; & aspergeres rotidum liquorem eiusdem aquæ, ex qua ista congelassent, an non putas receptum iri & retentum familiaritate naturæ interiore? Ita natura lætatur natura simili, & homogenea.

3. *Natura naturam vincit*. Mercurius, qui est imbibitionis materia & potius ipse, naturam alterā, quæ est terra cognata, vincit, & in spiritum volaticam mutat, sed qui vicissim à terra patitur; & coagulationis principium accipit. Ita se vincunt mutuo.

4. *Natura naturam continet.* Duplex eſt vis huius verbi, vel etiam triplex. *Continere eſt forma.* Primus ergo ſenſus eſt, mercurium, qui inſtillatur, terram in ſua natura continere & conſeruare: Imo viuificare & aliqua ex parte animare, vt ſit maneatque id, quod eſt, ſpirituale nimirum corpus ſuo ſucco & ſanguine ſpirituq; imbutum. Deinde *continere* eſt etiam *continentiam præbere*, ne ſteratur. Terra continet, coercetq; & ſtabilem facit imbibitum mercurium, qui per ſe eſt ſpiritus volaticus. Ideo vero continet, quia naturæ eſt eiuſdem. Non autē dimitit facile cognata cognatum, præſertim interiore amicitiæ vinculo coniunctum. Tertio *continere eſt etiam in potentia habere aliquid*, quod poſtea in actū veniat. Ita vna natura ſeminis in ſe continet plantas etiam plures, & poteſt ſemina producere multa. Sic in aere continetur ignis. Inde eſt expoſitionis varietas. *Sequitur natura naturā* ſucceſſione naturali, ſicut ex terra fit aqua, ex hac aer, ex aere ignis: nigredinem ſequitur albedo, & hanc rubedo, ſicq; fit complementum Deo benedicente. Cum a. natura ſæpius nominatur, non putandum eſt, diuerſitatem heterogeneam eſſe. *Nihil enim eſt in fundamento, niſi vnum tantum.* Itaq; diſpoſitiones efficiunt, vt de vno ſermo ſit tanquam de duobus. Phyſica peripatetica vnam naturam materialiter acciperet, alteram formaliter. Semper enim in Elementis id, quod deinceps eſt, aſcendendo à terra verſus cœlum, ſe habet ad antecedens, vt forma ad materiam. *Gaudere* eſt materiæ, quæ formam deſiderat: Et viciſſim etiam formæ, quæ in ſua materia eſſe cupit. Vincere, continere, ſequi, itidem magis ſunt formæ, &c.

Continere.

5. *Ipſa aqua efficitur aerea*, &c. Imbibitur terra per aquam. Hanc neceſſe eſt tranſire in ſubſtantiam terræ, vt fit in nutritione. Ideo inſpiſſatur & coagulatur primum. Sed poſtea per ſublimationem fit nobilior, & qualitatem aeream adipiſcitur, cum lapis ſeu elixyr album factum eſt, in quo ſtatu habetur pro *aere & oleo aereo* propter qualitates, & quia proxime antecedit igneam conſtitutione. Cur autem inſpiſſatur cum terra & aereſcit? Quia inuenit ſui ſimile, & adeo propinquum, vt ſit eiuſdem radicis & materiæ, non aliter, quam ſi oleum liquidum inſtillares in oleum craſſefactum, aut plumbum fuſum in plumbi ſcobem: vel amalgama ſtanni & mercurii expreſſum, argento viuo irrigares.

6. Continentia ipſius eſt eius propinquitas: Ratio, cur natura naturam contineat, eſt *ſympathia* ex amicitia & familiaritate naturali, quæ longe eſt arctior, quam inter ferrum & magnetem, quia ſunt ex vna tantum radice, & vnius tantum materiæ, neque ſic per artem alterum ab altero diſceſſit, vt perierit concordia, & conſpiratio, vt fieri ſolet in aliis, quæ elaborando à ſe alienantur; ſed conſeruata eſt affectio, vt queant in vnitatem redire.

7. Natura naturam vincit mortificando corpus, & viuificando, quod ex eo radicaliter fuit. *Corpus dicitur morti dari, & ſepeliri*, cum nigreſcit, & tunc etiam *fœtere* quaſi cadauer in ſepulchro perhibetur. Cum aqua irrorata eſt, & coctio inſtituitur, redit nigredo: ſe poſtquam etiam vita exurgit, nigredine abeunte in albedinem, quæ eſt ſignum aeris & ſpiritus vitalis. Sic quod radicaliter ex mortificato corpore eſt, hoc eſt, *albus lapis* & elixyr ex nigro elicitum, viuificatur.

8. *In ipſum conuertitur, augetur, multiplicatur, &c.* Imbibitio affert augmentum pro modo nutritionis. Affert & virtutis multiplicationem. Longe enim iam fortior eſt lapis, quam prius. Conuerſio fit per aſſimilationem, qua volatile fit fixum vi fixi, & hoc volatile vi volatilis mercurii.

9. Sed quid eſt illud Roſini: *Ipſum dealbatum ſubito igne ſublimate?* Male verſum arbitror ex Germanico ſchnell Fewer. Non eſt temporis momentanei, ſed gradus. Poſtquam lapis abluit, ſuſtinere ignem poteſt. Ergo forti calore vritur, atque ita penitus ſolidatur, ne in cortice ſit concretio, intus autem fugax mollities. Cum perfecte albuit, in rubeo mutatur ampliore igne in ſanguineum, ſeu coccineum colorem, quem Tyrium vocant in purpura. Albedo perfecta *olori* comparatur, qui hoc loco dicitur *Anſer* vel *auis Hermetis*. Terra calcinata manet in fundo vi ignea, &c. Fixa ſcilicet eſt iſta *calx alba*, & potentia ignea: quæ etiam in actū elicitur aucto calore. Dicitur *cinis* à ſimilitudine, vti & *calx*. *Sperma* quoque appellatur. Eſt enim *luna noſtra*, mater ſcilicet lapidis, cuius ſemen fœmineum eſt aereum calidum & humidum.

Luna noſtra

Auctarium de ſententia Parmenidis in Turba.

INquit Parmenides: *Scitote viri prudentes, quod inuidi multipliciter tractauerunt de aquis, brodiis, corporibus, & metallis, vt nos decipiant, qui ſcientiam inquiritis. Hæc ergo dimittite omnia, & aurum, nummoſque fieri facite ex hoc noſtro are: Et æs, aut plumbum pro pinguedine, vel nigredine: & ſtannum pro liquefactione ſumite, ſcientes, quod niſi veritatis naturas eiuſque compoſitiones bene coaptetis, & conſanguinea conſanguineis iungatis, nihil operamini: eo quod natura cum ſuis obuiant naturis, continent eas, & lætantur in eis. Nam putreſcunt & gignuntur, eo quod natura, quæ regit ipſum, illud q; diruit, ac in puluerem, & nihilum conuertit, deinde idem renouat, reiterat, & gignit frequenter. Idem enim ipſum, quod mortificat, id & viuificat. Intendite ergo noſcere, quid eſt, quod rem putrefacit, & renouat, & cuius ſit ſaporis, & qua longinquitas, & propinquitas: & qualiter poſt inimicitiam fiat amicitia, & qualiter accidat corruptio, & generatio, & qualiter illa natura complectantur inuicem, & quomodo in igne leni concordes fiant: quibus notis & perceptis manus veſtras operi applicate. Quod ſi dictas qualitates ignoratis, nolite operi appropinquare: quoniam totum eſt noxium, & infortunium, ac triſtitia. Modo ſapientum verba intelligite, & hoc breue dictum retinete: videlicet: Natura natura lætatur, & naturam continet: & Natura naturam vincit, & ſuperat. Hiſce verbis comprehenditur totum opus. Dimittite ergo ſermones ſuperfluos, & accipite argentum viuum, & congelate id in corpore magneſiæ, & ſulphuris, quod non comburitur. & vertite ipſum in naturam albam. Et ſi ari noſtro impoſueritis, album fiet: Et ſi ipſum rubeum facere veltis, rubeum fiet. Et ſi amplius coxeritis ipſum, aurum fiet.*

Dico

Dico etiam, quod vertit ipsum mare in rubeum, & auri collam (chrysocollam) & similiter vertit aurum in rubeum ignem, eo, quod natura naturâ lætatur. Coquite ergo ipsum in humore, donec appareat natura abscondita: Et cum videritis hoc, imbibite eum septies aqua permanente, coquendo, assando, donec rubeum fiat. O natura illa cœlestis veritatis naturas Dei nutu multiplicans: O natura fortis naturas vincens & superans, suasque naturas gaudere faciens. Hæc est illa natura specialis, & spiritualis, cui Deus posse dedit supra ignis violentiam. Ideoque magnificamus eam, quia nihil est pretiosius in vera tinctura. Est enim veritas omnem scientiam continens, & cum liquefit cum corporibus, opus altissimum operatur, & ea in suum vertit colorem, & quemadmodum apud visum superficiem tingendo vincit, sic intima superat.

NOTÆ.

1. Qui Parmenidi tribuitur sermo, artificis cuiusdam esse videtur chymici, & non istius philosophi, cuius mentionem facit Aristoteles *in 1. Phys. c. 2. tex 6.* quod *vnum immobile principium posuerit,* quanquam eum redarguat *tex.* 10. quasi falsa acceperit, & Syllogismo errauerit: item, quod *propter copiam sanguinis mulieres viris calidiores esse voluerit,* vt est *in 2. de part. an.* 2. Solent autem multa ascribi Platoni, Aristoteli, Auicennæ, Pythagoræ & aliis priscis propter autoritatem. Orationem ipsam quod attinet, totam artem mystici lapidis paucis complectitur. 2. Primum *de materia* disserit, eam esse *Aes,* non scilicet vniuocum, sed symbolicum, quod etiam *plumbum,* & *stannum* dicitur, metallorum specialium nominibus, vt intelligamus nostram materiam esse *metallicam,* & dispositam ad alba & rubea ita, vt in aurum nummosque possit abire, seu medicina metallica fieri, per quam aurum efficiamus. Talis materia non est, nisi *argentum viuum.* 3. *Sumite æs aut plumbum pro pinguedine vel nigredine.* Nimirum *tunc æs vel plumbum dicitur* materia seu argentum viuum nostrum, *quando nigredine & sulphurea pinguedine infecta conspicitur:* Et tunc est frigida humida, vt plumbum, tribuiturque *Saturno,* licet astrologi hunc siccum faciant. 4. *Stannum pro liquefactione sumite.* Stannum tunc dicitur, cum soluta est, seu humor est actu liquidus, vel soluta in aquam mercurialem nostram. *Ioui* assignatur alias, cum albedinem accipit imperfectam quod fit post plumbum, seu nigredinem. 5. *Nisi veritatis naturas, & compositiones & eius compositiones, bene coapteris, & consanguinea consanguineis iungatis, nihil operamini: quia naturæ cum obuiant suis naturis, continent eas,* &c. Docet esse diuersas naturas in hoc magisterio, sed tamen ita affectas, vt quasi sint consanguineæ seu ex eadẽ materia, vnde etiã familiaritas est & amicitia. Nihil est immiscendum, quod non sit de argento viuo puro: Et in compositione vitata temeraria confusione, vera coaptatio est spectanda, vt apta aptis, determinata determinatis iungantur. 6. *Putrescunt & gignuntur.* Soluuntur & coagulantur coaptatæ illæ naturæ. 7. *Natura, quæ regit ipsum, diruit, in puluerem & nihilum conuertit,* &c. Est in nostro mercurio insita vis quædam, quæ calore moderato excitata ista peragit. Nam aquam corrumpit, & mutat in puluerẽ, tanquam non ens, & corpus mortuum: sed potatione & irrigatione accedente etiam resuscitat, & renouat, idq; non semel tantum facit, verum frequenter, ita vt circulariter idem opus sæpe possit reuocari. 8. *Quod mortificat, etiam viuificat.* Eadem virtute materia nostra, seu argentum viuum destruitur, & reparatur. Sunt enim omnia in ipso, quibus indiget, modo artifex calore suo succurrat. 9. *Longinquitas, propinquitas,* &c. Materia ipsa est tota homogenea: Dispositiones vero inter se distant. Cum aqua vocatur, longius est ab igne, quam cum aer, vel terra. Aer & aqua sibi sunt propinqua & symbolum habent. Ita est in qualitatibus. Frigiditas & caliditas longè absunt; sed non caliditas & humiditas, frigiditas, & siccitas. Longè absunt aquea consistentia volatilis, & concretio fixa. 10. *Post inimicitiam fit amicitia.* In vitro soluuntur coagulanturq; inuicem, estq; pugna spirituum & corporis: Sed tandem in vnum coeunt & figuntur tota. Sic etiam cum soluitur fixum, fit vna aqua, ex qua cum ad coagulationem redditur, motus accidit, sed quem quies sequitur: id quod fit lento igne, & tempore longo. Ideo artificem oportet esse longanimum, & moræ patientem. Ista sunt monita fidelia operi præmittenda, faciuntque ad materiæ notitiam, quam si non es consecutus, abstine ab arte. Nam non potest esse materia vera, quæ istas conditiones, & affectiones non habet. 11. *Accipite argentum viuum & congelate id in corpore magnesia, & sulphuris incombustilis, & vertite in naturam albam.* Iubet argentum viuum capere; sed non vulgare, verum nostra arte elaboratum, vt *supra* expositum. Id est coagulandum in corpore magnesiæ, seu in ea dispositione, qua est instar stibii nigri. Dum enim nigra est materia, simul incipit coagulatio. Habet autem sulphur incombustile secum, quæ est *argenti viui puri nota,* vtpote quod nequit comburi, sed totum manet in igni, aut totum ex eo fugit. Cum coquitur lento calore, paulatim coagulatur, & in album elixyr vertitur. Hoc postea in rubeum mutatur ignis instantia. 12. *Si amplius coxeritis, fiet aurum.* (a) Noster *Aurum nostrum.*
Sol fiet, qui est elixyr rubeum fixum. Neque enim quærimus ex lapide facere aurum vniuocum, sed per lapidem ex argento viuo, & imperfectis metallis. 13. *Vertit ipsum mare in Rubeum.* Scilicet lapis rubens proiectus prima vice in argentum viuum, quod hîc vocatur mare, tanquam materia generationis communis metalli, mutat id in medicinam rubeam, quæ hîc dicitur chrysocolla, auri gluten: quippe quæ vlteriore proiectione mercurium glutinat, cogit, vnit, & in aurum vertit. 14. *Vertit aurum in ignem rubeum:* hoc est, vt ingressum accipiat, medicina proiicitur super aurum liquatum, quod hinc mutatur in tincturam rubeam. Nam natura lætatur natura, seu aurum; quod est argentum viuum coctum, lapidi aurifico mercuriali est cognatum, & in huius, cum sit valdè actiuum, aurum vero passiuum, naturam transit. 15. *Coquite ipsum in humore, donec appareat natura abscondita,* &c. Accipio de fermentatione. Aurum est soluendum nostro mercurio, & coquendum, vt interior ignis & sulphur naturæ ex occulto prodeat in manifestum, & iam non amplius sit aurum, sed lapis ruber. 16. *Hoc cum videritis, imbibite eum septies aqua permanente, coquendo, assando, donec rubeum fiat,* &c.

Lapis iam fermentatus est imbibendus mercurio septies, seu perfecto suo numero, donec nihil amplius possit bibere. Deinde vitro inclusus coquitur in athannote, vt ex nigredine per albedinem in rubeum colorem abeat: tunc assatur seu igne valido vritur, vt penitus figatur. 17. *Natura cœlestis veritatis naturas Dei nutu multiplicans*, &c. Lapis ille seu tinctura nostra vltra vim elementarem est euecta, atque adeo cœli nobilitatem consecuta. Ideo & multiplicari potest, quæ multiplicatio primum fit per proiectiones tres, vt medicina fiat aurifica; deinde repetitis solutionibus, coagulationibus, & fixionibus, &c. 18. *Deus dedit illi posse supra ignis violentiam*, &c. A nullo igni potest destrui: Imo etiam id potest, quod nullus ignis. 19. *Est veritas omnem scientiam continens*, &c. Ex processu vero lapidis sumunt operum naturæ declarationem, vt vidimus apud Drebelium, & Sedinuogius putauit, se naturam nudam vidisse in opere illo exemplari. 20. *Cum liquefit cum corporibus*, &c. Quando super imperfecta liquata proiicitur, vertit ea in aurum non sophisticum, & externa tantum specie apparens, sed verum intusque per totum in omni constans examine. Hactenus Parmenides.

(a) *Aurum dicitur etiam lapis ruber fermentatus iuxta Pandulphum in Turba: Qui venenum (elixyr ex mercurio sublimato) Sole, & eius vmbra tinxit, ad maximum peruenit arcanum, quod dicitur Nummus, qui cum rubeus efficitur, aurum vocatur. Riplæus & Sedinuogius aurum nostrum viuum in fermentatione ponunt seu coniugio, vbi & mercurius philosophorum est.*

PRÆPARATIO QVINTA.

Script. *Noster spiritus est delator virtutum animæ, eo quod as nostrum habet corpus, spiritum & animam, vt homo.*

Istud est quintum verbum huius operis, de quo dicunt philosophi: Spiritus eius est aqua: anima eius est tinctura: corpus eius est terra. Spiritus tamen est spiritus; sicut corpus est vinculum ipsius animæ; sic corpus est fixum, siccum, continens spiritum, & animam. Spiritus ergo penetrat corpus: Corpus figit spiritum; anima copulat, dealbat, & tingit.

Impress. Quinta præparatio: *Noster spiritus est delator virtutum animæ, eo quod as nostrum*, vt homo, *habet spiritum, corpus & animam.*

Spiritus. Anima. Corpus. *Istud est quintum verum huius operis, de quo dicunt philosophi: spiritus enim eius est aqua; anima eius est tinctura. Corpus eius est terra. Spiritus tamen est spiritus: Et sicut corpus est vinculum ipsius animæ: Sic corpus est fixum, siccum, continens spiritum & animam. Spiritus igitur penetrat corpus, figitque spiritum corpus, anima copulat, dealbat & tingit.*

COLLATIO.

Nihil est in discrepantia notatu dignum. Apud *Rosinum* hæc sunt: *Postmodum cum prædicta aqua fermentum pone, quod philosophi animam vocant: Et hoc ideo: quia corpus humanum sine anima nihil est: Imo est sicut terra immunda absq; fermento, id est, eius anima. Nam fermentum ipsum corpus imperfectum præparat, vt diximus, & ad naturam suam conuertit, & non est nisi Sol, & Luna. Istis appropriatis plane sicut ista alus dominatur corporibus, & ipsa ad suas naturas conuertunt: & ideo fermentum dicuntur secundum operationem in eodem corpore, introducatur, quæ est eius anima. Et hoc est, quod dicit Morienus, nisi corpus immundum mundaueris, & in eo animam miseris, nihil de magisterio direxisti. Igitur fit coniunctio fermenti cum corpore mundato, & tunc spiritus cum eo figitur, ac gaudet cum eis, quia natura grossa subtilis est facta: Et hoc est, quod dicit Constantius in Turba: Spiritus* *Anima.* *non coniungitur corporibus, nisi putrefacta fuerint, & denudata.* Semita: *Postmodum cum prædicta terra fermentum pone: quod scilicet fermentum philosophi Animam vocant: Et hoc ideo: quia sicut corpus humanum sine anima nil valet: Imo est sicut terra mortua: Sic & corpus immundum absque eius fermento, id est, eius anima nihil valet. Nam fermentum corpus imperfectum præparat, & ad naturam suam conuertit, vt dictum est: Et non est fermentum, nisi Sol, & Luna, tantum istis appropriatis planetis conspirans in naturali similitudine.* Et hoc est, quod Morienes dicit: *Nisi corpus immundum mundaueris, ac dealbaueris, & in eo animam mittas, nil in magisterio direxisti: Et tunc spiritus coniungitur, & gaudet cum eis, & figitur: quia alteratur aquà, & omnia grossa subtilia fiunt.* Et hoc est, quod dicit Astanus *in Turba*: *Spiritus non coniungitur corporibus, donec à suis immunditiis perfecte fuerint mundata, denudata*, &c.

Locus in Rosino corruptus restituitur nonnihil ab Arnoldo *in semita*. Nam pro: *Istis appropriatis plane sicut ista alus*, &c. legendum: *Istis appropriatis planetis conspirans in similitudine naturali. Sol in cœlo calidus siccus aurum est in terris*, quod licet aliqui temperatum dicant, tamen in se validum ignem habere deprehenditur. *Luna* calida humida est, vt argentum, quod est fermentum in opere albo. Hæc duo fermenta, seu planetæ dominantur corporibus seu elixyri azymo albo & rubeo, eaque conuertunt in suam naturam, vt fiat lapis aurificus per aurum, argentificus per argentum. Hæc cum in sua corpora introducuntur, fiunt eorum animæ, &c.

EXPOSITIO.

1. Descriptio est *fermentationis*, à qua aliqui opus incipiunt, præcedentia tantum habentes pro præparatione massæ fermentandæ. Primum ex atgenro viuo per sublimationes & reductionem fiebat *humiditas nostra vnctuosa*, quæ aqua nostra, acetum, venenum, &c. dicitut. Hæc *inclusa vitro sinebatur putrescere*, solui, enigrari, indeque congulare & albescere. Tertio *coagulatum imbibebatur aqua mercuriali nostra*, quæ nihil erat aliud, quam idem mercurius, seu eiusdem pars secunda. *Imbibitum soluebatur & coagulabatur* in elixyr album. *Hoc sublimabatur vstione*, donec fieret candidissimum intus & foris. *In rubeo lapide* procedebatur cremando vsq; ad Solem, seu rubedinem, quæ *Leo & Sol* dicitur. Si quis iam album

album elixyr pro argento seruauit, is id fermentat argento, soluitque mercurio, vt tria concurrant, corpus, anima, & spiritus. Rubeus autem lapis auro fermentatur, atque itidem concurrunt tria. *Aurum & argentum dicuntur animam inferre*, sicut acidum fermentum massæ farinaceæ infert motum, & quasi vim animalem. *Corpus* est materia animanda & massa, quæ per se inutilis est & effœta. Sed ab auro vel argento specialem vim accipit, vt dirigatur ad efficiendum, seu procreandum aurum, vel argentum. *Spiritus* est aqua mercurialis, seu mercurius noster, qui cum sit eiusdem materiæ, vtrumque subit, soluit, & per minima coniungit. Postea inclusa tota materia vitro Hermetico coquitur, donec alba mutetur in lapidem seu tincturam albam: rubra in tincturam, seu lapidem rubrum.

2 Sensus axiomatis est, *animam ex auro* vel argento *ab argento viuo nostro extrahi*, & iungi corpori ita vt mediante mercurio isto corpus & fermentum conglutinentur & penitus commisceantur. Metaphoræ ab homine sunt sumtæ. *Anima incorporea cum corpore humano non potest iungi nisi interuentu spiritus* qui calidum innatum humidumq; primigenium insedit, & sic corpori est connexus. Ab altera parte animæ, spiritui incorporeo, propinquus est, atq; ita vtramq; essentiam copulat. Sic *aqua nostra mercurialis aurum soluit in humorem radicalem*, spiritumque sibi similem efficit. Sic cum auro, vel, in albo opere, cum argento cōspirat, & vim animantem transuehit in corpus iam ex eodem mercurio factū; quæ est ratio cognationis, & cohæsionis à parte altera. Ita fit medium coniungens tincturas, sicut & medium est in inauratione metallorum. Vocatur delator virtutum animæ; quia dum aurum, vel argentum in spiritum mutauit, in vnam substantiam cum ipsis coaluit, simulq; virtutem suscepit. Rursus totus hic spiritus, seu aqua permanens vnum fit cum corporeo elixyre. In hunc ergo modum fit *coniugium, & compositio*, quæ cum lapis est fixus, non potest dissolui. Modum coniunctionis aliqui sic explicant, vt primum dicant *corpus perfectum solui aqua nostra; deinde eam particulatim instillari in corpus per imbibitionem*. Aliqui amalgamant vtrumq;, & amalgamata coniungunt, simulq; totum ad coquendū imponunt. Humida sane sunt diuisibiliora siccis, meliusq; tota totis possunt commisceri; adhuc melius spirituosa seu halituosa. Proportio quæ inter semina, & terram, seu in matrimonio inter marem, & fœminam seruatur, alibi inuenitur descripta. 3. *Spiritus, & aqua sunt Synonyma*. Vtrobiq; intelligitur mercurius. *Corpus & terra: anima & tinctura* similiter sunt pro eodem. *Terra* est *elixyr album* vel *rubeum azymum & corpulentum*. *Anima & tinctura* est auri, vel argenti essentia ignea quæ vim tingendi habet. Ea cum à mercurio assumta, & corpori tradita est, *mercurium & elixyr animatum constituit*. Bernhardus, Sedinuogius & quidam alii indicant, *non totam auri essentiam solui*. In particulari quodam *Penotus* albo corpore irresolubili relicto, tantum colorem, quem *rubei Leonis sanguinem appellant*, extrahit, & ad lapidem conficiendum vsurpat. 4. *Corpus est fixum*, quia cum perfectam albedinem aut rubedinem acquisiuit, non amplius fugit ignem: veruntamen ista fixitas non est exquisita: vtpote cum aurum vel argentum adhuc requirat, vt permanere constanter possit, vnde *aqua permanens sine suo corpore permanere negatur*. 5. *Anima copulat*. Imo hoc officium est *spiritus* qui interuenit medius. Sed quia cum spiritu in eandem naturam conspirat, & animæ alias quoq; τὸ συνέχειν tribuatur, etiam ipsa dicitur copulate. 6. *Anima dealbat*: nempe in lapide albo finali albedine; in rubeo non finali sed media. Tingit autem tota medicina quidem, sed non nisi cum tincta est prius animæ auri, aut argenti tinctura.

Varietas coniunctionum.

Præparatio seu operatio sexta.

Variatur, & mutatur de colore in colorem, quousque veniat ad metam albedinis, & rubedinis. Script.

Istud est sextum verbum istius operis, de quo dicunt philosophi: pluries citrinatur, pluriesq; nigrescit, pluriesque desiccatur, & liquescit. Nota, quod lapis philosophorum est compositus ex duabus naturis, quarum vna est humida, altera sicca: Et cum coquuntur, fiunt vnum, quia neutrum dimittit alterum: Et dicuntur vna natura: & quamdiu humiditas dominatur, nigrescit: quia calor agens in humido generat primo nigredinem: Sed agens in sicco, generat albedinem, & in albo citrinitatem; sicut apparet in plumbo, quando facimus minium. 11. *Nota, quod humiditas nostri lapidis est* ACETVM ACERRIMVM: *de quo summe est cauendum, ne vertatur in fumum propter ignem nimium, ne pereat magisterium. Terra namque, vt siccata est nigredo, dealbatur: Et tunc perit tenebrosum; Et humiditas diminuitur; Et siccitas accedens auffert sibi suum regimen: Et fumus penetrabit suum corpus; Et spiritus stringet in siccum: & tunc cessabit nigrum corrumpens deformatum, & fiet album, lucidum, clarum.* Tunc

Candida sit rubeo mulier sit nupta marito.

Mox eum complectitur: Et tunc rex diademate coronatus clamat: Ego sum albus filius nigri, & rubeus filius albedinis non mentiens. Et ideo dicunt philosophi: Coquite eos donec nigri fiant; hinc albi, deinde citrini, fiatque tandem tingens venenum: quia quanto magis coquuntur, tanto magis dissoluuntur, & denigrantur: & quanto magis coquuntur, tanto magis desiccantur, & dealbantur: tertio quanto magis coquuntur, magis rubificantur quousque perficiantur.

Veruntamen ignis in dissolutione sit lenis: in sublimatione mediocris: In coagulatione temperatus: in dealbatione continuus: in rubificatione fortis. Qui vero in istis nesciens errauerit, casum sæpissime deflebit. Ergo RES, cuius caput est rubeum, pedes albi, oculi vero nigri, est magisterium. Si triangulus in quadrangulo perficiatur, est lapis tali decoratus honore. *Ignis regimen.*

Sexta præparatio: *Variatur & mutatur de colore in colorem, quousque perueniat ad metam albedinis, & ruborū: Et de hoc dicunt Philosophi. Pluries citrinatur, pluriesque nigrescit, & pluries desiccatur, & liquescit. Nota quod lapis philosophorum est compositus ex duabus naturis, quarum vna est humida, altera vero sicca: Et cum coquuntur fiunt vnum, quia neutrum relinquit alterum, & dicuntur vna natura, & quamdiu humiditas durat, nigrescit: quia calor agens in humido generat primo nigredinem: & agens in sicco, generat albedinem, & in albo citrinitatem, sicut apparet in plumbo, quando facimus minium.* *Impress.*

Nota, quod humiditas nostri lapidis est ACETVM ACERRIMVM, *de quo summe est cauendum, ne* *Acetum acerrimum.*

conuer-

conuertatur in fumum propter nimium ignem, & pereat magiſterium. Terra namque ſiccata recedit nigredo, & dealbatur. Tunc perit tenebroſum, & humiditas diminuitur, & ſiccitas accedens auffert ſibi ſuum regimen: & fumus penetrauit ſuum corpus, & ſpiritus ſtringitur in ſicco: Et tunc ceſſabit nigrum comperiens, deformatum, & fiet album, lucedum, clarum: Tunc candida mulier ſi rubeo ſit nupta marito mox eum amplectitur & complectitur; & tunc diademate coronatus rex clamat: Ego ſum albus filius, niger, & rubeus, & filius albedinis, & homo mutationis: Et ideo dicunt philoſophi: Coquite eos, donec nigri fiant, deinde albi, deinde citrini, & deinde tingens fiant venenum: quia quanto magis coquuntur, tanto magis diſſoluuntur, & denigrantur: Et quanto magis coquuntur, tanto magis deſiccantur, & dealbantur: Tertio quanto magis coquuntur, magis rubificantur, quoſque perficiatur. In diſſolutione tamen ignis ſit lenis: In ſublimatione mediocris: In coagulatione temperatus, in dealbatione continuus: in rubificatione fortis. Qui vero in iſtis neſciendo errauerit, caſum ſapiſſime deflebit. Res ergo, cuius caput eſt rubrum, pedes albi, oculi vero nigri, eſt magiſterium. Si triangulus in quadrangulo perficiatur, eſt tum lapis honore decoratus.

Fumus.

Ignis.

COLLATIO.

1. In impreſſo omiſſa eſt nota ordinis: *Iſtud eſt ſextum verbum huius operis.* 2. *Dimittit & relinquit* eundem habent ſenſum: Euidentius tamen eſt DIMITTIT. Nam alterutrius retentionem & cohæſionem cum altero ſignificat, adeo vt ſi diſcedere alternm vellet, non poſſit, quia alterum non dimittit. 3. In impreſſo, *durat*, verbum leuius eſt, quam *dominatur*. Ita enim loqui philoſophis ſolenne eſt, quod in putrefactione *dominetur humiditas*. Poteſt ea eſſe quidem & durare, ſed abſque prædominio. 4. *In humido, in ſicco*, &c. Phyſicus diceret: *in humidum, & ſiccum*. Sed magiſter eum includit materiæ, intelligitque eius actum in ſicco, & humido. Vnde patet de interno dici, qui tamen ab externo ſtimulatur. 5. Impreſſum rectius: *Terra ſiccata recedit nigredo, & dealbatur*; quanquam nec falſum ſit, quod terra ſiccata, ſeu cum coagulatur, fiat alba. 6. Recte impreſſum: *Spiritus in ſicco ſtringitur*; quia coagulat, & denſatur. 7. Male *comperiens* in expreſſo, pro *corrumpens*, licet ſequens *deformatum* perſuadeat legendum eſſe, *corruptum*.

Eſt enim putrefactum, nigredine putrefactionis indice exiſtente. 8. Emphatice dixit Balbianus *amplectitur & complectitur*, vt non tantum externum conſenſum, coniugalemque velut amorem, verum etiam interiorem familiaritatem deſignet, & copulationis naturalis conſequens. 9. *Ego ſum albus filius nigri*, legendum eſt, *& rubeus filius albedinis*. Itaque malè Balbiani typographicum. Filius nigri, ſeu æthiopis, dicitur idem rex, & filius albi, albus idem & rubeus in opere aurifico. In nigredine enim latet albedo, cui ſuccedit rubedo, quanquam non ſit generatio, nec vlla vis effectiua in nigro & albo, verum tantum ſucceſſio naturalis. 10. *Homo mutationis* longè diuerſo ſenſu dicitur, quam *non mentiens*. Videtur abbreuiatum fuiſſe illud *Non*, ita vt Balbianus legerit *homo*. Licet autem diuerſitas ſit in litera & ſententia, tamen vtraque poteſt eſſe vera. Neque enim mentitur ſeu fallit ille rex noſter, & niſi tu ipſe deſtruas opus verè ſequitur albedo poſt nigredinem. Idem rex etiam homo mutabilis eſt ratione colorum non fixorum, mutatur ex claritate liquoris in nigredinem: hinc variè coloratur, paulatimque albeſcit, & ſi rubeum tractamus, rubeſcit alba veſte poſita. 11. *Tingens venenum* dicitur rubeus lapis, quia comparatur ſanguini purpuræ, qui à poëtis virus, & venenum dicitur, pro tinctura & infectura. *Eſt etiam hydrargyro pro baſiliſco.* Nam in proiectione veluti afflatu eum iugulat, & tanquam conſpecta Gorgone ex liquido facit ſolidum. 12. Hemiſtichion Merculini eſt: *Lapis tali decoratus honore*; Cuius eſt & verſus: *Candida ſi rubeo mulier ſit nupta marito.* 13. Roſini hæc ſunt: Per has coniunctiones *maxima* appareot *mirabilia, ac omnes colores, qui in mundo excogitari poſſunt*, quibus corpus imperfectum coloratur coloratione firma fermento mediante: quod fermentum eſt anima: & ſpiritus & corpus mediante ea anima coniunguntur, & ligantur ſimul cum eo in colore fermenti, quod fit vnum cum eis, id eſt arſenicum in terra. *Semita* Arnoldi: In hac coniunctione *maxima* apparent *miracula*, quia *omnes colores, qui in mundo excogitari poſſunt, apparent*, & corpus imperfectum colore fermenti firmo mediante fermento coloratur, vt dicit *Barſen*. Hæc *in ſemita*, quæ poſtea ſubiicit, ad materiam pertinent magiſterii, de qua in ſequentibus.

Rex.

Arſenicum myſticum.

NOTÆ.

1. Principaliter ſermo eſt *de progreſſu naturali* in fermentatione, ſi artifex ignem benè regat. *Corpus* per ſe album eſt & clarum: *fermentum* argenteum in albo, aureum in rubro. *Spiritus* aquæ mercurialis claritatem obtinet. Inde fit offa, quæ cum coquitur, ſoluitur, & nigredine, quam *caput corui*, & *Eclipſin Solis* vocant, obducitur: Inde ſequitur tranſitus in ſequeores colores, quorum magna eſt varietas, antequam albedo procedat. Hinc *iris*, & *cauda pauonis* appellatur, quæ cum prætetiit, *albedo* eluceſcit, quam ſequitur *rubedo* in aurifico. Iidem colores etiam ante fermentationem in elixyre rubeo inueniuntur, item poſt eam in ſequentibus augmentationibus, & multiplicationibus. In albo lapide ad rubedinem non fit progreſſus.

2. *Pluries*, &c. Intellige maxime de aurifico. Neque enim in vna operatione tantum id fit, ſed quoties repetitur, id, quod minimum bis, aut ter euenit.

3. *Lapis compoſitus*, &c. Duæ naturæ illæ ſunt *ſulphur* & *mercurius*, vel *aqua liquida*, & *corpus coagulatum*. Mercurio ſoluitur corpus. Soluitur & fermentum. Solutiones coniunguntur. Coctio efficit, vt intimè vniantur, fiantque vnum homogeneum. *Duo* erant: Sed *vnius radicis, & mercurialis ſubſtantia.* Ideo commiſta calore excitante vim igneam intus concluſam, in vnum coeunt, ſicut nix & aqua.

4. Ace-

4. *Acetum acerrimum est humiditas nostri lapidis*, id est, metcurius nostet soluendi vi ptæditus. Nullum acetum alind potest id, quod metcurialis nostet liquot. Autum enim licet cottodi possit a quis regis, tamen non solitur intime. *Aqua* quoque *mercurialu* extra magisterium, potest quidem aurum conuettere in argenrum viuum currens; sed *non in aquam nostram, qua est materia prima*, & Ens ptimum auri. Ideo non immerito acetrimum acetum dicitut, symbolice seu trópice intelligendo terminum ACETVM, quem aqua nostra seu mercurius in principio non habebat, sed *tunc accipit, cum ad soluendum corpus & fermentum adhibetur.* In principio est mâteria, & vocarur *argentum viuum, mercurius*, &c. Cum imbibitur lapis, *lac virginis, pluuia*, &c. appellatut; sed cum foluere debet, soluentium nomina consequitur:

Acetum nostrum.

5. *Vitrum* Hermetica signatura claudendum esse, postquam imbibitio & matrimonium est factum, & omnia spiracula obsttuenda, accuratè monent artifices. Dum etiam mâreria coquitur in illo vitro, ignis tam moderatus esse debet, vt solutio lenissime, blandissimeque fiar, omnisq; repentina, & magna exhalatio caueatut. Nam spiritus magno calore conferrim excitati, frangunt vitrum, & omnia excutiunt. Periculosum est *prunas* supponere Ergastetio. *Per tuniculos vero vaporosum calorem, vt in Acedia, administrare, tutissimum*, quanquam aliquí etiam cõmendent lampadas, & candelas.

6. *Siccitas accedens aufert sibi suum regimen*: hoc est: Quando aqua nostra soluit corpus & fetmentum omniaque conuersa sunt in humorem, in quo calor modicus nigredinem procurat, paulatim exsiccatur offa, & nigtedo abscedit: quo facto calor est nonnihil augendus, donec albedo perfecta prodeat, quæ etiã ignem maiorem patitur, vsq; dum citrinus color conspiciatur. Tunc magno igni ad rubedinem perducitur: Et sic siccitas suum regimen, differens à regimine humiditatis postulat.

7. *Fumus penetrabit suum corpus* ⊙. Ignis suppositi calote fit resolutio in halitus moderatus, qui reflexi super corpus in fundo id penertant, & attenuant, quod cum fiat innumerabilibus reuersionibus, necesse est corpus totum solui; sed nihilominus etiam interim fit coagulatio. Quo modo enim alias posset halitus totus in angusto vitro contineri? Ideo dicitur *spiritus stringitur in sicco*, seu coagulat, transitque in puluerem siccum.

Fumus albus super corpus reflexus.

8. *Tunc candida si rubeo*, &c. hoc est, in opere rubeo mulier candida, seu mercurlus, nupta rubeo marito, seu fermento tubeo sustinet motum & agitationem ctebram tanquam mariti congtessum; diciturque ex coitu illo frequente concepisse. Frequens illa reflexio halirus super corpus in fundo appellatut *amplexatio*, & *basiatio*. Hæc cum cessat, & fumi non amplius scandunt, *conceptus* vocatur. *Spiritus* est maritus; *mulier* est in fundo iacens materia, quæ ex nigredine fit candida. Et quia *spiritus tingit*. (Est enim ex aureo fermento anima) ideo vocatur *rubeus maritus*, qui etiam tandem in euidentem rubedinem mutat torum. Est & *Gabricus*, sicut matetia illa passiua *Beja*. Vtriusque congressus *coniugium* nuncupatut: Et cum quies est in vitro; TVNC demum *conceptus* dicitur. Notabilis est vox *TVNC*, ne putes matrimonium statim incipere, quando magister coniunxit materias in vitto, cum artificis compositio tantum sit occasio ad coniugium & via. Nisi in vitro clauso coërcerentur, & calore externo agitarentur, nunquam nec conceptus, nec coniugium existeret, sed aut ignaua esset mistura, aut alterum ab altero auffugeret. Mattrimonium ergo procuratur artificis contempetatione, inclusioneque Hermetica: deinde caloris extetni ptouocatione. *Fumus resolutus coire cum materia cogitur*, quia non potest effugere, sed petuagatur vittum, rèciprocoque motu sæpissimè reflectitur, donec coagulet, & maneat quasi constrictus amore fœminæ.

Candida mulier est alba materia ex nigredine progressa: Rubeus maritus est spiritus tincturam auri vehens & in rubeum mutans materiam. Quando coniugium, & conceptus fiat.

9. *Tunc rex Diademate*, &c. Post albedinem emergens tubedo dicitur Rex cotonatus, sicut & alias aurum Sol, cui regia vis & dominatio in cœlo tribuitur. Antè rex non dicebatur; sed potius corpus regis, quod in suo balneo seu lecto curatur, vt restituatur tam sanitati, & vitæ, quam regno, quod habet in metalla, seu planetas cæteros. Is ex nigredine factus est albus, hincque tubeus. Ideo vocat se *filium nigri & albi*: non quod nigredo & albedo efficiendi vim habeant, sed quod talis facta sit successio colorum. Totum autem hoc procurat coctio, quam ne eiusdem gradus semper esse putes, additur distinctio caloris seu ignis, qui in stufa illa sicca vsurpatur.

Rex diadematus.

10. *In dissolutione leuis.*) Blandus calor, & quidem primi gradus ea moderatione debet adhiberi, vt suauis sit, & lenis, idq; requiritur ratione dissolutionis & putrefactionis. Inirio dominatur humiditas & frigiditas respectu sequenrium dicta. Ideo & *plumbum*, & *magnesia*, &c. tunc dicitur. Attende ergo, vt tuus calor non transcendat moderatum fimi, vel balnei ita, vt eum teneti hominis manus tenella bene possit ferre, & tamen tua materia non congeler, sed dissoluatur, pergendum sic est longo tempore, donec prodeat siccitas & solutum coagulare incipiat. Tunc calor nonnihil augetur, & tamen adhuc intra temperiem esse debet, vt sensim magis, magisque figatur. Intetim etiam albescit. Tunc continuari debet gradus idem, procedendumq; paulatim ad secundum, qui dicitur *calor cineris*. Quo magis albescit, eo magis figitur. Quare in fine albedinis calotis gradus secundas debet esse complexus. Ab hoc progressus est in gradum tertium itidem pedetentim, donec citrinus color emergat, vbi tertius est consummatus: à quo procedit sensim quartus, donec lapis totus sit fixus autea fixitate, & fortem ignem roleret.

11. *In sublimatione mediocris.*) Intelligo progressionem ex nigro in album, quá sempet fit nobilior. Alias sublimatio ex albo perfecto in rubeum non mediocrem, sed validiorem calorem postulat. Qui nescit ignem sic regere, opus destruit. Monet autem de hoc etiã Bernhardus & alii diligenrer.

12. *Res, cuius caput est rubeum*, &c.) Caput in fundo ponitut: Inde pedes in altum eleuanrur, sicut & draco in vitro pingitur. Quæ ergo materia sic elaborati potest, vt vltimo rubescat, in quo est caput, & cardo rei; pedes autem habeat albos, seu ante rubedinem sit alba; oculos vero nigtos, seu ante albedinem nigto colore prospiciat, quasi si intuearis primum in facie obserues oculos nigros, inde pedes albos, randemque caput sanguineum, ea est nostri magisterii, si cætera sint paria.

Caput fixum rubeum.

13. Si

13. *Si triangulus in quadrangulo perficiatur.*) Intelligo, si post tres operationes addas quartam, quæ est augmentatio lapidis per nouam imbibitionem, tunc perfectam esse tincturam. Alii de 4. elementis & tribus partibus compositi accipient, quasi cum omnia 4 elementa processerint in tribus, (corpore, anima, spiritu) fit absolutio.

Operatio septima.

Script.

Multiplicatur, & perficitur lapis benedictus, quando summa non fixa fixatur cum eo, quousque fluat.

Hoc est septimum verbum huius operis, de quo dicunt philosophi, videlicet: Iam fixum lapidem cum modo sublimationis volatilem facias, philosophice coniungendo per minima, vt eleuetur totum subtile in vase: deinde fixetur. Hoc si non eueniat, addatur ei non fixæ partis quantitas, vt pars volatilis superet summam fixæ, quo vsque ad eleuationem ipsius sufficiat. Nam si vincit summa fixi, figitur volatica cum illa: Si non vincit, sed superatur, fit volatilis. Cum eo igitur, quod eleuatum fuerit, reiteretur summa fixi: Veruntamen post vicem, quousque per hanc sublimationem rei, & reiterationem figatur totum. Cum autem fixum fuerit totum, etiam non fixi partem reitera. Quantitatem post quantitatem combibe per ingenium tibi notum, quousque eleuetur totum. Ad vltimum iterato figatur, quousque fusionem præstet facilem ad modum ceræ, & alteretur in complemento Solifico & Lunifico certo Quoniam ex reiteratione totius præparationis gradus in medicinam, resultat alterationis bonitas, & multiplicatio, vt vnumquodque imperfectorum corporum, & ipsum mercurium conuertat in infinitum Lunificum, & Solificum verum. Ideo concludendo dicunt Philosophi: Morare prope vas, & intuere mira, quando transmutat se de colore in colorem minus quam in hora diei; quousque veniat ad metam albedinis vel ruboris. Tota ergo gubernatio in regimine huius operis non est, nisi in temperamento ignis. Inde cesset ignis, & dimitte infrigidari, & inuenies corpus margaritale in colore papaueris syluestris: Et ita res est incerans, liquefaciens, & penetrans. Et cadit vnum pondus super mille: Et per vicies millia, & ducenties vicies mille: Et vice reiterata super millies millia, & ducenties millies millia cuiusvis corporis, conuertens totum in optimum aurum, vel argentum secundum elixyris proprietatem. Et ista medicina citissime liquefiet in igni, & coagulabitur in aere quasi fumus cum senserit aerem: penetrabit in corpus, & spiritus constringetur in siccum, & fiet corpus vnum fixum clarum, album, vel rubeum, secundum quod fuerit medicina, & fermentum, quandiu mundus fuerit, incorruptibile.

Impress.

Septima præparatio: Multiplicatur, & perficitur lapis benedictus, quando summa fixi fixatur cum eo, quousque fluat: Et ideo philosophi dixerunt, quod iam fixum lapidem cum modo sublimationis volatilem facias philosophice coniungendo per minima, vt eleuetur totum subtile in vasis, deinde fixetur quod si non eueniat, addatur ei non fixa partis quantitas, vt summa volatilis superet summam fixi, quousque ad eleuationem eius sufficiat. Nam si vincit summam fixi, volabit: Et si non vincit, fugiet cum re. Igitur quod eleuatum fuerit, reiteretur illius summa tum per vicem, quosque per hanc sublimationem, & congelationem figatur totum. Cum autem fixum fuerit totum, tunc non fixi partem reitera, & quantam prius quantitatem imbibe per ingenium tibi notum, quousque eleuetur totum. Ad vltimum iterato figatur, quousque fusionem præstet facilem ad modum ceræ, & alteretur in complemento Solifico, & Lunifico. Ita quantum ex reiteratione ipsius præparaueris, tot gradus in medicinam resultant alterationis & bonitatis à multiplicatione, vt vnumquodque imperfectorum corporum & ipsum quoque mercurium conuertat in infinitum in Lunificum, & Solificum verum. Et ideo concludendo debent philosophi morari prope vas & intueri mira, quando se de colore transmutat in colorem meliorem, quam dici queat, quousque veniat ad metam albedinis & ruboris. Tota ergo gubernatio in regimine huius operis est in temperamento ignis. Inde cessa ignem, & dimitte infrigidari, & inuenies lapidem, corpus margaritale in colore papaueris syluestris, & ista res est incerans, liquefaciens, & penetrans: Et cadit vnum pondus super mille vicies mille millia, & ducentas vices mille, continuo conuertens totum corpus in optimum aurum vel argentum, secundum elixyris proprietatem. Ista autem medicina citissime liquefiet in igne, & congelabitur in aere, quia fumus cum senserit aerem, penetrabit in corpus, & spiritus constringetur in sicco, & fiet corpus vnum fixum clarum, album, vel rubeum, sicut fuerit medicina, & fermentum quam diu mundus steterit incorruptibile.

Augmentū simul, & fixatio iusta.

COLLATIO.

1. Ψευδόγραφον in Balbiani litera statim est in aphorismo: *Summa fixi*: Lege *non fixi*. Intelligis enim iam paratum esse lapidem, qui omnino est fixus & potest tingere. Vt augeatur, multipliceturque, donec iustam quantitatem habeas, argentum viuum volaticum ei est addendum extra ignem. Ita soluetur, fietque volatilis, & progressu artis figetur totum, sed ita vt maneat fusile, & in lamella ignita ceræ modo fluat.

2. *Nam si vincit*, &c. Melius scriptum: *Si vincit summa fixi, volatica figitur cum ea: Si fixum non vincit, sed à volatili superatur, fit volatile.* Si fixum non vincit, volaticus factus lapis per additionem mercurii volatilis succumbet totus poteritque auffugere. Sin superat fixitas, quanto id magis, tanto minus auffugiet. Nam retinebitur à vincente fixo. Oportet autem in hac arte alterutrum vincere, seu prædominari. Quod si litera retinenda est, interpretanda est; *si summa volatilis superat summam fixi, fixum volabit: Si summa volatica non superat fixi summam, sed hæc est superior, manet cum ipsa.*

3. *Igitur quod*, &c. Conclusio debet esse ex præcedente principio; quasi dicat, si summa volatica superans fixam, hanc quoque volatilem facit, & non superans sed superata cum ea figitur, consequens est, si quidem totum fixum esse volumus, vt particulatim, & non simul volatile iungatur fixo, atque ita sensim figatur tota quantitas. Hæc sententia vero quam obscura sit in litera Balbiani, ipsa loquitur.

4. *Cum autem fixum fuerit totum*,&c. Senſus eſt:totum fixum per imbibitionem aquæ debitam ita vt humiditas vincat ſiccitatem, iterum ſolui, & reddi volaticum. Id quoque Balbianus textus corrumpit. Legit ille *PRIVS* pro:*POST*:Item *quantam*,pro:*quantitatem*:vitioſe.

5. *Lunifico*,&c.Scriptum benè apponit CERTO.Finis enim eſt perfectio non dubia, aut apparens,ſed vera & cui certo confidere queas in omni iudicio.

6. *Ita quantum*, *&c* Senſus eſt facilis:verba perplexa. Quoties repetis ſolutionem & coagulationem,toties ad altiorem gradum bonitatis perducis medicinam.

7. *Debent Philoſophi morari*.Ita Balbianus:Sed rectius ſcriptum:*Philoſophi dicunt,morare prope vas.*

8. *Minus,quam in hora diei*:eſt in ſcripto.Balbianus legit;*meliorem,quam dici queat*;ſed perperam. D'alcia vult myſterium indicare.Cum iam ſæpe eſt aucta & multiplicata medicina,*mutatio colorum breui tempore abſoluitur, adeo vt ne tota quidem hora ſit inſumenda, quin per omnes colores medicina iam efficaciſſima decurrerit.*

9. *Quouſque veniat ad metam albedinis,vel ruboris*: Benè. Male Balbian.copulat; ET. Nam duæ metæ in vno lapide eſſe non poſſunt.

10. Magis emphaticum eſt ſcriptum: *Tota gubernatio non eſt,niſi in temperamento ignis*: quaſi dicas Tantum eſt in eo,&c.

11. *Inde ceſſa ignem*,malè eſt impreſſum;pro *ignis ceſſet*:poſt metam ſcilicet,ſeu perfectam albedinem aut rubedinem.

12. Tò *Lapidem* in impreſſo abundat.

13. *Iſta res eſt* incerans:Vel *ita res eſt*. Vtrumque probabile.Malim tamen *ITA*.Nam ſignificat modum prædictum,quo medicina conſequitur ſuas dignitates & virtutes.

14 In impreſſo pro *vices*,legendum eſt *vicies*. *Cadit vnum pondus ſuper mille, & ſuper vicies millia: Et ducenties vicies millia: Et vice reiterata, &c.* vt eſt in ſcripto. Vnde apparet deprauatio & ellipſis in Balbiano.

15. *Quia fumus*:Non rectè in impreſſo:Lege *Quaſi*,vt eſt in ſcripto.Eſt enim argumentum à ſimili,quo vult autor docere, qua ratione medicina in igni citiſſime liqueſcat & in aere coaguletur. Spiritualem comparat ſpirituali halitui.Sicut enim fumus ab igni reſolutus,cum in aere eſt receptus, ibi craſſeſcit, tranſitq; in aerem,cum prius eſſet ſpiritus,ſeu halitus igneus: ita & lapis noſter calore ignis rarefit & diſgregatur; ſed in aere denſatur.Per fumum intellige halitum,ſeu ſpiritum igneum.

16. *Penetrabit in corpus*; non *fumus*, vt male eſt impreſſum;ſed medicina ſuper liquatum metallum imperfectum proiecta.

17. *Spiritus conſtringetur in ſiccum*: hoc eſt, mercurius ſeu argentum viuum,ſi ſuper id proiecta fuerit medicina,condenſatur,& mutatur in ſiccum metallum,quod ante erat fluidum. Balbianus praue legit,vel ſcripſit: *In ſicco* quaſi ſenſus ſit, *ſpiritus in ſicco coagulato & fixo cogitur atque ita & ipſe figitur.*

18. *Roſinus* deficit. *Arnoldus in ſemita* materiam prodit,& ad Papam Benedictum 11.an.1303.ſic ſcribit: *O pie Pater, augeat Deus in te ſpiritum intellectus, vt quod dicturus ſum, mente perpendas. Elementa non generantur, niſi ex proprio ſpermate. Sperma autem eſt argentum viuum: Sicut patet in generatione hominis, quia non eſt alicuius rei commixtio, niſi per ſperma: Et in vegetabilibus, niſi ſemen, quantum ad generationem & augmentationem ipſorum. Alii ſubtilius intuentes ſublimant mercurium & figunt, & coniungunt cum corporibus: & tamen nihil inueniunt. Cauſſa erroris eſt: Nam ſemen non poteſt permutari, nec prout eſt, vel fuit; nec proficit, niſi proiiciatur in matricem mulieris. Sic Mechardus Philoſophus dicit: Niſi proiiciatur lapis in matricem mulieris, vt ipſum nutriat, non proficit. O mi Pater, ſic habes ad votum deſcriptionem lapidis philoſophorum. Laus Deo.* Explicat pontifici ſententiam ſuam de materia lapidis, reiectis illis, qui *argentum viuum ſublimant, ſublimatumque figunt, atq; ita ſpermaticam eius humiditatem debent, intercipiuntque motum naturalem & ordinarium ſeminis.* Verum ſperma eſt *humor ex argento viuo minerali elicitus, quod conſtat maſculina virtute in proprio ſulphure, & fœminea, in proprio humore mercuriali.* Hæ duæ partes in conſpectum prodeunt in fermentatione & imbibitione. *Fumus enim albus*, qui ex materia per calorem exit, *eſt mas*: Sed *liquor* in fundo ſubſiſtens eſt *fœmina*. Ille cum aſcendit ad circumferentiam, deſcendit rurſus & venit ſuper liquorem, eumque imprægnat multis cum ſuauiis. Liquor concipit ſemen maſculinum tanquam matrix mulieris, & cum foueatur continuo calore gignit puerum, lapidem ſcilicet noſtrum, qui mox mercurio potatur tanquam lacte virginis, & incrementum corpore, viribuſque capit.

Arnoldus de materia. *Sperma.* *Semen.* *Sublimatū fixum fruſtra corporibus iungitur.* *Sublimatū non eſt artis materia ex ſe.* *Sperma.* *Fumus albus mas.* *Fœmina.*

Paraphraſis præparationis Septimæ.

De multiplicatione lapidis iam perfecti agitur. Ea eſt huiuſmodi. Lapis iam fixus per myſticam ſublimationem eſt exaltandus, hoc eſt, operationibus ſolutionum & coagulationum repetitis corpore & virtute augendus. *Sume ergo eum, & in vaſe ſeu vitro ſuo perfunde argento viuo ita vt particulatim inſtilles, ſinaſque intrare, & totum penetrare, donec ſiccitas ſit occultata, & iam dominetur humiditas, inque manifeſto appareat: Et ſi nondum dominaretur, ſed ſiccitas praualeret, oportet te plus mercurii inſtillare, quantum ſufficiat ad volatilem reddendum, quod hic vocatur* ELEVATIO, *qua ſicca partes in humorem abſorpta ſoluuntur & natant. Solutione peracta pedetentim fige denuo. Potes autem partem poſt partem per vices immittere, & coagulare, atque ita ad placitum corpus augere: Sed vltimo totum figatur, procedentibus colorum ſignis ordine, vt ſupra eſt expoſitum, fiatque finis in albo perfecto, ſi lapis eſt albus: Sin rubeus, in perfecta rubedine.* Et hæc eſt vna operatio multiplicans. Inſtituatur & altera. *Cape ergo lapidem: Et in vitro poſitum ſenſim imbibe per partes, quouſque nihil amplius bibit, & iam humiditas exuperat ſiccitatem Hoc facto claude vitrum,*

De multiplicatione lege cap.19. Roſarii Arnoldi, vbi ſententias inuenis eaſdē.

& coque lento igni, donec colores procedant, fiatque ascensus & descensus, tandemque quies coeuntibus omnibus in vnam medicinam fixam, quæ debet habere fusionem facilem, & liquescere sine fumo vt cera. Si non liquescit super *lamina candente, plus imbibe, donec sit incerata. Quod si fumaret, humidior iusto est, debetque amplius* coqui. Ita habes complementum Solifici in ruben, Lunifici in albo lapide. *Quod si amplius multiplicare velis, denuo solue per argentum viuum per modum lentæ imbibitionis, & coagula. Quoties enim repetiueris solutionem & coagulationem, toties gradum virtutis auges cum corpore, adeo vt argentum viuum & imperfecta metalla possit in infinitum tingere.* Oportet autem te crebro inspicere tuum vitrum, *ne te fallant colorum signa.* Etenim *quando sæpe repetita est solutio & coagulatio, tam fortis fit tinctura, vt intra horæ spacium, aut citius nigrescat, albescat, & rubescat.* Vnde dicunt quidam, se posse lapidem triduo, vel vno die, vel tribus horis aut etiam vna facere. Est autem totum artificium in bono ignis regimine, ne in tam celeri progressu prius coagules, quam soluas, & prius rubifices, quam denigres, & dealbes. *Instillatur mercurius frigide.* Nam si calidè velles, transmutaretur, nec vlla sequeretur solutio. Cum vero totam massam humectauit & penetrauit, tunc suffice blandum calorem, & coque quam prudentissimè per gradus, de quibus iam sæpe est dictum. Postquam ergo ita ignem rexisti, vt medicina sit soluta, coloresq; suos prodiderit, & tandem coagulauerit; tunc sine frigescere, & vtere ea ad transmuranda metalla & argentum viuum. *Partem vero semper serua, vt eam possis augere, & multiplicare,* ne opus sit artificium ab initio repetere. Rubei lapidis corpus est nobilis *margarita*, colore rubente ad instar florum papaueris Rhœadis, quod syluestre vocant, quibus color est sanguineus, aut cinabaris surdæ, seu rubini gemmæ. Metalla dura emollit quasi incerando, liquefacit, & penetrat mutatque tota. Cum primum lapis est perfectus, pars eius vna *proicitur* super mille imperfectorum metallorum, & argenti viui. Si secunda vice est solutus & coagulatus, vim accepit super 10000: Tertiò super 100000; quarto super 1000000. & sic deinceps (quanquam nimia subtilitas non sit vtilis, & alliganda alias quoque proiectione super proprium corpus, aurum scilicet, vel argentum.) Cum sic exaltata est medicina, citissimè *in igne liquescit:* Sed *in aere rursus densatur.* Metalla fusa vel etiam ignifacta seu ignita, penetrat, & transmutat: argentum viuum coagulat, & addensat, vt fiat aurum vel argentum pro genere lapidis, atque ita corpus nobile, homogeneum totum, solidum, & fixum, quod durare potest vsque ad mundi finem, sicut & aurum ipsum. Alii proponunt *multiplicationem duplicem; vnam, per repetitiones solutionum, & coagulationum: alteram per proiectionem super argentum viuum,* vt ex eo fit medicina noua, quæ & ipsa proiecta super argentum viuum, dat tincturam. *Ingressus* caussa, addunt nonnulli proiectionem primam super aurum fusum in rubeo opere; vel super argentum in albo. Sunt, qui argento viuo ferrum apponendum suadeant, ne quid de eo pereat, vt in experimento Anshelmi. *Ad sanitatem* autem hominum non opus est tanta subtilitate; sed sufficit post fermentationem imbibisse. Qui *gemmas* velit rubras, statim facere potest mistura cum liquato crystallo. Si alium colorem quærit, Smalthi tincturæ sunt asciscendæ, sed ita elaboratæ, vt perspicuitas maneat. Vitra flexilia fieri traduntur, si in materiam liquatam immittatur puluis. Quæ vero proiectionis sit ratio, alibi exponitur. Non omnia arcana reuelauit D'ascia.

Nota perfecta medicina.

Multiplex non duplex.

Epilogus Iohannis D'ascia.

M.S. *Iuro vobis per illum, qui est Alpha, & Omega, principium, & finis, Deus trinus & vnus, quod TOTA lex, prophetica artis pendet in prædictis septem propositionibus, siue præparationibus, hoc supposito, quod argentum viuum, plumbum, minium, & æs non sint vulgi, sed sulphur nostrum est sulphur diuinum Philosophorum à duobus sulphuribus abstractum, quod dicitur SVLPHVR DE SVLPHVRE: Argentum viuum de argento viuo, à Philosophis acetum acerrimum appellatum: Et ipsa duo, scilicet sulphur & argentum viuum realiter, & essentialiter sunt in prædicto aceto, id est, in prædicta humiditate lapidis nostri, quæ est vna natura ipsius lapidis. Aurum, & argentum, plumbum, minium, & æs & huiusmodi, essentialiter & realiter continentur & sunt in corpore Philosophico vulgari, & proprium nomen in prædictis septem operationibus DVPLICATVM reperies, & ideo qui habet aures audiendi, audiat, & qui habet oculos, videat lapidem in septem præparationibus notum, & laudet Deum.*

Finis Rosarii abbreuiati.

Impressum. *Pro conclusione nota, quod argentum viuum plumbum, æs, minium, sulphur, non sunt vulgi: Sed sulphur nostrum est sulphur diuinum à duobus sulphuribus extractum, quod dicitur sulphur de sulphure, & argentum viuum de argento viuo, à Philosophis appellatum acetum acerrimum: & ipsa duo, scilicet sulphur, & argentum viuum, realiter, & essentialiter sunt in prædicto aceto, id est, in prædicta humiditate lapidis nostri est vna natura ipsius lapidis. Aurum vero, & argentum, plumbum, minium, & æs, & huiusmodi essentialiter, & realiter continentur & sunt in corpore physico vulgari, & proprium eius nomen in prædictis septem propositionibus duplicatis reperies. Ideo qui habet aures audiendi, audiat, & qui habet oculos, videat lapidem in septem propositionibus notum, & laudet Deum.*

Explicit Rosarium abbreuiatum Ignoti.

COLLATIO.

1. Balbianus attestationem deleuit. Neque enim opus est hic iurare, cum propositiones sint scientificæ. 2. Iudicauit etiam abundare *PHILOSOPHORVM*, cum de sulphure nostro loquitur autor. Quid enim est nostrum aliud, quam philosophorum, quorum nomine ars proponitur? 3. *Aurum, argentum, &c. sunt in corpore Physico:* melius, quam *in philosophico.* 4. *Duplicatum* rectè: non rectè, *duplicatis.*

Decla-

Declaratio.

1. Vt semita semitæ *circa finem* explicare materiam studebat, ita Dalcia *in fine Rosarii abbreuiati. Materiæ nomina sunt argentum viuum, plumbum, minium, æs, sulphur.* Horum duplex est sensus; vnus popularis, de quo dicitur, quod ista realiter & essentialiter contineantur, & sint in corpore naturali vulgari, hoc est, si accipis nomina, vti sunt in vulgari vsu, tunc nihil aliud significant, quã argentum viuum ex minerali vena extractum, in qua & continetur. Ita sulphur habet suum metallum, plumbumque & æs: Imo fieri potest, vt in vno metallo, vel marcasitha, vt stibii, sint simul aurum, argentum, æs, plumbum, argentum viuum, & sulphur. *Minium* ex plumbo olim factum est casu per incendia: Postea artis opus euasit. De hoc sensu populari callidè loquuntur artifices, negantes, sua metalla esse vulgaria, quæ pro mortuis habent: at interim non negant, aurum, argentum, & mercurium mineralem esse materias naturæ, ex quibus sua viua extrahunt, & quidem argentum viuum est prima artis cura. Per huius essentiam quasi viuam etiam aurum, & argentum philosophorum fiunt viua, ita vt cum *aurum suum* appellant, tunc sensu vtantur secundo, qui est mysticus, idemque fit, cum suum argentum, suum mercurium, & sulphur, vocant. Et hic sensus denotatur statim post attestationem; *Argentum viuum, aurum,* &c. *non sunt vulgi, sed continentur & sunt essentialiter & realiter in aceto nostro acerrimo,* seu humiditate lapidis nostri, id est, aqua & mercurio sapientum, in quo sunt vna, eademque natura. *Idem* enim, quod dicitur *acetum,* etiam *est aqua, & mercurius,* in quo suum *inuisibile sulphur* continetur. *Aurum* autem *& argentum non sunt simul in vno,* quia ad diuersos lapides pertinent. Quando vero in fermentatione soluuntur mercurio nostro, tunc *viua & essentialia fiunt,* & cum eo *fiunt vna eademque natura & semen,* seu *prima materia & aqua hylealis, nec possunt separari,* vti nec butyrum densatum, cum in butyrum liquatum est iniectum & dissolutum.

2. *Sulphur nostrum est diuinum:* hoc est, est metallicum, & mercuriale intus in complexu mercurii contentum, viuum, virtuosum, cœlesti potestate ita præditum, vt diuino beneficio datum & manifestatum hominibus dicendum sit, & operetur etiam mirabilia, quæ non nisi diuinæ caussæ possis ascribere.

3. *A duobus sulphuribus extractum, sulphur de sulphure.* Quando in fermentatione *aqua mercuriali soluitur aurum vel argentum; soluitur etiam elixyr. In vtroque est sulphur suum,* nempe in fermento & elixyre. Id extrahitur per mercurium, & cum eo transit in eandem naturam, quæ dicuntur *Lapis noster, tinctura, medicina,* &c. Ideo cum audis appellari *sulphur de duobus sulphuribus,* lapidem, seu medicinam transmutantem metalla & argentum viuum intellige. Alias *sulphur inuisibile* est in aqua nostra vnctuosa, quæ id ex vitriolo assumsit, potestque etiam arte separari: Deinde *sulphur* dicitur *album & rubeum* pro Luna nostra & sole, hoc est, pro corpore coagulato ex mercurio in secunda operatione. Tertio etiam auri tinctura, & essentia argenti sic vocatur. Quarto lapis communis ex metallo perfecto & mercurio duplici, viuo & coagulato, vti dictum est, idem habet nomen.

Sulphura mystica.

4. *Argentum viuum de argento viuo.* Animaduerte mysterium. Eadem res sulphur de sulphure, & argentum viuum de argento viuo dicitur, tantumque dispositiones sunt diuersæ. Qua enim calida & sicca est, sulphur est, & sperma masculinum: Qua humida & calida; est *argentum viuum nostrum,* quod non est frigidum, vt vulgare, sed *temperamentum habet spermatis fœminei.* Vocatur autem argentum viuum de argento viuo, *quia est extractum ex argento viuo minerali, & deinde elaboratum* & coctum, donec coagulauit. Hoc vicissim soluitur mercurio. Solutum appellare possis *argentum viuum de duobus argentis viuis.* Sed accessione fermenti proprietatem accipit, vt iam sit solare, vel lunare: cumque ex omnibus fiat lapis communis, *medicina quoque nuncupatur argentum viuum de argento viuo.*

Argentum viuum de argento viuo.

5. *Acetum acerrimum.* De hoc *supra* dictum est, quod eadem aqua, idemque mercurius hoc nomen accipiat tunc, cum soluit corpus mercurii concreti, & fermentum, ex quo *animam* extrahit, & *sperma masculinum* actuat, deducitque *in speciem metalli determinati.* In hoc aceto sulphur & argentum viuum sunt re ipsa & per essentiam. Cur enim non? Nam re vera sunt eadem substantia, tantumque differunt vocabulorum sono, propter dispositiones, & considerationes diuersas.

Acetum acerrimum.

6. *In humiditate lapidis:* hoc est, mercurio, qui factus est per mercurium ex lapide nostro, qui est vel coagulatum elixyr, vel fermentatum, vel medicina: quæ soluuntur, & ex sicco fiunt humida vi argenti viui.

7. *Proprium nomen reperies in septem propositionibus duplicatum.* Nihil aliud est, quam mercurius duplatus Bernhardi. Ita Constans in Turba: *Non sunt, nisi duo argenta viua in arte, de cambar, & de masculo. Illud fit ex minerali argento viuo; hoc extrahitur ex corporibus. Quidam crudo & coagulato: hyleali & perfectorum corporum: masculino & fœmineo, &c. discernunt.* Qui exercitationes in Turbam scripsit, ait; *aqua philosophica ex duabus rebus composita est, ex ære scilicet nostro, & aqua simplici,* id est, *mercurio simplici nostro, & deinde ex ære, seu elixyre concreto; quod postea accessione fermenti determinatur. Aes* dicitur sulphur incombustile seu elixyr album completum, sed nondum fermentatum: Et deinde etiam rubeum (quod dicitur minium, vel rubeum plumbum & Sol, &c. sicut niger lapis magnesia, Saturnus, plumbum nigrum, &c.) cum distinctione albi, & rubei. Alias *æs* etiam materialiter significat. *In aurora consurgente cap.* 13. habes *triplex argentum viuum:* Primum est *ignis,* qui corpus comburit: *Secundum est in fermentatione,* in qua per putrefactionem extrahitur anima, estque spiritus, seu aqua permanens: *Tertium est quinta essentia.* Additur & *quartum,* quod est ex prioribus, nempe *lapis coagulatus albus,* qui igne accedente fit rubeus. Cum *ignem* dicit, intelligit *spiritum mercurialem,* qui soluit aurum & corpus elixyris in mercurium, & nigredinem quasi per effectum combustionis inducit. In secundo significatu iam non est simplex *mercurius,* sed *animatus,* licet idem secundum substantiam.

Nomen proprium materia nostra. Duplatus mercurius: Primum fit ex aqua mercuriali elixyr. Hoc soluitur eadem aqua. Ita sunt duo mercurii eiusdẽ radicis & natura.

In tertio est *quinta essentia ex argento vivo minerali* per sublimationē à sale & vitriolo extracta. Quarta significatio est plana. In *Rosario quatuor mercurii habentur, crudus, sublimatus, magnesia,* (Lunæ plenæ. Ita enim declaratur, & significat album elixyr ante fermentationem) & *unctuosus,* &c. Georgius Riplæus in prooemio *tres* ponit *mercurios,* tanquam *claves* scientiæ: *duos superficiales: unum essentialem* Solis & Lunæ: De his in sequentibus.

8. Si quæras, *ubi est illud proprium nomen duplicatum* in propositionibus, respondeo, quod occurrat tibi attendenti sæpe. Quam enim sæpe audis de solutionibus? Ibi necesse est, esse *aquam solventem, quæ est eiusdem naturæ cum solvendo, & ex radice eadem.* Habes ergo *primum mercurium humidum,* qui est liquor fluens seu aqua clara: Deinde *mercurium concretum*, qui ex illo est factus, & eodem etiam soluitur. Lege *Rosarium* Arnoldi *cap.3.* ex Auicenna dicente: *Primum facere incipere est, quod sublimetur mercurius: Postea solue eum, vt redeat in primam materiam suam, & sublima totum. Tunc in hoc mercurio mundo mitte corpora æquali lance librata, &c.* Item: Ex supradictis patet quod *aqua, aer, oleum, idem* sunt: id est Spiritus mercurii mineralis. Hîc audis *nomen proprium materiæ nostræ.* Item: *Prima materia est argentum viuum, ex quo corpora perfecta facta sunt ab initio absque extranearum naturarum permistione: quia nihil eis conuenit, nisi quod propinquum est, cum sit medicina simplicis ac virtualis naturæ ex aqua mercuriali producta, in qua aurum & argentum prius sunt soluta.* Lauda ergo Deum tum propter creationem tam efficacis materiæ, tum ob reuelationem scientiamque diuinitus tibi donatam, & operare prudenter, cumque ad finem perueneris, bene colloca ad gloriam diuini nominis, ecclesiæ vtilitatem, & proximi indigentis sustentationem.

Proprium nomen materiæ.

Finis monadis quintæ: Deo gloria per IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum.*

D. O. M. A.

HEPTADIS HERMETICÆ MONAS SEXTA,

ANALYSIS DVODECIM PORTARVM Georgii Riplæi Angli, Canonici Regularis Bridlintonensis.

Proœmium.

Decimus & septimus iam, anno sc. Christi 1612. agitur annus, ex quo Bernardus G. Penotus à Portu S. Mariæ Aquitanus, Dialogum Egidii de vadis publicum fecit, eique adiunxit cum alios de arte aurifica & metallis tractatus tum Epitomen 12. portarum Georgii Riplæi Angli, titulo *axiomatum Philosophicorum.* Cum autem Nicolaus Barnaudus animaduerteret, nonnulla in integro autoris volumine esse, quæ auidus doctrinæ perspicuæ discipulus posset desiderare, anno 1599. totum, vti primum conscriptum apud se inuenit, cum auctario libelli de mercurio & lapide philosophorum eidem Riplæo ascripto, typis mandauit, atque ita publici iuris fecit illum librum, de quo rectè ad Martinum Rulandum medicum imperatorium aliquando *Ioachimus Tanckius* Academiæ Lipsensis professor scripsit, *Nihil esse, nec vidisse in ea arte absolutius:* quod cum quidam alius, de cuius nomine non constat, verum iudicaret, *in linguam patriam Germanorum opus transtulit,* & magno cuidam Principi tanquam suum obtulit, in qua translatione deprehendi alicubi dissensum ab impresso Barnaudi, vt veri simile sit, si interpres nihil de suo adiecit, diuersæ lectionis scripturam habuisse, id quod nemo mirari debet, qui scit monachos abbreuiando multa ambigua teddere & obscurare: notarios autem legendo, describendoq; falli, ne quid dicamus *de scholis istis, qui cum putent falsum scriptum, deleto sua phantasmata substituunt,* atque ita aliis rursum correctoribus negotium facessunt, vt randem, si autor deberet recognoscere suum libellum, verisimile sit, non agniturum. Veruntamen hic noster Riplæus satis integer prodiit, cumque videatur inter optimos, qui de chrysopœa scripserunt, & typis opera sua mandauerunt, aut mandari non potuerunt prohibere, primus, aut non procul à primis esse, quo melius & syncerius à studiosis intelligi posset, ansam, occasionemque præbere volui ANALYSI quadam proposita: in qua præstiterim aliquid, an nihil, peritorum esto iudicium. Hoc saltem profiteri non dubito me voluisse inseruire proximo etiam per hoc talentum, in quo sciunt omnes sapientes res magni momenti esse, nec parum adiuturum studia inuestigatorum naturæ, & magnalium Dei, eum qui facem præferre, & obscuritates magistrorum illustrare possit. Protestor autem, me neque de autoris scripto quicquam detractum velle, neque de *Penoti* & *Barnaudi* consiliis, & opera.

Sed

Sed nec hoc mihi tribuo, *quod omnes sensus Riplæi in explorato habeam*, aut sim assecutus. Neque enim ignoro, quam variè soleant Hermetici vti phrasibus & terminis suis, & quam sedulo omnem occultandi modum arripiant, adeo vt *ne artifex quidem semper possit quid sibi voluerit, alius eiusdem artis peritus, diuinare.* Spero tamen me diuina gratia effecturum, vt studiosus fateatur, ex meis cogitationibus se nonnihil profecisse: Sciendum autem in primis est, *Riplæum* digessisse libellum suum in *prologum, tractatum, & epilogum*; & tractatum diuisisse *in capita 12.* quæ *portas*, seu *ianuas* arcis Hermeticæ appellauit: In prologo vero tum pias ad Deum preces posuisse, tum non pauca de arte ipsa, potissimumque de materia, in qua nihil se celaturum profitetur vt non tantum alliceret studiosos scientiæ præstantia, facilitate & iucunditate, promissaque vtilitate certa ad metalla transmutanda, & sanitatem conseruandam, reparandamque: verum etiam præpararet, ne illotis manibus & omnium tudes accederent, quanquam etiam hoc videtur intendisse, vt *quisque vim ingenii in vestibulo exploraret*, & si tantam in se inueniret, vt cum vtilitate progredi posset, inuocato Dei auxilio procederet: Sin minus, maturè abscederet. *Ineptus enim & natura imperitus nihil hinc reportare potest amplius, quam pœnitere, & preciosi temporis iacturam.* Epilogus magisterium totum in epitomen, paruamque summam contractum exhibet: Sed si ordinem operationum, & naturæ progressum ignoraueris, neque tractatus neque epitome aliquid emolumenti tibi afferent. Iuberis *calcinare, dissoluere, separare* elementa, *matrimonium facere, putredinem procurare, congelare, cibare, sublimare, fermentare, exaltare, multiplicare & proiicere.* Est in his aliquis ordo, sed non exquisitus; cumque non vna sit solutio, coagulatio, cibatio & cætera opera, quando quoties & quo ordine recurrant, sciendum est, vt Riplæi sententias possis accommodare. Quare vt imperitis via pateat, methodum sequentem sibi faciant familiarem.

Dispositio methodica, ad quam referenda sunt, quæ Riplæus proponit in 12. portis, & lib. de mercurio & lap. philosophorum.

Vt cæteræ artes, quæ circa materiam sensibilem occupantur, eam ex natura sumunt, ita & chymia lapidis philosophici. Vt etiam in cæteris primas tenet subiecti notitia: Sic in hac quoque. Ideo prima quæstio est *de materia naturali* lapidis, quæ suã dispositionem internaque agendi, & patiendi principia in natura per creationem Dei acceperit. Nam *ex determinato fit determinatum, non quodlibet ex quolibet*, licet de imaginaria physicorum materia multi multa declament. Materiam cum in natura inuenimus, elaborare arte oportet. *Neque enim per se ita apta est, vt sine præparatione studiosa conducat.* Erit ergo primus labor, *apparatus materialis* seu præparatio. Præparatam materiam ducimus *per rotam elementorum*, vbi ex terra fit aqua, ex aqua aer, ex aere ignis, qui in terram vicissim reducitur, vnde iterum aqua, aer ignis, &c. idque fit in opere ad rubeum. Sic elixyr parauimus, duplici operatione seu rota: conuersione elementorum prima, & reuersione per modum imbibitionis: seu, vt loquitur Riplæus, separatione elementali. Sequitur *fermentatio corporalis*, in qua simul fit *matrimonium, & coniunctio* maris fœminæque, mediante spiritu. Hic *osculatio, impregnatio, conceptusque* euenit, vnde porro nascitur *Lapis*, quem *infantem* appellant. Is vt conseruetur in vita, & crescat, *nutriendus est*: quæ res dicitur *nutritio* seu *cibatio*, & interdum etiam *augmentatio, & imbibitio.* Est & *fermentatio spiritualis*, qua crescit pondus, & virtus: Item *sublimatio* quædam, vel *exaltatio*, quanquam alii aliter vtantur his nominibus, & eam, quæ post nutritionem est, operationem appellent exaltationem. Non desunt, qui *fixionem* vocent. Post exaltationem *multiplicatio* introducitur, cuius subiectum est medicina iam corporaliter fermentata, nutrita, & sublimata. Fit per fermentationem duplicem, corporalem, & spiritualem. Ab hac est *proiectio duplex*, vna effectiua & simul multiplicatiua medicinæ; altera metallifica. Et hæc in metallico opere: quo referunt & *gemmarum conflaturam, vitri malleabilis* confectionem & alia nonnulla. Ad sanitatem vero humanam, alii *oleum* parant ex lapide, quod vinum, aut eius quintam essentiam tingit: alii *puluere* sunt contenti. Sic ergo ordinantur operationes. 1. Conuersio elementorum, quæ separatio dicitur. 2. Fermentatio corporalis quæ & coniunctio. 3. Nutritio. 4. Exaltatio seu sublimatio. 5. Multiplicatio. 6. Proiectio ingressiua. 7. Proiectio metallifica. Interim *communia multis* sunt *solutio, coagulatio; calcinatio, putrefactio*, quæ coincidit cum *dissolutione: coctio*: aliqua etiam *sublimatio.* Seruit *ignis regimen* pro calore cuique operi administrando per suos gradus: Item *vitrum vniforme, athannor*, &c. Habes in hoc ordine *tres lapides*; *mineralem*, qui est prima materia nostra: *vegetabilem*, qui est materia imbibitionis: Et *animalem*, qui cibus dicitur, & in albo opere *lac virginis*; in rubro *sanguis rubei draconis*, aut Leonis, aut viti, &c. licet & hæc nomina permutentur. *Tria menstrua* vocat Riplæus: *duo superficialia* seu elementalia, quorum vnum est *imbibitionis prima*, cum ex terra fit aqua, ex hac aer per congelationem albificatinam: *alterum* est solutionis in matrimonio, vbi perfecta metalla soluenda sunt, & elixyr seu album, seu rubeum. *Tertium menstruum* cœleste dicitur, & misticè denotat *ventum in vitro*, qui animam ex corpore extrahit, eleuat ad superficiem vitri, indeque in materiam, quæ fœminæ & corpori mortuo comparatur, rursus deducit.

Est tamen & lac virginis, vel sanguis rubei Draconis, de quibus omnibus plura cognosces *in sequentibus.*

Sylloge sententiarum de materia lapidis.

Media mineralia non esse de materia lapidis.

Communis hypothesis est, matetiam nostram esse *corpus naturale*, non simplex, qualia elementa per se memorantur, sed *mixtum*: non vegetabile, nec animale, nisi quando parabolicè, seu symbolicè eius dispositiones quædam sic describuntur, & nominantur: Sed minerale. *Ne immisceas te salibus*, inquit Riplæus, *sulphuri, & mediis mineralibus. Sulphur nostrum; & mercurius sunt in metallis* TANTVM: quo dicto materiæ nomen expressit, vt & in hoc: *Prima materia nostra neque aurum, neque argentum commune est, neque ex corrosiuis aut similibus extraneis: Sed nec mercurius vulgaris est; vocatur argentum viuum, estque mercurius verus, sine quo nullum existens esse potest. Inuenitur in corporibus naturalibus; sed in aliis propinquius.* Quid multis? *Est in mercurio, quicquid quærunt sapientes. Est res vna, qua & redit in vnam; præter quam nec est, nec erit aliud.* Partes tamen habet, & diuersas dispositiones. Hinc materia illa modo, vt singularis & simplex est, consideratur, modo vt composita, cuius partes compositionis sunt *mercurius, sulphur: Spiritus, anima, corpus: Mas, fœmina: Ventus, Sol, Luna, aurum, argentum, hydrargyrus*, corpora imperfecta, perfecta, & similia, de quibus passim in processu operis fit mentio, vti & dispositionum variarum, vnde elementa aqua, terra, aer, ignis: oleum: vipera, buffo, venenum, & huiusmodi infinita, ex vno simplici omnia, quod est AQVA, quæ *materia prima* vocatur, non prima omnium absolute, sed *generis metallici*. Ea est ex quatuor elementis inter se proportione quadam commistis, & ex naturæ corporibus extrahitur LABORE, vt fit *argentum viuum de argento viuo, & sulphur de sulphure: Res vna, operatio vna, vas vnum: Multiplex* autem *fit diuersis rationibus*; vnde & principia materialia (argentum viuum) & formalia. (Sulphura & tincturæ corporum perfectorum, quibus ex communitate metallica ad speciem reducitur) Materia seu *aqua prima*; & *secunda*. *Prima* descriptiones sunt huiusmodi: *Materia sunt tres* (inquit in *lib. de merc.*) *& tamen vnum solummodo: seu tria menstrua, quorum duo sunt superficialia, pertinentque ad statum elementalem, qui est imperfectorum corporum.* (Duo enim corpora sunt in magisterio, imperfecta, & perfecta) quæ nascuntur ex *aqua nostra prima, & argento viuo suo tempore. Aqua nostra generat lapidem tam album, quam rubeum*, (inquit) ex quo patet materiam esse communem: sed quæ distinguatur postea duobus formalibus, vt fiant ex ea lapides duo, albus ex argento Lunificus, & rubeus ex auro Solificus, vtrisque substrata materia nostra prima, quæ est quatuor elementorum per naturam proportionatorum neutralis mercurialitas, quæ arte producitur ex sua minera. *Aquam primam Deus de terra seu natura creat*, quæ est caussa generationis. Materia nostra est suprema, & infima; *Res minimi precii*. Est *quinta essentia argenti viui: Sperma metallorum*. Est primum *amara & acerba*, veluti putrefactionis præcedentis vestigium retinens: Sed *amaritudo mediante continuatione caloris naturalis vertitur in dulcedinem virtute magna.* Vbi considera digestionis, & circulationis vires. Amaricies & acerbitas illa est alias virulentia. Draco enim noster ex venenato fit mitissimus coctione. Ita alias etiam argentum viuum sublimatum mutatur in dulce. Considera, quæ sit materia, cui debent conuenire omnes proprietates: 1. *Debet esse familiarissima auro & argento: Sed adhuc familiarior argento viuo.* 2. Posse *solui* & *congelare* vicissim, idque non vna vice: 3. *Nigrescere, albescere, rubescere*: 4. *Volatilis & fixa* esse vicissim. 5. *Conuersionem elementorum* in se exhibere. 6. *Calcinari*, putrescere, sublimari, destillari, & omnino alias operationes omnes, quæ sunt arti domesticæ, sustinere. 7. *Tandemque in lapidem, tincturam*, & medicinam aurificam vel argentificam super argentum viuum, & imperfecta metalla *transmutari*. 8. Esse *azyma* massa, & *fermentatum elixyr*, &c. Nihil quidem admittit alieni, seu extranei, quod non sit de substantia & natura argenti viui: Veruntamen innuit Riplæus, *eam extrahi per sublimationem septenam* à sale & vitriolo, similibusque rebus, quarum tamen salsilago iterum est detergenda.

Materia 1. descriptiones.

Menstrua tria Riplæi.

Tria omnino corpora in toto artificio, vnum commune, Mercurius: Duo specifica, aurum & argentũ. Illud materiale est principium: hæc formalia, quæ lapides duos specie distinctos efficiunt.

Nota ignis natura in digestione effecta.

Essentialis mercurius noster fit ex minerali per extractiuam sublimationem.

Quanquam autem porta octaua sublimationem per distantiam repudiet, non tamen negat eam præparatoria esse. *Nil valet ista sublimatio, vti nec sublimatum in opere*: Sed non est consequens, etiam ante in parasceuasticis non valere, cum non sit alia via, qua superflua possint adimi, & quinta essentia pura ex argento viuo minerali elici. Lege portam III. Vbi hoc: *Vltimum secretum volo tibi declarare; Aqua tua debet esse septies sublimata. Alias naturaliter nulla fiet dissolutio, nec putrefactionem vllam videbis picis instar liquidæ: nec apparebunt colores ob defectum ignis in suo vitro operantis.* Hæc non possunt intelligi de vlla alia re, quam de materiæ apparatu; quia negantur omnes colores; negaturque putrefactio, & ignis intus operans, ni sublimatio sit facta. Atqui quam primum materiam nostram imposuimus, expectamus solutionem & putrefactionem signo nigredinis, quam sequitur naturaliter albedo. In porta VIII. ait: *Quidam mercurium sublimant à vitriolo & sale: Et alios spiritus à scammatis ferri, &c. & suo modo rectè sublimant*, &c. Cum dicit *suo modo rectè*, præparatoria intelligit. Alias frustra fieret mentio istius sublimationis. Verum cum iam opus institutum est, non intendimus talem sublimationem.

Num autem crystallinum sublimatum, aut aquam corrosiuam ex eo petimus? Per se neutram. Vt in Porta tertia inquit, *debet esse AQVA per destillationem frequentem per se solummodo præparata, donec à feculentis sordibus sit repurgata, munda, tenuisque, vt aqua.* (a) *Forma est aqua, & cum aqua conuenit: Colore cæruleo, splendente, liuido, retinens suam figuram & ponderositatem: à qua soluta perfecta corpora non possint amplius separari*, vti nec aqua niuis dissolutæ ab aqua, in qua est soluta. Est toxicum, vipera, buffo, propter argentum viuum *sublimatum*: Sed quod *vertitur in Theriacam*, vt & alias in chymia pharmaceutica sublimatum commune. Est educenda *de Petra*, seu crystallino sublimato, vt sit aqua puta: & *primum menstruum clarum, lucidumque*, in quo corpora patiantur Eclipsin. Est aqua *communis vtrique lapidi*, & eadem cum qua fit matrimonium, & ex qua primum opus.

Aqua proprietates.

Elige

Elige ergo argentum viuum optimum de minera. Hoc purga sublimando sępius à vitriolo & sale, vt crystallus sit purus. Deinde destilla, vt exeat aqua vnctuosa. Hanc rectifica destillando & circulando donec omnes feces abierint, & dicta signa respondeant. Eam diuide in duas partes, quarum vna purifices corpora: altera imbibas. Destillatio communiter fit per retortam, aut descensum, sublimato crystallino prius trito, & cum farina triticea, & tartari puluere in globulos redacto. Ita enim feces retinentur, & fit aqua nostra purior, viuidiorq;. Humiditatem autem vnctuosam, quæ in aere gelascit, in calore liquescit, inde fieri, norunt etiam Medici, qui mercurium vitæ parant. *Eadem gummositas coagulat in terram, soluitur in oleum, nigrescit, albescit, rubescit*, atque adeo omnia requisita sustinet. Purganda tamen est rectificationibus circulatoriis (aut destillatoriis, si potes modum in destillādo iustum tenere.) crebris, & omnis humiditas elementalis separanda. Sic fit *quinta essentia: & cœlestis nostra aqua*, quæ congelat in substantiam oleo similem: *oleum* mediante calore temperato vertitur in *gummam* durum, & postremo mediante perfecto solis (ignis naturæ, qui est in auro) calore mutatur in *lapidem*, qui est progressus artis; vt *primo fit spiritus* tantum, vt in primis operationibus: *deinde spiritus & anima*, quando coniunctum est aurum vel argentum, ex quibus extractam tinctura secum vnit, & eleuat (portat enim tincturam ventus, vapor, mercurius noster in vitro resolutus in ventre suo; tunc vicem maris sustinet, &c.) in vitro Hermetice obsignato: tandemque vnione & imprægnatione peracta simul sunt *spiritus, anima, corpus*, quibus constat infans noster deinceps nutriendus. Hæc est descriptio aquæ primæ in principio & progressu quadantenus, quæ etiam porro in omnibus operationibus per varias dispositiones, actiones, & passiones copiose depingitur. Iam de materia seu *aqua secunda*.

Hæc fit ex prima, estque eiusdem materiæ & naturæ cum prima: Verum ex diuersis partibus & dispositionibus composita, ita vt *partim constet ex prima cruda solutaque, partim ex cocta & congelata*, idque etiam diuerse, pro vt sunt nutritiones, quibus est destinata. Descriptiones apud Riplæum traduntur his verbis: *Aqua secunda.*

Est viridis: humiditas vegetabilis, quæ fit reuiuificatio mortui. Menstruum tertium cœleste solis & lunæ, non conspicuum visui nisi per effectum. Videri enim potest aqua secunda philosophica per separationem elementorum in *forma aquæ claræ. Est anima & substantia splendida solis & lunæ, subtilisq́, eorum influentia, per quam recipiunt splendorem*, qui cum tollitur ab auro & argento, *terra alba & munda* manet (quasi ab aqua illa assumta tinctura sit solis & lunæ) Vocatur IGNIS NATVRÆ. Est *humiditas* maxime *permanens, incombustibilis*; vnctuosa: intus in nostro vitro comburens corpora efficacius igni flammeo: noster ignis naturalis certissimus: noster mercurius: (Tunc autem vniuoce *noster* dicitur, cum aurum, vel argentum in aqua nostra sunt soluta, quasi tunc principium esset artis) nostrum sulphur: Tinctura munda: nostra anima: noster lapis eleuatus cum vento: generatus in terra: vapor potentialis metalli: inuisibile menstruum. *Menstruum tertium.*

Menstruum & materia prima exulceratur seu extrahitur labore. Ex eo & cum eo potest fieri *sulphur naturæ per acuationem* (attenuationem seu sublimationem) *& circulationem* (soluendo, & coagulando, perque elementa circulariter ducendo) in spiritum purum. Cum eo dissoluitur massa diuersis modis: (quæ sententia tam primam, quam secundam aquam complectitur) *oleum extrahitur ex saxo durissimo*, hoc est, oleum incombustibile & aqua hauritur ex nostro lapide. Est aqua, cum qua lapis viuificatur. Hermes *humectat ea suam arborem in suo vitro. Non debet misceri cum corrosiuis: sed eligi pura*, & quæ facile fluat. (Hæc sententia congruit etiam aquæ primæ.) *Est ventus Hermetis*: quia à sole & luna volat, facitque lapidem nostrum volatilem. *Aqua 2. fit ex prima.*

Producitur ex sua minera. Sol & luna tanquam partes materiales accedunt. Menstruum nostrum nutriens producitur *ex terra* (coagulato elixyre vel lapide) *& aqua* (prima.) *Est sanguis leonis nostri viridis*, qui non habuit perfectam coctionem ob caloris defectum. (Ita vocatur in opere albo, cuius fermentum est argentum deficiens coctione, vel dic, esse elixyr commune, quod nondum ad perfectam coctionem peruenit) *Aqua vitæ, lac philosophorum*, (sunt post coniunctionem ex matrimonio. Cum illis *fit cibatio & augmentatio semper.* *Sanguis Leonis viridis.* *Solutio argenti per aquam nostram primam.*

Mercurius noster est *spiritus vitæ*, qui extrahitur *ex terra benedicta Aethiopia*, quæ vocatur *magnesia. In terra fœda inuenitur aqua pura, & clara, quæ est nostrum sperma, & quinta essentia, ex qua sunt res omnes.* Hāc si vis habere, debes habere id, ex quo est. *Coniunge speciē cum specie* (album lapidē nutri aqua alba rubtū rubra) *& genus cum genere: nec vnum sine altero. Nihil adde contrarium*, & quod sit extra speciem. *Aqua benedicta est abscondita in terra nostra concauitate.* Vocatur *aqua solis, & lunæ.* Quando *materia generatur & congelatur in corpus, extrahe ex eo quintam essentiam; & cum ea nutri corpus.* (Extractio fit cum aqua prima.) *Prima aqua* spermatica non potest esse nutrimentum idoneum. Nam quod generatum est ex spermate, nō nutritur spermate. Si corpus cibatum fuerit suo naturali alimento, augebitur prima materia eius; & corpus, illa in quali, hoc in quanto. Alia est materia augmentationis (Argentum viuum purum; lorum in lapide augendo.) *Aqua tamen nostra indiget in principio, medio, & fine.* Dicitur *aqua vitæ*: quia ægris metallis vitam largitur. *Nutrimentum.*

Eadem est *aqua benedicta, & virgo. Lac virginis* dicitur (potissimum in albo) quia ante cōiunctionem cum sole, & luna est virgo. Cum coniungitur cum mare, & fœmina, nō est amplius *virgo*, quamuis iungatur cum his, quæ sunt sui generis. Porus, qui extrahitur ex luna, dicitur *lac virginis*. Sed qui ex sole, est *aurum potabile*. Extrahitur enim potus ex perfectis corporibus. *Sine prima aqua non fit hoc corpus*

Ex sole est rubedinis vim habet (sanguis draconis rubei) Ex luna est albedinis: Hic fœmineus: ille masculinus: vterque ex vna specie (auro vel argento) & vno genere (aqua communi prima nostra) *Mercurius philosophorum fit cum aqua vita.* Cum mercurium posuisti *ad hominem rubeum* (lapidem rubeum) *& eandidam fœminam* (lapidem album) *& fuerint omnes simul collegati*: (b) tunc habes *nec aqua secunda.* *Lac virginis.* *Aurum potabile.*

habes mercurium philosophorum. Differunt *sperma & infans, & nutrimentum eius*, licet sint vnum genere. Ita est *nostrum secretum menstruum, aqua menstrualis ignea*. Infans nutriendus est suo simili, vt rubeus sanguine rubei draconis: albus sanguine leonis viridis. Hæc de aqua secunda ex Riplæo. Paucis dico: *Aqua secunda est materia imbibitionis, & nutritionis*.

Aqua secunda confectio.

Hanc si conficere vis, cape vnam partem corporis, quod vis imbibere, & tres aquæ nostræ primæ. Solue modico calore. Deinde soluto liquore pota reliquum. Ideo quia post primam coagulationem terra arida est potu recreanda, misces eius partem aliquam cum aqua mercurii nostra: Et facis quasi embamma. Non enim multum aquæ sumendum est, ne nimis protrahatur opus. Hac mistura fit imbibitio. Cum pascendus est infans, id est, lapis iam fermentatus; siquidem albus est, cape de eo partem, & solue aqua nostra prima non copiosa, sed tanta, quanta solutionem facere possit leui calore. *Habebis lac virginis, & sanguinem leonis viridis*.

Cibus proprius cuiq; speciei.

Si est ruber, cape de rubro, & fac eodem modo. Ita cibum dabis cuique speciei proprium. Quia vero medicina porro quoque sublimanda, augmentanda, & multiplicanda est, ad hoc vsurpant argentum viuum oxalme lotum.

Secretum & inuisibile menstruum Riplei.

Interim Ripleus multa verba habet *de secretiore quodam menstruo, & inuisibili*. Id vocat *mercurium philosophorum, & aquam Hermetis, &c.* Nihil vero est aliud, quam *solutio auri vel argenti, & elixyris albi vel rubei in vitro Hermetice clausi, in quo agente calore externo excitatur vis ignea & sulphurea interna, ad resoluendũ aurum, & ex eo extrahendam animam, seu tincturam, quæ ad superficiem vitri eleuatur specie vaporis, quem ventum vocant*, in cuius concauitate, seu interiore recessu latitat resoluta, vel extracta auri aut argenti anima, & tinctura, quæ & vis prolifica & semen auri vel argenti dicitur. *In fundo* manet *corpus quasi mortuum*. In hoc reflectitur ventus ab ambitu vasis, eique iterum restituit animã per arcanæ imbibitionis modum. Eadem res est *basiatio, amplexatio, concubitus, impragnatio, conceptio &c.*

Cum enim resolutio & agitatio venti satis diu durauit, & *ros Madianicus* recidit à vitri circumferentia in corpus, omnia coeunt in vnum, fitque *lapis ignea virtutis*, quem symbolice *infantem* vocant. Ita duo habes menstrua superficialia, nempe aquam vnam corpore coagulato ad imbibẽdum saginatum: Et alteram ex aqua prima & lapide ad nutriendum infantem: nisi velis alteram ponere argentum viuum, quo augetur medicina: & illas duas pro vna habere.

Tertium menstruum est in vitro Hermetis inuisibile. Latet enim sub vaporis natura: sed in cõspectum prodit effectu, postquam tanquam ros, vel pluuia minutissima inuisibilis relapsum est in terrã suam, eamque irrigauit, quod prius non potes animaduertere, quam terra humectata apparet, & emergit *aqua claræ species*, postquam ex nigro per varios colores in albedinem indeq; in rubedinem (in opere scilicet rubeo) peruenit, vbi etiam olei consistentiam habere potest.

Vt repetamus omnia paucis: *Argentum viuum electum ex minera bona per sublimationem purga: Deinde reduc in humiditatem viscosam per destillationem: Hanc rectifica, donec fiat liquor clarus, & dulcis. Ita habes materiam primam. Diuide eam in duas partes: (vel etiam tres) primam impone ad putrefaciendum, soluendum & coagulandum, fitque terra mortua. De hac cape partem, & cum aqua prima seruata parte dimidia vel quanta satis, misce pro imbibitione & resuscitatione terræ mortuæ, vt conuertantur elementa. Nam ex terra facies aquam: hæc cocta transit in elixyr album aeri comparatum: Et in rubro opere porro sublimatur, & assatur, donec rubefiat. Ita habes elixyr duplex ex communi metallorum spermate.*

Solue elixyr per aquam reseruatum, siue rubeum sit, siue album. Coniunge cum fermento rubeo rubeum, cum albo album. Include quodq; seorsim suo vitro Hermetice signato. Coque lento calore. Exibit nigredo & cætera de quibus suo loco, tandemq; omnia fient aqua, quæ coagulat in lapidem. De hoc solue partem aqua prima, & fac duo nutrimenta: vnum pro rubro, alterum pro albo. Illo ciba infantem rubrum: hoc album. Hæc ex Riplæano textu etiam amplius patebunt.

Nota, quod aliquibus placeat, nutrimentum infantis fieri ex argento viuo puro, quia, cum iam lapis vim acceperit, qua possit in sui naturam mutare imperfecta metalla, & argentum viuum facile queat ex eo quinta essentia & aqua nostra fieri, id quod experientia demonstrabit. Per 5. essent. alias extrahi solet essentia quinta, aut etiam totum subiectum mutari.

(a) *Notabis, hoc alias beneficio circulationis contingere. Ideo postquam ex crystallino sublimato aquam elicuisti, & secunda destillatione rectificasti, debes eam circulare, vt fiat cœlestis & omnes feces ponat, retenta ponderositate.*

(b) *Vox colligationis infert alium quoq; sensum: nempe eodem mercurio solui debere fermentum, & elixyr siue album sit, siue rubeum; posteaque commisceri, ita ne albi fermenti solutum confundatur cum rubeo.*

De aquæ nostræ prima elaboratione.

Generalis regula de rudi imperfectaq; materia & perfectis corporibus: Non potes fermentare antequã alteraueris.

Non statim à fermentatione incipiendum esse, sed præmittendam elementorum conuersionem, omnes Hermetici docent. Ea vocatur etiam *operatio in corporibus imperfectis*, quam sequitur *operatio in perfectis*. De vtrisque regula communis est *in porta 9*. Riplæi: *Vt facis cum corporibus imperfectis: ita per omnia cum perfectis, putrefaciendo, & destruendo qualitates primas*, vel quod idem est, *conuertendo elementa*, quæ ex qualitatibus primis agnoscuntur. Vocantur autem *imperfecta corpora aqua seu prima materia nostra, corpus primæ coagulationis nigrum: corpus coagulationis secundæ*, quod iam est *elixyr rubeum*, vel album pro instituto artificis; vtrumq; sine auro & argento, quæ *corpora perfecta* appellantur non tantum ipsa per se, sed & ex illis, elixyre & aqua facta. Ideo & hæc sunt formalia: illa materialia. Ista regula sedulo est notanda, vt ex labyrintho perplexæ disciplinæ euadere possimus.

Res vna, operatio vna: vas vnum. Vt elementa conuertas, oportet te ex aqua prima, quæ hylealis est, terram facere. Nam ex hac postea fit aqua, ex aqua aer, ex aere ignis in rubeo opere: ex igni vicissim terra, indeque aqua, & reliqua per circularem elementorum gyrationem: *omnia ex vna radice*, proprio genere, & pabulo naturali. Quando *ex quatuor naturis contrariis* vna componitur, postquam fuerint *ter circulata* ad temperamentum perducitur lapis noster. Principium est: *Sub humiditate lunæ, & temperato calore solis elementa tua cito incinerentur.* Tum gratias age Deo, quod tuum opus sit inceptum, cuius signum verum in nigredine tibi apparebit, quod *caput vel rostrum corui* vocant, vel etiam *cineres arboris Hermetis, &c.* Ab vnaquaque re nigra appellatur, donec incipiat albescere, & fit lucidum. *Conuerte aquam in terram* (inquit *porta 10.*) *quæ est proprius nidus aliorum elementorum.* Nam terra in igni est, qui in aere quiescit. Istam circulationem debes incipere *in occidente*, tum post *meridiem* versus (à nigredine per albedinem in rubedinem. *Prima nigredo est occasus: secunda nox media:* Inde sequitur *aurora lux alba, qui est ortus, & post meridies*, id est, rubedo solis ignei) donec exaltentur. *Aqua septies sublimata debet dissolui, & putrefieri, vt picis liquidæ instar appareat*, & colores procedant. Putrefactio præbet nigrum puluerem. Nisi putrefiat materia, nullo modo poterit recte alterari, nec possunt elementa naturaliter diuidi seu distingui, & separari, neque etiam eorum esse absoluta coniunctio. *Elementa misce tua, coqua sapienter, & temperato in calore serua, ne nimio in puluerem siccum, rubicundum & inutilem redigantur.* Puluis niger debet fieri, similis corui rostro in balneo calente, vel fimo nostro, dum noctes transierint *nonaginta*, conseruando diligenter in humido calore. *Nigredo erit index*, quod *ad putrefactionem* properent, quæ tu post diuersos colores facile pertrahes ad perfectam albedinem, &c. Si putrefactio naturaliter est facta (citra vim, modo naturali ex principio interno) *solutio simul fuit*, sequiturq; *coagulatio*; *quæ est elementorum connexio. Omnis aqua debet siccari in puluerem.* Aqua nostra à stultis ignoratur, *cum sit è natura* proculdubio spiritus calcinati, & lucentis. *Aqua* est secretum, & *vita omnium rerum* in toto orbe existentium. Ab aqua res singulæ habent suum initium. Debes esse *patiens*, donec omnis aqua siccetur in puluerem, fouens calorem continuum, non violentum. Nam contrariæ sunt qualitates cuiuslibet elementi, quo ad postea nigri cum albo facta sit vnio ex his congelatis in æternum sine diuisione. Præparatio conuersionis vnius rei in aliam & de statu in statum alium fit solum per *naturalem & prudentem operationē naturæ*, vt est spermatis in matrice, &c. vide *portam sextam*. Nostra materia spermatica in vno vase in seipsa debet conuerti de vna re in aliam *calore temperatissimo* eam decoquente. Habes summam. *Aquam tuam include vitro ita, vt bona pars sit vacua.* Coque eam in stufa sicca calore lenissimo, qualis est initium balnei, vel fimi, *magna patientia*, & industria. Ibi per se incipiet solui, nigrescere, coagulare, albescere. In *nigredine erit species picis liquatæ* nigræ, tandemq; *puluis seu terra nigra*: quam aliqui *corpus mortuum* vocant. Ita præparata est materia ad elementorum conuersionem.

Hac circa finem porta prima.

Caput & rostrum corui.

Hora diei naturalis in lapide.

Aq. septies sublimata.

Coagulatio quid.

Aqua conditiones.

Conuersionis causa.

Nota caloris modum.

Nigredo nostra qualis.

De elementorum conuersione ex Riplæo.

OPeratio secunda appellatur ab aliis: Item *ablutio Latonis* per ignem & Azoth: *Imbibitio: separatio* elementorum, & conuersio. Subiectū & materia passiua est *terra Aethiopica nigra*, vel corpus prima coagulatione factum, dictum aliquib. mortuū, quod *sibi familiari aqua est reuiuificandum.* Nostra materia spermatica in vno vase in seipsa debet conuerti de vna re in aliā calore temperatissimo eam decoquēte. *Mineralia nutriuntur humido radicali, quod eorum erat principium.* Tunc totum nihil aliud est, quam *sperma, & species cum specie: duo numero*, agens & patiens, &c. quæ conuertuntur calore de vna re in aliam vno in vase vitreo, quousq; natura perducat ea in vnam substantiam ex aqua regeneratā. Dum sperma conceptum crescit, substantia nutritur suo proprio *menstruo, quod aqua solum & terra produxit*, (Nihil refert, etiamsi hæc etiam ad fermentationē & nutritionem spectent, idem fit nunc, & tunc, dispositionib. mutatis) cuius *color proprio aspectu est viridis*, vtpote *sanguis nostri leonis viridis, &c.* Hoc nostrum sperma nutritur temperate, quando ipsum conuertitur in feces corporales & fit album, & perfecte siccū, fixum & coagulatum: vide *portam sextam, circa finem, & septimum.*

Sperma.

Sanguis leonis viridis.

Fit hic *post septem imbibitiones conclusio*, & agitatio in vitro per colores, donec finis sit in elixyre albo, quod dicitur *Leo viridis, magnesia alba, Sulphur album incombustile*, cuius caussa est *sperma metallorum*. Ad candelæ calorem facilè fluit. Non metuit ignem; quipppe cum *nostra congelatio semper in igne stare debeat, & esse vnctuosa*, suaque tinctura abundare. In aere non debet in aquam liquescere more salium, sed congelare, vt cera, citoque fundi sine flatu follium. Hic finis est operationis in corporibus imperfectis. Plura possent adduci: Sed cum pleraque referantur ad fermentationem, & fermentati nutritionem, quæ ibi dicuntur, huc traduci possunt, accommodata tamen ad præsentis subiecti conditionem. Summa est. *Cape partes aquæ nostræ primæ tres, & vnum de corpore iam coagulato, seu terra Aethiopica:* (Quidam solam aquam assumunt: Sed Ripleus *potum ex aqua & terra* componit) *Fiat offa lactea. Hanc paruis portionibus ordine per septem imbibitiones instilla terræ nigræ iam sitienti, corpore aliquem calorem experta. Minus autem instillatur initio cum parua est moles, quam post, cum est aucta. Fac vt quod instillatum est, combibat sineq; aliquantulum sitire. Deinde plus prabe. Cum septem pondera suæ quantitatis, quam ab initio habuit, bibit, & iam non amplius vult bibere (caue ne hydropica fiat materia, nimiumq; diluta) cessa, & clauso Hermetice vitro calorem blandum humidum, seu vapidum adhibe. Huius in humorem agentis vi nigrescet, variis coloribus resplendebit, tandemq; coalescet in massam albam, quæ pertinacius adhuc coquenda est, vt intus forisq; fiat candida, & splendens, quæ ad ignem candelæ diffluat vt oleum aereum.*

Proprietates quadam elixyris.

Elixyr non liquescit in aere.

Mistura lactis virginei ad imbibendum terram nigram.

Sublimatio.

Sic terram mutasti in aquā, & ex hac fecisti aerem incombustilem. Est hic sublimatio aliqua. Primum. n. postquam imbibisti, ascensus fit & descensus in vitro, quo repræsentatur sublimatio, & destillatio. Deinde est assatio, qua Elixyr album coagulatum calore aucto plane solidatur vt constans manere possit, sitque sulphur album incombustibile.

Hoc

Rota elementaris.

Hoc,ſi album lapidem ſimul ſpectas,diuiditur in partes, & vna deſtinatur fermento albo: altera detineturamplius in igne, donec in ſulphur rubeum, rubeam magneſiam, draconem aut leoneũ rubeum,&c.abierit:Et ſic Rota elementaris verſa eſt tota.Nam finis hic eſt in ignea maſſa,ſeu rubro elixyre.

De fermentatione Riplæi.

PRæſtantior hæc eſt pars operis,& veluti medulla.Ideò per hanc fere totum artificium declaratur, & in recapitulatione Riplæus etiam ab hac incipit.Nomina habet varia pro diuerſis reſpectibus. Fermentatio familiariter appellatur ex paraboliſmo. Sicut enim maſſa frumentacea, ex farina & aqua facta & adhuc dulcis,ſe habet ad fermentum:ita elixyr generale ad ſpecialia metalla, aurum vel argentum,ita tamen,vt vtraque non commiſceantur. Deinde,vt maſſa creſcit mole & virtute in fermentaceis:ita hic noſter lapis,qui euadit admodum ſpirituoſus & efficax. Vocatur & coniunctio,eaque diuerſis rationibus diuerſa. Habemus hic *vnum, duo, tria, quatuor*. In vnitate generica eſt ſimplicitas & vniformitas,quaſiq; circulus & *monas* indiuidua.Nihil n.eſt,niſiq; totũ mercuriale.*Duorum relatio* facit coniunctionem *duplam*,quæ eſt ſulphuris & mercurii:vel maris ac fœminæ,&c. *Reſpectus trium*,vt animæ,corporis,& ſpiritus,quæ ſunt materialia,conſtituit *triplam*: Reſpectus quatuor elemẽtorum,quæ omnia per diſpoſitiones & qualitates ſuas,ſunt in rubeo lapide,*quadruplam*.Eſt & alia cõiunctio *groſſa* dicta,qua corpus cum mercurio recrudeſcit. Riplæus monet, non eſſe plures vna faciendas.A ratione maris & fœminæ eſt ſpermatica permiſtio,*matrimonium & coniugium*. Sed iſtud fit in vitro, quando à ſubiacente fœmina ſpiritus animam vehens eleuatur & redit tanquam gallus ſuper gallinam.

Neceſſitas fermentationis.

Hinc & *circulationis* nomen accipit:*& impragnationis,coitus,concubitus,&c.* Dicitur *ſepultura*, quãdo ſub nigritie occultatur,& fit quaſi *cadauer*,quod animam recipit à vento reciprocante. Inde viuificatio,generatio infantis,& alia.Eſt autem neceſſaria fermentatio. Nihil enim per ſe prodeſt maſſa noſtra & elixyr,niſi miſceatur cum corpore, cumq; tantum genericam rationem & pariter ſe habeat ad omnia metalla:nos autem ſpeciale perfectorum ſemen, & tincturam quæramus,neceſſe eſt coniunctionem,ſeu fermentationem inſtituere:quæ cum ſit *duplex*,vna *elixyris*,altera *medicinæ*: hic de priore ſermo eſt. Efficiens cauſa eſt calor duplex:externus vnus,qui occaſionatus (quia pro occaſionib. & diſpoſitionibus accommodatur) vocatur:Internus alter,etiam efficacior flamma. Appellant *ignem naturæ*. Quatuor ſunt ignium genera,quæ ſcire debes:(Eſt *in porta* 111.) Primus ignis *naturalis* eſt vel naturæ,naturaliter inſitus rei.Nos *tertium menſtruum* autore Riplæo diximus. Ignis *innaturalis* eſt ſecundus, nempe externus occaſionatus balnei,cinerum,&c. Ignis *contra naturam* tertius dicitur, nimirum draco violenter comburens,vt ignis inferni,& excrucians corpora. Quartus ignis *elementalis* vocatur,vt flamma.*Fac ignem in tuo vitro,qui comburat corpora efficacius,quam elementalis.*

Calor occaſionatus.

Ignium genera 4.

Coctio.

Tunc tua ſemina & putreſient,& germinabunt auxiliante igne ex occaſione nato.*Si cupis tibi bene eſſe,obſigna matricem,& bene nutrias* tuum ſemen calore iugi,& temperato,cumq; iam vas ſteterit *menſes quinque*, ſic vt poſt omnes nubes & eclipſes lumen appareat, tunc ſtatim auge calorem,donec lapis pelluceat *clara claritate*,&c.Elementa miſce tua,& coæqua ſapiẽter, & temperato in calore ſerua,*ante omnia cauens,ne nimio calore*,cum vis putrefactionem, & nigredinem procurare,*in cineres rubicũdos redigantur*.Calor ſit balnei calentis vel fimi.Ad hunc apta eſt fornax *athanor*,ſeruans calorem temperatiſſimum,cum quo materia naturaliter putreſcit.*Debet calor & humiditas in perpetuo motu eſſe.* A violento calore,& ſubito frigore defende vitrum tuum : Moderato vtere igne,vt *nunquam viteſcat* tua materia.*Calor temperatiſſimus* eſt cauſa colorum, operans & mouens continenter materiam, atque ita hæc alteratur intus,& foris ſubſtantialiter.Noſter lapis per ſiccitatem & calorem digeritur ad album & rubeum perfectum.

Albi elixyris aſpectus.

Caloris gradus in coctione.

Anima quæ in vitro ex terra exit & reciprocando aſcendit & deſcendit.

Ignis philoſophiæ ſecretus.

Eſt quædam *anima oriens à terra*,vt aer, cum aqua pura, exiſtens inter cœlum & terram,decurrens perpetuo ſuper noſtram quadruplicem naturam (elementares diſpoſitiones) omni ſua virtute perducens eam ad meliorem ſtatum.Hæc *anima aerea eſt ſecretus noſtræ philoſophiæ ignis*: vocatur *noſtrum oleum & aqua noſtra myſtica*.In matrice ſunt ſperma & calor tanquam ſoror & frater,&c.Hæc de efficiente,quam concurrere neceſſe eſt cum perita & prudente artificis gubernatione. *Materialia ſunt, elixyr duplex album & rubeum* pro duplici lapide. Vtriq; ſuum fermentum eſt rubeo aurum, albo argentum. *Vinculum* & medium confectionis eſt ſecunda pars aquæ noſtræ primæ. Sine corpore ſperma non poteſt fieri medicina.

Spermata.

Spermata ſunt duo,maſculum, & fœmineum, quæ eliciuntur ex corporibus & fermentis per aquam mercurialem.Mas & fœmina vnum ſunt genere:vtriuſque coniunctio nihil eſt,quam ſperma, & ſpecies cum ſpecie.Aurum & anima ſunt terra. Terra eſt fermentum aquæ,& aqua terræ.A qua virgine fit coniunctio.Eſt hic *ſanguis leonis viridis,&c.*

In 1 parte de calcinatione.

Proportio aliquoties aſſignatur. Ne corpus tuum corrumpas,ſint tua corpora ſubtiliter limata cum mercurio:tum *æquali proportione* ſubtiliata:*Vnum ſolis,duo lunæ*, donec hæc omnia tanquam in pulterem redigãtur. Tum fac tuum mercurium:cuius *quatuor* partes Soli:*duas lunæ* iunge.Ita incipias opus: *Tres partes corporis*:*Tres ſpiritus* & pro vnitate ſubſtantiæ ſpiritualis, *vna pars* amplius ſpiritus,quam ſubſtantiæ corporalis. *Bacho ſumſit tres de ſpiritu pro vna parte corporis.* Vtrumque eſt verum. Si etiam aqua tua æqualis fuerit in proportione cum terra calore menſurato,ex his emerget nouum germen, ſimul album, & rubeum in pura tinctura,quod in igne perpetuo durabit, donec viuum mortuum reuiuificet.*Fac itaq; trinitatem vnitatis ſine diſſenſione.*

Hæc eſt

Hæc est *certißima optimaq; proportio.* Hæc in calcinatione. In coniunctione: *Mas sol noster*, debet habere *suæ aquæ partes tres:* & illius *vxor nouem*, quæ debent ad ipsum esse tres: (vnum ad tria) Tunc par cum pari gaudebit semper habitare. De congelatione: *Ignea nostra aqua acuata* vocatur *menstrualis*, in qua terra nostra soluta est & naturaliter calcinata per congelationem, vt nunquam possint diuidi. Adhuc tamen non cessa plures congelare aquas in partes *tres aqua acuata cum quarta parte terræ congelata*, nec amplius. Hinc substantiæ sic congelatæ adde quartam partem *aquæ crystallinæ*, & fac, vt mutuo copulentur coniugio per congelationem in *medium metallinum, quod splendebit vt ensis bene politus* post nigredinem. Da illi tunc quartam partem nouæ aquæ, &c. q̃ de Imbibitionibus dicta sunt, quatum septem ibi ponit. In fermentatione: *Prius alteres, quam fermentes.* Ad tuum compositum fac *fermenti quartam partem:* quod fermentum tantum est Solis & Lunæ (vna pars ad tres fermentandi Elixyris) Sunt n. corporum *fermenta duo.* Est & *tertium secretißimum*, nempe *prima terra cum sua aqua viridi*, &c. (Fermentationem habet corporalem vnam, alteram spiritualem. Fermentum spirituale est oleum liquidum & gumma: vide circa *finem libri de mercurio.*) In recapitulatione: *Incipe in occidente, vbi mas rubens* & coniunx alba fient vnum desponsati Spiritu vitæ, *terra & aqua æqualiter proportionatis. Vna terra pro tribus spiritus* est etiam bona proportio, quæ est *Spiritus Duodecim*, pro *quatuor* partibus *terræ* siue corporis. *Tres partes fæminæ, & vnam viri* debes accipere: Et *quo minus fuerit de spiritu in hac desponsatione: eo citius tuam calcinationem absolues.* Hæc de proportione; vbi vides, fere probari proportionem sesquitertiam; quæ est trium ad nouem, vel quatuor ad XII. seu vnius ad tria. Modus coniunctionis: *Medicinam tuam seu elixyr debes aqua mercuriali perfundere, vt fluat cera modo in calore, quod est figere terram cum aqua: Deinde proiice super solem vel Lunam amalgamatam. Post coque continue clauso vitro.* Hæc in porta IX. de *fermentatione.* Loquitur autem de ea, quæ proiectionem antecedit. Reprehendit eos, qui *aurum & argentum soluunt in claram aquam.* Quidam amalgama auri vel argenti bis aut ter sublimarunt simul. Repudiat & hos. Quidam amalgamant corpora cum mercurio & super pultem proiiciunt medicinas: Sed reiiciuntur, quia non putrefaciunt, nec alterant suum fermentum.

Fermentum spirituale est medecina nostra, quæ lac dicitur, aqua viridis soluitur, &c. Vera fermentatio est anima cum corpore incorporatio restaurans ei naturalem odorem, gustum, & colorem, &c. Vide portam nonam.

Coniunctionis modus.

Quocirca amalgamari quidem aurum mercurio potest, vti & argentum; sed & elixyr soluendum est aquæ nostræ partibus tribus, totumque coniungendum & decoquendum per Elementorum & colorum successiones in vitro clauso (Quidam elixyris tres aut quatuor partes in triplo aquæ soluunt; vt si vnciæ tres essent vel quatuor, addunt aquæ mercurialis primæ vncias IX. aut XII. Deinde auri vnciam vnam amalgamant cum mercurio, vel aqua mercuriali & coniuncta, commistaque in vitro suo clauso decoquunt) Processum & modum decoctionis ita describit Riplæus: *Principio accipe nostros lapides, & sepelias vnumquemque in sepulcro alterius* (caue tamen, ne album & rubeum misceas. In vna eadem Stufa sicca potes vtrumque decoquere) *æquabiliq; inter se eos iungas connubio* (Hoc est explicatiuum seu declaratiuum præcedentis) *vt simul concumbant sex hebdomadas. Tum foueant suum semen naturale: Conceptum nutriant & conseruent toto illo tempore à fundo sui sepulcri non surgentes. Conceptionis tempus leni calore expectes* (non est idem tempus coniunctionis, coitus & conceptionis) *Nigredo sese ostendens significabit tibi, quando morientur.* (Mirum coniuges in lecto geniali mori) *Nam simul, vt pix liquida eo tempore turgescent, & ebullient, subsident, & putrefient. Splendentes colores ibi* (post nigredinem) *apparebunt instar iridis. Tunc aqua incipiet omnino desiccari.* Nam in corporib humidis calor temperate agẽs, nigredinem gignit, primum omnium coniunctionis naturalis certum indicium, & veræ putrefactionis. Hinc in albedine *lucem Paradisi acquires.* Declaratur diluuio Nohæ, quasi aquæ durent 150. dies. Inde post 30. *carbunculi rubedo* sequetur, quod est nostrum *Adrop, plumbum rubeum, vzifur seu sulphur rubeũ.* Ita lapis dicitur purgatus in purgatorio transisse in *lucem Elysii cãpi, &c.* Quia vero putrefactio tarde ꝓcedit, admonet Riplæus, aliquando humidam materiam, & vicissim siccam esse posse, vt *arbor nostra quandoq; sole comburatur, & tum cum aqua statim post refrigeretur*, quo citius putrescat.

Processus decoctionis in coniunctione seu fermentatione.

Nigredo signum mortis, putredinis, solutionis & coniunctionis.

Iris.

Esse nunc in humido calore: nunc rursus in sicco: nunc in magno calore, nunc in frigore, efficiet, vt cito admodum putrefiat aurum. (Verum hæc peritum artificem requirunt) In putrefactione cum calore tuo ne sis velocior. Aquam ex terra extrahas, & fac, vt anima (seminale principium, tinctura & vis fermenti) cum ea ascendat. Tum rursus in terram eandem deprime (per se delabitur. Nam ascendit in cœlum, iterumque descendit in terram, & portatur anima in ventre venti, seu halitus resoluti per calorem internum & externum, qui iterum frigore cogitur, & nebulæ specie reflectitur super terram) vt illa toties descendant, quoties ascendunt, absque violento calore aut subito frigore, moderato sic igne, vt materia non vitrescat.

Adrop. plũb. rubeum: sulphur rubeũ:

Vt citius putrescat.

Hæc in porta quinta Alibi ita: Nostra congelatio talis est, vt in aere concrescat, nec soluatur in aquam deliquio (sicut sales in vapido aere liquescunt) *neque etiam est lapidea: sed fluit, vt cera, & permanet* (in igni durat.) *Apparet in similitudine perlarum, cum materia facta est candida. Tunc spiritus cum corporibus congelascunt. Fac vt illa se mutuo amplectantur, & osculentur, & sursum, deorsumq; volutando ludant: & quando linteamina erunt fœdata fœmina abluere teneatur, &c.* (quæ item habentur in 5. *porta*, vbi agit de putrefactione durante 90. dies; & possunt accipi de imbibitione quoq;, quæ est ablutio Latonis,) *Lege portam sextam de anima aerea, seu secreto nostro igne, oleo, aqua mystica*, quæ & *noster spiritus, mercurius philosophorum, &c.* quæ non exit sola, sed per aquam educitur, & introducitur, vtpote ab ea inseparabilis. Nam *aqua nostra ab aqua ex auro resoluta non discedit:* (per aquam nostram aurum sic soluitur, vt totum in eius naturam abeat, sicut nix aqua calida soluta,) Aqua sola (mercurialis) potest aquam nostram mouere actiue, & passiue, qui motus caussat mortem simul & vitam, &c.

Ascensus, descensus in eodem vitro clauso.

Amplexatio osculatio.

Si quid nigredinis restet & macularum, id coctione tollitur.

Anima nostra & ignis.

Vera fermentatio est anima cum corpore incorporatio restaurans ei naturalẽ odorem, colorẽ, & saporẽ, &c. Corpus docet spirirũ ignem pati, & spiritus corpus ingredi, &c. (q̃ tñ de ꝑparatione ad ingressum sonant

Fermentatio vera.

inporta

Matrix. *in porta 9.*) Matrix debet eſſe clauſa *per menſes quinq;*, donec nubes, eclipſeſque tranſierint & lapis clare pelluceat. Tunc aperire potes. Summa eſt: *Non potes fermentare antequam alteraueris, ſeu materiam fermentandam per conuerſionem elementorum præparaueris. Tunc in rubeo lapide aurum calcinatum per mercurium pari aqua noſtra miſce: Et adde elixyr rubeum ſolutum aqua tripla, atque ita miſturam impone ad coquendum in vitro rotundo Hermetice clauſo. Argento additur paulo plus aqua ignea, quia eius motus eſt ignauior. Vitrum iaceat in* *Draco vorãs ſuam caudã.* *camera athanoris ſuper tripode in medio aere, ita, vt calor ſiccus vndiquaque per latera, & non directe ab imo aſcendat, quod in acedia fieri poteſt, aut per candelas. Vtimur quidem etiam igne flammeo: ſed non ita, vt tangat vitrum. In eo eſt ignis duplex, naturalis ſcilicet, qui metallo perfecto eſt inſitus, & poſtea draconinus ille noſtræ aquæ, quæ corpus perfectum intime ſoluit, & quicquid ſoluit etiam conſumit, atque adeo diuorat ſuam caudam. Ignis occaſionatus foris adhibetur, & dicitur Bernhardo vaporoſus. Hic debet imtio eſſe valde temperatus, vt putrefactio peragatur, tum ſolutione, & coagulatione,*

Omnino qui progreſſus de colore in colorem, de ſolutione in congelationem fuerunt in imbibitione, ii ſunt etiam hic, niſi quod ibi cenſeantur extitiſſe accidentaliter, hic eſſentialiter, & vere. Ideo & hic potius appellatur roſtrum vel caput corui, iris, cauda pauonis, cicnus, phœnix, draco caudam deuorans, mors, vita, eclipſis ſolis, mercurius philoſophorum & alia. Hic *occidens* dicitur, cũ putredinis nigredine incipiunt omnia obſcurari: *media nox* eſt craſſa nigredo: ab hac paulatim fit digreſſio verſus *ortum*, cum apparere incipit albedo; quæ cum clara eſt in rubro opere, *clarum diem* ſignificat, donec perueniat ad *meridiem* vbi ſol igneus eſt, & ignea rubedo. Ita *autumnus, hyems, ver, & æſtas* applicantur. In albo vero opere finis eſt in claro die, & vere. Lapidem vtrumque hac arte continnatum vocant *infantem natum*, cui debeatur nutritio & augmentum.

De Nutritione.

NOmina huius ſunt *cibatio, imbibitio ſecunda, augmentatio, fixatio, exaltatio, &c.* Pro variis n. conſiderationibus nomina mutantur. De cibatione habes *porta ſeptima*, vbi definitur, quod ſit *nutritio noſtra materiæ ſiccæ lacte & cibo vtriſque moderate datis, donec fiat medicina perfecta ordinis tertii apud Gebrum.* *Cibatio.* Nunquam dandum tantum eſt, vt ſuffocetur. Vide *ſupra*, quæ de imbibitione ſunt annotata. Omnino enim vnus modus eſt: licet tempus breuius. Efficiens cauſa eſt calor & induſtria magiſtri, quamuis opus mulierum, & luſus puerorum in fermentatione, & nutritione appellari ſoleat. Materia duplex eſt: Nutrimentum, & res nutrienda. Nutrimento continetur cibus & potus: Vterque proprius ſuo lapidi. In lapide rubeo cibus eſt *pars eius tertia, quæ miſcetur triplo potus*, nempe argenti viui mundati. Ita *Cibus: potus:* fit *ſanguis Leonis rubei*, vel draconis, aut hominis ruffi, &c. Iſtis enim & aliis nonnullis nominibus ſymbolice appellatur. In lapide albo cibus item eſt pars eius tertia miſta cum aquæ noſtræ partibus tribus, qui eſt potus (quidam etiam argentum viuum capiunt.) Inde vocatur *lac virginis, aut ſanguis leonis* *Sanguis draconis.* *viridis*. Res nutrienda eſt lapis vterq;, qui infans nominatur, cuius cibus alias eſt lac maternum naturaliter, donec cõcoquere etiam lac beſtiale, vel alienum poſſit, & cibum ſolidum. Modus nutritionis eſt, vt in imbibitione. *Septem vicibus deſtinatur cibus & potus.* Sed vtere iudicio tuo, pro vt videbis materiam deſiderare, & recipere, cauendo ſubmerſionem. Si vnum pondus fuit infantis, ſeptem decernuntur cibi, quæ ſoleriter potes inſtillare. Interim vitrum ſic occluſum eſt, vt reſerari queat. Debet & mitiſſimo in calore eſſe: quanquam ante paſtum ſinatur aliquãdiu eſurire, vt cibus occurrat eo gratior. Cum omnis cibus datus eſt, concoctioni & aſſimilationi ſtudendum. Ideo tunc claude ventriculum ſeu vitrum Hermetice, & calore moderato elementa conuerte. Hic habebis *circulationem*. Nã in rubro lapide ignis redit in terram, ex qua aqua per imbibitionem & ſolutionem naſcitur: hæc in aereum ſtatum eleuatur, tandemq; rurſus in igneũ cœleſtem. In albo vero, terra fit aqua, iterumque aer, ſed decuplo nobilior. Vtuntur hic etiam ſimilitudine viuificationis: ſed quæ rectius ponitur in prima imbibitione, & fermentationis actu.

Ex Riplæo huc referri poſſunt, quæ de cibatione habentur; item ſententiæ ſequentes: *Cum iam vas ſteterit menſes quinque ſic, vt poſt omnes nubes & Eclipſes lumen appareat, tunc ſtatim calorem auge, donec clara tuus pelluceat claritate lapis.* Tum demum poteris ſtatim apetire vas, & enutrire prolem, quæ iam tibi nata eſt, lacte & cibo ſemper magis, & magis. Tunc enim humiditas & ſiccitas ſic ſunt temperata, vt terra impreſſionem acceperit ab aqua, quæ nunquam deinceps à ſe mutuo poſſunt ſeparari, &c. Vide & reliqua *in 4. porta de coniunctione, in lib. de mercurio.* (a) Multa ſunt lactis genera, lac virginis (aqua benedicta, aqua vitæ, &c. quæ nomina non ſemper habet, ſed ſuo loco) mulieris, hominis. Etenim cum primum in vnum coniunguntur, factaque fœmina grauida fuerit ex conceptu: tum infans lacte nutriri debet. Eſt autem id *lac non. virginis, ſed hominis* & mulieris, quo ſemper nutriendus erit, quouſque robuſtior factus fortiori, & pleniori cibo educari poſſit, &c. Intellige, quod aqua prima eſt aqua, quam Deus fecit de natura, eſtque cauſa generationis. Cum vero poſt coniunctionem ex matrimonio: generant *aquam vitæ, & lac philoſophorum*, cum quo, ſiue cum quibus augmentabis, & cibabis lapidem tuum in perpetuum. (Lac virginis dicitur ante matrimonium aqua noſtra, ſeu ſpiritus: qñ vero poſt coniunctionem in ipſo vitro fit aſcenſio, deſcenſio, & irrigatio, &c. non amplius lac virginis, ſed *mulieris vocatur*, quanquam alias nutritionem in vitro nõ ponant. Ita cum lapis iam factus eſt, nutritur ſingulariter, & tunc lac ex aqua noſtra & proprio corpore eſt confectum, diciturq; *lac hominis* à Riplæo: ſed alii ẽt lac virginis appellant, quia lapis noſter manet virgo ante partum, in partu, poſt partum) *in porta ſexta*: Tempore naturalis proceſſus (per calorem de ſtatu in ſtatum) dum ſperma cõceptum creſcit, ſubſtantia nutritur ſuo *proprio menſtruo, quod aqua ſolum & terra produxit cuius color eſt viridis* proprio aſpectu, quod eſt *ſanguis noſtri leonis viridis.*

Domina venus veritatẽ huius tibi poterit aperire, ſi eã ab initio conſiliariam aduoces, *quod ſecretum abſ-*

tum absconditum est à Philosophis summis & imis, &c. (Vide quid velit. Num mercurium ex venere viridicantem, quo sit facienda nutritio? Difficile est diuinate id quod latet omnes.)

Quando fecisti *imbibitiones septem*, tunc iterum debes rotam circumuoluere, & putrefacere omnem illam materiam sine additione, primo *nigredinem* spectans: tunc in *albedinem* congela totum, ac post *in rubedinem per meridiem* ascende. Sic *aqua tua diuisa est in partes duas*: cum *prima* corpora putrificantur: *secunda* pars imbibitionibus destinatur, cum qua postea materia denigratur, statimque super leni igne albificatur, vocaturque *Sol cœlestis fulgoris*. Reduc eum ad rubedinem. Finis: *Fusio cera, vt cera*. *Sol cœlestis.* Quocirca cum imbibitio & conuersio elementorum peracta est; *explorare debes medicinam*, super lamina cerea candente. *Examen Medicinæ; Inceratio.* Si vt cera fluit, & intrat sine fumo, iusta est: si fumat, mollior est, debetque amplius coqui: si non fluit, durior & siccior est, quàm oportebat. Ideo denuo imbibitur, donec respondeat quæsito. Hîc facta simul est *exaltatio*, quæ parum differt à sublimatione Riplæi. *Exaltatio de qua porta X.* Quidam tamen iam cibatam medicinam iterum soluunt mercurio loto, & coagulant; vt fiat sublimior. Riplæus meminit *fermentationis spiritualis dominantis super mille*, cum corporalis dominetur tantum super centum. *Fermentatio spiritualis.* Et *prima* est elixyris per corpora: *secunda* medicinæ per spiritus: & *fermentum spirituale est oleum*, seu gummi liquidum. Verum multæ fermentationes possunt fingi, atque adeo dici spiritualis fermentatio illa, quæ fiebat in nutritione: Item exaltatoria repetitio conuersionis elementorum: Et quæ proximè antecedit proiectionem, in qua medicinæ ingressus conciliatur, quam & proiectionem vocant; de qua *infra*. Item multiplicatio &c.

(a) *In lib. de Mercur. Cibus eorum est de lapidibus aereis: potus extrahitur ex duobus corporibus perfectis, Sole & Luna. Potus, qui ex Sole extrahitur, vocatur aurum potabile: qui ex Luna, dicitur lac virginis. Aurum est elixyr fermentatum rubeum: Luna est album. Extractio fit per aquam mercurialem;*

De Multiplicatione ex Riplæo.

AD hanc via est apud Riplæum *per portam vndecimam*. Dicitur *augmentatio vera elixyris, in quali & quanto*, colore, odore, virtute. Vnde agnoscemus, esse *fermentationem quandam spiritualem*, vt describitur *in lib. de Mercurio*. Quid augmentatur multiplicando? *Medicina*, quæ iam super 1000. vel 10000. cadere poterat. Vnde vocatur *multiplicatio*? Quia cum paruam haberes quantitatem, vt cochlear vnum, potest per repetitam fermentationem, & imbibitionem augeri in magnam copiam: Et hæc vicissim multiplicari in infinitum. Deinde cum generatio sit differens, & quædam sint vnipara, *medicina nostra fit multipara*, adeò, vt vnum granum tandem super millies millia & ducenties millia cadere possit, licet ad eam subtilitatem tardò adducatur. Quæ est causa huius multiplicationis? *Vis ignea*. Est enim ignis, qui excitatus nunquam moritur: *Ex vna scintilla ignis potest fieri immensus*. Efficiens causa ignis internus & externus est. Breui vero omnino tempore operatio peragitur, quia ignis internus est validus, & actuatur paruo calore externo. *Materia* sunt *dua*: *Vna*, subiectum multiplicandum, estque medicina iam 1000. vel plures partes transmutare potens: siue rubea sit, siue alba. Nam multiplicatio conuenit vtrique lapidi. *Altera* est, per quam fit: & est duplex: Argentum viuum lotum, quo fit solutio. *In multiplicatione posse adhiberi etiam hydrargyrum.* Nam aqua prima non indigemus, quia medicina nostra liquescens in aquam argentum viuum in eandem mutat, cum sint aquæ familiares; fitque perinde, ac si aqua forti soluetes argentum, vel aurum aut aliud metallum mercuriali aqua, quæ fit ex sublimato: Facit enim mercurium aqua mercurialis. Deinde est fermentum: vt sic fermentatio & imbibitio repetitæ augeant nostram medicinam.

Modus: Riplæus ait: *Vna via est, si dissoluas nostrum puluerem siccum, faciasq; dissolutorum frequentem congelationem: Inde fit augmentatio in virtute*. *Duplex multiplicatio.* (Non in quantitate. Quia medicina calore per se soluitur, nigrescit, albescit, rubescit atque ita coagulatur) *Secunda via simul est in bonitate & quantitate per iteratam fermentationem*, vt *in cap. de fermentatione, & cibatione* dictum, quæ multiplicatio fit cum Metcurio. Quod si velis vnà soluere, atque etiam fermentare, augebitur tam in quantitate, quam in virtute: quo modo si fermentas, in vitro crescet in modum ARBORIS, quæ dicitur HERMETIS; *Arbor Hermetis.* cuius vnum granum proiici potest super mille, si modo sapienter facias proiectionem. *Multiplica semper magis ac magis in tuo vitro, enutriens illum mercurio.* (Multiplicatio fit virtutis, cum absque additamento repetitur solutio & coagulatio, in quibus fit simul conuersio elementorum & successus colorum in vitro clauso. Quando vero corpus simul crescere volumus, *dua rota sunt seruanda: vna fermentationis, altera nutritionis.* Amalgama aurum vel argentum mercurio, & solue medicinam tuam argento viuo iuxta proportionem quatuor ad XII. Vide, vt soluas tam leui calore, vt frigus censeri debeat. Nam si calor maior est, argentum viuum non superat, sed superatur. Debet autem dominari humiditas. Quocirca, quàm valida sit tua medicina, vide. Quæ in calore forti mutare mille partes poterat, iam autem non debet mutare sed mutari, vide, quo modo proportionem inuenias. Solutiones coniunctæ imponuntur, vt in fermentatione, celeriterque omnia signa succedunt, præsertim si aqua est minor. Cum iterum facta est medicina rubea, vel alba, imbibe seu nutri eam, vt *supra*. Hæc est multiplicatio, quæ repeti sæpius potest vsque in infinitum. Est & multiplicatio in proiectione super proprium corpus, de qua *in sequentibus*. Enutriri debet lapis mercurio. Sed de hoc in recapitulatione occurrent plura.

De Proiectione ex Riplæo.

NOmen Proiectionis hæc operatio habet inde, quia parata iam medicina *iniicitur* aut ſpargitur in argentum viuum feruefactum in chartula, vel cera rubra: vel in metallum liquatum, candenſve mittitur per modum iniectionis. Proiectionem facit artifex, & ad eam habet inſtrumenta ſua, *catinos, focum, ſolles, prunas flagrantes, ceram, canalem, boracem*. Materia eſt medicina tranſmutans alba, vel rubea, eaque prius explorata eſſe debet primum, *num fluat*, vt cera ſine fumo: deinde *num ingrediatur*, & tingat conſtanter ſecundum examina auri vel argenti pro genere medicinæ: præterea *quantum tingat*. Non enim omnes pariter ſunt efficaces; licet elaborentur ad ſcopum 100, 1000, 10000. &c. Ideo *ſupra* in inceratione poſt exaltationem explorationis modum & argumenta poſuimus. Riplæus *porta* 12. ait: *In proiectione probabitur, ſi tinctura ſit vera & conſtans*: qui eſt vnus proiectionis vſus.

Examina & argumenta bonæ medicinæ.

Probabis cum pauca quantitate tuæ medicinæ: 1. num metallo aut hydrargyro *tanquam pix adhæreat*. 2. num proiecta *tingat* ita, vt tinctum ſuſtineat omnem ignem debitum album ſcilicet ignem argenti, rubeum auri. 3. *Num intret*, & largiſſime ſe ſpargat. *Forma* & modus *ante* dictus eſt. *Finis* in aurum vel argentum, aut medicinam tendit. Itaque exploratoriæ proiectioni adduntur duo vſus præſtantiores; vt faciat *medicinam vel metallum*.

Prima proiectio ſuper corpus proprium.

Proiectio faciens medicinam pro ingreſſu notatur, cum inquit: *Tinctura ſuper metallum impurum proiecta euaneſcit* propter corruptionem, vnde fiunt corpora fragilia, fuſca, nigra. *Proiice ergo medicinam ſuper fermentum ſeu ſuper aurum, ſi eſt rubra: ſuper argentum, ſi eſt alba.* Hinc fiet corpus fragile *vt vitrum*. Hæc eſt *proiectio ingreſſiua*.

Proiectio 2. ſuper imperfecta.

Deinde *proiice illam fragilem ſubſtantiam ſuper corpora mundata, & valde pura*, ſtatimque videbis, curioſe colorata tinctura, quæ ſuſtinebit omnes probas. Hæc de bis. In probatoria proiectione mouet, *vt experiamur vim medicina proiectionibus tribus, quatuor, quinque, donec videamus; quod non amplius tantum tingat, quantum prius.*

Ad ſciendũ quantum tingat.

Si prima tinctura eſt altior iuſto, in ſecunda ſume plus corporis, & ſic deinceps: Plerumque autem prima proiectio ſuper argentum viuum tam fortis eſt, vt inde non fiat metallum, ſed medicina ſimiliter tingens. Ideo hanc cape, & viciſſim proiice ſuper argentum viuum (in quo res melius ſuccedit) ſi vides in metallum abiiſſe, bene eſt: ſi nondum eſt metallum; adhuc erit medicina, quam experire porro, quantum comprehendere queat. In igne contine tuum vitrum & multiplica medicinam tuam magis magiſque, ne aliunde quæras id, quod tecum habere potes.

De medicina in oleum & aurum potabile vertenda.

Inceratio.

IN *oleoſam conſiſtentiam facile vertitur per incerationem*, ſeu imbibitionem, vbi aqua noſtra prima adhibetur. Fit ex calce noſtra viua alba, vel rubea. *Vide*, inquit Riplæus in præfatione, *vt intelligas tuas aquas menſtruales*, (*mineralem*, quæ eſt prima noſtra: *vegetabilem*, quæ fit ex terra noſtra & aqua prima in imbibitione, vel ét ex lapide & medicina in nutritionibus: vnde dicitur à Lullio Exuberatio; ſeu emulſio nutritiua.

Exuberatio nutritiua.

Tertium menſtruum eſt animale myſticum in vitro, vbi eſt ignis naturæ: aliàs *Lac hominis*, quo infans noſter nutritur, conſtans parte aliqua lapidis & argento viuo) & iam facta calcinatione (cum coagulatio facta eſt; & terra ſeu puluis quaſi ex calcinatione, aut cinefactione euaſit) augeas, non diminuas humidum radicale, (per imbibitiones ſcilicet & cibationes inceratiuas) donec tua maſſa frequenti ſubtiliatione leuiter fluat, vt cera ſuper metallum (æs candefactum, argentum, ferrum, &c.) Tum *ſolue illam cum tuo vegetabili menſtruo* (nutritiua aqua, quæ fit ex parte vna lapidis, & tribus aquæ noſtræ) donec habeas inde OLEUM *coloris lucidi*: Et ſic viſibile eſt menſtruum illud.

Oleum noſtrum.

Ex hoc *oleum* extrahitur *coloris aurei*, vel ſimilis, ſcilicet ex *rubeo noſtro ſubtiliato plumbo*, id eſt, lapide rubeo, qui ex fermentatione prodiit. Raimundus ex eo fecit *aurum potabile circulando ipſum & menſtruum vegetabile* (de quo antè) *vt fiat lapis cœleſtis adeò ignea natura, vt proiectus ſuper argentum viuum crudum, in ictu oculi id occidat, & mutet, vt tingat ſtabili tinctura* (ex argento viuo medicinam faciat, quæ proiecta metallum efficit) omnia corpora in Solem vel Lunam perfectè.

Proiectio ſuper argentũ viuum.

Aurum potabile fiat ex noſtra tinctura, non ex auro calcinato: ſeu *ex noſtra baſi, quæ extrahitur cum menſtruo circulato*. Antequam autem aurum diſſoluatur, ſubtiliatio debet fieri. In tertia porta *oleum* producit *ex petra dura*, quod vocatur *incombuſtibile*, nempe per nutritionem inceratiuam, de qua *ſupra*. In recapitulatione inquit: *Diſſolue cautè tuam baſim*: (medicinam multiplicabilem) *& conuerte illam in perfectum oleum*: quod circulatione fieri debet iuxta noſtrum propoſitum. (a) Hæc olea figent crudum mercurium, vt ſint Sol vel Luna perfecta.

Aurum potabile, quod aliàs etiam nutritionis noſtra humor.

Oleum lapidis.

Eſt *baſiliſcus* Reimundi, vt habetur in procemio. In lib. de Mercurio: *Quando lapis noſter completus eſt in ſuo proprio genere, erit durus qui non facile ſoluetur. Veruntamen ſi vxorem ſuam ei addideris, ſoluitur in oleum incombuſtile Philoſophorum.* Debet elixyr ad flammam facile liquari. Ideo iſta de incerato lapide accipiuntur. *Album quoque in oleum ſoluunt pro cerebri morbo.* Spiritu vini, ſeu quinta eſſentia extrahunt tincturam alii. Alii puluerem immittunt, & vel integrum, vel ſolutum bibunt. Idem fit vino & aliis liquoribus. *Vniuerſale* ad omnes morbos eſſe prædicatur, adeò vt *Lullius ſumto quaſi reuixerit*. Videntur primi *aurum potabile* dixiſſe, *quia noſter infans eo potatur*: ſed poſteriores ad hominum medicinam tranſtulerunt.

Aurum potabile ſecretum.

(a) *In lib. ſecreti maximi: Si illa volueris multiplicare cum fermento ex quo fuerunt ab initio, totum vertetur in medicinam puram, cape ℥ j. pulueris aurifici, proiice ſuper ℥ x. cuiuſcunque metalli. Fiet aurum purum. Super hoc iterum proiice ℥ j. & erit medicina. Repete hoc toties, denuo fluet vt oleum, quod eſt oleum auri.*

Recapitulatio seu Epitome totius magisterii Riplæi.

QVI intellexit hactenus traditorum ordinem, qui & naturæ est, & artis, facilè assequetur anacephalæosin Riplæi: *Nostra materia nec fingitur, nec pingitur: Est res natura, & naturaliter mouetur, agitq; & patitur.* Habet potentiam naturalem, quæ actu quodam externo, & applicatione dispositi familiaris, sicut aqua regia iniecto auro, aut oleum Tartari affuso spiritu salis ammoniaci, excitatur: Nihil aliud est, quam argentum viuum minerale primum argento viuo, post auro familiarissimum. Ex eo elicienda est quinta essentia per media mineralia, seu sales detergentes. Hæc alteratur ante fermentationem, & per quartam elementorum rotam in rubeo opere vertitur. Deinde fermentatur in coniunctione matrimoniali, nutritur, exaltatur, multiplicatur, proiicitur super argentum viuum, & imperfecta; etiam stibium & marcasithas mercurio abundantes. Fit aurum aut argentum pro natura fermenti: Et quidem non *sophisticum*, sed verum, constans omni auri examine, & argenti: neque etiam *parabolicum*, in quod *Dorneus*, *Sucten* & alii opus philosophicum malè ex sua impotentia interpretando transmutant: sed *plane naturale, tametsi opera artis accesserit.* Non miscet artifex elementa, vt *Clauæus* voluit. Iam enim sunt per naturam commista: sed in mercurio nostro eorum dispositiones & signa producit, atque adeo coquendo & maturando perficit: Genus ad speciem certam alligat, & tandem aurificam, vel argentificam in communi materia metallorum, aut imperfectis medicinam Dei benedictione reportat. Ista est ars tota ordine vero naturæ & artis, (ars enim sequitur naturam, neque quicquam sine ea operatur) comprehensa. Riplæus autem totam quidem artem habet in sua Epitome, sed *transmutatione* cryptica ab indignorum inuasione munitam. Qui vis cum fructu in ea versari, *incipe à posterioribus, eisq; coniunge prima*: finem habebis post medium.

Memento, (inquit) *hominem esse nobilissimam creaturam in compositione terrea, quam vnquam Deus creauit.*] De materia disserit sub typo hominis, qui frequens est in nostri magisterii declaratione. *Minor mundus κατ' ἐξοχὴν* Homo dicitur, in quo cœlestium & elementarium quasi compendium est. Ad similitudinem maioris mundi Hermes scripsit etiam lapidem nostrum fieri, quin & nasci ex duobus seminibus sicut homo. Accipe ergo secundum hanc analogiam *Creaturam Dei quandam perfectissimam*, quæ sic possit naturaliter perfici, vt hominem videmus. Non angelicam aut aliam incorpoream sumere iuberis, neque etiam corpoream simplicem & impatibilem; sed compositione terrea constantem. Ea vero non est alia, quam mineralis. Licet enim animalia quoque & plantæ ex terra sint procreata: *mineralis tamen* præ illis *accipienda est*, quippe quæ fit ex prædominio terrea. *Supra in portis* iussi sumus salia, sulphura & media mineralia cum aquis corrodendi vim habentibus cauere: quia *in genere metallico tantum sit nostrum totum opus.* Cum vero in metallis inueniamus argentum viuum, & sulphur cum specie salina, vitriolo, halonitro &c. habeamus etiam *Semimetalla*, & duplicem metallorum classem, adhuc quæritur, quo se vertere debeat discipulus? Doceant te aliorum errores, qui frustrà soluerunt metalla, & temerè perfectionem quæsiuerunt in eo, in quo non est. *Magnesiam, æs, plumbum*, nominant quidem, sed symbolicè & parabolicè. In fine est principium, Non sophisticum vel æquiuocum aurum vis facere. *Abstine ergo tincturis sophisticis. Veri & naturalis auri principia sunt argentum viuum tanquam materia: & sulphur auri speciem conferens.* Hæc duo sunt respicienda: & quoniam per modum perfectionis & maturationis procedendum est, *auri prima materia est inuenienda. Nam motus est ex imperfecto disposito ad perfectionem.* Id in primam materiam nulla alia vi perduces, nisi per communem metallis omnibus materiam, quæ etiam ideo inuestiganda est, quia omnibus metallis simul consultum cupimus, ita vt nostra medicina familiaris sit omnibus, & in omnia potentiam habeat. Iam nosti omnibus metallis argentum viuum, tanquam materiale principium esse cognatum, nec vllam dari rem in vniuersa natura similiter erga metalla affectam. Veruntamen quia id in natura passum est aliquid, vnde imperfectum, crudumque seu rude est, nec potest penetrare in interiora metallorum, nec adhærere illis indiuulse, multo minus ea penitus resoluere propter terrestreitatem sordidam, sulphur immundum, combustile, & humiditatem ignauam; indiget præparatione, vt voti fias compos.

In eo (inquit Riplæus) *est quatuor elementorũ proportionatorum per naturam* NEVTRALIS MERCVRIALITAS.] Tu non debes miscere ex elementis. Iam enim per Dei creationem mistio est facta, & quidem ita, vt elementa coierint certa proportione, quam solus omnipotens, & omniscius artifex potest procurare. Nos laboramus in inuestigando, & multa verba facimus de exacta terræ cum aqua in argento viuo commixtione, quam etiam in auro ponimus: sed ponimus tantum. Quidam etiam scrutando cognouerunt, quod *argentum viuum sit aurum inuersum, & aurum argentum viuum inuersum.* Nam aurum calidum siccum igneumque deprehendunt, cum argentum viuum tactu sit frigidum humidum; sed quod in recessu item sit igneum, sicut aurum, intus aqueum, materiis vtrobique symbolo tanto conuenientibus, vt nihil sit familiarius. Verum etiamsi hæc intelligamus, & experientia comprobemus, tamen non possumus vlla arte vel ingenio similem compositionem & crasin efficere. Per naturam proportionata sunt principia, non per artem humanam. *Forma*, quæ inde extitit, Platonicè & Hermeticè dicitur *Mercurialitas*, quasi dicas rationem, qua quid est mercurius, sicut Platonici Ideas suas nominant, *Sanguineitas, menceitas, aureitas, hydrargyreitas &c.* Ea vero *neutralis* est, hoc est, habet se ad omnia metalla æqualiter, inclinans ad omnia, dispositaque ad omnia: quæ est potentia communis ad omnes formas metallorum suscipiendas. Natura quidem,

Apocalypsis Hermetica artificii Riplæi.

Mercurialitas neutralis.

dem, quando agens principium accommodat, instituit optimum, & ad id tendit, quod in quolibet genere est præstabilissimum: sed materia per se indifferens est: cumque ars etiam ad optimum contendat, eandem materiam, idemque agens principium adhibere debet. Vbi iam est illa mercurialitas neutralis, quàm in generico, seu communi omnibus metallis mercurio? Altius non debes cogitationes extendere. Neq; enim excedis genus metallicum. Qui ergo garriũt de salibus omnium rerum, quod extracti possint liquescere, & in mercurium conuerti, circumducunt imperitos verbis, vt & illi, qui suam materiam adeo faciunt generalem, vt *in omni re inueniri dicant*, quod vt verum est comparatione, & generalissimo complexum: ita determinatè non est verum. Neque enim mercurialitas determinata mineralis in vllo est alio, quam essentiali mercurio. Nota in voce *mercurialitas* sensum Hermeticum. Mercurius est planeta cœlestis naturæ neutralis. Symbolicus ergo mercurius item debet esse cœlestis, vt sit harmonica concordantia inter argentum viuum nostrum, & Planetam cœlestem. Consequens est, *non totum corpus argenti viui esse mercurium nostrum materialem, sed eius essentiã cœlestem* per modos extractionum ex elementari, seu minerali extractam. Elementare corpus quasi capsa est, & matrix, in qua concepta & generata est essentia cœlestis, sicut ea de re loquuntur quidam Hermetici, cum Platonicis, & Aristotelicis ferè eadem dicentes. Cœlum enim volunt esse agens vniuersale, cuius distinctæ stellæ operationes habeant in inferioribus distinctas, & mercurius faciat argentum viuum in sua matrice ex seminio disposito, Sol aurum, Luna argentum, Mars ferrum, æs Venus, Iupiter stannum, Saturnus plumbum, sed nobis satis est creatoris potentia, & digestio prima.

Non totum argentum viuum esse materiam, sed essentiam eius cœlestem.

An singuli Planetæ singula efficiant metalla.

Quæ omnino nihil constat.] Expono vel de nullo nostro labore in prima generatione, quando solius naturæ à Deo institutæ & promotæ opus est: vel de vili pretio, quod licet ab aliquibus ematur materia, tamen respectu commodi futuri, nihil sit: imo vel gratis haberi possit, vti & natura ipsa cõfert gratis. *Producitur arte ex sua minera.*] Quam natura præbet materia assumitur ab artifice, & elaboratur iuxta præscriptum artis. *Minera* dicitur minerale argentum viuum, quod est matrix argenti viui nostri. Aliàs minera etiam locum naturæ, in quo metallum, aut fossile aliquod nascitur, significat. Sanè est aliqua ars argenti viui, ex sua vena excoquendi, de qua apud Agricolam, Dioscoridem, Plinium, & alios. Verum de ea arte hîc non loquitur Riplæus. Magister Hermeticus non cogitur ista arte operari, cum venale inueniunt argentum viuum Istricum Hydriæ montis, Vngaricum, Hispanicum, Indicum in Emporiis. Eligere saltem optimè temperatum, idque indiciis suis comprobare debet, vt *alibi* dictum. Quod si respicis homogeneam materiam, quæ ex perfectis metallis concurrit, minera nostra etiam est aurum & argentum: Est elixyr. Artem descriptam habes *in 12. portis*. Vide præfationem, portam primam & tertiam, vbi de materia prima, & aqua nostra habentur præclara.

Minera.

Nam nostra metalla nihil aliud sunt, quam nostra duæ mineræ nostri Solis & Lunæ.] Audis artem nostram esse circa metalla, sed non exclusa prima metallorum materia. Sol & Luna parabolicè sunt aurum & argentum; sed adiectum NOSTRI facit discrimen inter vulgaria, & philosophica, quorum illa sunt confusa cum elementis: hæc ab elementis liberata & ad astralem naturam perducta. Quæ similiter sunt affecta, etiam dicuntur *aurum & argentum nostrum*: vt, *elixyr album est nostrum argentum: rubeum est nostrum aurum.* Sic lapis albus & rubeus, tinctura vel medicina alba & rubea. Hîc Riplæus *duas* proponit *mineras*, in quibus sit noster Sol, & nostra Luna, hoc est, *duo elixyria* ex vna radice mercuriali, quorum album potentiâ continet Lunam nostram, & dicitur etiam *calx alba nostra*: rubeum habet potentiâ Solem nostrum, estque *calx rubea nostra.* Hæ duæ calces viuificantur, seu animantur, alba per argentum, rubra per aurum, ex quibus aqua nostra mercurialis in fermentatione extrahit animas, seu tincturas, quæ sunt NOSTER Sol, nostra Luna, easque reddit suo *corpori*, vnde iterum viuificatur, & nascitur *homo noster*, seu *Infans.* Hinc dicitur, *aurum nostrum viuum esse*, vt & argentum. Atqui est & *tertia minera*, nempe argenti viui nostri? Respondeo, est quidem illa minera, verum naturæ, non artis. Ideo *non dicitur minera nostra*: licet nihil referat, etiamsi tertia ponatur, & appelletur.

Nostra.

Aurum, argentum. Sol & Luna nostra.

Duæ mineræ nostræ.

Calx alba & rubea.

Calces viuæ & animatæ.

Aurum nostrum viuũ, & argentum viuum.

In has duas mineras splendor Lunæ & Solis lucidi secretè descendit.] Mineras dixi esse matrices duas, vnam rubri, alteram albi lapidis, & vtramque vocari elixyr ante fermentationem: vtramque etiam *animari per suum fermentum, mediante argento viuo nostro.* Sed postquam coniuncta sunt ista tria in vno vitro, excitata natura argenti viui extrahit ex illis *animam & sulphur specificum*, vnde relinquitur *corpus*, quasi *mortuum.* Quia vero spiritus ille animæ vector non potest effugere, sed à rotundo ambitu vitri reflectitur super mineram, quæ est *matricis* instar *semen fœmineum habens*: denuò animatur corpus, fit conceptus, & nascitur infans. Sic in secreto nostro vitro splendor auri & argenti *quasi è cœlo descendit in materiam.* Intellige verò per *splendorem* non actualem fulgorem, sed *potentialem*, atque adeo *sulphur solificum & Lunificum*, quod & *anima* appellatur. Quæ verò est ratio artis, ea & naturæ perhibetur. Ideo si vis scire naturæ mineram, & Riplæum nostrum de hac exponere, ponenda est materia mercurialis in terra matrice. Deinde, si quidem astra aliquid conferunt, dicendum, super eam influere vim astralem, & educere sulphur metallificum spirituali modo, quod sulphur, dum super materia reflectitur, insinuat se in eam, vtpote familiarem sibi, & desiderantem informari appetitu naturali. Ideo & receptio est auida, & amplexatio, tandemque vnio inseparabilis. Sic aurum vel argentum in lapidibus, terrisque concipitur, & ibidem natura, & calore loci perficitur, si nihil prohibeat. Quoniam autem euenit, vt materia partim sit optime disposita, partim peius, idque diuersis gradibus: hinc euenit, vt semen degeneret, vel crudum maneat in aliqua forma imperfectionis, quæ superueniente coagulatione fit plumbum, stannum, æs, ferrum, aut aliqua ma-

Anima in corpus immissa euolat, cumq; euadere non possit, redit in id, & ipsum animat secundò.

Aurum & argentum quo modo in natura nasci dicantur.

qua marcasitha, seu semimetallum. *Argentum viuum per se manet*, tanquam fœmineum sperma, & omnium venti, super quod nullum sulphur metallificum descendit: Imo sæpe valde crudum manet & impurum, vtpote quod in mineris crudis polluitur, & sulphure impuro, combustibili, terra inerte, & humiditate elementari inquinatur. Quoddam tamen in melius dispositis mineris magis coquitur. Vnde & discrimen est hydrargyri. Eodem fundamento vtuntur *in gemmis*, aliisque *fossilibus*, item *vegetabilibus & animalibus*, vnde putant, *se vniuersam naturam nudam conspicere.* In matricibus animalium semen materiale & formale concurrunt. Matricibus conclusis calore agente consurgit spiritus: vnde illo tempore *muliebres affectus varii*, ille vero reflexus sæpe super materiam eam fœcundam reddit, randemque in vnitatem naturæ congressus efficit conceptum, ex quo gignitur & perficitur infans, qui enixus nutritur materno lacte eiusdem naturæ, ex qua erat & semen, nempe ex sanguine. Ita est & æquiuoca animalium generatio in matrice elementari terræ & aquæ. *Vegetalia feruntur nasci in aqua & terra*, quando semen turgescit humore, & lactescit. Tunc calore matricis suæ prouocatur spiritus, qui easdem conuersiones circulares sursum, deorsumque facit, & corpus quidem genitutæ conceptu fœcundo implet, sed postea deorsum versus radices efformat: sursum vero herbam, & alias partes plantæ. Omnibus præest generalis cœli reuolutio, cuius vis adiuuat ex terra & animalibus nascentia, quod testantur anni partes, & locorum dispositiones singulares. Si de elementis quæris, habes in eodem actu euidentissimas declarationes, adeo, vt tota præparatio ferè nihil dicatur aliud esse, quàm conuersio elementorum. Ex horum motu postea & affectionibus meteororum miracula explicantur. Ita habes vniuersam naturam. Hæc secreta ab omnibus abscondita sunt, qui non sunt illuminati cognitione magisterii sapientum, quod ex ista plerophoria non immerito PHYSICUM dicitur, & Philosophis ascribitur, cæteris mirificarum opinionum portentis tanquam in mari vasto fluctuantibus, & nescientibus, quid asseuerare debeant. Quidam circa cortices occupati nucleum non vident: alii ducuntur autoritatibus incertis. Ego *iubeo discipulum nostrum hanc naturæ contemplationem cum diuinarum literarum enuntiatis coniungere.* Ita assequetur sapientiæ diuinæ & naturalis ad hanc vitam sufficientem thesaurum. Sed ad Riplæum nostrum redeamus.

Conspectus naturam nudat.

Animalia vt generari putentur.

Vegetabilium procreatio.

Elementorum natura.

Chymica & sacra physica verissima est simulque sapientia minimè fallens.

Splendor est absconditus tuo visui, inquit: *sed arte efficere potes, vt appareat manifestè.*] Hoc vt intelligas, vide quid mihi euenerit. Volebam aliquando stibii albi regulum, quem bismuthum excoctum, & marcasitham vulgo vocant, liquare, & cum calaemo confundere. Cum vero in trulla seu cochleari aliquid hæsisset, vtpore citius concrescens, quam effundi posset, reddebam prunis cochlear tanquã penitus liquaturus. Ecce tibi non fundebatur, sed per totam superficiem *pulcerrimi colores omnis generis* ex præstantissimis emicabant. Erat hîc *aureus* splendens: *Lac argenti, nigredo*, quasi picis combustæ, & fuliginis: *Viriditas* excellens: *puniceus* color fulgidus, & omnino cauda pauonis & Iris Philosophorum. Hi colores si paululum ignem intrudas, cum iam picea tua materia in vitro transit, in albedinem etiam prodeunt, specieq; scintillantium stellarum mirificè apparent. Hinc dicit Riplæus, Solis & Lunæ splendorem tantum potentialem esse, & inconspicuum: Si videre cupias, posse id arte effectum reddi. Quando post fermenti impositionem quoque calore externo internum suscitante spiritus surgit, animamque seu tincturam secum eleuat, iterumque defert, nihil vides, nisi nubeculas, aut nebulas; & tamen in illis est anima, sulphur, tinctura, & splendor auri, & argenti, qui in materia elucescit condensatione, seu Aristotelica definitione, quando in disposito subiecto lumen terminatur cum splendore. In coagulatione etiam elixyris splendor prodit lucidus, nempe candidus in albo, in rubeo rubinus. Verum hæc melius cognosces experientiâ.

Varii colores in marcasitha.

Hunc lapidem absconsum (pergit Riplæus) *hanc vnam rem putrifica; Laua in suo liquore, donec albescat.*] Lapidem vocat vago modo. Neque enim iam lapis est, sed via & materia ad eum. Ideo addit *absconsum*, hoc est, in potentia existentem, quod perinde est, ac si dixisset, materiam lapidis, aquam nostrã, mercurium nostrũ &c. Est *res vna mercurialis ex argento viuo vnico extracta.* Nihil hîc habes præter vnum materialiter & formaliter. Vnde intelligis dispositionem materialem ante fermentationem, quæ alteranda est, & ex elemento in elementum conuertenda. Quibus modis? Putrefactione, cum qua est nigredo coruina, & ablutione per proprium liquorem. Materiam nostram, seu aquam primam paruo calore in suo vitro coque. Hîc nigredinem contrahet, licet tarde, vnde opus erit patientiâ. In nigredine humiditas dominabitur cum calore. Inde paulatim siccescet, & albefiet, quanquã ita, vt adhuc nigredo appareat. Hanc vt totam tollas, corpus coagulatum fœdum include cucurbitulæ aptæ. Define in calore blando aliquandiu, vt arefiat magis. Tunc aquam nostrã primam cum parte eius tertia subactam instilla, & fac, vt potet. Hæc aqua vocatur *Liquor eius*, quia ex ea factum est corpus, & ipsa vicissim diluta corporis aliqua parte, vt eo citius alterum ab altero recipiatur. Tamdiu lauandum est, donec albescat, seu incipiat albere, idque propter aquam potatam. Inde siccescit magis, magisque clauso vase & calore continuato, donec perfectam accipiat albedinem. Tunc habes elixyr album, quod albi lapidis causâ diuidendum est in duas partes, quarum vna albo fermento destinatur: altera assatur per 30. dies, donec rubeat pro fermento rubeo.

Lapis.

Tum fermenta (inquit Riplæus) *sapienter: Et sic habes summam totius operis.* De hoc regulam habes *in porta IX.* Vide *quo modo fecisti in corporibus imperfectis* (in elixyre hactenus confecto) *sic fac per omnia* (quantum attinet ad modum processus. Aliàs enim tria concurrunt, vt elixyr, fermentum, & aqua mercurialis) *in corporibus perfectis*: id est, primo ea putrefac, destruendo qualitates, & alterando &c. vide ibi reliqua. Quoniam autem totum processum fermentationis initio statim recapitulationis descripsit Riplæus, non opus habemus per multa vagari. Statim adeamus descriptionem ipsam.

Hactenus posterior pars recapitulationis quæ debebat esse prior.

Incipe in Occidente] Initium hoc operis naturæ est, non artis. Nam ars prius aurum vel argentum ex natura purum putumq; hydrargyro calcinauit: Deindè aliqua parte aquæ nostræ soluentis

Pars prior recapitula-

ronis, quæ natura ordine est posterior.

imbuit Huic offæ addidit elixyr album vel rubeum, item aqua nostra dilutum. Melius miscentur aquæ aquis. Hæc imposita vitro calore blando fouit. Inde paulatim lux perit, & crepusculum noctis ingruit, quod est signum actionis & passionis mutuæ, & comparatur Soli occidenti. Cur vero

Occasus Solis cur initium artis.

Initium ponatur in occidente, causa est, quia nisi oboriatur nigredo, quæ est signum solutionis & putrefactionis secretæ, nondum potes dicere Initium motus factum esse: Et si non procederet putrefactio, sed mistura lucida maneret, tu quidem mistionem tuam incepisti, sed natura nondum. Non satis est amalgamare, & elixyr dilutum aqua proiicere super amalgama, vt in porta nona dictum. Necesse est, naturam incipere alterare, & elementa conuertere putrefaciendo, soluendo, coagulaodo.

Mas rubeus, coniunx alba.

Vbi mas rubeus, & coniunx alba fient vnum.] Fermentum in rubeo opere aurum dicitur mas; elixyr solutum, fœmina. Vulgatis hæc sententia est. Noster Philosophus secretius quid respicit. *Sulphur fœmineum in auro vocat marem, argentum viuum fœminam.* Vtrumque quidem in vno corpore est coniunctum, sed dissolutio ea seiunxit, & efficit, vt sulphur, anima, forma, mas &c. eleuetur per spiritum; mercurialis materia tanquam mortua iaceat in vitri imo. Sed frequente reciprocatione redeunt in concordiam, & vinculo amoris recolligantur. Ideo dicit: *Desponsati spiritu vitæ, vt viuant in amore & quiete*: hoc est, spiritus vitalis, qui ex massa fermentata calore resolutus assurgit, vehit secum vim masculam seu sulphuream, quæ & anima dicitur. Vxor alba vel corpus exanime interim iacet quasi in sepulchro. Sed spiritus ille reducit sponsum, eumque sponsæ exanimæ copulat quasi matrimoniali vinculo. Diligunt autem se mutuo, & auidissime coniunguntur propter affinitatem, & puritatem essentialem. Ideo facto coniugio deinceps parabolicè dicuntur viuere, & vnà manere sine disturbatione. *Vita* est virtus eorum efficax. *Quies* est connexio indissolubilis. Non enim elementa elementis, & qualitates qualitatibus iam amplius aduersantur, nec vllus dissensus est, verum quies placidissima, quæ rumpi nequit. Causa concordię huius est, quia terra & aqua æqualiter sunt proportionata, seu ad temperamentum ponderis perducta, in quo nulla qualitas dominatur, & sic nullum potest existere dissidium. Nomine terræ & aquæ etiam ignis & aer comprehenduntur, quæ intus latent, & ideo non nominantur, quia insunt inconspicuè. Suo vero tempore prodibunt, seque suis signis manifestabunt.

Proportio.

Vna terra pro tribus spiritus est etiam bona proportio: quæ est Spiritus duodecim pro quatuor partibus terræ siue corporis. Tres partes fœminæ, & vnam viri debes accipere: Et quo minus fuerit de spiritu in hac desponsatione, eo citius calcinationem absolues.] De proportione *supra* dictum est. Hîc tangit non eam harmoniam, quæ est in naturarum interiore conspiratione, & concentu: sed eam, quam ars potest seruare in compositione, ex qua illa resultat: vnde apparet versutia præceptoris ὕστερον πρότερον ponentis. Tria nominantur: *fœmina, mas, spiritus*, quæ mox nomine terræ & spiritus efferuntur, rursusque in tria diuiduntur. *Spiritum* esse in coniunctione externa mercurii nostri asseruatam partem, planum est. Huius ad terram proportio datur sesquitertia, vt sit terræ pars vna, spiritus tres: vel quod eodem redit, terræ seu corporis quatuor, spiritus duodecim. Non temere fit ista disiunctio. *Terra seu corpus* est elixyr iam per totam elementorum actum album, pro albo fermento, rubeum pro rubeo. Huius sumenda est pars vna, mercurii tres: vbi tamen monemur, si volumus calcinationem nostram citò absoluere, hoc est, per coagulationem puluerem nostrũ perficere, vt aliquanto minus de spiritu sumamus. Quod enim dilutius est, tardius exiccatur. Sit ergo prima coniunctio duorum, elixyris & mercurii nostri. Deinde alia coniunctio proponitur, in qua duobus accedit tertium, quod est fermentum: aurum, vel argentum masculam vim, & sulphur, seu tincturam secum habens. Hoc ea proportione addendum, vt in desponsatione secreta, semen masculinũ sit subtriplum ad fœmineum, vtroque iuncto tanto spiritu, quantus sufficit ad connectendum vtrumque, vt humiditas spiritualis sit in corpore femineo fœminæ, simulque masculam vim fermenti comprehendat. Ex omnibus apparent tres proportiones: prima est æqualitas quædam contemperationis inter terram & aquam, vt tantum sit elixyr, quantus mercurius: secunda est sesquitertia; vna terræ, tres spiritus. Tertia tres fœminę, vna maris, & spiritus tantus, quantus videtur sufficere ad coniunctionem, in qua stabilis cohæsio sit, & absolutio coagulationis nõ nimis protrahatur. Quidam in rubeo opere vnciam vnam auri ponunt, tres elixyris, & duodecim spiritus. In albo minus spiritus accipiunt, & plus argenti, vt sescunciam: verum de his etiam alibi. Tu cogita amplius de eiusmodi mysteriis.

Spiritus. Vna fermenti: Tres elixyris est proportio prima 1. ad 3. Hæc simul sumpta sunt 4. Ad hæc sumuntur aqua 12. Et est eadem proportio 1. ad 3. Tres proportiones in duabus coniunctionibus.

Septentrio. Ecclipsis. Hyems. Ver. Oriens. Luna plena

Tum in septentrionem per obscurationem progredere rubri viri & coniugis, quæ dicitur Ecclipsis soluens eos, & alterans inter hyemem, & ver: In aquam conuertens terram obscuram. Illinc per varios colores ascende in Orientem. Ibi Luna erit plena apparens interdiu.]

Symbolicus sermo est, quem plana dictione sic reddas: *Postquam fecisti proportionatam coniunctionem, offam tuam vitro include, & infer in Athannorem Philosophorum, administrans sapienter calorem lenem, vt materia incipiat nigrescere, & obtenebrari. Hoc signum est incipientis putrefactionis & solutionis. Perge calorem lenem dare, & nigredo crescet, eritque ater aspectus, qualis in nocte media nullis stellis lucentibus. Nihil apparebit neque de auro, nec elixyre aut mercurio: sed omnia erunt atris tenebris oppressa, quale quid contingit particulariter in magna Solis ecclipsi, vel in priuatione luminis illa, quæ in Ægypto per triduũ apparuit, aut Christo moriente. Dum autem hæc crassa nigredo durat, solutio philosophica peragitur, & corpus cum fermento, quæ hîc terra appellantur, in aquam ab aqua mercuriali resoluuntur intime. Inde paulatim fit mutatio ex aqua in aërem secundam successionẽ elementorum, vt & in præparatione elixyris, quæ res comparatur mutationi hyemis in ver.* Hyems *aquæ instar est:* Ver *aëris. Et in hyeme lumen Solis paucum, multæ vero tenebræ: in vere luculentius prodit lumen & purius: tenebræ vero decrescunt. Tale quid & hîc contingit. Dum autem fit transitus ex nigro in album, & conuersio ex media nocte in auroram, & ex hyeme in ver, varii colores apparent, quos Irin, & caudam pauonis propter mirabilem varietatem*

Hyems. Ver.

rem nuncupant. Inde succedit albedo quasi purè orientis Solis, quæ res etiam orienti comparatur. Nam dum lapis præcedente coctione albescit, Sol oriri, & dies incipere videtur: quo referunt verba illa in cantico Solomonis, quod pene totum potest ad mysticam hanc Philosophiam accõmodari, cap. 2. v. 10. 11. &c. Surge, propera, amica mea. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, &c. Hyems est frigida nigredo, quæ tamen non absolutè, sed relatè frigida dicitur: *Imber* est aquositas, qua desinente dominatur siccitas. *Flores* sunt colores varii albedinem antecedentes. *His omnibus ita progressis tandem vera albedo apparet quasi luna plena, cum in puro cœlo conspicitur: quod tamen fieri non potest manè, sed in loco orientis post occasum Solis benè.* Quo circa solœcismus astrologicus foret, si quis absque mysterio dicere vellet, *Lunam plenam interdiu apparere*, cum plena non sit, nisi ex opposito Solis, cumque dies est, Sol sit tunc supra, Luna infra horizontem, aut saltem vtrumq; luminare in confiniis Sed in mysteriis ratio conticescit. In nostro oriente simul interdiu luna plena apparet, non in oriente mundano.

Tunc præterit purgatorium, & illius cursus. Nam illic Sol oritur apparens albus & lucidus. Ibi est æstas post hyemem, & dies post noctem. Tunc terra & aqua post nigredinem conuersa sunt in aerem, & nubes & tenebræ sunt præterita, & omnia apparent lucida.]

In eadem allegoria pergit. Purgatorium vocat ablutionem nigritiei, seu potius nigrarũ quasi sordium combustionem, qualis fit cum asbestinæ telæ purgantur. Postquam decurrit & desiit hæc purgatio, sequitur mundicies pura cum colore albo. Cum purè terminatur lumen simul cum aliqua raritate aërea, albedo apparet, eaque si copiosum est lumen, & superficies tersa, cum splendore. Id in opere rubeo soli purè & sine caligine orienti comparatur perinde, vt prius Lunæ plenæ in opere albo. *Æstas* post hyemem iam ponitur, cum prius ver, nimirum seruata item differentia operis rubri & albi. In albo ver sequitur hyemem, in rubro æstas; quia hic calor est maior, vti & lux; ibi minor. In conuersione elementorum ex terra facta est aqua, ex aqua aër dispositionibus scilicet materię elementarem quandam mutationem referentibus. Nihil nebularum & nubium, aut tenebrarum etiam in profundo conspicitur sicut ante, cum fieret motus & agitatio per resolutiones, ascensum, descensum, &c. *Purgatorium.*

Et sicut occidens erat principium huius practicæ, & septentrio perfectum medium alterationis profundæ: sic oriens est principium speculatiuæ: sed sui cursus mox in meridiem facit consummationem. Ibi sunt elementa circulatione in aquam conuersa. Tum quin optatum tuum consequaris, non est quod dubites. Nam rotam nostræ Philosophiæ circumuolauisti.] Symbolismo nouo practicam & speculatiuam Philosophiam accommodat, non intelligens vulgaria Philosophemata de virtutibus ethicis, & theoreticis scientiis: sed artis nostræ, cuius finis est opus, seu lapis philosophicus, primordium ponit post coniunctionem, quando crepusculum; seu prima nigredo apparet. Tunc ea paulatim crescit, donec crassæ profundæque emergant tenebræ, quales sunt in media nocte nubibus densis cœlum occupantibus. Nihil aliud ibi conspicitur, estque priuatio visus potius, quam habitus, & actus. Et tunc naturam agere intelligimus, atque ita nostram praxin exercere. Quando vero cœlum nostrum pergit conuolui, paulatim Sol versus ortum mouetur, incipitque nobis lucem referre, qua præsente, iterum apparent colores. Ideo ortus dicitur *principium speculatiuæ*, quia tunc videre colores rerum denuo post noctem incipimus, & lapis noster ex tenebris in conspectum prodit albedine lucida. Inde progressus est in plenam lucem, qualis est Solis meridiani. Vnde rubri lapidis absolutio meridiei comparatur, seu lumini meridiano, vbi copia luminis est luculentissima. *Elementa* dicuntur *per circulationem in aquam ibi conuersa.* hoc est: Elixyr, quod per elementorum dispositiones ex terra per aquam, & aërem in ignem, hincque iterum in terram mutatum est, denuo ex terrea constitutione aqueam est sortitum, & inde perductum ad consummationem: quo facto ad metam instituti lapidis secundum essentiam peruenimus. *Practica Speculatiua.*

Nihilominus tuam rotam BIS adhuc circumdei oportet: in quo sunt comprehensa Philosophiæ nostræ secreta, declarata in XII. portis.]

Lapis fermentatus sua essentia perfectus est, cum in albo perfecta albedo, lucidaque cum debita fixione apparet: Ruber absolutus est, cum rubedo prodit fixa. Tingere tunc potes, si placet: Sed hoc non consultum. Itaque accidentales perfectiones adhuc duæ restant, quibus tum attenuatur substantia, & valde fit subtilis, & diuisibilis, tum virtus augetur. *Vna est imbibitio*, seu nutritio nostri infantis, de qua actũ est *in porta septima* quæ huc tendit, vt medicina fiat in igni facilis fluxus sine fumo cum constante fixione & tinctura. Imbibitio fit, vt *supra* posuimus, cumque satis combibit terra nostra, tunc includitur vitro, & coquitur per ordinem conuersionis elementorum, quę nigredine, Iride, albedine, rubedine indicatur. Hæc vna est rota superaddenda. *Altera* dicitur *sublimatio vel exaltatio*, de quibus *porta octaua & 10.* Medicina nostra soluitur secundo, & coagulatur eodem processu elementorum. Pro solutione argentum viuum assumitur, vt *supra* est expositum. Sic scribit Riplæus apparere ex recapitulatione, *in XII. portis* cõprehensa esse secreta nostræ philosophiæ, quia quæ hactenus dicta sunt, omnia habentur in illis portis, si addideris tamen etiam sequentia de multiplicatione, & operis initio, quod ipse transposuit, occultandi causa. *Nutritio.*

Si recte percepisti, quo pacto; calcinabis corpora, dissolues & putrefacies, & omnia secreta alia nostræ infimæ astronomiæ, cum perfecta intelligentia omnium polorum in nostro cœlo lucentium coloribus inexplicabilibus.] Vult dicere eum, qui intellexit verum modum operationum in 12. *portis* propositarum, posse calcinare corpora, & reliqua peragere. Calcinatio vocatur, cum per coagulationem & desiccationem fit quasi calx quædam & terra, id quod in omnibus euenit operationibus, excepta ea, quæ oleum seu oleosum liquorem præbet. Cum etiam terra nostra fixa est, ignem calcinationis plenum sustinet. Aliâs sicut aquis fortibus, regiis, aceto stillatitio, & similibus calcinantur metalla, ita in fermentatione etiam *Calcinatio.*

aqua nostra dicuntur solui, & in calcem tandem mutari, quanquam naturali, & nō violento aut corrosiuo modo. *Nostra aqua igni Gehenna dicitur ess. fortior.* Nihil enim est, quod sic aurum & argentum soluere possit: Putredo apud scholasticos physicos etiam terram ex misto reddit. Si quis velit de huius quoque vi dicere, quod calcem, vel terram nigram efficiat, illi id licitum esto. *Soluere* non est corrodere, sed concretum corpus in primam materiam aqueam, seu vnctuosam, & seminiformem humiditatem absq; violentia per primam materiam, quæ iam actu est aqua, perducere Nam quod potentia est, in actum ducitur per id, quod iam actum habet, estq; secundum genus simile, vt naturali actione passum sibi simile possit reddere. Ideo quia argentū viuum generalem affectionem habet ad omnia metalla: facilè colligitur eius actum idoneum esse ad opus, modo ad primæ materiæ, quæ est aqua quædam, naturam præparando redigatur, id quod facile potest fieri, quia iam est aquæ quædam species, licet non illa prima metallica. *Putrefacere* est accipiendum pro modo, qui in metallis fieri potest: & putrescunt sine imperfecta, vt plumbū, æs, ferrum, suo quodam modo in externis: verum in arte ratio est differens, sicut & cum distillatores aquarum & oleorum prolectationibus præmittunt regularē quandā putrefactionem. Nobis est concretā cōpagem soluere, & remoto termino siccitatis humiditatem, non alienam, vt in Aristotelica putredine, inferre; sed propriam conseruare, efficereq; aquam primordialem. Siccitatem vero & concretionem intellige talem, quæ etiam in liquore esse possit, quando putrefiunt quoq; liquida. De hac lege *portam quintam*, vbi tamen maximè ex fermentatione definitur, cum dicitur corporum interemtio, & trium rerum in nostro composito diuisio, quæ corpora interemta ad corruptionem deducat, & ad generationem apta reddat. Oportet te intelligere quasi *simile quid fiat in nutritione, & seminis procreatione*, quas actiones aliqui etiam per *putrefactionem* declarant, non intelligentes Aristotelicam, sed hanc nostram, vt & *supra* Drebelius de plantarum ortu, & alimento est philosophatus. Opus nostrum porro dicitur *astronomia infima*, quia explicatur terminis astronomicis, qui alias in summa astronomia, cuius subiectum est cœlum cum suis corporibus, passionibus, effectis, vsurpantur. *Concordantiam* aliqui vocant cœli, & elementarium, quod horum motus sequatur motum cœli, & inde gubernetur. Vt in Astronomia mundana est Sol cum cæteris Planetis, sunt stellæ, cœlum, seu sphæræ, circulares conuersiones, Ecclipses luminarium, splendores, calores &c. Ita & in nostro magisterio, in quo etiam partes anni, oriens, occasus, septentrio, meridies & alia finguntur: imò tota rerum corporearum natura dicitur adumbrari. Vt in cœlo magno sunt sydera pluuiæ serenitatis, caloris, frigoris &c. effectiua, ita & hic cogitantur. Vt ibi spiritus per omnia diffusus dicitur omnia digerere. Ita & hîc. Nobilius quid elementis Aristoteles in generatione mistorum agnoscebat, idq; analogum Elemento stellarum pronunciabat; idem & nos tenemus. Poli seu puncta coniunctionum ponuntur in magno mundo: Analogica sunt etiam in nostro paruo. Stellæ lucis colorisque mirificè varii sunt ibi, per analogiam sunt & in nostra arte.

Solutio.

Argentum viuum quia actum habet, actum potentialibus dare potest si præparetur.

Putrefactio.

Generatio & nutritio declarantur sapientum putrefactione.

Astronomia infima per analogiam habet ea, quæ suprema per essentiam, aut quasi.

De coloribus. *Pulcriores nunquam sunt visi. Pallidus & niger, falsus citrinus, imperfectus rubeus, pauonis plumarum color elegantissimus; & Iridis, qui etiam præscribit: Panthera color varius, Leo viridis, coruorostrum nigrum, vt plumbum, it apparebunt ante perfectum album & alii plures colores: Post perfectum album cinericius, & falsus citrinus, & postea apparebit sanguis rubeus impermutabilis. Tunc habes medicinam Tertii ordinis in suo genere multiplicabilem.*]

Colores in lapidis coctione.

Commendat primum colores ab elegantia: Et sane si quis videat colores, qui mihi ex marcasitha emerserunt, is cogetur dicere, pulcros esse. Habeo & *lapidem ferrosum*, in quo *Iris* mirabilium colorum splendore & varietate iucunda conspicitur. Quis nescit, *pulcerrimos colores ex fossilibus*, potissimumq; metallicis existere, qui de minio natiuo, Lazurio, colore auri, argenti, orichalci, &c. cognouit? Inde & gemmæ pulcerrimæ. Sunt & in plantis colores speciosi, sed euanidi. Ideo & pictores præstantiores mineralibus maxime vtuntur, *vegetabiles* fere chartarum pictoribus, & infectoribus lanarum relinquunt. Deinde colores isti potissimum in rubeo lapide considerantur, & diuiduntur in classes duas, quarum prior *imperfectos & euanidos* continet, posterior *perfectos & constantes*. Transitorii sunt: 1. *Pallor* in materia, quando primum coniunctio facta est ex aqua, elixyre, & corpore perfecto, qui pallor in albo opere ad albedinem inclinat magis. 2. *Nigredo*, quæ tametsi sit vnus ex principalibus coloribus, & diu duret, tamen tandem præterit. 3. *Citrinus* euanidus, quem falsum dicit, pro mutabili. Nulla enim citrinitas est stabilis; adq; adeo tales colores sunt signa imperfectionis, seu progressus per formas imperfectionis, quæ agente in materiam calore sic ordine succedunt, qd notandum est, vt scias, quam procul sis ab initio & fine. 4. *Rubeus* imperfectus respectu vltimi, & perfecti dicitur. Apparet is quidem ante albedinem perfectā, sed exolescit rursum. 5. *Cauda pauonis*, & *Iris* pro eodem habentur, qui varius dicitur, & omne genus colorum cōfuso modo aspectui subiicit. 6. Est *alius varius ex maculis albis & nigris*, qui cōparatur Pantheræ pelli. Hanc cogites fieri, dum nigredo incepit mutari in albedinem, sed nondum mutata est tota. 7. *Leo viridis* hic inter colores ponitur, cum alias sit mercurialis nostra aqua, quæ dicitur *Solem deuorare*: seu deglutire & soluere in aquam, de qua *supra in porta nona; Tertium fermentum secretissimum, quod nos meditamur, est illa prima terra cum sua propria aqua viridi: quapropter cum Leo sitit, fac vt bibat donec eius corpus rumpatur* (Imbibe, donec nihil amplius de humore cupiat, sed fathiscat) *In porta sexta* de coagulatione in opere matrimoniali (vbi illud secretū fermentum) ait: *tempore dicti huius naturalis processus, dum sperma conceptum crescit, substantia nutritur suo proprio menstruo* (quod est tertium secretum, ignis naturæ appellatum,) *quod aqua soluit, & terra produxit* (id menstruum factum est, dum aqua soluit terrā elixyris, & fermēti) *cuius color est viridis proprio aspectu, quo tempore Sol abscondit lumen suum &c. Hoc dictum menstruum est sanguis nostri Leonis viridis* (qui comparatur mercurio viridi ex cupro) *extractus ex prædicto Leone imperfectoq; coctus.* In *præfatione* appellat corpus immundum, medium coniungendi tincturas inter Solem & Lunam cum perfectione &c.

Nota colores materiæ.

Leo viridis hic pro colore.

Intelligis

Intelligis ergo colorem viridem esse signum nostri leonis, id est, aquæ ex solutione corporum factæ, quod ea tunc deuoret Solem nostrum, hoc est, tincturam ex spiritu in vitro reflexo concipiat, atque ita reuiuificetur corpus anima recepta. Idem est *draco viridis* suam caudam deuorans. 8. *Color octauus transitorius corui nigrum rostrum dicitur*, sed nigredine plumbea. Aliâs caput corui, & rostrum coruinum vera nigredo in solutione & putrefactione appellatur: & sæpe etiam eclipsis, quæ est mortis signum; vide *in porta quinta*. In prima dicit, *signum verum incepti operis esse nigredinem* apparentem, quæ caput corui & rostrum dicatur, &c. Totum compositum vocamus *nostrum plumbum*, inquit *in Præfatione*. Hîc vero plumbea nigredo est in fermentatione. Sed cur bis ponit nigredinem? An respicit duplicem lapidem album, & rubeum? An vero duplicem nigredinis modum indicat, qui etiam triplex esse potest iuxta metaphoram ab occasu, media nocte, & transitu ad Orientem sumtam. Isti colores omnes in albo lapide antecedunt albedinem perfectam, in qua tunc est finis. Sed in opere rubeo progredimur etiam amplius. Nam hîc perfecta illa albedo quasi polluitur, & pallescit cineritio, à quo itur est in citrinum, sed mutabilem quoque, qualis erat & primus cinnus. Tandem finis colorum rubri lapidis est sanguineus, qui rubino, pyropo, cocco, & similibus rubeis comparatur. Quæ sit horum colorum causa, cognoscis *ex porta sexta*, de congelatione, vbi calor agens in humido & sicco diuersis gradibus dicitur eos producere. *Humidum illud vel tantum est aqua nostra prima: vel solutum corporis in aqua prima: vel solutum elixyris & fermenti: vel solutum lapidis, aut medicinæ.* Ideo & ipsa variè disponi potest. Omnia vero mercurio conueniunt, & sulphuri coniuncto. Vnde videmus, colores istos in argento viuo ignibus tractato, in sulphure, vitriolo, marcasithis, & quæ ex illis sunt orta. Quercetanus *suo quodam modo sali tincturas ascripsit*, quod eæ in destillatione vrinæ, halinitri, &c. apparerent. Sed in nostro opere non est sal essentialis, verum tantum figuratus, seu symbolicus. Conclusio huius loci est, quod iam post fermentationem, nutritionem, & exaltationem habeamus lapidem, seu medicinam absolutam, adeò vt tingere possimus pro libitu, atque etiam eandem multiplicare.

Color viridis est signum conceptionis: quo tempore mercurius noster dicitur Leo viridis, aut latentius aut. draco viridis.

Nostrum plumbum.

Duo nigri. Duo citrini. Nota quosdam citrinæ rubeum præmittere sed tamen interpretari de coccino Tyrio.

Sed secretum illud omnino non debes ignorare: quod noster mas rubeus non tingit, neque illius coniunx, donec tingantur. Si igitur velis tibi hac arte R E M *parare, altitudinem tuorum corporum absconde, & patefac eorum profunditatem. Destrue primam qualitatem omnium tuorum materialium, & secundas qualitates excellentiores quàm primum in his repara, & in* V N O *vitro, vnoq; regimine conuerte quatuor naturas in vnum.*]

Post fermentationem, nutritionem, & exaltationem dicendum erat de multiplicatione. Indicauerat enim, nos iam habere medicinam tertii ordinis multiplicabilem. At alio principio disseritur de tingendo lapide vtroque, albo & rubeo, quorum neuter potest tingere, ante quam tingatur. Id duplicem sensum habet. Luna vocatur aliquando elixyr album: Sol rubrum. Vtrumque temere fecisti, si non perfectis corporibus adiectis fermentes. Inde accipiunt suas tincturas speciales, quia aqua nostra ex auro extrahit animam, seu tincturam; eamque reddit corpori; atque ita etiam ex argento. Sic tingitur vtrumque, vt postea iterum tingere possit. Quæritur, quàm fructuose? Quidam enim putant solummodo tantam quantitatem argenti viui, vel corporis imperfecti tingi, quanta fuit ea, ex qua extracta est tinctura: vt si ex vncia auri fuit, putant argenti vel hydrargyri &c. iterum vnciam fore, & non amplius. Sed Riplæus cum aliis multiplicationem non omisit, prætorquam quod docent, ita agi, vt cum grano tritici, quod non vnum granum reddit, sed trigecuplum, sexagecuplum, centuplum, pro benedictione diuina. Inde R E S parari potest, & operæ pretium fieri. Quo modo? *Altitudinem corporum absconde, & profunditatem aperi*: hoc est, quod aurum & argentum est in manifesto, id tolle, & in corticem trahe interiora, quæ latitant in penetralibus eorum: id quidem fit in fermentatione, vti dictum est. Verum quoniam noui quid, quod non ignorandum sit etiam peracta iam fermentatione, proponitur, intelligamus, nostri laboris fructum percipere nos non posse, nisi post exaltationem proiectionem faciamus primam super aurum in rubro, & argentum in albo. Nam de medicina seu tinctura, & non de elixyre erat sermo. Hoc est, quod de *Ingressu* monent alii, eum non posse fieri, nisi medicinæ pars vna super mille corporis fuerit proiecta, ita vt aurum & argentum abscondantur, ex profundo vero extrahatur interior virtus medicinalis: Et hic est secundus sensus dictorum. Ita tingitur medicina, vt tingat: prius tingebatur elixyr, vt fieret medicina disposita ad tingendum, modo potentiam secundam acciperet à noua coniunctione. Explicatur hoc etiam amplius, nempe quod non debeat fieri sine alteratione, in qua elementorum est conuersio primarumque qualitatum permutatio, vt subtilissima, & maximè diuisibilis fiat tinctura, non in pluribus vitris aut regiminibus, sed vno, eodemque, quo aliâs quatuor elementa sunt conuersa. Videtur innuere repetitione opus esse. Iubet enim primam qualitatem, seu habitudinem & formam tincturæ masculæ & fœmineæ destruere, nec tantum illius, sed omnium materialium, vtpote etiam argenti viui & corporum perfectorum, quæ assumuntur: per destructionem postea reparare in iisdem qualitates excellentiores quamprimum, ita, vt destructio statim sit cum reparatione, & conuersione quatuor elementarium dispositionum in vnam solificam aut Lunificam, quod aliâs fit fermentatione, & nutritione, vel prima alteratione & imbibitione.

Primus sensus tinctura tingenda.

Altitudinem abscondere & aperire profunditatem.

Sensus secundus.

Ingressus procuratio.

Diuidendum erit tuum elixyr album in partes duas (sic enim legendum est) *antequam rubifices, quod pones in duobus vitris.*]

Hæc pertinent ad operationes fermentationem antecedentes, vt videas, quam mirifice inuertant, transponantque ordinem Sophi nostri. Elixyr nostrum fit ex aqua duabus operationibus; prima scilicet & secunda, quæ est imbibitio & coctio vsque ad aereum elementum, quod dicitur *Sulphur album nostrum & Arsenicum*, vel *Luna nostra, &c.* Huc cum peruentum est, volumusque tam argento faciendo studere, quàm auro, diuidi debet elixyr in duas partes, & vna quidem potest statim

fermentari

fermentari calce alba argenti; altera vero porro coqui debet, donec fiat *Sal noster*, seu Elixyr rubeum. Non enim vterque lapis fit ex rubeo solo, vel albo solo, sed quilibet ex suo. Nam persuasum est Chymicis, album Elixyr non habere coctionem & sulphur altius, quam argenteum: rubeum autem sulphuris rubri proprietate donatum esse. Posset quidem rubeum reduci in album, vti fit in fermentatione & sequentibus. Verum quorsum illud, nisi vt opera ludatur? Fermentatio cuiusque debet institui in suo vitro, vt facilè quilibet intelligit.

Multiplicatio. *Si vis habere Solis & Lunæ duplex Elixyr, fac sic: Cum tuo mercurio multiplica statim in magnam quantitatem. Si in initio habes tantum, vt cochlear solum impleat, poteris multiplicare simul in album & rubeum, vt etiam si viuas mille annos, satis superq; habeas.*]

De multiplicatione egerat *Porta XI.* Hic eum attingit iterum, & docet, posse fieri in vtroque lapide, si velimus. Illud tamen DVPLEX potest referri etiam ad quantitatem & molem. Si non sumus contenti ea quantitate, quam obtinuimus per tot hactenus operationes; sed petimus duplam, aut etiam multiplicem, possumus eum ita augere, vt cochlear sufficiat in omnem ætatem etiam mille annorum. Id fit *cum argento viuo loto*, licet Riplæus dicat *cum nostro*, quasi vellet, cum aqua nostra debere institui opus, qua crescit medicina pondere; & accedente noua fermentatione etiam virtute, vti de corporali & spirituali fermentatione loquebatur *in libello de mercurio*, & *in portis X. & XI.* quas diligenter rumina:

Dissolue ergo cautè tuam basim, & converte illam in perfectum oleum, quod circulatione fieri debet secundum nostrum propositum. Hac olea figent crudum mercurium in perfectum Solem & Lunam. *Basiliscus Raimundi.* *Hanc oleagineam substantiam fixam & puram Raimundus vocauit suum basiliscum, cuius nunquam tam planam fecit explicationem.* Adhuc recapitulatio.

Modus multiplicationis. Cum paulo ante multiplicationis mentionem fecerit, & iam vtatur illatiua voce ERGO; quis dubitet modum eius dari? Fieri debet cum mercurio per dissolutionem cautam. Etenim cum medicina per se sit adeo fortis, vt argenti viui mille, aut plures partes possit transmutare, *volens facere non transmutationem, sed dissolutionem, non immerito iubetur cautus esse.* Dixi *supra*, frigore eam fieri, hoc est, tam leni calore, vt potius sit frigus in principio. Inde sequetur putrefactio simul & signum eius nigredo, à qua coagulatio procedet cum albedine præmissis coloribus temporaneis, sequente rubedine in lapide rubeo. *Basis.* Ista est circulatio, quia tota elementaris iterum circumagitur: Habes *basim*, id est, *medicinam, seu tincturam*: habes & mercurium. Non indiges iam pluribus. Modum agendi nosti, nempe elementorum conuersionem circularem cum cautela. Finem quæris? Erit oleaginea substantia, vt etiam oleum dici queat, quanquam fixum simulque purum. Vt magis pateat, experire proiectione super argentum viuum in catino feruefactum. Quasi medusam, Gorgonem, aut basiliscum sensisset, statim figetur, & conuertetur in aurum vel argentum purum, & perfectum. Tantum de recapitulatione, qua integra ars continetur.

Summaria Recensio eorum, quæ sunt in Præfatione.

VT videas finem mediis, & vtraque principio respondere, non tædeat nos etiam hoc recensere, quantum quidem ad rem attinet. Ita loquitur:

Materia. *In principio sphæricum opus & obscurum ex confuso chao à Deo est fabrefactum, in se continens omnes res promiscuas. Hoc principium vnum esse potest ad declarationem nostri benedicti lapidis. Nam quemadmodum ex vna massa creata sunt omnia: sic in nostra practica hoc ipsum debet esse. Nam omnia nostra secreta ex vna oriuntur imagine.* *Nomina lapidis.* *Lapis noster vocatur Microcosmus, vnus & trinus: Magnesia, sulphur & mercurius à natura proportionatus.*]

Aperta sunt, quæ dicit. Magnus mundus initio ponitur aqua seu aqueum chaos fuisse. Lapis noster in principio etiam est aqua vel aqueum chaos, quod in terram est vertendum. Vt omnes res sequentes potentiâ fuerunt in chao: Ita & in nostra aqua omnia, quæ deinceps in actum prodibunt. Materialiter autem dicit ex AQVA, & sic debet esse non theoricè tantum, verum etiam practicè. Ideo ista aqua nostra non est *Ens rationale vel intentionale*, sed *singulare physicum*, quod singulariter in opus & tractationem artificiosam venit, tanquam materia, & subiectum magistri. Appellat vnam *Imaginem*, id est, speciem & formam vndiquaque homogeneam. Hinc & vnus dicitur lapis, totus scilicet nihil aliud, quàm mercurius, siue rubeum, siue album intelligas, modo de vniuersali sentias. *Trinus* est, quia *mercurius ille vnus* est *triplex vultu*, nempe aqua, elixyr corporeum, & fermentum, quæ tria omnia in vnum homogeneum concedunt. *In recapitulatione* vocantur *Mas, fœmina, spiritus.* *Microcosmus* Vide *portam IX.* de fermentatione. *Microcosmus* à Philosophis nuncupatur animal paruum, vt mundus magnum: κατ' ἐξοχὴν hominem intelligunt. Alia ratione *Lapis paruus mundus* est, nempe *Magnesia.* quia repræsentat partes magni mundi, habetque cœlum, elementa, & mista &c. Dicitur *Magnesia*, quia fit magni, & exaltatione in sublimem dignitatem perducitur. Respicimus tamen aliquando etiam ad *Antimonium*, quod item Magnesiam appellant. Nostra terra est magnesia, quasi à Magnetibus populis petita, vel etiam magnetis instar suum mercurium & animam petit pro ferro. *Rubeam* habemus *magnesiam*: habemus & *albam*, de qua *in porta septima*, & *nigram*, licet hanc instabilitet. *Sulphur & mercurius* simul designant lapidem tanquam partes essentiales. *Sulphur & Mercurius.* Eæ vero à natura sunt proportionatæ, vt intelligas materiam ex natura petendam esse. Nihilominus tamen aliquando etiam separatim vocatur sulphur, vt album, rubeum, aut Mercurius.

Riplæus. *Lapis noster est profectò Mercurius, sed non vulgaris: vocatum nomine Argentum viuum, verus mercurius, sine quo nullum existens esse potest. Nisi tu mercurium nostrum rectè noueris, in quo sit, & vbi eum quærere debeas;*

debeas, caue, ne hoc opus in manus sumas. Ego te reuera docebo, qui sit ille mercurius tibi maxime vtilis, nec te quicquam hac in re celabo.

Liberaliter promittis Riplæe. Interim qui tuum Tractatum legunt, nihilominus artem & mercurium ignorant: Scienti dixisti. Ego de isto *suprà. Æquiuoca vox est Mercurius.* Aliqua significatione dicitur in omni re creata materiataque esse, vtpote quia nihil est sine aqua proportionali. Chymici principium in mystis id agnoscunt specie liquoris extrahendum. Hinc illa: *Lapis noster est vbiuis &c.* In quo sit mercurius recte iodicauit, cum scripsit, *Sulphur & mercurium esse proportionatum* NATVRA. *Quare eum in natura.* Scripsit autem singularem libellum de mercurio, ex quo eundem inuestigabis. In metallis esse docuit aperte. Alicubi mercurium nostrum proprie tunc vocat, cum in fermentatione soluit aurum in aquam, &c. Sed mox plura. *Mercurii vox.*

Propinquius inuenitur in quibusdam rebus, quàm in aliis. Ego te profecto docebo, vt intelligas, Mercurios esse TRES, *qui sunt claues scientiæ, quos Reimundus sua menstrua vocat, sine quibus nihil fit recte. Sed duo istorum sunt superficiales: tertius essentialis solis & Lunæ, quorum proprietates tibi syncere declarabo, &c.* *Riplæus.*

De materia nostra *supra* dixi copiose. Tu ratiocinare. Noster mercurius est opus naturæ, in eo quærendus, in quo est propinquius. Atqui in nulla re mundi inuenitur tam propinque & copiose, quàm in argento viuo & metallis perfectis. In his ergo primum quærendus est, argumentum ex Gebro ductum. Essentialem mercurium in soluto auri & argenti in fermentatione inuenies: duo cæteri sunt externi, quasi ex superficie & cortice agnoscendi. *Superficies* opponitur *centro, Noster mercurius essentialis est centralis, & inconspicuus*, nisi in cutem trahatur ex centro.

Mercurius aliorum metallorum essentialis est nostri lapidis præcipuum materiale. In sole & Luna nostra menstrua non sunt conspicua visu, nec apparent, nisi per effectum. Hic est ille lapis, quem intelligimus. *Riplæus.*

Auro & argento, & ex his auro nostro, argentoque nostro opponuntur alia metalla. Essentialis inconspicuus mercurius ascribitur Soli & Lunæ nostris. Num ergo & in cæteris metallis, quæ sunt imperfecta, est vis Solis & Lunæ? *Lapis noster non admittit per se imperfecta, cùm sint tantum materia transmutanda.* Accipio igitur illud materiale nostri lapidis, non de materia ex qua, sed subiecto transmutando ita, vt qui mercurius istis metallis insitus est, cum mercurio nostri lapidis conspiret, & fiat sic causa transmutationis in aurum vel argentum; quia essentia horum secundum potentiam perfectiuam est in nostro lapide ex duplici mercurio, generali & specifico, facto.

Est anima & substantia splendida Solis & Lunæ, subtilisq́; eorum influentia, per quàm terra recepit splendorem. Nam quid aliud est aurum, & argentum, quam terra munda alba, & rubea? Tolle ab eis præfatum splendorem, & tunc terra erit parui momenti. Totum compositum vocamus nostrum plumbum. Qualitas splendoris à sole & Luna prouenit: atq; in summa hæc sunt nostra menstrua. *Riplæus.*

Habes duplex elixyr ex mercuriali nostra aqua in conuersione elementorum factum. Vtrumque dicitur TERRA: vnum rubea, alterum alba. Quid prodest vtramque habere, si non sint animatæ? Qua re animantur? *Rubra* animatur tinctura auri, quam ex eo extrahit nostra aqua, & terræ committit. *Alba* tinctura argenti eodem modo ad speciem singularem formamque perducitur. Inde sequitur splendor pro natura cuiusque. Est enim forma accidentaria ab interiore essentiali in materia mercuriali communi producta. Sic in natura aurum & argentum fieri creditur, idque comprobant experientia. Nam *si aurum tinctura spolies, alba terra restat.* Influentia illa in fermentatione est explicata, & recapitulatione. Tinctura, anima, splendida substantia hîc sunt pro eodem. *Partes essentiales lapidis & metallorum perfectorum.*

Corpora perfecta cum primo (menstruo) calcinamus. Sed nullum corpus immundum ingreditur excepto vno, quod vulgariter vocatur à Philosophis LEO VIRIDIS, *quod est medium coniungendi tincturas inter Solem & Lunam cum perfectione, quemadmodum Geber ipse restatur.*] *Riplæus.*

Explicat trium menstruorum vsum. Primum menstruum est aqua mercurialis, per quam aurum & argentum soluuntur, vt postea coagulata in calcem abeant. Id fit in fermentatione: cuius aqua est secunda pars aquæ primæ reseruatæ, excepto quod elixyr album vel rubeum accedat. Mirum, *cur corpus immundum vocet*, cum in nostro opere omnia sint munda & exaltata. De Leone viridi habes *in recapitulatione, & alibi.* Intelligo *aquæ spirituosæ certam dispositionem cum colore viridi transitorio, cuius merito fortasse immundum corpus dicitur.* At immundior est nigredo, quæ etiam rebus fœdis & sepulchro comparatur. Si Leo viridis est medium coniunctionis tincturarum cum corporibus elixyrium, est Azoth, spiritus, & mercurius noster. Coniunctio ista est cum perfectione, quia durabilis & fixa, neque amplius cedit tingens à tincto. *I. menstruum calcinatiuum.* *Leo viridis Azoth.*

Cum secundo, (menstruo) quod est humiditas vegetabilis reuiuificans, quod prius erat mortuum, ambo principia, materialia debent solui & formalia. Alioquin parui essent momenti. Hæc menstrua itaq; noscas, sine quibus nec vera calcinatio potest fieri, nec dissolutio. *Riplæus.*

Menstrui secundi descriptio est. Dissolutioni destinatur vt prius calcinationi. Atqui vtrumque officium est eiusdem aquæ nostræ. Nam quæ dissoluit, calci ortum præbet, sicut vides, cum per regiam soluimus aurum, quod reuocatâ aquâ calx est, aut si per liquorem tartari præcipitetur forma calcis, sidit. Dispositiones variant. In coagulatione & exiccatione menstruum nostrum simul cogitur, inque calcem abit. In dissolutione vna est, & vnitur dissolutis intimè adeo, vt separari nequeat, sicut cum nix soluitur aqua calente. Quæ soluuntur secundo menstruo, materialia sunt, & formalia: Illa vt elixyr duplex, terra inanis & inanimis, quæ mortua dicitur & splendore influente priuata, cum qua simul coniungitur terra ex perfectis metallis post ereptã tincturam: Hæc: vt vtriusq; metalli anima, tinctura, splendor. Vtrisq; soluendis est mercurius, aqua nostra, acetum *II. menstruum dissolutiuum.* *Terra mortua.*

nostrum acerrimum. Habet id menstruum etiam aliud officium & vsum, nempe reuiuificat corpora prius mortua. Ergo necesse est, vt ipsa habeat principium vitæ, quod est anima, hoc est, tinctura Solis & Lunæ. Eam vnde accepit, nisi ex corporibus perfectis, quæ ideo etiam cum prius vixissent, splendoremque suum, animam, & tincturam habuissent, dicuntur mortua? Verum, vt dixi, aggregatur horum corporibus Elixyr, quo etiam vis aquæ nostræ acuitur, vt possit separationem procurare. Iisdem rursus efficitur, vt reconiungantur. Nam Elixyris vis est tam in soluente, quam soluto.

Aqua acuata.

Riplæus.

Cum tertio (menstruo) *quod est humiditas maximè permanens, incombustilis, & vnctuosa in sua natura, Hermetis arbor in cineres comburitur. Hic est noster naturalis ignis certißimus, Noster mercurius, sulphur, nostra tinctura munda, nostra anima, noster lapis eleuatus cum vento, in terrà generatus. Hac animo recende tuo.*]

Perseuerat Riplæus in contemplatione operationis tertiæ, in qua fit compositio, & matrimonium, quam vulgo *fermentationem* appellamus. Et est sane mea sententia, hic describi *maxime proprium, & essentiale menstruum lapidis nostri.* Quanquam enim & priora duo videantur ex sono verborum ad eandem operationem referri, & subtili consideratione per diuersas rationes distingui, tamen res ipsa non creditur esse eadem. Quorsum enim illæ subtiles mentis distinctiones in ea re, cuius menstrua calcinantia & soluentia non rationibus tantum, sed & subiecto differunt? Nostrum opus inter manus est, & sensibilibus constat menstruis. Subtiles illæ abstractiones & logicæ mentis considerationes fucum faciunt Lectori, eumque à natura ad speculationes inanes abducunt. *Nullo menstruo vtimur, quod post vsum iterum separetur. Omnia sunt ex vno, & in vnum redeunt.* Prima ergo nostra materia non est menstruum, sed subiectum artis, ex quo soluto & coagulato, iterum fit primum nostrum corpus. Hoc vt denuo soluatur, indiget *menstruo*; quod *non alienæ*, sed *eiusdem sit naturæ*, atque ideo etiam per modum imbibitionis commiscetur, soluitur, & coagulatur, in quo ipso fit alteratio debita, & elementorum iusta conuersio, exitque Elixyr aereum album; & ex huius aliqua parte etiam rubeum igneum, pro vtroque lapide suum. In fermentatione vero eadem quidem est aqua soluens, sed, *quæ sit propria cuiq; per Elixyria specialia.* Hoc menstruum mirabiles rationes potest sustinere, & mirandam Philosophiam efficere, in qua potissimum vires ingenii ostentarunt artifices. Ideo & *Secretum* dicitur & *essentiale inconspicuumq;* menstruum, cum tamen re vera ipsis sensibus sit obuium, atque etiam sensibilibus notis sese prodat. Luxuria ingenii est, mirifica commentari, & phantasiis portentosis fatuos occupare, vt putent magicum quid, & diuinum, Cabalisticumque subesse, cum non sit, & Deus per naturam non aliter agat, quàm vt cuique rei ab initio creationis contulit, & disposuit, quas dispositiones & potentias non mutat artifex, sed prouocat, promouet, & sequitur, iuxta axiuma vulgare: *Quis vult colere lapidem magistralem, eum oportet naturæ primordia intueri, coquere, soluere & coagulare.* Sit ergo tertium hoc Secretum & essentiale menstruum compositum ex aqua prima, & mercuriis elixyris, fermentique. Assumunt enim ex auro, argento & vtriusq; Elixyre aqua nostra mercurialis partem mercurialem, & cum ea fit vnum. Sulphur autem vehit spiritus quidam cœlestis, qui est in toto. Hinc menstrui huius nomina mirifica. Vocatur *Humiditas.* Est enim consistentia liquida; licet dispositione magis aerea, quàm aquea; præsertim in albo. *Permanens maxime:* id est, fixa. Talis autem esse non potest aqua nostra sine corpore fixo. Ipsa per se volatilis est, & fixum sibi reddit simile: sed post coagulationem propter fixam auri argentique naturam, item fixum elixyr permanet, nec comburi potest: vnde & *incombustibilis* dicitur. Alia ratione etiam cum *volatilis* est, permanere asseritur, nempe propter indissolubilem commistionem terræ & aquæ, vnde argentum viuum, vel totum manet in igni, vel totum fugit ex eo vndequaque sibi homogeneum. *Vnctuosa* quoque est in sua natura materiali: vnde *humiditas* dicitur *vnctuosa*, quæ non adhæret quidem vt *viscosa* seu *glutinosa*; veruntamen vnguine prædita est, vnde quasi vncta, & vngens appellatur. Talis est aqua, quæ ex argento viuo sublimato destillatur, vt videre est, cum mercurium vitæ faciunt, qui liquor vnctuosus potest olei consistentiam assumere, & in puluerem niueum præcipirari, in aere gelascere, calore resului; planè vt & materia nostræ artis. *Cum eo menstruo arbor Hermetis comburitur in cineres.* Nam comparatur igni gehennæ, quia aurum, argentumque efficacius soluit, & in cineres comburit, quod non potest ignis flammæ. *Cineres Hermetica arboris in porta prima* dicuntur nigredines apparentes atri pulueris specie, quod & caput corui, aut rostrum nuncupant. In tertia ergo operatione, vbi est elixyr, & corpus perfectum cinis arboris Hermetis est *caput corui*: Arbor vero corporea ossa, quæ putrefacta istos cineres expuit. *In porta tertia*, vbi de separatione scriptum est: cum aqua destillata, tenui, munda, cærulei, & liuidi coloris, ponderosa, Hermes humectauit suam arborem cum suo vitro (in suo vitro) fecitque crescere in altum flores discoloratos, de quibus vide *in porta 6. & recapitulatione.* Hinc discis, cuiusmodi sit illud menstruum. Dicitur porro *noster ignis naturalis ignis certißimus.* De igni naturæ, qui inclusus est corporibus, & præsertim in auro excellit, *alibi* diximus. Quod autem menstruum, cuius ratio per se seruilis est; illud nomen gerit, inde fit, quia ex auro extractum illum ignem assumit. Vnde patet, Riplæi *menstruum tertium non tam esse efficiale, quàm essentiale,* & informatum corporis perfecti natura; vnde & *formale* nuncupatur. Certissimus dicitur, quia minime fallitur eius fiduciâ artifex, & effectis igneis ipse sese manifestat, vti patet in nigredine, corporum solutione, coloribus, coagulatione, fixitate, multiplici vi seminatia, & transmutandi potentia, quam nullus ignis flammeus præstare vnquam potest. Quando ergo fermentationem peregisti, & lapidem specifica forma induisti; minime dubitare debes, quin habeas medicinæ tantam, talemque potentiam, vt si exaltata fuerit, possit in materia disposita gignere similem parenti sobolem, idque multipliciter, & vi non artis externa, sed interna & naturali: vnde &

Menstrua logice declarata, sunt res sensibiles.

Tertiũ menstruum miris figmentis implicatum.

Nomina menstrui tertii.

Permanens.

Incombustibilis.

Vnctuosa.

Arboris Hermetica cineres.

Ignis natura nostri lapidis.

Noster lapis principio naturali insito naturale facit aurum & argentũ.

Vnde & *metallum proiectione eius factum, omnino est naturale:* Sicut & naturalis est pullus, licet arte eius exclusio ex ouo adiuuetur, naturalis quoq; planta, quam ars agricolæ & hortulani promouit. *Admirandus certe ignis est, qui in argentum viuum, aut liquatum metallum non magna copia, sed vel quarta tantum grani vnius parte proiectus tam cito id in aurum & argentum omni iudicio naturalis respondens conuertit.* Vocatur noster mercurius; à materia sumta appellatione, idque pro excellentia. Noster mercurius alias etiam aqua prima est, & secunda: *Exuberatio* generationis, & nutritionis. Patet hinc, non esse vulgi argentum viuum, quæ igneam vim istam non habet, nec est aqua vnctuosa, incombustilis, multo minus ei conueniunt sequentia priuilegia. Vocatur *sulphur nostrum* formaliter, quod extractum ex auro vel argento sibi vniuit, vt iam sit aqua spermatica & fœcunda: mercurius animatus, aureus argenteus, qui exaltatus etiam est aurificus, & argentificus, species enim generi coniuncta, id ad indiuiduam & specialem naturam adducit. Nostra tinctura est secundum potentiam. Nam tincturam esse, est in fine, & ratione perfectionis, quam nondum habet illud menstruum; potest tamen coctione perfecta consequi. Ita *anima* dicitur *nostra*, particulariter, cum sit animæ vehiculum, quæ ex auro, vel argento est assumta, & dat his metallis suum esse; vnde *anima nomen pro forma auri, & argenti* parabolicè vsurpatum videmus. Lege de hac extrahenda *portam octauam in sublimatione : & IX. I V.* Est & *noster lapis*, vi & potentia. Nam post coagulationem demum id nomen accipit. Qui vero lapis? *generatus in terra : Eleuatus cum vento.* Per terram non ineptè accepetis mineram, quæ duplex est, naturalis, in qua natura aurum procreauit, & artificialis, quæ ex illa in artem venit, huiusq; vim est passa. Sic erit corpus nostrum resolutum, elixyr scilicet, & perfectum metallum. Ex his aqua nostra tincturam seu animam extrahit, & per vitrum eleuat *specie venti*, seu halitus, sed postea etiam restituit. Hoc est illud Hermetis: *Portauit eum ventus in ventre suo : Nutrix eius est terra*, cuius etiam perfectio est, cum vnitus est terræ &c. Lege *portam IX.* de fermentatione: & III. de separatione.

Mirabilis ignis tinctura physica. — *Noster mercurius.* — *Sulphur.* — *Anima nostra.* — *Noster lapis.* — *Terra nostra.* — *Ventus portans in ventre.*

Hic lapis, audeo tibi dicere, est vapor potentialis metalli. Hunc quo pacto acquiras, oportet te esse cautum. Nam inuisibile profecto est hoc menstruum, quanquam cum SECVNDA AQVA *Philosophica per separationem elementorum potest apparere ad visum in forma aqua clara.*

Ripl.

Apertè indicatur abusus vocabuli MENSTRVVM. Licet enim dicas respexisse autorē ad materiam generationis & nutritionis infantis in vtero materno, quæ putatur esse sanguis; quem reddunt vteri singulis mensibus, quique postea in lac consumitur: tamen alienitas & dissensio apparet, cum *vaporem metalli potentialem vocat, & Lapidem*, qui nec materia est; nec nutrimentum, sed effectum ex materia, & id, quod nutritur, *vapor est*: hoc est: halitus calidus siccus, sulphuri comparatus. Is est in metallis perfectis potentiâ. Nam coagulata forma latet, datq; metallis esse suum. Hinc Aristoteles, *si sulphuri iungas mercurium, vaporemq; halitui*, non immerito scripsit *in fine tertii meteororum, exhalationem vaporosam metallica efficere*, cum inclusa fuerit præcipuè lapidibus, & propter siccitatem in vnum coarctata concrescat, velut ros & pruina post excretionem; seu in aqueam speciem coagulationem. *Halitus ille acquiritur ingeniosè extrahendo eum ex perfectis per aquam nostram*, per quam soluitur compages metalli interior, vt inde exhalare possit spiritus ille formæ, seu animæ vector; iterumq; colligi, & excipi eadem materia, postquam circulari agitatione frequente est exacuatus: *Inuisibile* dicitur *menstruum* in metallis concretis. Sed cum aqua nostra secunda soluuntur; prodit in conspectum specie aquæ claræ. *Secunda illa aqua* est facta ex altera parte primæ, & solutione corporum, vt *supra* dictum. Vide quæ *infra* de oleo sequentur:

Vapor minera nostra. — *Metalla Aristotelica.* — *Vapor qua arte acquiratur.* — *Inuisibile menstruum fit visibile.* — *Aqua secunda.*

Ex hoc menstruo LABORE *exuberato, atq; cum eo potest fieri* SVLPHVR NATVRÆ, *si sit naturaliter acuatum, & circulatum in spiritum purum: tum cum eo dissoluere potes tuam basim, aut massam diuersis modis; quemadmodum ex praxi intelliges: quod suo loco declarabo &c.*

Ripl.

Menstruum istud non esse meram potentiam, nec simpliciter formā, aut halitum, intelligis ex dictis. *Exuberatur*, hoc est tanquam ex vberibus emulgetur, & extrahitur labore. Is *labor* erat laboriosus in principio, cum ex argento viuo minerali faceres aquam primam. Sed in fermentatione est suauis. Iam n. habes actum; per quem id, quod in metallo est potētia, actuare sine negotio possis, modo ignem regas iustè, & vasa accommodes. *Est materia simul & instrumentum.* Materia, ex qua est, quia ex aqua illa fit lapis noster; qui totus in *sulphur natura* conuertitur. Eadem adhibetur instrumentaliter: quia vt sit naturæ sulphur, debet in situm esse naturâ metallis: vt extrahatur; aqua soluens, facit, quæ simul à soluto sulphure igneo vertitur in eiusdem sulphuris naturam. Quo modo? Quia illud sulphur à suis vinculis solutum est valde actiuum. Ergo dispositum patiens vertit in suam naturam, sicut aqua vicissim facit sulphur sui simile volaticū, & aquosum. Quid est ACVARE *naturaliter*? Acuare est vim obtusam mutare in acutam in materia sequace. Acuimus subtiliatione, subtractione obtundentis, & abiectione acutorum: Subtiliatio nostra fit per sublimationem, & exaltationem. *Sublimatio secreta* est circulatio quædam; quæ in vitro nostro per sphæram aliquoties ambulando, ascendendo, descendēdo, & gyrando peragitur, Alia *circulatio est repetitio notationu elementorum*, seu iterata solutio & coagulatio. Tertio elixyr aliquā potentiam aquæ committit, quia cum ea vnitur. Ripleus explicat circulatione, qua fit *spiritus defecatus & purus*, ad exemplum aquarum stillatitiarum, potissimum vini, cuius essentiam facimus puram circulando in pelicano. Accedit tamen repetitio solutionis & coagulationis in sublimatione, & exaltatione: nec parū confert *fermētatio, & cibatio* cum multiplicatione: de quibus tamen ille non loquitur; quia dicit *iter circulatum & acuatum menstruum nos posse soluere nostrā basim, seu massam* hoc est vt *infra* dicit, medicinam albam, vel rubeam. Ergo illa acuatio per circulationem antecedit baseos solutionem. Verum non vsq; adeo anguste; sed liberaliter sunt interpretanda sapientum nostrorum dicta. Sit ergo *aqua nostra talis quandocunq; aliquid soluit, vt elixyr, fermenta; lapidem, medicinam &c.* Ita vt etiam argentum viuum lotura per acetum & salem aut calcem viuam acuari debere intelligamus;

Exuberare. — *Menstruum materia & instrumentum.* — *Acuare.* — *Sublimatio; circulatio.* — *Menstruum circulatum.*

Ripl. *Pro tuo fundamento principali vide, vt intelligas tuas aquas menſtruales, & iam facta calcinatione augeas non diminuas humidum radicale, donec tua maſſa frequenti ſubtiliatione leuiter fluat vt cera ſuper metallo.*] Eſt vere primarium artis noſtræ fundamentum, aquas ſoluentes, quæ ſimul ſunt eſſentiales, noſce. Hic valet prouerbium: *Dimidium plus toto*: Et *Dimidium facti qui cœpit habet.* Non poſſunt obſcura eſſe cætera, ſi aquam ſcis, quã artifices ſtudioſiſſime cælant. *Calcinatio.* *Calcinatio* docetur *in porta prima*, verum ea non eſt vnius modi. Hic potiſſimũ intelligitur ea, qua in fermentatione ex corporibus elixyris & fermenti efficitur puluis ſimilis calci per aquã ſalis ammoniaci. Monet, ne hic ſubſiſtamus, & nimium aſſemus, ſeu exiccemus iam ortam tincturam, ſed humidum eius redicale augeamus. Quare & quo modo id fit? Nimirum *nutrimento* per modum nutritionis. Nã noſtrum quoq; humidum primigenium alimento augetur, & inſtauratur. Accipe ergo de cibatione ſeu nutritione. Deinde cum nutriuiſti, iterumq; ſoluiſti & coagulaſti ſub conuerſione elementorum, experimentum cape lapidis num recte tingat. Signa ſunt, *ſi ſuper lamina area candefacta fluat, vt cera, ſine fumo, adhæreat, & ingrediatur, tingatque.*

Ripl. *Tum ſolue illam cum tuo vegetabili menſtruo, donec habeas oleum inde coloris lucidi. Tunc eſt menſtruum illud conſpicuum viſui.*] Fermentatum lapidem, ſeu calcem noſtram nutriuimus iam, & incerauimus. ſequitur *exaltatio*, de qua lege *portam decimam*. Iubemur ſoluere noſtram maſſam. Quo ſoluente? *Porta 10.* nominat *ſpiritũ vitæ* ſeu *mercurium animantem* & vitam afferentem. *Nota Synonyma: ſpiritus vitæ, mẽſtruum ſecundum vegetabile.* Hic proponitur *menſtruum vegetabile.* Id *ſupra* erat menſtruum ſecundum, humiditas ſcilicet vegetabilis, quæ paulo poſt vocatur *aqua ſecunda Philoſophica.* Nihil alieni, aut noui eſt. Capiendus eſt mercurius, cum quo alias corpora mortua viuificamus. Monent alii, mineralem purgatum hic ſufficere. Quis modus eſt? *Separatio elementorum*, dicebat *ſupra* Riplæus. De hac lege *portam 3.* Nihil vero aliud eſt, quam conuerſio. Maſſa tua eſt *calx terrea.* Hęc ſoluitur mercurio in aquam: putrefit, nigreſcit: ſuccedit aëtea coagulatio alba: & in rubro lapide tandem rubedo. Sic ſeparaſti elementa in vitro clauſo ſponte naturæ, nihil addẽdo, præter ignis regimen in Athannote. Cum abſoluiſti (id quod fit breui) quid es conſecutus? *Aquam claram*, inquiebat *ante.* *Oleum lucidum.* Nunc ponit *oleum coloris lucidi*, in quo apparet noſtrum menſtruum tertium, quod prius erat inuiſibile. *Menſtruorũ triũ eadẽ materia.* Eas qualitates *in porta 11.* de ſolutione aſſcribebat etiam primo menſtruo. Quid hinc aliud colligas, quam *ſecundum & tertium menſtruum non re, ſubiecto, & materia, ſed ſola ratione diſcrepare*? *Vbi* eſt ſolutio, & agitatio illa circularis poſt fermentationem, ibi ponitur menſtruum eſſentiale, arcanum. *Oleum lucidũ, & aqua clara, idem.* *Aqua clara, & oleum lucidum*, idem? Idem Riplæo. Ait enim: *Tunc eſt illud menſtruũ conſpicuum viſui.* Non eſt inſolens chymicis eundem liquorem modo oleum, modo aquam vocare. Pergit.

Ripl. *Oleum extrahitur inde coloris aurei, aut huic ſimile ex noſtro ſubtili rubro plumbo, quod Reimundus ſenex dicebat multo magis eſſe in pretio, quam aurum. Nam ex eo fecit aurum potabile, quod illum vicinum morti reuiuificauit.*] *Plumbum rubeum.* Materia olei huius vocatur *Rubrum plumbum*, quod alias eſt minium. De hoc habes *in porta quinta*, vbi de putrefactione, & mutatione colorum. *Cum XXX. dies*, inquit, *tranſierint, vuas habebis carbunculi rubedine*: ſcilicet hoc eſt noſtrum *Adrop, Vciſur*, atq; *plumbum rubeum.* Loquitur ibi de rubificatione elixyris albi: ſed vnà deſignat etiam cæteras, in quibus per colorum ſucceſſionem tandem exit rubedo. *Oleum medicinale potabile.* *Oleum illud medicinale* fit ex oleaginoſo lapide rubro iam incerato, extrahiturq; per quintã vini eſſentiam; vel potius ſoluitur in ea: qua de re etiam *ſupra.* Pretioſius auro fit per exaltationem, de qua lege *portam 10.*

Ripl. *Baſiliſcus noſter.* *Nam ſic ſimul poſſunt circulari: hoc eſt: illud oleum & vegetabile menſtruum, & ſic arte, & labore exuberari, & fieri per artem lapis cœleſtis*, tam igneæ naturæ, *vt inde illum vocemus noſtrum baſiliſcum, magnumq; magni elixyr pretii: quia quẽadmodũ viſus baſiliſci ſuum obiectum necat: Sic occidit iſte crudum mercurium, quando ſuper ipſum proiicitur in ictu oculi ita vt citiſſime ille mercurius tingat ſtabili tinctura omnia corpora in Solem & Lunam perfecte. Hoc pacto guberna tuam baſin vtramq;, & rubeam & albam.*] Intelligo hæc de multiplicatione ſimul & ſublimatione cum exaltatione, de quibus vide *ſuas portas* 8. 10. 11. Item de proiectione *in porta* 12. Quo ſæpius repetitur circularis ſolutio & coagulatio, eò ſubtilior & efficacior fit materia, & ad vſum habilior, modo ſubtilitati ſit modus. Materię hic ſunt lapis iam inceratus, & tranſmutandi potentia inſtructus: Deinde argentum viuum lotum, quanquã Riplæus videatur *malle aquam noſtram in ſeparatione portæ tertiæ.* Modi ſunt iidem, qui in elemẽtorum ſeparatione, & conuerſione, vt iam ſæpe dictum. Hinc cœleſti nobilitate tinctura afficitur, fitq; iam fortis, vt argentum viuum calefactum ictu oculi vertat in medicinam, cuius proiectione ſuper imperfecta metalla & hydrargyrum optimum fiat aurum vel argentum pro natura tincturæ. *Baſis quid.* Nota *Baſim* dici *elixyr album & rubeum*, ſeu *lapidem inceratum*, qui ſit ſublimandus, exaltandus, & multiplicandus, antecedens proiectionem.

Ripl. *Aurum potabile ſecretum.* *Aurum potabile hoc modo fit ex auro, non communiter calcinato; ſed ex noſtra tinctura, quã non euaneſcit, ex noſtra baſi cum menſtruo circulato. Sed naturalis ſubtiliatio nihilominus debet fieri, antequam tuum aurum diſſoluatur. Hoc principium tibi ante omnia dictum putato.*] *De auro potabili ſupra ſunt dicta* ſatis dilucida. Repudiat Riplæus *vulgarem modum, quo aurum potabile fit ex ſoluta calce auri.* Probat eum, quem Philoſophi, Arnoldus, Lullius &c. ponunt. *Circulatum medicinale.* Eius materia eſt baſis noſtra rubra, non elixyr rubrum, ſed lapis iam fermentatus, inceratus, & ita attenuatus, vt ſolui poſſit. Soluitur autem *menſtruo circulato*, hoc eſt, vini quinta eſſentia per circularionem exaltata. Paracelſici habent maius & minus circulatum adiecto ſale tartari. Verum ſi attenuatus fuerit puluis aqua noſtra mercurali, non argento viuo, vt diffluat in vino, habens formam olei, vel ſalis naturam oleaginoſam, ſatius eſt. Supra erat circulatum naturæ ſulphur, quod & menſtruum vocatur. Sed id aliud eſt. Tantum de procœmio. Lege diligenter portas, & relege. Applica et prudenter & perite. Non aberrabis à ſcientia, & praxi.

Capita seu Portæ XII. Riplæi.

NOminantur calcinatio, dissolutio, separatio elementorum, coniunctio matrimonialis, putrefactio, congelatio albificatiua, cibatio, sublimatio secreta, fermentatio, exaltatio, mirabilis multiplicatio, & tandem proiectio. Ex his proiectio vsum habet in transmutatione: cætera nihil sunt aliud, quam vnius eiusdemque regiminis diuersæ rationes. Regimen dicitur vnum genere, quod distinguunt tribus operationibus, donec tingere possit. In vnaquaque vero sicut & in omnibus aliis posterioribus nihil est aliud, quam coctio perfectiua, quæ solutione & coagulatione constat. Hæc rota crebro conuertitur, perque easdem dispositiones procedit in omnibus, initio facto à fermentatione. Nam quæ operationes præcedunt, sunt præparatoriæ potius, quam perfectiuæ. Cum item in omnibus fiat conuersio dispositionum & qualitatum, quæ possunt elementis accommodari, efficitur, vt tota ars nihil aliud dicatur, quam elementorum conuersio. Numerant autem alii plures operationes: alii pauciores. Apud Arnoldum inuenies etiam de destillatione, & ablutione &c. Aliqui mentionem faciunt, & cribrationis, & tritionis, quæ est in puluerem impalpabilem redactio. In perfecto magisterio Arnoldi, seu flore florum, qui & lumen luminum, vti exstat *in 3. parte Theatri Chymici*, ita recitantur: *Si ad perfectum magisterium peruenire volumus, oportet primò, vt lapidem Philosophorum purum & mundum habeamus, acceptum, sicut est in sua minera, nihil adiectum, vel diminutum: & (1) sublimare ipsum, vt ex ipso extrahamus id, quod est purum & clarum: (2) postea oportet nos ipsum facere descendere: (3) postea destillare: (4) Calcinare, (5) quinto soluere, (6) sexto coagulare, (7) septimo fixare, (8) incerare.* Ecce tota practica, & reductio ad primam materiam, quia aliter non fieret generatio seu multiplicatio, Nimirum vt habent versu; Breuiarii Arnoldi: *Hic paragraphus desideratur in exemplari Basiliensi.*

Est in mercurio quicquid quærunt sapientes,
Corpus abhinc, anima, spiritus, tinctura trahuntur.
Nullus Mercurius sumatur, quam mineralis.

Quod ille sublimare iubet, philosophicum aliàs habet intellectum in ipso opere: verum ante opus in præparatione sublimatio per distantiam à vitriolo & sale requiritur, vt ex minerali argento viuo quintam essentiam extrahamus, quæ extractio est in opere etiam secreta; sed in præparatione fit per descensionem, hoc est, non fixionem, sed *destillationem descensoriam per tartarum*, aut ex retorta in latus. Hinc accipimus *humorem vnctuosum*, quem rectificamus destillatione, vt omnis fex terrena & humiditas aquosa decedat. Quartum locum habet *calcinatio nostra*, quæ fit per coctionem, in qua putrefactio cum solutione, & coagulatio, quæ terram exhibet, quam paulo amplius vrgemus calore, vt sicca, sitiens, & arida fiat, quod aliàs calcinando consequimur. Calcinationi submittitur solutio, quæ aliàs est operatio secunda, cuius initium est imbibitio; & postea item solutio, & coagulatio cum elementorum conuersione, vt fiat elixyr commune hermaphroditicum auro & argento æque aptum. Hîc nominatur *Coagulatio*, quamuis & in præcedente operatione fuerit; verum imperfecta, & secutura sit deinceps sæpe. *Fixatio* est post fermentationem. Quæ causa potest esse, vt coagulationem κατ' ἐξοχὴν interpretemur de fermentatiua. Tum enim verè figitur, quanquam Riplæus exaltationem substituat. *Inceratio* est comes, vel pedissequa cibationis, aliquando & lapidis iam perfecti secundo fermentati, donec in *oleum* conuertatur, vel *oleaginosam substantiam fluentem in igni instar ceræ.* Vtraque dispositio est aurifica vel argentifica pro specie lapidis. Inde apparet, Arnoldum *in isto tractatu* penè methodicum practicæ ordinem obseruasse. *In breuiario* aliter digessit progressum, indicatis nimirum per colores & operationes quasdam atticulis: *In prima*, inquit, *operatione liquescit, secundo nigrescit, tertio citrinatur, quarto rubescit rubore non verò, nec multum durante: quinto dealbatur, sexto coagulatur: & hæc omnia necesse est fieri igne lento &c. Septimo lapis noster incineratur cum igne tertii gradus: octauo liquefit liquefactione metallica, & rubea, cum igne gradus tertii: vltimo augmentando eum ad quartum gradum, &c.* Quilibet artificum sequitur suum institutum, nec mirum est, tantam varietatem in assignatione operum esse in ea arte, quæ vna plus quam Poetæ & pictores suos terminos mutat, & licentia summa in parabolis, symbolisq; vtitur. Qui ex labyrintho isto emergere, & se extricare velit, *Naturā sequatur ducem.* Sicut enim hæc ex semine & corpore genituræ in matrice astipulante calore naturali procedit, ita & tinctura nostra progreditur ex prima materia per coctionem perfectiuam & formas deinceps subsequentes, donec in vltima sit status. Ab hac artifex iterum incipit, & ad carceres rediens idem denuo stadium decurrit, qualis labor Ixioni apud inferos loco pœnæ ascribitur, & Sisypho saxum suum de monte delapsum semper denuo retrudenti. Hæc etiam est Rotæ nostræ circumactio, & elementorum secreta circulatio.

Notabilia quædam ex Capite De Calcinatione.

CAlcinationem vocat hoc caput à fine operis, qui est *Calx duplex, alba, & rubea*; quanquam etiam *incineratio* appelletur, non tantum ideo, quia nigredo apparet, *Cinis Hermetis* dictus, verum etiam, vt inquit, quia sub humiditate Lunæ, & temperato calore Solis elementa incinerantur. Describitur autem sub titulo calcinationis *magisterium perfectum vsque ad cibationem & exaltationem, ita vt tres rota conuersiones comprehendat*, nempe duas operationes præparatorias, & matrimonium. Fingit enim atcem in campanæ figuram circumductam, & quasi rotundam, cuius prima porta sit calcinatio, vt intelligamus, *vnam operationem non posse explicari sine cæteris*: cumq; elementa sunt incinerata, *Cinis Hermetis.*

Basin perfectè consummatam, & magisterium totum, cuius initium sit nigredo, finis calx rubea, & alba, acquisitum pronunciat. Per Basin autem, vt *infra* patebit, & *supra* est commemoratum, intelligit easdem calces. *In hoc* ergo *primo capite* attendendum est 1. *ad titulum*: 2. *definitionem* calcinationis, quæ includit elementorum conuersionem, putrefactionem, solutionem, coagulationem, imbibitionem & colorum progressum vsque ad calcem vtramque vna cum compositione & componendorum proportione. 3. *Additur declaratio* ex dissentaneis, & differētia calcinationum vulgarium, & præcipitationum argenti viui. 4. *De modo calcinationis* præceptum ponit. 5. *Monet de vera intelligentia* sermonis sapientum. 6. Quid *calcinatione efficiamus*, indicat. 7. *Proportiones* cōponendorum docet. 8. *De congelatione*, qua calx perficitur, agit. 9. De *vera & falsa materia*, seu subiecto calcinando loquitur. 10. Argumenta proponit, *cur materia sit ex metallis perfectis*. 11. *Quæ præcedant calcinationem*, indicat. 12. *Rationem* processus reddit. 13. *Signa* initii monstrat. 14. *De appellationum* ex coloribus apparentibus licentia disserit, & tandem hoc caput claudit, *cuius methodicam summam si velis, intelliges materiam & subiectum calcinandum esse aurum & argentum: efficientem causam instrumentalem, primum calorem humidum, qui Lunæ conuenit, & siccum temperatum, qui Soli: Deinde menstruum mercuriale calcinans ita vt humiditas sit salua cum suo calore insito: quod tamen menstruum etiam materia & subiecti pars est: Formam calcinationis esse per elementorum conuersionem & colores, præmissa preparatoria ad calcem rubeam vel albā solarem, vel lunarem procedere ingeniosè, ad quam formā etiā pertinet materialium componendorum proportio, item concurrentium operationum dispositio & ordo: Finem, calcem rubeam, vel album pro aurifico & argentifico operibus. Adiunctum temporis, annum & amplius cum longanimitate: Dissentanea*, falsas materias, falsa menstrua, falsum processum. Ex omnibus definitio iusta concinnatur. Nos pauca scholia adiiciamus textui.

De calcinatione cum conseruatione natiui caloris, & humidi radicalis.] Specialem calcinationem designat adiecta determinatione. Aliæ calces fiunt soluto termino per violentiam agentis ignei. Terminabatur siccum humido. Hoc cum consumitur vi ignis, terra in puluerem recidit, qui calx dicitur, quanquam aliquando elementare gluten adhuc coerceat compagem, vt in lapidibus, & congis ossibusq; calcinatis videmus. Sed insita humiditas cum calore naturali est sublata. *Nostra calcinatio* eam conseruat & auget, cum innato calido. Hinc intelligitur Arnoldi sententia, qua reprehendit sublimatoriam præparationem, qua humidum radicale destruitur. Conseruatio humiditatis primigeniæ, & caloris connati efficit, vt *nostra calx sit vnctuosa, & liquescens calore instar ceræ.*

Calx nostra qualis.

Calcinatio est purgatio nostri lapidis, restaurans eum suo proprio naturali calore, de radicali humore nihil perdens, inducens solutionem, nostro lapidi inprimis necessariam.] Adiunctum calcinationis & accidentarium effectum est purgatio. Quid purgat calcinando? Lapidem nostrum. Sané calcinantur vulgo lapides. Inde nostra materia lapis vocatur, & intelligitur, non quod iam lapis sit, sed quod per viam calcinationis purgatiuæ euadat. Cum hac est coniuncta instauratio caloris natiui. Intelligo actuationem & exaltationem eius. Nam in corpore integro est potentialis. Calcinatio in actum euocat, qualis erat, cum in naturę minera generaretur. Calor natiuus hæret in proprio subiecto, quod est humidum radicale. Hoc simul excitari, imò augeri necesse est, si calor debet sublimari, tanto minus est perdendum. *Ita est etiam in prologo: Iam facta calcinatione augeas, non diminuas humidum radicale, donec tua massa frequenti subtiliatione leuiter super metallum fluat sicut cera.* Augmentum hoc pręstat inceratio per monstruum. Effectum calcinationis est, vt possit solui & liquescere lapis noster, quod necessarium est ad multiplicationem virtutis procreatiuæ sui similis.

Nolite operari sulphuribus, salibus præparatis, corrosiuis, igne solo, aceto, aquis ardentibus, plumbo.] Instrumenta vulgarium præcipitationum argenti viui repudiantur. Nam hoc vel solo igne præcipitatur; vel adhibitis corrosiuis, vt spiritu sulphuris, aquis fortibus &c. vel fumo plumbi, aut sulphuris exiccatur, vt teri in puluerem possit. Nihil horum valet in hac arte. Nota: tacite innuit calcinationis materiam esse argentum viuum minerale duplex, crudum, & coctum. Modum enim verum, qui est cum conseruatione humiditatis mercurialis, & caloris sulphurei solaris, vel lunaris, statuit: adulterinos remouet. Argenti viui crudi præparatio cū fiat sublimatione, ita institui debet, *vt humiditas sit salua*: Argenti & auri præparatio per calcinationem tam calorem, quam humidum innatum conseruet. Ideo peragitur lima, & hydrargyro. Riplæus etiam multiplicari humidum radicale calcinatione dicit: non tantum conseruari.

Falsæ calcinationes. Subiectum calcinationis mercurium duplex.

Profundamento nostræ calcinationis operare cautè; genus cum genere tantum.] Innuit, non esse vnius simplicis calcinationem, sed compositorum, componi vero debere homogenea, id est, tantum mercurios: propter inclinationem, & familiaritatem, appetitumq; naturalem. Declaratur autē illa regula *paulo post*, quod non tantum genus cum genere, vt mercurius cum mercurio, verum etiam species cum specie debeat iungi. Homo iunctus homini gignit hominem. Si aurificum lapidem vis facere, debes elixyri solari addere aurum, & Lunari argentum, quod est speciem speciei iungere. Ita enim *infra* loquitur: *vt ignis est ignificandi principium, ita aurum aurificandi: Et aurum argentumq; non quærendum extra speciem auri & argenti.* Fit autem elixyr vtrumq; ex mercurio, sed differt dispositione, coctione & qualitatibus, cum album sit humidum calidum moderatè: rubeum calidum siccum cum temperatione. Id non fit, nisi in coniunctione & fermentatione. Vides ergo, quo vsque se extendat hæc calcinatio.

Genus generi & speciem speciei iungere. Calcinatio se extendit per coniunctionem, fermentationem, & alias partes.

Omnis spiritus figitur calcibus sui generis.). Regula est de calcinatione & fixione quidem ad literā, Sed vis eius respicit etiam vlteriora. Si vis argentum viuum, aut imperfectum metallum figere, & transmutare in aurum, aut argentum, non potes id alia calce consequi, quam quæ ex auro, vel argento facta est. Ex consequente elixyr solare etiam requirit fermentum ex auro, lunare ex argento, quæ dicuntur *contra stultitiam eorum, qui negant pertinaciter metalla naturalia esse in arte*: Et illi etiam

quod

quod seminant, metunt. Nicolaus Barnaudus suo opeti epistolam pattis ad filium de occulta Philosophia adiecit, in qua docetur, *Lapis fieri ex vitriolo Romano*, ex quo petatur tam fermentum nostrum, quam mercurius. Nos in *chymicis* monuimus, quosdam quidem ex vittiolo facere *oleum rubeum, in quo soluatur aurum*, vt fiat medicina particularis pro auro ex argento viuo, vel imperfectis metallis, imò pro argento transmutando, quomodo Basilius Valentinus tractat *oleum Antimonii & lapidem ignem*. Verum illa epistola repudiat aurum naturæ. Videant igitur laboratores: quid expectare possint ex istius processu. Medicinam illam, quæ sulphur vitrioli ab aliquibus dicitur, confecerit quis eo modo sed non lapidem vniuersalem.

Iudicium Epistolæ de occulta philosophia.

Sulphur vitriolatum elaboratum ad exemplũ vniuersalis.

Nos calcem conficimus vnctuosam tam albam, quam rubeam trium graduum, ante quam basis nostra sit perfecta, liquida vt cera. Alioquin nulli est vsui.)

Calx nostra qualis & quotuplex.

Hæ sunt illæ calces Lullianæ *in clauicula*. Calcinatio tendit ad calces duas, quarum vna rubea, altera alba: illa pro lapide aurifico, hæc pro argentifico. Vtraque est vnctuosa, & fit gratia *Basios* nostræ, seu tincturæ, quæ debet esse *incerata*, seu *oleaginea*, vt fluat more ceræ ad calorem. Euidenter dicit fieri ante quam basis nostra sit perfecta: vt intelligamus, *calces istas esse subordinatas Basi*, eamq; antecedere: sed cum perfectam dicit, non omnem rationem eius accipimus, sed tantum vltimam absolutionem. Nam & ipsæ calces & elixyria fermentata, sunt fundamenta nostri artificii, verum nondum absoluta. Quid autem est *calx trium graduum*? Intelligo præparatam per ter teuolutam rotam, seu tres operationes, cum quib. coniuncti sunt gradus, ita vt gradatim lapis extollatur, & elaboretur. Ita enim *paulo infra* loquitur: *Ex quatuor naturis componitur vna, postquam* TER *fuerint circulata, & sic tua basis erit perfecte consummata, relata scilicet perfectione, nisi adicias sublimationes, exaltationes, cibationes, & arcanam fermentationem.* Videtur autem Riplæus discrimen facere inter calcem perfectam, & eius in tincturam, & medicinam, conuersionem. Possunt tamen distingui tationes.

Basis imperfecta & perfecta.

Calx trium graduum.

Idque longo processu, vt Philosophi scribunt. Annum enim sumimus & amplius pro nostra expectatione. Nam minori temporis spacio calx nostra confici non potest capax fusionis, cum colore qui non euanescit.)

Tempus lapidis.

Inueniuntur superciliosi sapientuli, qui cũ sibi tribuant notitiam artis, nihil sciunt minus. Hi rident nouem menses, annos, dies, & quicquid non facit ad saliuam. Est sane discrepantia inter artificem consummatum, & eum, qui prima facit experimenta: Est in materiis, temporibus, variisq; accidentibus discrimen: Est inter multiplicantem, & ab initio repetentem: Veruntamen determinatio anni, nouem mensium, aut 10. vel plurium ideo non est tidenda. Philosophi dicunt, *Nigredinem* diu durare, ponuntq; dimidiũ eius 40. aut 45. dies: inde extendunt eam vsq; ad 90. vel 100. Riplæus ante coagulationem elixyris albi tot ponit dies, quot aquæ diluuii super terra steterunt, id est, 150. Inde 30. requirit vsque ad rubedinem. At nondum est elixyr fermentatum, & inceratum.

Quod ad proportionem attinet, oportet attendere. Nam in hac multi decipiuntur.) Sæpe de hac loquitur Riplæus: & est *supra* etiam aliquid dictum. Ruminemus verba. *Sint tua corpora*, inquit, *subtiliter limata.*) Lima conuenit auro & argento: Et licet alias secreta limatora fiat per mercurium, non manu, aut radula: tamen non temere dictum est, metalla ista prius esse comminuenda in puluerem aut folia. Sequitur:

Proportio.

Limatura.

Cum mercurio tum æquali proportione subtiliata.) Nostra limatura, vt vt antecessit mannaria, fit per amalgamationem cum argento viuo, quod initio quidem est copiosius, vt posit calcinatio subtilis fieri, sed postea tollitur abundantia, vt maneat æqualis proportio: quæ æqualitas difficilis est intellectu. *Proportio* est ratio inter duo proportionabilia: vt æqualis ptoportio est inter 3. 6. & 4. 8. vtrobiq; enim est dupla, & sicut se habet ternarius ad senarium, ita quaternarius ad octonarium. Sunt, qui æqualitatem paris quantitatis intelligant, quam *Anaticam* vocant, in qua quantum est mercurii, tantum etiam auri, seu sulphuris. Riplæus definit: *vnum Solis, duo Lunæ, donec hæc omnia tanquam in pultem redigantur.* Inter tria omnino ista æqualitas ponitur, eaque non disiungenda, sed coniungenda, vt *ex ternario fiat monas* cum æquali permistione. Duo pondera elixyris, quod Luna dicitur, & vna auri. Quot mercurii? Nam cum illa sint inæqualia, hic debet afferre æqualitatem. Ponuntur ergo eius 4. partes ad solem, & duæ ad Lunam, quod illius ignis sit vehementior. Quadtuplus debet esse ad solẽ, duplus ad Lunam. Ergo mercurii quatuor pondera sunt sumenda. Nam 4. ad 1. est quadruplũ: & ad 2. duplum. Inde est *septenarius noster* & figura TRINITATIS, vt inquit: hoc est: tres partes corporis: tres spiritus seu mercurii, cum adiectione vnius pro vnitate spirituali, seu vt vnio sit mercurialis. Corpus pro corporea substantia ponitur, seu auro vel argento & elixyre corporeo, vnde tres partes exeunt. Vbi ergo æqualitas? Tria tribus sunt æqualia. Accedit monas vinculi causa. Hæc proportio est Lulliana.

Æqualis proportio.

I. pars auri. II. Elixyris. IIII. Mercurii.

Lulliana proportio.

Tres de spiritu Bacho sumsis pro vna parte corporis.) Riplæus hanc proportionem difficilem intellectu esse indicat. Videtur sensus esse, elixyris debere sumi duas, fermenti vnam: & has tres pro vna corporis reputandas esse. Iam erunt tres mercurii, quæ faciunt reuera partes Nouem, vt omnino sint 12. Hic numerus est apud Alanum, & alios, qui *Nouem aquilas* requirunt. Hæc inæqualis est proportio, vtpote tripla, *Vtramq; veram* pronunciat Riplæus, iubetque sequi alterutram pro libitu, quã quam vbi multa est aqua, ibi tardior exiccatio. Ideo non simul & semel tota quantitas mercurii additur, sed per partes: Et *quidam fermentationem instituunt cum minore quantitate, sed reliquum submittunt in cibatione.* Ita vnciæ quinque reseruatæ seruarentur imbibitioni.

Bachonis proportio. Auri vnc. 1. Elix. rub. vnc. 2. Mercurii vnc. 9. quæ sunt vnũ ad tria.

Si etiam aqua tua æqualis fuerit in proportione cum terra, calore mensurato, ex his emerget nouum germen simul album & rubeum in pura tinctura, quod in igne perpetuo durabit, donec viuum mortuum reuiuificet.]

Auri vel argent. vnc. 1. Elix. rub. vel albi vnc. 2.

Existimo loqui adhuc de fermentatione, quod etiam par posit esse quantitas mercurii & corporum,

Mercurialis aqua vnc. 3. cum moderato igne.

porum, vt vna pars fermenti, duæ elixyris, tres mercurii nostri. Sed tunc calorem exquisitè temperandum esse, ne citius iusto fiat exiccatio: Quod si quis moderari hunc possit, eum consecuturum tinctutam puram tam albam, quàm rubeam, quæ etiam sit constans in igni, & duret, donec peracta sit tota fermentatio, in qua corpus mortuum per spiritum animatum in vitam reuocatur; vt *supra* dictum est.

Certissima proportio.

Fac trinitatem vnitatis sine dissensione. Hæc est certissima optimaq; proportio. Nam quò minor fuerit pars spiritualis, hoc facilior erit dissolutio potius, quàm si nimia aquæ terram submergeres, quod totum opus destruit.]

Sententia est, in vna nostra massa seu offa homogenea debere esse *Trinitatem* & *vnitatem*, ita, vt tria tribus vnita, monadem constituant, & nihil peregrini aut heterogenei assit, verum omnia iucunda, naturaliq; harmonia consentiant. Ratio huius proportionis redditur, quia quò minor pars spiritualis seu aquæ mercurialis fuerit, hoc facilior erit solutio. Nam nimia aqua non soluit, sed submergit potius terram, & totum opus destruit. Aliàs coagulatio protrahi nimium dicitur: Hîc dissolutio difficilior fieri. Nam non penetrat per minima aqua, nec imbibitur penitus, sed natat super terra, eamque inundat, vt videmus in torrentibus & nimbis.

Nota calorem solutionis & coagulationis.

Exicca tuam humiditatem calore temperatissimo: iuua dissolutionem cum humiditate Lunæ, & congelationem cum Sole.] Præceptum est de regimine ignis, seu caloris in fermentatione. Dissolutionis calor debet esse humidus, qualis crasis seu qualitas Lunæ cœlesti asscribitur: sed coagulationis non humidus, verum siccus: vterque temperatissimus debet esse, quod adeo notandum, vt non aliud magis. Nam tota ars magistri est in conueniente agentium patientiumque præparatione & applicatione, tandemque regimine caloris. Hinc intelligis balnei & cineris philosophici, ignis scilicet occasionati, rationem.

Balneum & ignis cinerum.

Sic quatuor naturas in quintam conuertes.] Per conuersionem elementorum circularem efficies quintam essentiam. Id Arnoldus *in breuiario* sic extulit: *Quatuor elementa per magisterium se inuicem complectuntur: tunc ex eis resultat, & resurgit quædam res incorruptibilis, quæ quinta essentia nuncupatur.*

Quinta Essentia ex 4. Elementis.

Si studes conficere Solem & Lunam arte philosophica, ad id Solem & Lunam accipias, quæ naturaliter & prudenter calcinata, & non manualiter; nouam generationem foras producunt, augentia suum genus.]

Sol aurum, Luna argentum. Sol & Luna mystica.

Explicat, quid sit, quod *supra* dixit, speciem esse iungendam suæ speciei, id est, ad aureum lapidem aurum, a[d] argenteum argentum. Nam Sol & Luna aliàs alias significationes habent, vt cum corpora imperfecta, seu elixyr album & rubeum, aut aquas horum ex solutione, vel virtutes sulphuris & mercurii sic vocamus: hic sunt metalla perfecta, vti ex præcedentibus apparet, vbi dicit, *aurificandi principium esse aurum, argentificandi argentum,*

Materia vera.

Sè esset emolumentum in rebus non metallicis, necesse tamen esset eorum elementa prius putrefieri, separari, & cum elementis corporum perfectorum matrimonio coniungi.]

Alienas materias remouet, vt veram & genuinam statuat. Vera est Sol pater, Luna mater, Mercurius mediator, vt *in sequente porta* dicit. Arnoldus non agnoscit vllum mercurium, pro prima materia, quàm mineralem, quem necesse est Gebro & Riplæo metallis esse cognatissimum. *Nota*, inquit Arnoldus, quod *argentum viuum continet in se quatuor elementa, & sufficit sibiipsi: nec indiget alicuius adminiculo &c. In libro maximi secreti* iubemur capere *rubei ponderosi* (auri) *partem vnam: albi in sua subtilitate* (elixyris) *partes tres: aqua serena* (mercurialis) *partes quatuor.* Lege illum Tractatum totum in his, quæ edita sunt à Barnaudo. Sulphur nostrum aurum est purum; dicitur apud nos argentum viuum coctum: Est *filius ignis*, qui sumsit originem *ex purissima mercurii substantia.* Est eius virtus inuisibilis oculis vulgaribus, existens in massa tota aurea, quæ per sua accidentia apparet. Auicenna: *Si Solem & Mercurium non viderem, dicerem scientiam esse vanam.* Est substantia subtilis, quæ ex auro extrahitur, inque ipso latet: dicta *sulphur fixum, rubeum, ponderosum, incombustibile, cum substantia mercurii recentis, crudi, puri*, quod etiam dicitur sulphur. Lege & reliqua, lectisque crede. *In cymbalo aureo, pars vna corporis, & nouem spiritus: nouem aquilæ, æris pars decima in prima compositione.* Hermes vult *quartam partem ignis* (auri vel argenti) *igni* (aquæ mercuriali) *addi, idq; non simul, sed per quatuor quartas, 4. diebus pro qualibet quarta. Experti superfuderunt aquam tribus digitis.* Sed nota, quod *cum nouem partibus aceti citius soluitur Rebis in aquam, sed prolixius exiccatur, & figitur. Nam simul imbibit, nec eget manuum contritione, &c.* quæ potes conferre cum Ripleanis; videntur enim nonnihil discrepare. Ista de materia, de qua consule, quæ *supra* sunt connotata. Modum elaborationis nota bene propter ordinem. 1. *Putrefactio* est. 2. *separatio* elementorum. 3. *matrimonium.* Hi sunt *tres ordines*, & *tres rotæ*, quibus basis nostra absoluitur. Ex his vides, calcinationem potius vltimam esse, quam primam: imò ad hanc priores illas quasi vias esse, vt sic calcinatio à fine dicatur concursus operationum trium ordinatarum ad calces nostras.

Proportio æqualis corporum & spiritus. Aurum nostrum est virtus auro minerali inclusa. Proportio Hermetis. Rebis est compositio ex metallo perfecto e duplo elixyro non fermentato. Tres rotæ & ordines naturaliter succedentes.

Calcinatio non est singularis operatio, sed complexus trium ad calcem destinatarum.

Primum igitur tuorum elementorum fac rotationem, & in aquã terram conuerte ante omnia: Deinde ex aqua fac aerem per leuigationem: & aerem reduc in ignem. Tunc te magistrum vocabo magisterii nostri magni & parui. Nam rotam elementorum circumrotasti.] Explicatio est prius dictarum elaborationum. Ter circulandæ sunt ante basios perfectionem naturæ elementorum. Scis, in principio nihil esse, nisi vnam aquam, eamq; simplicem ex argento viuo minerali elicitam. Facere debes, vt ex hac emineat terra. Hanc alii vocant primam operationem; sed quæ non habeat, nisi duo elementa tantum, terram sc. & aquam. Terra facta in aquam est reducenda, quod fit in operatione secunda, in qua, vt & in prima, putrefactio, solutio, & coagulatio est, item nigredo, & albedo, quanquam diuersa. Dum solutio & coagulatio hic peragitur, materia fit subtilis, & aërea, quod est aquam in aerem mutare; à quo est progressus in ignem, q[uo]m attinet lapidem rubeum. Nota, mentionem fieri operis *magni* & *parui*, quod aliis est *vniuersale* & *particulare*. In vtroq; idem esse processus per conuersionem elementorum indicatur.

Opus magnũ & paruum.

Hoc peracto

Hoc peracto, retrorsum reduc tuam rotam, & ignem in aquam converte, aerem in terram. Nam hoc pacto ad temperamentum perducitur lapis noster, quãdo ex quatuor naturis vna componitur, postquam fuerint ter circulatã, & fit tua basis erit perfecte consummata. Itaq; sub humiditate Lunæ, & temperato calore Solis elementa tua cito incinerentur: Et tum magisterium totum consecutus es.] *Tres circulationes.*

Intelligo de fermentatione, quæ est operatio tertia, qua elixyr album cum argento, rubeum & igneum cum auro addita aqua mercuriali iuxta proportionem conuertitur in lapidem, fitque ex tribus vnum, & ex quatuor similiter vnum: quod est symbolum eorum, qui pingunt quadratum cũ triangulo, & circulo. Fermentatio item habet putrefactionem & solutioné in aquam, ex qua fit terra alba, & randem in rubeo opere ignis, qualis erat in initio, veruntamen cum cõpositione, & exaltatione. Ita dicitur *basis* esse *consummata, beneficio duplicis caloris Lunaris humidi, & solaris sicci.* Totum id est magisterium, quantum attinet ad lapidis essentiam. Quæ enim sequuntur, exaltant eam saltem in quanto, & quali. Quæ adduntur de coloribus, & appellationibus lapidis argumento illorum, non indigent expositione.



Notabilia *portæ II.* quæ est solutio.

Solutio est corporum per menstruum primum clarum in aquam, quæ materia prima est, operante calore moderato in vitro ouali clauso, reductio. Causa efficiens menstruum primum clarum, & lucidum: Deinde calor, qui toto solutionis tempore non debet esse maior, quam vt nuda manus possit vitrum sine læsione tangere. Materia est vnum genere, numero seu specie tria, Sol pater, Luna mater, mercurius mediator: Agens, patiens, frater, soror, sulphur, mercurius. Regula proportionis: *Quo maior terræ, & minor aquæ quantitas erit, eo melius, & citius solutionem videbis.* Materia ergo etiam est terra & aqua, vt sit vnum, duo, tria, & propter elementa, quatuor. Omnia sunt homogenea, vnius naturæ, & radicis. Ideo recte vnum dicuntur, quod tamen formis & dispositionibus, affectionibusque in diuersa discedit. Ad formalem causam pertinet ratio & processus solutionis. *Fit solutio inuisibiliter, & secrete.* Initium est in occidente. Ab hoc per septentrionem in orientem, vsque in meridiem circumducitur, ita vt orientem præcedant varii colores: hoc est, primum nigredo prodit, & postea in albedinem perfectam varietate colorum præcedente mutatur: à qua in opere rubeo est in colorem rubrum transmutatio: quæ omnia sic exponebantur etiam in calcinatione, repetenturque *in portis sequentibus.* Patet hinc, *vnam esse in omnibus operationem*, quæ suis articulis distinguitur, & solutionem describi, vti est in fermentatione. *Calor.*

Finis solutionis pro diuersis respectibus diuersus adducitur. Primum dicitur institui, vt corpora in primam materiam, quæ est *aqua mineralis*, ex qua omnia metalla generantur, reducantur: Deinde vt fiat *mercurius noster*: tertio, vt *coagulatio* sequatur: vt fiat *vnio perfecta*: vt aqua non madefaciens manus existat, vt terra in aquam reducatur, & per hanc congeletur in perpetuum fiatque *puluis impalpabilis* & cinis &c. Si quæras, *quid est mercurius noster*, responsum hinc accipis, *esse aquam permanentem, non tingentem manus, medium ex qualitatibus contrariis generatum, quod & sulphur nostrum dicitur, violentius igne exurens corpora, menstruum vnctuosum, quod dissoluit corpora in aquam mineralem.* Hinc pendent & effecta solutionis. Proprium quidem & vniuocum est soluere corpora, sed comitantia & sequentia sunt manifestare occulta, rarefacere, & attenuare; congelationem spiritus caussare. Nam dissolutio partis corporalis caussat congelationem partis spiritualis. Deinde efficit aquam, & reliqua, de quibus in finali caussa. Subiectum est corpus duplex, quorum vnum habet rationem matris, estque elixyr; alterum patris, & est metallum perfectum: integrum & compactum seu coagulatum. Hoc enim indiget solutione. Ne putes imaginaria, & idealia corpora esse, additur, quod habeant tres dimensiones, longum, latum, & profundum, quibus corpora describuntur. Subiectum cõprehendens est vitrum ouale, quod post immissam materiã est claudẽdum exacte, & nec aperiendum ante finem operis, nec commouendum. *Quando fiat noster mercurius.* *Mercurii philosophici descriptio.*

Tempus adiunctum nominatur, quod sit *nonaginta noctium in tenebris purgatorii.* Hoc est spacium quo durat putrefactio, & nigredo, cum quibus est solutio, quia nigredo est signum infallibile veræ solutionis. Hæc sunt in hac porta notabilia.

Notabilia portæ III. de Separatione.

Aliud *soluere* est, aliud *separare*: illud est in concretis compactisque, quomodo glacies, aut sal aqua soluitur, & liquescit: hoc in vnitis, & congregatis. Veruntamen in vno eodemque opere fit vtrumque. Itaque dum Riplæus de separatione agit, mentionem facit etiam dissolutionis. Cõcurrit etiam coniunctio, congelatio (separatio enim corporeæ partis est spiritualis congelatio) imbibitio, calcinatio. Vocat interdum dispersionem, & diuisionem. Est vna putrefactio, & viuificatio, seu in vitam quasi reuocatio. Definitur, quod sit *elementorũ quadrupla dispersio, & subtilis craßique diuisio.* Hinc colligimus duplicem esse: vna duas partes materiæ facit, subtilem & spissam, de quibus & Hermes præcepit, iubens subtile à spisso separare magno ingenio. Idẽ est, quod tenue à denso segregare, quãquam aliâs subtile oppositum sit crasso, & rarum denso. Poteramus & tertiam separationem comminisci, qua color à colore dirimitur: Item quartam, qua anima à corpore separatur. Quæ partes materiales facit, substantialis est: Quæ elementa, in vna eademque materia qualitates & affectiones mutat, dicique spiritualis potest. *Diuidit*, inquit, *vsq; ad gradum quartum, donec qualitates elemẽtales omnes transmutentur.* *Separatio duplex.*

Causa efficiens primum dicitur *natura*. *Neq; enim manu fit contritio aut separatio*, sed *motu ab interno principio est*, quod tamen excitatur externo. is est *calor primum humidus* in dissolutione, & balneo comparatur, postea *siccus* in coagulatione. Huc pertinet quatuor ignium distinctio. Vnus ignis est *sulphur insitum*, menstruum tertium & ignis naturæ: Alius est *contra naturam*, qui est ignis aquæ seu Draconis nostri violenter corpora comburens, vt ignis inferni. *Elementalis est tertius*, & vocatur flammeus, qui fixis iam adhibetur. *Quartus innaturalis*, seu occasionatus foris accommodatur, estq; vaporosus, seu halituosus per acediæ cuniculos, aut alio modo administrandus. Non opus hîc est carbonum sufflatione. In his ignibus debitè applicandis magna industria requiritur. Aqua partim ad efficientem separationis causam refertur, partim ad materialem. Eius descriptio est: 1. *Quod debeat esse septies sublimata*. 2. *In putrefactione liquescat instar fusa picis*. 3. *Colores emittat*. 4. *Debeat esse per se destillata, donec oculis videas defæcatam esse*. 5. *Munda, tenuis, cœrulea, splendens, liuida, retinens figuram suam, & grauitem: qua cum sit venenum deleterium, transeat in nobile alexipharmacum: pura, facile fluens: ventus Hermetis volans à Sole & Luna*. Itaque & facit volatilem lapidem nostrum, & mortuum reuiuificat, reddens vitam Soli & Lunæ, seu animam marito, & vxori commortuis, idque ope artis, seu industrio regimine. Est mercurius essentialis in ventum versus.

Ignes quatuor.

Aqua nostra qualis.

Ventus Hermetis.

Hæc descriptio partim à substantia est, eiusq; adiunctis, partim officio. Aqua vocatur ventus, halitus, spiritus, potentiâ, quia cum per externum calorem internus prouocatur, in halitum mutatur, qui ab ima parte vitri surgit versus superficiem concauam, indeq; reflectitur & variè commouetur. Hic dicitur etiam *animam, vitam, & tincturam extraxisse ex corporibus*, quæ in fundo vitri tanquam cadauera iacent, in quæ cum ab ambitu redit halitus, anima rursus immitti perhibetur, vnde est illa *reuiuificatio nobilis*. Sic *ventus in ventre suo portat tincturam*, animam, vitam, eumque refundit in corpora. *Draco venenatus* alia comparatione est. Is alis præcisis in fundo iacet, & caudam in altum porrectã reductamque deuorat, id est, halitum illum reflexum recipit, vtpote, qui cum eo vnitur, coagulat, & figitur. *Omniuorus* etiam vocatur, quia aurum, argentum, & elixyr absorbet, vt in aquam redeant. *Venenatus* est, iuxta censuram argenti viui sublimati, *cuius liquor vnctuosus destillando elicitus, & rectificatus est aqua nostra*. Verum de his etiam *superius* dictum est. Oportet te attributa rationabiliter digerere. Neque enim omnia sunt simul in eodem aquæ statu. *Materialis causa* est tum ipsa aqua, quæ segregatur in duas partes, *vnam spiritualem*, quæ est halitus & ventus: *alteram corporalem*: segregatur etiam in quatuor elementa: *altera materia* vocatur TERRA, LAPIS, Arbor Hermetis, estque reuera nihil aliud, quam in opere rubeo elixyr rubeum & fermentum auri: In albo elixyr album & argentum. Ideo & Sol, eum Luna nominantur. Ex his corpus constituitur, quod soluitur ab aqua: sed *aqua vicißim resoluitur in spiritum*, & ex corpore ereptam animam secum eleuat, moxque reddit reciprocando super corpus, cum quo coalescit, & tandem in vnionem coit. *Causa formalis* separationis facile intelligitur ex speciebus. *Terra transit in aquam*, inquit Riplæus, *colore liuido & nigro: aqua in aerem cum vera albedine*. *Hinc progressus est in ignem cum rubedine*. Hæc est forma separationis & conuersionis elementorum. Terra prius resoluta in humorem, postea desiccatur & calcinatur, donec sitiat. Inde potatur sua aqua, idq; sæpe. Nam multæ fiunt separationes & imbibitiones, sed sine tua manu. Spiritus enim vapidus rediens ex alto terram irrigat. *Oleum & aqua* ab aqua destillatur, & dum additur aqua, motus recipitur. Fit reciproca agitatio, ascensus, descensus, osculatio, coitus &c. Fit extractio pinguedinis cum aqua, & tenue à crasso vtroque separatur. *Aues ex nido euolant*, inque eum redeunt. Ista est forma separationis in fermentatione: ad quam artifex nihil confert, nisi externi caloris gubernationem. Omnia enim per se fiunt in vitro clauso. At quorsum ista? *Vt ex omnibus fiat vnus homogeneus lapis, & oleum incombustile*. Aqua ex corporibus assumit sibi familiarem aquam: Spiritus spiritibus iungitur. Diuiditur, quod natura ligauit, perque varios motus tandem *ex triangulo & quadrato fit circulus vnus & simplex*. Hinc exsurgit ergo noster lapis, efficiturque terra in fundo manens, liuida, fixa, constans: deinde spiritus sublimia petens, & inde rursus in terram rediens. Lapidem porro etiam *ad medicinam* possumus adhibere, forma pulueris impalpabilis, aut liquoris. *Subiectum* comprehendens est vitrum ouale Hermetica signatura firmiter cõglutinatum. *Adiungitur patientia*, & tempus prolixum. Dissentiunt & aliena sunt *corrosiua*. Licet igitur nostra aqua appelletur nominibus talium, tu tamen ne admisceto sal, acetum, aquas acutas, fortes, & similia, quia opus perdunt, & sunt aliena à natura mercuriali. Hæc sunt, quæ ad scientiam huius portæ proponuntur, ex quibus vides non rem nouam dici, sed diuersas vnius eiusdemque dispositiones, & progressus, comparationesque indicari.

Notabilia ex Porta IV. De Coniunctione.

NOmen huic est *Coniunctio, copulatio, desponsatio, coniugium, matrimonium*: Et hæc tria quidem mystico sensu seu arcano, ex comparatione cum rebus humanis. *Porta nona fermentationis* appellatione designabit rem eandem. Definitur, quod sit *operatio, quæ coniungit naturas repugnantes seu contrarias in perfectam vnitatem tam firmo coniugio, vt in ignis examine nulla ab aliis diffugiat*. Est & *separatarum qualitatum copulatio, & adæquatio principiorum* (solutionis & connexionis seu coagulationis, quæ sunt duo cardines huius scientiæ) quæ post separationem elementorum (quæ n. coniunguntur, prius sunt disiũcta) est instituenda, ita vt relictæ partes adeo sint colligatæ & ad perfectã reperiẽ reductæ, vt nulla inter eas sit futura repugnantia. Hæ descriptiones indicant, nõ esse vniusmodi cõiunctionẽ: sed vnã *corporalem*, quã *grossam* appellat Riplæus: estq; vna tm̃, & peragitur manuaria opera artificis: *alteram spiritalẽ*, q̃ est *mistio qualitatũ elementariũ*, donec ad æqualitatẽ redigaotur, inter se agentiũ & patientiũ, spectan-

Principia.

Diuersitas coniunctionum.

spectanturq; hic maximè materiales, humiditas scilicet & siccitas, quarum hæc illam determinat & figit: illa huic in terra sicca liquescendi potentiā affert. Symbolicum quoq; sensum habet, & triplici specie quasi distinguitur. Est enim *coniunctio dupla*, vbi duo connecti intelliguntur, nempe agens & patiens; siccitas, humiditas; mercurius, sulphur; mas, fœmina; Sol, Luna; materia, forma; subtile, spissum; quæ suas habent considerationes. *Coniunctio dupla.* Est alia, quæ vocatur TRIPLA, quia *tria materialia* concurrunt, *corpus* (imperfectum, estque elixyr) *Anima*, (perfectum corpus, estque fermentum, aurum vel argentum, quanquam subtili abstractione hæc separentur, & corpulenta pars apponatur ad elixyr, tinctura vero, seu pars formalis, seorsim animæ nomine spiritui committi, & eleuari dicatur) & *Spiritus*, qui est mercurius, seu aqua nostra & menstruum, quod in corpora penetrando ex solutis assumit, sibique vnit mercurialem naturam: deinde vi caloris disgregatum extractam animam secum eleuat, iterumq; reflexum & coagulatum in corpus insinuat, donec tandem omnia coacta vnà maneant homogeneam plane naturam adepta. *Coniunctio tripla.* Tandem est *coniunctio quadrupla*, quæ est qualitatū quatuor elementarium contemperatio. Tripla comparatur triangulo: quadrupla quadrato: dupla est *Rebis*: quæ omnia *in monadem*, seu circulum conueniunt, atque iterum per resolutionem elementarem aperiuntur, & reuertuntur in *quadraturam*, ex qua tandem perfecta vnitas resultat.



Causa efficiens harum coniunctionum habet diuersitatem quandam. *Grossa*, seu corporea compositio peragitur ab artifice certa proportione materialium. Sed hæc externa est opera, & ni interna cōtemperatio ex partium inter se consensu & dissensu interueniat, nihil efficit. Alia itaque *efficiens interna* adducitur, quæ est *natura caloris insiti*, & anima, quæ vincit spiritum, eumque corpori indissolubiliter alligat, quanquam aliâs Physici dicant, *inter corpus & animam interesse mediatorem spiritum*, qui ob naturam vtrique cognatam efficit, vt vnà esse & manere possint. Verum hîc alia consideratio est: quandoquidem anima est virtus corporis permanentis, & fixi, quæ efficit, vt volaticus spiritus consistat, & permanentem stabilemq; naturam accipiat. Ferè hæc consonant Aristotelicæ sententiæ de generatione plantarum & animalium; vbi calorem insitum spiritui, & agentem in humore generationes absoluere docet. *Causa antecedens* appellatur elementorum separatio. Sed hæc cogitanda est in dissolutione, quæ coagulationem antecedit naturaliter, & impropriè dicitur causa. *Causa instrumentalis* est *calor*, qui foris administratur, & ab initio vsque ad albedinem debet esse temperatus, & iugis seu continuus: Apparente albedine augetur, (intra modum tamen) donec lucida sit, & clara. *Caloris modus in coniunctione.* Iam enim debet esse calor siccus, cum prius esset humidus, qualis conuenit putrefactioni & dissolutioni, quæ cum in aliis quoq; operationibus perfectiuis sint, satis manifestum est, præceptum de calore esse generale. *Instrumentaliter* se habet etiam vitri rotunditas, & exacta conclusio.

Quidam id sæpius iubent claudere, vicissimque aperire, vt possit submitti aliquid aquæ pro cibo. *Vitrum in fermentatione occlusum esse debet semper.* Greuerus putat, nihil fore periculi. Sed si de fermentatione intellexit, & non de cibatione, vel imbibitione corporea, aduersarium habet Riplæum. Non habet se instar matricis, quæ semen concepit. Si hanc velles crebro aperire, & nouum semen immittere, deprauares generationem, & conceptum destrueres. *Quinq; menses deputantur* obsignationi continuæ, donec generatus infans nutritionem requirat, vel vsque ad perfectam albedinem. Tunc enim non amplius diffugiunt vnita, nec refert clausum sit vitrum, vel apertum. *Materialia sunt duplicia*: *Corporea* quædam, quædam *spiritalia*. *Materia coniunctionis.* Illa sunt tria. *Elixyr* seu corpus imperfectum rubeum, vel album, quod se habet vt massa fermentanda, & præsertim in albo *Luna* appellatur: In rubro *Luna* quidem, sed *quam spiritus tinxit*. Deinde *corpus perfectum*, quod animam confert, & tincturam. Id Sol & mas dicitur; item sulphur, sicut prius fœmina, & mercurius, quæ nomina propter qualitates imponuntur. Prius etiam materia nuncupatur, tanquam subiectum patiens, fermentandū, & certa tinctura inficiendum: Posterius forma, quia vim actiuam & informantem habet propter sulphur masculum animæ instrumentum proximum. Tertium est *Spiritus*, seu aqua mercurialis, quæ etiam primo imponebatur altera sui parte, & per duas operationes in elixyr aereum mutabatur. Ideo & eiusdem naturæ, & radicis est cum corpore elixyris, vocaturque medium, quod corpori iungit animam tingentem. Ex tribus istis nascitur postea *mercurius sapientum vniuocus*. *Mercurius sapientum.* Hæc sunt materialia corpulenta. *Spiritalia* sunt qualitates elementares & dispositiones. Riplæus ait, in siccitate & humiditate totam intentionem nostram esse, vt nimirum solutione & putrefactione primo corpora fiant humida, postea sicca per coagulationem. *Qualitates*, quia contrariæ sunt, ideo & naturæ repugnantes dicuntur vniri coniunctione: cumque elementis mundanis respondeant, etiam elementa in materiali causa audiuntur, prius tamen separata. Ex parabolis & symbolismis dicuntur coire mas & fœmina, suaque semina in matrice conferre, ita vt fiat corpus genituræ primo humidum calidum, post calidum siccum. Inter materias corporeas est proportio, quæ etiam inducit analogiam spiritalem. *Fermenti seu Solis vncia vna, corporis imperfecti seu elixyris vnciæ tres, aqua spiritalis seu mercurialis vnciæ nouem.* *Proportio materialium.* Vbi tamen notandum est *superius* dictum, quod aqua non multa debeat esse, ne nimis liquida fiat offa, quæ postea difficilem & diuturnam habet coagulationem. Quidam elementorum pondera proponunt: sed de hoc non debes esse solicitus, si proportionata sunt materialia.

Forma. *Tempera ea spissè*, inquit Riplæus, *non nimis dilutè.* Hæc est forma offæ, seu pastæ. Quomodo autem peragatur contemperatio, *superius* quoque dictum est, & recurrit in fermentatione. *De forma operationis in vitro vide sequentem portam, quæ est de putrefactione.* Fit primum nigredo, cui succedunt colores reliqui: solutio & putrefactio antecedunt, sequitur coagulatio. In nigredine est *vera Ecclipsis*, & verum *caput corui*. Apparent vapores ascendentes ad ambitum vitri, & nubes, quæ reflectuntur super materiam, quæ res dicitur *osculatio*, coitus, ascensus, descensus, anium Hermetis auolatus & reuolatus, comestio caudę draconis &c. Post ecclipsin adest lumen, seu lucida serenitas materiæ. Terra ab aqua recipit impressionem: Aqua eidem

dat ingres-

dat ingressum, vtque pariter habitare possint, vicissim aqua à terra vim rerentricem accipit. Omnino elementa in se mutuo traducuntur, & anima per venrum extracta & eleuata, sicque à suo corpore separata circulatione continua purgatur, & per aquam redditur spiritualis; inde in corpus reducitur.

Finis: Ideo coniunctio fit, *vt Monas existat ex binario, ternario & quaternario*, h. e. vt fiat lapis homogeneus totus compactus ex mercurio & sulphure, elixyre, fermento, & aqua spirituali, quatuor elementorum qualitatibus ad æqualitatem vnam redactis. In albo lapide *clara debet albedo elucere & pellucida*: In rubro, *rubedo pyropi*. Sic nasci debet infans noster seu proles, & sublata contrarietate terræ & aquæ omnia in vnum cogi. Dicitur fieri temperies ex humido & sicco, non ita densa, vt corpus, nec ita tenuis, vt aqua. *In ipso opere nascitur mercurius noster*. Hæc possunt etiam effectiuè declarari. Dissentiunt à fermentatione, seu coniunctione hac argentum viuum officinarum: Neque enim coniungi corpus elixyris debet cum crudo hydrargyro, nec valet hic amalgamatio auri & argenti viui. Non debes per partes facere coniunctionem, sed simul: nec reserate vitrum ante perfectionem. Vetum de his etiam in fermentatione. Quia vero natum infantem iam habemus, opera danda est vt bene enutriatur, qua de re sparsim agit Riplæus in porta quinta, septima, & alibi.

Notabilia ex Porta quinta de Putrefactione.

Putrefactio est *destructio corporum, seu operatio, per quam corpora ad corruptionem & mortem deducuntur, & postea ad generationem apta redduntur*. In composito nostro est rerum trium, corporis, animæ & spiritus, diuisio, cuius signum est *nigredo*: Hæc enim indicat, corpora ad putrefactionem tendere. Debet fieri *puluis niger* rostro corui similis, non ruber & siccus, qui existit, cum calor fuit nimius, & opus destruxit.

Efficiens: Arte mouetur lapis noster. Calor temperate agens in corporibus humidis nigredinē gignit. Ideo ignis sit moderatus & lenis. Ne festines in putrefactione. *Violentus calor & subitum frigus à vitro sunt abstinenda*. Calor humidus & non siccus requiritur hic, vt perpetuo eius motu sperma in matrice manens excitetur, fiatque generatio. Augetur autem calor semper magis, magisque post mortem fœminæ, nec vnquam debet cessare. Huius ignis temperandi causa Athannor paratur temperatissimum calorem seruans. Cum hoc enim materia putrescit.

Puluis) interdū pro liquefacta comparatur, nempe in suo fluxu.

Materia in prima operatione est simplex aqua nostra: in secunda corpus humidum, aqua potatum; in coniunctione seu fermentatione est *granum nostrum*, quod in terram elixyris proiectum spirituali mercurio perfunditur, ibique putrescit. Hinc etiam compositum nostrum dicitur putrescere: aliquando aurum iunctum cæteris æquabili coniugio: aliquando lapides nostri. Omnino materia est TANTVM *metallica*, exclusis salibus, sulphuribus, & mediis mineralibus. Sulphur tamen & mercurius noster in materia insunt.

Forma: Amplectuntur se muto mas & fœmina, quæ fœdata abluit; & moritur præcedente deliquio, & it in purgatorium, vbi *à radicalibus sordibus mundatur*. Quando agitantur, turgescunt vt *pix liquida*, ebulliunt, subsidunt, putrefiunt, nigrescunt, indeq; coloribus variis pinguntur, donec aqua omnino desiccetur; quæ maximè in fermentatione sic se habent. Aqua enim hic extrahitur ex terra, & cum ea ascendit anima, indeq; iterum in terram descēdit & deprimitur, vt toties descendat quoties ascendit calore continuo agente absq; opera manuali. Sic generatio procuratur in rotam circūactis cœli sphæris. Elementa miscentur & cōtemperantur sapienter. Calore moderato effici debet niger puluis, post quem colores existunt.

Finis & vtilitas. Dictum est pet putredinem fieri nigredinem, quæ est certum indicium coniunctionis naturalis omnium, & veræ putrefactionis primum signum.

Hanc ideo necesse est fieri, quia sine ea nec seges nec semen multiplicatur, neq; corpora possunt alterari naturaliter, nec elementa diuidi, denuoque coniungi, quæ tamen omnia fieri oportet. *Per portam nigredinis intratur in lucem paradisi*, seu consequimur albedinem, & rubedinem. *Caue vero ne materia perusta vitrescat*. Per putredinem moritur compositum corporale, & resurgit spirituale, fitque noua vegetatio, nascitur infans & lapis noster, qui in sua natura multiplicatur.

Tempus: *Noctes Nonaginta*. Sepelitur quisque in sepulchro alterius, in cuius fundo manent dies 42. Qui etiam concubitus sex hebdomades dicuntur. Toto enim illo tempore à fundo non debent surgere. *Humiditas durat* 150. dies. Sol enim in suo ortu est obscurus, & transit per aquas diluuii super terra. Post 30. dies ab albedine, erit rubedo carbunculi. Vt *citius ad putrefactionem peruenias, fac vt sit aliquando humida, aliquando sicca*: Seu arbor nostra aliquando Sole comburatur, & cum aqua statim post refrigeretur: quæ res est periti artificis.

Patet ex dictis, putrefactionis titulo comprehendi etiam cæteras agitationes in vitro à principio, vsque ad finem albi vel rubri lapidis, potissimumque respici actum fermentationis, licet in præcedentibus quoque duabus operationibus nigredinem esse necesse sit, quia sine ea nec albedo vera nec rubedo procedit.

Notabilia Portæ VI. quæ est de Congelatione.

DE *Congelatione albificatiua*, promiserat Riplæus, sed adiicit etiam *rubificantem*: imo Tractatus hic nihil est aliud, quam accurata, dilucidaque *descriptio totius processus in fermentatione*; cui subiicit etiam *nutritionem*; & obiter attingit materiam quoque primam, vt sic hoc caput sit *potissimum ferè omnium*. Vocat congelationem, quæ aliàs est effectum frigoris. Aliis est coagulatio opus nimirum caloris: significatur autem idem, cum eadem operatio diuersis respectibus & relationibus possit calori & frigori attribui, quia & calor idem pro frigore est, si referatur ad vehementiorem. Mentio vnà fit *confixationis, indurationis, solutionis terræ*, & per congelationem *calcinationis* (quę res est mira, quia calx est caloris effectum) tandemque imbibitionis crebræ. Habes hîc etiam de putrefactione, nigratione, albedine, rubedine, coloribusque variis. Definitio: *Congelatio est rerum mollium in candido colore induratio, & spirituum volatilium confixatio, vt non metuant ignem, sed in igni stent forma liquoris victuesi, quę sua tinctura abundat, nec post congelationem in aere, in aquam liquescit.* Coagulatio aliàs est solutorum corporum ex aquea consistentia in terream reductio. *Efficiens.* Omnium, quæ in toto processu eueniunt, nigredinis puta, iridis, albedinis, solutionis, congelationis; est calor temperatissimus, mouens continuò materiam, vt alteretur intus, forisque, possitq; quælibet eius pars ignem tolerare, & nihilominus sit fluxibilis, fixa, stabilisque tinctura. *Violentus calor noxius est.* Fit & operatio per internum principium: Vnde dicit Riplæus: Præparatio conuersionis vnius rei in aliam, & de statu in statum alium fit SOLVM per naturalem, & *prudentem operationem naturæ*, qualis est spermatis in matrice. Nimirum ars & natura concurrunt. Illa est externum principium, & prudentiam adhibet in calore externo administrando; hæc internum, quod exsuscitatur ab externo, simulque regimen inde accipit. *Materia*: Quæ soluuntur, sunt *corpora spissa*: quorum solutio exhibet *aquam*, & *spiritus*, res scilicet coagulandas vicissim; quæ etiam in definitione proponebantur. Sed nomina accipiunt ex diuersis considerationibus varia. Primum dicuntur *elementa* per congelationem connecti. Id nihil aliud est, quam diuersas materiæ dispositiones & partes, quæ elementis comparantur, tandem in vnam vltimam formam coire, & in ea quiescere. Deinde *spiritu congelantur*, seu *materia disgregata & spiritualis facta reducitur in corpus*, ex quo exierant illi halitus. Ex natura spiritus est etiam *aqua*. Parum ergo interest, sine aqua, siue spiritum nomines, excepto, quod ventus seu halitus per vitrum assurgens aliam ab aqua formam habeat, nisi velis eum his sentire, qui ex aqua disgregata vapores *aquam attenuatam* appellant. *Aqua est ex natura spiritus calcinati, & lucentis*, inquit Riplæus. Intelligis, apud chymicos esse spiritus calcinationis capaces, quales sunt sublimatione facti, & argentum viuum, quorum tamen vera calcinatio non est sine fixione. *Aqua* dicitur aliquando *ignea*, in qua terra nostra (elixyr) soluitur, & ignis, item anima, si sit cum tinctura, vt in fermentatione: vt aqua & anima est vita omnium &c. Interdum audis de *spermate*. *Conuertimus corpora in aquam* (per solutionem) *& tunc totum nihil aliud est, quàm sperma*: Et hoc est coagulandum: *Sperma & calor sunt sicut soror & frater*; quæ actione & passione naturaliter vertuntur in virum perfectum. *Materia nostra spermatica in vno vase in seipsa debet conuerti de vna re in aliam calore temperatissimo eam decoquente.* Mas agens, & fœmina patiens in matrice terræ pretiosissimæ. *Humidum radicale est principium, & nutrimentum*: Materia scilicet coagulationis & imbibitionis.

Exacta descriptio fermentationis & nutritionis

Calcinatio per congelationem.

Congelatio.

Prudes) Prouida Dei ordinatione in natura.

Materia nomina.

Sperma.

Si quæras, suntne diuersi generis materiæ? respondet Riplæus, esse generis eiusdem, atq; adeo homogeneas, id quod declarat quadruplici similitudine à generatione humana, pullorum, plantarum, mineralium. *Eodem enim constant & nutriuntur omnia. Calor & humiditas sunt media generationis, & mineralia humido radicali nutriuntur.* Nutrimentum est menstruum viride (crudum) ex aqua & terra ortum ad alendum conceptum (alitur iisdem, ex quibus constat) *Est sanguis nostri Leonis viridis, in quo Sol noster deficit*, (fit ecclipsis, nigredo & solutio in fermentatione) qui sanguis adhuc est crudus (est altera pars aquæ primæ) quia ob defectum caloris non habuit perfectionem coctionis (aqua prima miscetur cum elixyre imperfecto: quæ mistura appellatur *Leonis viridis sanguis*, quia extrahitur per aquã ex elixyre imperfecto, quod dicitur crudus, seu viridis Leo. Leo enim coctus est tinctura rubea perfectè cocta) extrahitur ex leone viridi (elixyre imperfecto) vocatur *secretum nostrũ menstruum, & aqua acuata* (nam mercurialis aqua elixyris vires assumsit, & est acuata.) Autor addit, esse *secretum ab omnibus Philosophis, & Venerem dominam*, si adhibcatur in consilium ab initio, posse veritatem huius aperire. Si omnes Philosophos latet, maneat secretum. [*Nota ambiguitatem. Riplæus videtur dissentire à cæteris, qui medicinam ad ingressum præparant vel in solum amalgama, vel metallum sui generis fusum proiiciendo. At ille amalgama quidem facit, sed id adiecta medicina coquit, & per omnia elementa traducit. Cum perfecta est, Leo appellatur, isque viridis potissimum in albo opere. Hunc Leonem potat aqua donec rumpatur, & sanguinem effundat: qui sanguis in progressu coctionis acuitur viribus medicinæ, & auri vel argenti, & cum ascendit animam eleuans, & iterum deducens, vocatur Riplæi secretum menstruum, cuius tamen modus inuenitur in omni fermentatione per corpora perfecta.] Lapis certè à multis factus est, siue nouerint, siue ignorauerint istud arcanum. Illud notum est, *aquam eandem esse, quæ primo imponitur*, & qua fit coniunctio & imbibitio, licet hic elixyre terreo acuatur. Quam mirificis nominibus illam aquam designet, potes ibi videre. *Est anima* à terra oriens, causa vitæ, emendans elementa, *ignis* secretus, *oleum*, *aqua* mystica, *aer* medius, ignis, vnguentum, spiritus, lapis, semper cum aqua exiens: Aqua mouens aquam &c. Quia enim iam in matrimonio mercurialis aqua vim accipit perfecti corporis, & imperfecti, motuq; vario exercetur, hinc delitias suarum perplexitatum sumserunt artifices, quibus tu non moueri debes, sed naturam finere. Omnia enim sine tua cura eueniunt, modo ignem peritè regas.

Nota materiam primã & nutrimentum esse idem.

Nutrimentum lapidis.

Leo viridis, & eius sanguis.

Venerem) Num intelligit talem appetitum, qualis est Veneris erga Martem, & magnetis erga ferrum, quod infra innuitur.

Varia nomina materiæ mercurialis in fermentatione.

Forma.

Forma. *Medicina nec fluit, nec congelat, nisi prius putrefacias* (soluas per nigredinem) *purges* (nigredine consumta albedinem inducas) *& figas elementa* (lapidem ex mutatione elementarium qualitatum in vno quiescentem) *lapidis, donec simul congelent, & facile fluant.* Cum materia facta est candida, spiritus cum corporibus congelantur in similitudine perlarum. Præcedit nigredo: sequitur rubedo sanguinea. *Noster filius in aere nascitur calore miti. Terra tua debet aqua reuiuificari* (quod fit reciprocatione spirituum animam vehentium in ipso vitro) *aliàs vera congelatio non erit. Anima inter cælum & terram existit* oriens à terra cum aqua pura causa vitæ, decurrens perpetuo super nostra quatuor elementa, omni virtute perducens eà ad meliorem statum. De quibus tu non debes esse solicitus, siue intelligas, siue non. Nihil enim aliud audis, quam Philosophorum commenta de te, quæ per se in vitro, dum fermentatio peragitur, accidit. *Aqua animam educit, & introducit*, aiunt. Tu si rem videres, aliter fortasse enuntiares. Tantum operam da, vt ignis conueniente tegimine fiat ascensus & descensus reciprocus, sicut nostri in Oceano euenire. In hac actione fit nutritio arcana. Dum sperma in sua specie est alteratũ, vt sit aptum in similitudine suam speciẽ multiplicare, dumq; conceptum crescit, substantia nutritur suo proprio menstruo, quod aqua solum & terra produxit. Nihil refert, inquam, etiamsi hæc non intelligas: Sunt enim parabolica, & contingunt sponte naturæ. Ascendit vapor, & descendit iterum super terram, quod modo *animare* vocant, modo *nutrire*, & aliter. *Finis.* Quid tandem fit coagulatione? Corpus congelatum: non aqua, nec vitreus lapis: (nam à viuificatione debes tibi cauere calore temperato) nec crystallus: sed *medicina fluens, vt cera citò sine flatu follium cum fixione & perseuerantia in igni.* Hic finis non tantum est fermentationis, verum etiam incerationis, quæ fit per imbibitionem. Ideo cogitationes tuas longius debes extendere:

Imbibitio seu nutritio & inceratio. Aqua crystallina.

Congelandæ sunt plures aquæ, & septena imbibitio facienda. Primum *sume lapidis per coagulationem facti partes tres, & aquæ seu argenti viui partem vnam.* Vocat Riplæus *aquam crystallinam*, & videtur non argentum viuum lotum accipere, sed reductam aquam ex argento viuo sublimato crystallino. Cum hæc pars imbibita est, da ei secundam quartam, & sic perge per septem vices. Hinc eueniet, vt septima vice sint partes quinq; consumptæ, cum prioribus sex, tantum duæ. Nam crescente corpore crescit etiam nutrimentum. Facta imbibitione claude vitrũ, & calore temperato prouoca nigredinem; Itin; albedinem, rubedinem, si lapis est ruber. Ita accipis medicinam tingentẽ, quæ exploranda est, num habeat fluxum cereum sine fumo, cum fixione. Si in albedinem semel congelasti, habes lapidem pretiosissimum, qui in rubeo opere est potentiâ rubeus. *Humidum congelatum per siccum generat albedinem noctu clarissimè lucentem.* Siccitas procedit, & dealbat materiam. Finis est rubeum & album perfectum pro diuersitate lapidis. *Aqua sola potest nostram aquam mouere*, qui motus cum sit actiuus & passiuus, causat mortem simul & vitam. Ne sis de hoc solicitus. Tu modo coniunge res debitas, vitroq; include, & rege. Aqua imbibitionis naturaliter adhæret aquæ cõtentæ in lapide. Ideo vnà congelant, & fixum vincit volatile, secumque in corpus redigit. Sis patiens, donec aqua omnis siccetur in puluerem. Ex nigro & albo congelatis fit vnio sine diuisione in æternum, quę est sententia, si pręcedat alteratio ex nigro in perfectam albedinem, lapidem album nasci tantæ fixitatis, vt separentur nunquam, idque in opere albo per se est: in rubro sequitur constans rubedo. Num discrepant materiæ? De hoc quidem ante in materia dictum est: hic indicatur vltimam respondere primæ, vt fiat non aliud genere ab illa, sed homogeneum. Licet enim alteretur dispositionibus, tamen *specie talis est vltima, qualis prima.* Sperma nostrum (imo lapis noster, vel conceptus) nutritur menstruo nostro secreto seu sanguine Leonis viridis temperatè, quando ipsum conuertitur *in fæces corporales*, & fit album perfectè siccum, congelatum, fixumque in suo proprio corpore, vt *bis coctus sanguis* videatur. (Semel coctus est in elixyre, sed imperfectè: in fermentatione & inceratione coquitur secundo.)

Materia homogenea.

Bis coctus sanguis.

Subiectum continens: Vas vitreum vnum in fermentatione clausum Hermeticè, in imbibitione inceratiua apertum, donec suas partes bibit, licet non sic, vt semper hiet, sed obturatum. Sed cum coctio maturatiua facienda est, Hermetica clausura repetitur. *Dissentanea:* Reiicitur solutio & congelatio talis, qualis est salis, aluminis, vitrioli & similium. Sed neq; manu soluendum est, quale quid faciunt, qui amalgamant, terunt, filtrant. Vitare oportet etiam congelationem præcocem in puluerem rubeum, siccum, qui non fluit calore, vt cera. Ita habes congelationis & incerationis præcepta & modum.

Notabilia ex Porta VII. de Cibatione.

Cibatio, nutritio, imbibitio, potatio, inceratio, si differunt, subtili cognitione, & rationibus differunt. Riplæus triplicem facit. Ait enim: *Tribus vicibus sic rotam tuam circumuertes, seruans dictæ cibationis regulam.* Vulgo *vna imbibitio* est, cum prima operatione facta terra irrigatur, & elementum aquæ & aëris elicitur. *Secunda* est inceratiua, qua lapis iam fermentatus imbibitur, donec vt cera fluat. *Tertia* potest esse augmentatiua & multiplicatiua, vt quam tenerrima fiat medicina. Interim est etiam *mystica in fermentatione*, vbi dicitur nubes collecta ex vaporibus depluere; & terram mortuam irrigare, quæ & ipsa est multiplex, cum non in sola fermentatione fiat, verum etiam in aliis operationibus, vbi materia conclusa disgregatur & congregatur vicissim. Quid est? *Nutritio nostræ materiæ siccæ per lac & cibum vtrumq; moderatè datum, vt fiat medicina ordinis tertii.* In ea rota elementorum debet circumuerti, postquam prius ipsa sunt alterata. Impropriè nutritio dicitur, vt facilè intelligis. *Nutrimentum* est duplex, *humidum*, quod lac: & *siccum*, quod cibus vocatur. *Lac alii tantum* requirunt. Id autem *est aqua nostra vel mercurius mistus aliqua parte coagulati corporis.* In lacte enim est serum, butyrum, & coagulum casei. Riplæus cibum seorsim nominat, quanquam non fit sine potu, sed vtrumque commistum. *Efficiens:* Nullum frigus, sed *calor humidus.* Nam hic requiritur ad imbibitiones;

Cibationes tres.

Nutrimenta.

bitiones, veruntamen ita, vt aliquando etiam siccus adhibeatur per interualla. *Sitiat potius interdum, inquit, quam nimium bibat.* Modus enim imbibitionis est parum dare vna vice, idque prout videmus, requirere materiæ rationem. Maius corpus plus appetit nutrimenti. Tenera ætas minus concoquit, adulta plus. *Materia.* Dictum iam est lac pro potu, & cibus. Id, quod cibatur, est lapis sanguineæ complexionis, albus, vel rubeus, siquidem post fermentationem nutrimus. Ante eam etiam corpus nigrum imbibitur, vel potius abluitur suffecta aqua. Vocatur materia nostra sicca, siue ante, siue post fermentationem cibatio instituatur, licet proprie infanti conueniat nutritio. *Finis.* Fiat medicina ordinis tertii, quæ possit perfectè transmutare metalla imperfecta, & abluere lepram, reddereque sana & lucida. Est vtilis & iucunda: & perfecta iudicatur, cum citissime funditur, vt cera cum sensit igneim. *Aureus noster lapis per cibationem fit albus, figuram habens asperam, qualis est capitum spinæ albæ.* Riplæus *Magnesiam* appellat, quia est res magnæ æstimationis: Item sulphur album fixum, incombustile, quæ nomina lapidi albo quoque & elixyri conueniunt.

Medicina ordinis 3.
Aspectus cibati lapidis.

Notanda ex Sublimatione, quæ est Quarta Porta.

Repudiatis sublimationibus vulgarium Chymistarũ, per quas flores faciunt & essentiam quintam ex sale ammonio, sulphure, antimonio, marcasithis, &c. ponit quandam *arcanam* in opere, in qua simul adumbrat præparatoriam, vt ita *duplex insinuetur sublimatio, præparatoria & essentialis*, quæ simul est exaltatoria. In genere *sublimare est primo corpus facere spirituale, & spiritus corporales*: id quod in arcana sublimatione fit simul. Est eius aliqua similitudo etiam in præparatoria. Ad hanc pertinent hæc: *Mercurium sublimare à vitriolo & sale:* vt purgetur, & eius salsedo sulphurea diminuatur. Cum simul purgata sunt, sublimantur in altum albiora niue, & spiritus simul præcipitatur, fitque corpus, vt prius ex corpore spiritus. *Arcana sublimationis sunt hæc*: 1. Efficiens: Calor humidus temperatus. 2. Materia, corpora, spiritus, elementa, quæ sunt in circulum agenda. 3. Modus: per putrefactionem, solutionem & reliquas operationes, quæ requiruntur ad permutationem elementorum. Attingitur hic operatio, qua ad elixyr procedimus. Nam *ex sublimato niue candidiore fit aqua. Hæc conuertenda est in terram*, quod fit operatione prima. Terra est nidus cæterorum elementorum. Hæc ergo operatione secunda per imbibitionem in aquam reducitur, cõcurrente putrefactione & solutione. Aqua mutatur in *aerem*, qui est *album elixyr, & corpus imperfectum in albo opere.* Inde *aliqua pars vritur ad rubedinem*, quæ dicitur *Ignis*, & est *sulphur*, seu *elixyr, & corpus imperfectum rubeum.* Hæc quoque res potest dici sublimatio, cuius tot sunt modi, quot putredines, nempe *septem.* Vide in exaltatione. 4. Ad modum secretæ sublimationis & hæc pertinent: *Non est sublimandum ad vasis summũ, vbi frigus est*, quia *cum mercurius latetur frigore, adhæret ibi, nec sine vi potest detrudi.* Ideo cauetur hac rotunditate vasis Hermeticè clausi; aut igne cauto, si cucurbitula vtaris, id quod fit in prima operatione, de qua maximè sonat litera. *Inferne retinendum est corpus per dies 40. vt nigrescat.* Hinc incipit anima prodire ex suis venis, & subtile cum spiritu scandit, quæ sic eueniunt in fermentatione, vt pateat hãc sublimationem pertinere ad fermentationem. *Corpora eclipsantur, & dum putrefiunt, magis magisq; sublimantur.* Nota, tangi *duplicem sublimationem* etiam in fermentatione. Nam aqua resoluitur in halitum, qui secum vehit corporis perfecti animam, seu tincturam vsque ad vitri oualis ambitum. Inde reflectitur, fitque *secreta irrigatio vel imbibitio.* Quia vero circulatione frequente etiam viribus crescit materia, & nobilitatur, concurrit sublimatio virtualis. *Infans natus in aere renascitur, & redit in aquam.* Anima & spiritus elaborantur per continuam sublimationem. Ex nigredine totum fit album & spirituale. Inde repercutitur super terram, & anima corpori redditur &c. quæ primum sunt fermentationis, postea similium operum. 5. *Finis*: Primus gradus est aqua ex corporibus: super aqua exputa nigrities tanquam venenum apparet. Gradus 2. omnino fit spirituale totum. Gradus 3. *Fiat terra ex eo, quod ante erat cœlum.* Per hanc quidem possumus intelligere terram primæ, & elixyr terreum secundæ: verumtamen etiam lapidem tertiæ operationis, licet igni comparetur in opere rubeo, & aeri in albo. Ex dictis facile est æstimare, quam perplexa sit ista scriptio. Cum enim plures attinguntur sublimationes (vna proparasceuastica, alia putrefactoria primæ operationis, vt ex aqua fiat terra: tertia operationis secundæ, ad sulphur aereum album: quarta secreta circulatoria in fermentatione) omnes inuoluuntur, & quasi vno orationis filo describuntur. Agamus statim de exaltatione, quam dicit *parum differre à sublimatione.*

Sublimare quid.
Sublimatio præparatoria.
Nota operationes duas, per quas ad elixyr azymum est iter.
Septem sublimationes in opere post materiæ præparationem.
Duplex sublimatio in fermentatione.

Notabilia ex Porta X. de Exaltatione.

Exaltatio q̃dam sublimatio est, & elementorum conuersionem per colores ordine succedentes itidem habet, vt in præcedentibus dicta sublimatio. *Non fit ad distantiã, vt vulgaris, sed potius virtus & nobilitas augetur.* Quanquam enim eleuatio dicatur in cœlum fieri, non tamen ea est materialis, sed virtualis, excepta vertigine circulari, vbi aliqua ratio est interualli, de quo etiam Hermes scripsit, quod *ascendat tinctura nostra à terra in cœlum, iterumq; descendat, acquirendo vires superiorum & inferiorum. In cœlum ferri maximè est quintæ essentiæ naturam adipisci.* Sed videamus, quæ de exaltatione proponantur. Primò sequitur fermentationem seu desponsationem, & incerationem, cum superior sublimatio tum ante eas contingat, tum in eis. Hinc definitur *vera medicinæ in elementa gradatio.* Subiectum patiens & materia vocatur *Medicina*, quod nomen debetur tincturæ iam ita elaboratæ, vt sanare ægrota corpora metallorum possit: Et quia per elementorum signa procedit glorificatio: item in ea inueniuntur similitudines maris, fœminæ, corporis, animæ, spiritus; ideo materiæ nomine etiam elementa, ignis, aqua, aer, terra, spiritus vitæ viuificans, & reliqua, vt in fermentatione assignantur. *Forma*: Peragitur soluendo, putrefaciendo, elementa separando, terram naturaliter absque manibus calcinando, seu conterendo, vt videas, eandem operationem hîc esse, quæ fuit & in

In cœlum ferri.
Exaltatio quid.

In exaltatione eadem fiunt, quæ in fermentatione.

Exaltatio matrimonialis.

Exaltatio glorificatoria, de qua vide seq. fermentationem.

fermentatiuæ. In specie *duo modi* describuntur: partes desponsatæ primum, crucifixæ & examinatæ, seu iam ignibus exploratæ & purgatæ contumulantur simul & postea spiritu vitæ reuiuificantur. Vnde intelligimus, exaltationem hanc Riplæi esse *repetitam quandam coniunctionem matrimonialem*, quia requiruntur partes prius purgatæ, post desponsatæ, & vnà contumulatæ, vt commoriantur, anima per spiritum ex corporibus euolante, sed mox redeunte, & vitam referente, quæ fiebant etiam in fermentatione priore. Hinc medicina longe facta nobilior, nihilominus denuo elaboratur. Nam vt lapis fermentatus per nutritionem inceratiuam augebatur, ita iam exaltatus exaltatur iterum simili solutionis per imbibitiones modo: qui alter est exaltatorius, quo in cœlum exaltatur, hoc est, ad *quintæ essentiæ sublimitatem euehitur*, vt ibi corpus & anima simul glorificentur, angelicam præstantiam adepta. In his exaltationibus fit elementorum circulatio. *Frigore dominante* in albo lapide, ex aere fit aqua, in rubro ex igni: *Dominante vero calore* contrà ex igni fit terra, ex hac aqua, aer, iterumque ignis. *Incipe in occidente, & desine in meridie*, id est, putrefac, vt nigrescant, coagula, vt albefiant, & in rubeo opere crema, vt ignea rubedo existat. Eadem fiebant in rubri lapidis coniugio, & imbibitione, vt hîc nihil fit noui præter sublimitatem maiorem, & virtutem subtiliorem. Nam cum ante 100. & 1000. partes tingeret lapis, iam 10000. & 100000. Ideo & finis allegatur is, *vt medicina sic exaltata alia omnia corpora* (potissimum aurum, argentum, hydrargyrum) *trahat ad propriam suam dignitatem, id est, suam virtutem transmutatoriam illis conferat, faciatq; medicinas Solificas, & Lunificas*, quæ tandem aurum vel argentum procreant. Exaltata medicina dicitur *Essentia quinta*. Breui peragitur exaltatio ista propter vim materiæ. Oportet tamen, quia per putrefactionem & solutionem procedendum est ad elementorum apparitionem & coagulationem, in principio vti calore valde exili, qui potius frigus sit, quam calor. Aliàs fiet anteuersio noxia. Adhibetur idem modus vitri, qui in fermentatione, de qua iam audiamus.

Notabilia ex Porta IX. quæ est Fermentatio.

PORta quarta erat de coniunctione & matrimonio maris & fœminæ, in vnum coaptatis corpore, anima, spiritu, & elementis, vt esset dupla, tripla, quadrupla. Sed alia ratione compositio, alia vnio, alia matrimonialis copulatio appellatur. Incidit in hanc & fermentatio non re differente, sed ratione. Nam *quæ fermentantur, fiunt spirituosa, & intumescunt, alteranturq; pro natura fermenti*. Id cum fiat etiam in nostra compositione adhibito foris calore (nam sicut cum tinctura Colcotaris, & oleum vitrioli rubeum in pastam, offamque commiscentur, & in vitro clauso digeruntur, fit tumor quidam, & resolutio, cum ebullitione, & per vices subsidentia; ita euenit cum aqua nostra mercurialis, elixyr, & corpus perfectum coniuncta coquuntur) nomen operi tribuitur FERMENTATIO. Hæc in massa frumentacea non est sine putredinis principio, vnde etiam aciditas odoris, & saporis prodit. Sic mista officinarum electuaria, & succi efferuescunt & fermentantur exurgentes in spumam, & tumorem quendam, donec agentia patientibus concilientur, omniaque in vna forma quiescant, ad quam Theriacæ destinant sex menses. Vbicunque id fit, & quoties, ibi, & toties in opere quoque philosophico fermentatio ponitur. *Vnum omnino est opus coniunctio, compositio, putrefactio, copulatio coniugalis, concubitus, desponsatio, conceptus, generatio infantis &c.* Ne quis ergo turbetur varietate autorum, qui etiam studio aliquando cauent, ne videantur verbis consentire, & idem cum cæteris dicere, cum tamen res apud omnes sit eadem. Tertia operatio apud alios est fermentatio, cuius finis est Lapis Philosophorum suâ essentiâ perfectus, quanquam nondum viribus, subtilitate, & dignitate. Riplæus de longè alia videtur commentari, & tamen etiam de illa præceptiones complectitur. Etenim *de illa fermentatione disserit, quam sequitur exaltatio*, vel potius cuius explicatio est exaltatio, *quæq; proxime præcedit proiectionem* super corpora, & argentum viuum, vt fiat medicina. Hic quod fermentatur, est amalgama ex auro vel argento, & hydrargyro: *Fermentum est medicina iam incerata*, ita, vt calefacta fluat ritu ceræ, sitque fixa. Sed audiatur Riplæus ipse: Quid est: *Vera fermentatio est animæ cum corpore incorporatio restaurans ei naturalem odorem, saporem, & colorem per naturalem inspissationem rerum separatarum* (quæ erant elementa, animaque & corpus, quæ per spiritum segregantur) *debita redintegratione: vnde corpus à spiritu recipit impreßionem, vt vnumquodq; poßit iuuare alterum, ad conciliandam* INGRESSIONEM. Hæc est definitio, in qua vides, poni animam & corpus separata. Vbi itaq; hoc fit, ibi erit fermentatio. Fit autem in operatione tertia, in exaltatione, qua medicina instauratur & perpetuatur: in præparatione ad ingressum, in multiplicatione. Finis est *incorporatio animæ*, seu commissio & vnio huius cum suo corpore, à quo prius erat separata per ventum seu spiritum mercurialem: *Effectum* est corpori restituere vires naturales: *Modus* dicitur *coagulatio*, qua ex subtiliatis fiunt spissa: item *impreßio spiritus in corpus*, quod hinc accipit tenuitatem & vim penetrandi seu ingrediendi, sicut contra spiritus à corpore trahit fixitatē, & manendi constantiam. Iam animum per omnes operationes volue. Inuenies ita fieri in cōiunctione matrimoniali, & vbicunq; noua fit, specificaq; per aurum, aut argentum instauratio. *Materialia*. Primum est *fermentum*: Secundum, *massa fermentanda*. De fermento mirifice loquuntur. Nam *aliquando idem est, quod tinctura*, & medicina, qua ægrotis hominibus, & metallis imperfectis succurritur. Aliquando *corpus perfectum* vocatur fermentum. Aurum enim est fermentum elixyris rubei ad aurum; argentum albi ad argentum: quæ duo fermenta sunt specifica quidem, quia primam materiam generalem ad speciem certam adducunt, vt fiat aurum per semen auri, argentum per semen argenti, cum non possis sperare ex plumbo aurum, nec ex columba accipitrem. *Simile enim procreat simile*, quiq; hordeum serit, metere potest hordeum: veruntamen etiam corporalia, vt duo corpora coeant vnum imperfectum & generale, quod est elixyr crudum; alterum perfectum, & ex natura petitum.

Riplæi fermentatio singularis.

Fermentum.

Sed qui

Sed qui subtiliter philosophantur, obscurant ista perplexis rationibus. Arnoldus ait: *Spiritum esse fermentum Solis, & dici sulphur, aurum Philosophorum, & crocum Martis: Animam esse fermentum Lunæ, & dici aerem, rosam albam, &c. Terram esse corpus stans: istaq; tria esse in mercurio.* Vnde si quis velit fermentum rubeum esse in auro minerali, album in argento, negant repudiantque corporalia. Sed tu non mouearis. Nihil enim isti aliud dicunt, quam abstractiones subtiles, & in rebus naturalibus, quando artem sentiunt, diuersas considerationes. Non vis aurum appellare fermentum: at interim dicis, spiritum quendam auri per nostram aquam mercurialem extractum esse fermentum, quasi contenderes, non corporalem illam acidamque pastam, quam tibi dat pistor, habere rationem fermenti, sed spiritum illum quasi animantem, qui nascitur, dum massa tota agitatur. Hac ratione omnia sunt in mercurio, quem dicunt nulla re indigere: verum *ille prius erat factus ex aqua nostra, elixyre & auro vel argento. Fermentum* (inquit Riplæus) *est solum Solis & Lunæ. Misce aurum cum auro* (rubeo elixyre) *& argentum cum argento.* Aurum debet ad fermentum sic esse præparatũ, vt aliis naturis profunde iungatur (quod fit, quando in sua aqua mercuriali soluitur, fitque vnum cum aqua, in quam abit & elixyr auri) *Sol cum Sole fermentatur addita propria aqua*, id est, terra purgata (quæ est elixyr rubeum adhuc azymum) intercedente spiritu vitæ solum. *Terra* est aurum nostrum elementatum (elixyr rubeum, quod per elementorum dispositiones transiit.) *Est & anima,* (in auro minerali scilicet, cuius tinctura anima vocatur) quibus debet Sol addi, & omnia rotari, vt alterentur (Intelligo non in qualibet fermentatione, sed in exaltatoria & multiplicatoria, vbi terra seu aurum nostrum, anima, & Sol interueniente spiritu coincidunt, nisi pro vno sumas animam, aurum, terram; quia aurum est id, quod ex terra & tinctura constat.) *Terra attrahit animam*, quæ erat cum vento eleuata in vitro clauso, sicut *magnes ferrum.* Id autem fit in concubitu matrimoniali &c. vt appareat idem dici verbis, modoque diuersis. Terra est fermentum aquæ, & aqua terræ: quæ est alia ratio fermenti. Aqua mercurialis causa est, vt terra efferuescat, sicut creta puluerata causa est aceti super ea feruentis & bullientis: & vicissim acetum facit, vt creta intumescat, & fermentetur. Per aquam intellige mercurium nostrum animatum, qui iam ex auri corpore resoluto assumsit tincturam. Aliàs non posset aurum, anima, & aqua simul esse fermentum. Aliter: Fermentum est faciendum tum rubeum, tum album. Si faciendum; Ergone artis est, & non naturæ? Vtriusque inquam. Nam ars ex minera naturali sumit aurum & argentum. Dum autem soluit id aqua mercuriali, & spiritum animamque extrahit, & circulari in vitro clauso gyratione attenuat, etiam parare, seu facere traditur. Si vero intelligis de alio genere fermentationis, vbi medicina propter dignitatem maiorem fermentum nuncupatur, etiam apertius est, cur fieri debere asseratur. *Tria sunt fermenta: duo corporalia* in natura pura, quæ debent solui & coagulari, seu alterari permutatis elementis: *Tertium est prima terra cum aqua propria viridi* (sanguine viridis leonis) quod vocatur *secretissimum.* (Vide in congelatione, & quæ *supra* dicta sunt de menstruo tertio.) Omnino fermenta & fermentanda sunt corpora & spiritus in homogeneo composito eodem. In hoc quæ formalia sunt magis & actiuiora, dicuntur fermenta: quæ materialia, magisque passiua, fermentandæ massæ, siue tertiam operationem, siue vlteriores respicias. Modus: *Corpus debet fieri spirituale per spiritum, & spiritus cum corpore confixari. Putrefacere & elementaliter alterare prius debes, quàm incipias fermentare medicinam.* (Non ergo primum opus est fermentatio, licet in recapitulatione ea præmittatur: sed aqua vertenda est in terram, hæc in aquam rursus, indeque in aërem & ignem.) *Corpora cum mercurio sunt amalgamanda, vt offa seu puls fiat, super quam proiicitur medicina:* & deinde tota mistura vitro inclusa coquitur, vt putrescat & alteretur per ordinem elementorum. Hæc ratio conuenit præparationi medicinæ ad proiectionem. In imperfectis (dum adhuc res sunt crudæ) primum altera, post fermenta. Sed & in perfectis similiter est agendam (quanquã vna operatione, non diuersis,) *Fige aquam & terram simul statim: & quando medicina fluit vt cera, proiice eam super pultem seu amalgama, totumq; in vitro clauso coque per signa elementorum.* Inde fit Leo: (in opere albo viridis dictus, in rubeo ruber) *Cum is sitit, fac vti bibat, donec corpus rumpatur. Deinde coque, vt spiritus animam educat & reducat, &c.* quæ non de prima fermentatione possunt accipi, sed de exaltatoria, quando tinctura nostra bis perfecta & incerata, denuo committitur cum auro vel argento interueniente argento viuo; soluitur, coquitur, coagulatur: mox imbibitur septies, iterumque soluitur & coagulatur, vt tincturam habeat excellentissimam. Hæc vt innotescant magis, etiam finales causas ausculta.

Fermentum.

Anima est vt chalybs: Terra mortua, quæ constat ex corporibus maris & fœminæ, est vt magnes.

Tria fermenta.

Modi fermẽtationis.

Leones duo.

Quorsum instituenda fermentatio est? Respondet Riplæus *ad perpetuandam medicinam nostram.* Medicina tunc dicitur, cum lapis iam prima fermentatione est absolutus & inceratus. Itaq; vt exaltetur amplius, & vim accipiat perpetuam, fermentatio secunda suscipitur. De hac ergo est sermo. *Fit medicina omnino perfecta.* Erat quidem etiam incerata perfecta; sed minus efficax ad tingendum. Fermentatio etiam hoc addit, *vt omnia examina ferat fermentatus lapis*, vel transmutatum eo metallum: quod rursus argumentum est, de posteriore, non priore fermentatione verba fieri. Iterum: *Vt ingressio concilietur medicinæ*: In prima fermentatione corpori parabatur per spiritum ingressio: hic medicinæ, quæ aliàs propter subtilem naturam natat, & non immergitur in metallum, super quod proiicitur. Et ideò hîc videtur singularis esse Riplæus. Alii enim tantum in fusum aurum vel argentum proiiciunt medicinam, nempe vnam partem super mille: alii amalgama faciunt cum mercurio, & in hoc calefactum immittunt tincturam. Alii aliud comminiscuntur: sed *Riplæus proiicit quidem super amalgama calefactum*: verum non acquiescit in hoc solo, sed pergit, soluit, alterat, coagulat, coagulatum imbibit, & adhuc semel per totam elementorum traducit. Alius finis: *Vt corpus suas qualitates effectualiter ostendat, & spiritus cum eo proportionaliter confixentur:* qui finis etiam est primæ fermentationis. Alius: *Elementum elemento ita debet conciliari, vt simul patiantur ignem*: Sol & Luna sunt renouanda, vt possint tenere de quinta essentia &c. Hæc exaltatoriæ fermentationi conue-

Medicina quando dicatur.

Singularis fermentatio cum proiectione ad ingressum, quæ etiã est multiplicatiua, vt indicatur porta XI.

Fermentatio iatrica. niunt in vtroque lapide, qui quasi inueteratus & exhaustus viribus est retrouandus. Ideo & multiplicatoriæ competunt, quia & hic est instauratio. Tunc eorum tinctura, seu vis tingendi perpetuo durabit. Hæc est fermentatio metallica. *Medica* vero seu sanatiua morborum his expeditur: *Omnia corpora* (quæ sunt in lapide) *reducimus in oleum per aquam odoriferam. Cum hoc oleo facimus nostram medicinam fluentem. Aqua dicitur essentia quinta ad omnes infirmitates. Hac soluitur calx, seu basis nostra* (*intelligo lapidem inceratum*) *præparata. Quando corpora sunt calcinata, aqua illa in oleum dissoluit: quod fit ex Sole & Luna,* *Auri oleum potabile verissimum.* *quod est fermentum fragrantissimum.* Vix assequi possis istorum sensum. Dicam aliquid. *Ex argento viuo crystallino extrahe liquorem vnctuosum per destillationem ex retorta. Posses antimonii stellam adiicere. Liquorem rectifica, vt fiat oleum*: Hoc *circulatum in quintam essentiam mutabitur, quam puto esse aquam illam Riplæi odoriferam. Hac aqua imbibe medicinam aurificam, vt fluxum oleosum, talemq; consistentiam accipiat. Huic si auri calcem inieceris, soluetur, fietq; aurum potabile verum.* Similis est ratio argenti. Si non vis capere medicinam seu tincturam inceratam, potes sumere *calces nostras*, id est, elixyria cruda, & ex eis oleum facere per aquam nostram. Id oleum postea soluet calces perfectorum promtissimè, atq; etiam vniuersale medicamentum exhibebit. Hactenus de porta nona.

Ex Porta XI. de Multiplicatione.

CAusa huius inuentæ est, vt possit sufficere tinctura *in dies vita*, atque in infinitum augeri, ne opus sit de nouo inceptare magisterium. Definitio: *Est vera elixyris seu medicina* (quæ iam perfecta est, vt proiici possit, & aurum vel argentum efficere) *in bonitate* (h.e. colore, odore & virtute) *& quantitate augmentatio, vt sufficiat in infinitū, & præbeat tantum aurum, vel argentum, quantum desiderat artifex pius.* Est tam albi, quam rubri lapidis. Quæ est ratio tanti augmenti? Quia *ignis est, qui dato cremio in infinitum amplificatur.* Quo tenuius fit elixyr, seu medicina, hoc largius se spargit eius tinctura. *Materialia:* Quod *Multiplicatio fermentatoria.* multiplicatur, est *tinctura*, seu *medicina*. Per quæ multiplicatur, est argentum viuum & aurum, vel argentū pro fermento. Potest ex vtrisq; fieri amalgama, &c. *Modi* sunt *duo: primus est* fermentario pulueris sicci per mercurium & fermentū, vt indicatum *præcedente capite* de fermentatione. *Secundus est* imbi- *Multiplicatio exaltatoria.* bitio per argentum viuum. Cum n. fermentatus est lapis, debet augmentari & incerari, seu mercurio potari. Vtrobique est solutio, congelatio, colores & cætera. *Prior modus auget quantum, & quale: posterior tantum quale*, aut potius quale, cum accessu mercurii necesse sit etiam molem crescere: qua de re vide cibationem. Solet in vitro assurgere quasi planta, quæ dicitur *arbor Hermetis*. Finis: vt *vnum granum* *Arbor Hermetis.* *tingat mille* per proiectionem sapienter instituendam. Hæc esset medicinæ inceratæ, sed non exaltatæ gloria. In *porta* 12. meminit *multiplicationis exaltatoria*, quæ semper crescit denario, adeo, vt si tinctura initio 10. tinxit, exaltata proiectione prima tingat 100. secunda 1000. tertia 10000. quarta 100000. &c.

Ex Porta XII. de Proiectione.

VAriæ traduntur proiectiones. Vna est *probatoria*, quantum possit præparata medicina, cum non semper respondeat desiderio euentus. Alia est *ingressiua*. Nam cuius corporis generationem requirimus, super id debet fieri prima proiectio, de qua diximus in fermentatione Riplæana: Legimus etiam apud Arnoldum, Bernhardum *in cymbalo aureo*, & *alibi*. In *libro secreti maximi* scribitur: *Si voluerimus medicinam multiplicare cum fermento, ex quo prima fermentatio fuit petita, posse puram confici* 30. *diebus, cuius vncia super decem cuiusq; metalli proiecta faciat aurum vel argentum pro sua specie: Super has* 10. *vncias si alia vncia medicina rursus proiiciatur, effici medicinam puram, quod ipsum repetendum sit, donec fluat vt cera vel oleum, quod auri dicatur, aut aurum potabile.* Aliæ proiectiones inueniuntur apud Arnaldum. Riplæus *duas* habet: vnam *exploratoriam*, alterā *ingressiuā*, ex quib. tertia facile innotescit. De priore hęc ponuntur. Primum signa perfectionis debent esse nota: 1. Vt *pauca quantitas tingat multū mercurii* (Vt partes 10. 100. 1000. 10000. 100000. &c. pro exaltationis ordine) *vel metalli imperfecti*. 2. Vt *adhæreat, sicut pix liquida*: 3. Vt *in proiectione coloret perfecte*: 4. *Omne examen ignis ferat*: 5. *Intret*. 6 *Diuidat & spargat se latissime.* Hæc signa vt inesse cognoscas, & simul quam multum tingat, experiaris, tres, quatuor aut quinque proiectiones sunt faciendæ, donec videas, quod maiorem quantitatem non possit bene tingere. *Minus semper super maius proiice*, augendo numerum, donec deficiat. (Alius sensus est Arnaldi qui prima & secunda proiectione facit medicinam, tertia demum metallum.) De posteriore proiectione ita: *Primum vetat super impura metalla & ægra corpora proiicere,* quia tinctura euanesceret, fieretque res fragilis, nigra, fusca, deinde monet *super fermentum primam proiectionem institui debere*, scilicet super aurum in rubeo, argentum in albo. Sic enim ingressum accipiet, fietque non metallum, sed medicina, qua de re dictum est in fermentatione. Fit autem inde *medicina fragilis vt vitrum*, quæ super corpora mundata, & valde pura proiecta, statim curiose tinget, vt sustineant omnes probas: quæ tamen à Pontano & aliis secus ponuntur. Atque hæc ex Riplæo.

Finis Monadis sextæ: Deo laus & gloria.

D. O. M.

D. O. M. A.

SEPTADIS HERMETICÆ

MONAS SEPTIMA,

Continens inueſtigationem veri artificii in Nouo lumine Michaelis Sedinvogii.

PRÆFATIO.

ANno Salutis per natum Chriſtum Saluatorem 1604. Pragæ Bohemorum typis excuſus eſt liber, cui titulus: *De Lapide Philoſophorum Tractatus XII. è natura fonte & manuali experientia deprompti. Autor ſum: Qui, Diui Leſchi genus amo.* Idem liber eodem anno etiam Francofurti prodiit è typographia Bitſchii; & poſt biennium recuſus à Palthenio, curante Martino Rulando Cæſareo medico, ignorante editiones priores; vnde & inſcripſit: De lapide Philoſophorum anonymi cuiuſdam Lapidis poſſeſſoris. Anno 1610. Pariſiis & Coloniæ denuo impreſſus cum titulo: *Nouum lumen chymicum è natura fonte & manuali experientia depromptum*: cui acceſſit Dialogus Mercurii. Hinc patet, quàm auidè arreptus ſit liber, quem etiam Teutonica lingua vidimus. Autor ſuum nomen occultauit anagrammatiſmo diſperſis literis, & alio ſitu in alia verba conformatis. Fuit autem, aut ſi adhuc viuit, eſt *Michael Sedinvogius, nobilis Polonus*, de quo audiuimus, quod proiectione pulueris duplicis aurum fecerit, & argentum, cuius ſpecimina ediderit etiam in aula Ducis Wirtembergici, in qua tunc viuebat nefarius impoſtor *Millenfelſius*, poſtea ſuſpendio ſublatus; cuius iudicium etiam typis diuulgatum legimus. Is cum Sedinvogius artem ſuam veriſſimam veriſſimis ſpeciminibus comprobaret, vt puluerem aurificum & argentificum nanciſceretur, poſſetque etiam id, quod falſo ſibi arrogabat, & mirificis fraudibus hactenus egerat, effectum reddere, deductum perſuaſionibus falſis & mendaciis Neidlingam, & quaſi mandato Ducis omni veſte exutum, & ſupellectili ſpoliatum turri incluſit, data tamen occaſione per feneſtram elabendi. *Sperauerat enim, ſe poſſe lapidem apud eum inuenire*, cuius nonnihil putatur ſimili arte aliunde quoque comparaſſe, & impoſturis ſuis initio aliquam fidem feciſſe. Sed magna ſpe deiectus deprehenſuſque in facinoribus tandem ſcelus confeſſus eſt, & dignas malitia, nequitiaque pœnas luit. Sedinvogius autem penè nudus ex carcere elapſus, poſtea nuſpiam comparuit, & propter multas inſidias, quas vix effugit, ſedulò monuit artis huius Studioſos, vt ſibi diligenter cauerent. Operæ pretium eſt dicta eius parænetica connotare. *Circa finem Epilogi ſic ait: Non dubito, multos bonæ conſcientiæ & voluntatis homines illud donum Dei clanculum poſſidere. Hi meo admoniti exemplo, & meis periculis cautiores & prudentiores facti, Harpocratis ſibi habeant commendatum ſilentium. Quotieſcunque enim me magnatibus detegere volui, ſemper aut in damnum, aut periculum mihi ceſſit.* Item, in parabolæ præfatione: *Finaliter concludo; ſi hiſce meis ſcriptis & admonitionibus cauti eſſe non vultis, habetote me bene de vobis mereri cupientem excuſatum. Feci fideliter; quantum licuit, &c.* Si quæritis quis? *Coſmopolita ſum.* Si me noſtis, tacebitis: ſi non; nolite de me inquirere. *Nulli enim mortalium quam diu vixero, plus à me reuelabitur, quàm hoc publico ſcripto factum eſt. Quod ſi Deus tibi dabit optatum finem, credes mihi, nec te reuelabis mundo.* In cap. 1. *Naturæ ſcrutatores tales eſſe debent, qualis eſt ipſa natura, veraces, ſimplices, conſtantes, patientes: Et quod maximum, pii, Deum timentes; proximo non nocentes. Hanc vobis commendo cautelam.* Alibi inquit: *Si ad arcanum hoc peruenire volueritis, ſcitote, quod in primis Deus orandus, deinde proximus amandus ſit. Denique nolite vobis adeo ſubtiles res imaginari; de quibus natura nihil ſcit: ſed manete in via naturæ ſimplici, quia in ſimplicitate rem citius poteritis palpare, quam in ſubtilitate videre. Quidam longè ſubtilius declarant philoſophos, quam natura ſimplex requirit. Omnia mea dicta veridica alta ſapientibus videbuntur nimis vilia & incredibilia. Aliquoties accidit, vt quibuſdam de verbo ad verbum artem inſinuarim, ſed nequaquam aſſequi potuerunt, non credentes aquã in mari noſtro eſſe. Vobis dico, vt ſitis ſimplices, & nõ nimium ſapientes. Vt quis intelligat, donum Dei eſt. Tot rationes naturales in medium attuli, vt Deum timens, & ſciendi cupidus lector facilius poſſit intelligere omnia ſine ſophiſtica & fraude. Veruntamen ſenſus ſcriptorum, non ſemper ſyllabæ ſunt ponderandæ. Noli moueri, quod aliquando contradictoria in meis capitibus, more philoſophis vſitato tibi occurrant: opus habere te illis, cognoſces, cum intelliges. Non reperitur roſa ſine ſpinis. Legendo mea ſcripta conſiderate naturam, & eius poſſibilitatem. Antequam ad opus accingamini, imaginamini diligenter, quid quæratis, & quis ſit intentionis noſtræ ſcopus & finis.* Hæc alia multa præmonitoria inſperſit functus præceptoris fidelis officio, qui ſæpe proteſtatur, ſe omnia detexiſſe, & aperte dixiſſe, quantum licuit. Theorian & praxin manifeſtauit. *Infiniti ſunt libri de hac arte*; inquit, *ſed vix in vllo reperietis veritatem eatenus patefactam, &c.* quanquam in Lullio & aliis Philoſophorum libris integrum proceſſum extare aſſeueret. Affirmat etiam, *diſci poſſe artificium ex hoc ipſo libro*, qua de re vide veſtibulum ænigmatis, & Epilogum. Proteſtatur, *ſe omnia manibus propriis feciſſe, & oculis ſuis* Deo benedicente *vidiſſe*, ſine vlla ſophiſticationis fraude. In fine capitis 12. ait: *Ne arbitreris vllum mortalium luculentius proceſſum deſcripſiſſe me ipſo, ſiquidem non è mutis libris, ſed mearum manuum labore & propria experientia feci. Si igitur non intelligis, nec credis veritati, teipſum accuſa, & crede, Deum nolle tibi hoc ſecretum reuelare. Hunc precibus fatiga, & libellum hunc ſæpe relege;*

Imaginatores ſubtiles ſeu ſcioli phantaſtici taxantur.

Increduli: Quicquid non eſt ad ſaluam, & opiniones præconceptas, ſtulti falſè vident.

Item cap. 11.

Autor hic apertiſſimus.

præsertim Epilogum, semper considerando naturæ possibilitatem & actiones elementorum, præsertim in rarefactione aquæ vel aeris &c. Item: *Credant scientiæ hæredes (scripto enim hoc ignorantes instruo, & errantes in veram viam deduco) se nunquam habituros meliorem viam, cui insistant, quam quæ ipsis hic demonstrata est:* [*Quid abconderit.*] *Omnia enim apertè dixi. Extractionē saltem nostri salis armoniaci, vel mercurii Philosophorum ex aqua nostra Pontica, eiusque vsum non ita apertè reuelaui, quia à magistro naturæ non habui vlteriorem loquendi licentiam, & hoc solus Deus reuelare debet, quem si diligenter oraueris, per reiterationem lectionis huius libri, poterit intellectum tuum aperire, &c.* Hæc sunt quasi prolegomena & introductio in librum Sedinuogii. Videtis protestationes & promissiones? Quin ergo quantum possumus ingenii viribus conniti, in lectione versamur? *Nil tam difficile est, quin inquirendo possit inuestigari.* Facem vobis præferam. *Occupet extremum scabies*, inquit Horatius. Scire vero debes, lector, *Sedinuogii* scriptum penè germanum esse *Drebbeliano*. Vterq; enim naturam vniuersalem & particularem explicat isto mysterio, & vicissim hoc illâ. Vterq; in Elementis, eorumque conuersione & commistione ponit totum, ignis vocabulo & spiritus, cœlum quoq; comprehendendo. Quod in vno desideras, id fors in altero tibi, si attentus eris, occurret.

Epitome Operis Sedinvogiani.

NOstra intentio est, inquit cap. 1. *metallum vlterius, quàm natura fecit, in virtute promouere.* Id Bernhardus enuntiat, plus quam perfectum reddere, siue intelligas metallorum inferiorum vltra naturam euectionem, siue seminis metallici in auro & argento multiplicationem & exaltationem. Aliis [*Lapis Philosophorum quid.*] est tincturam & lapidem Philosophorum facere. *Est autem lapis Philosophorum*, vt ait cap. 10. *seu tinctura nihil aliud, quam aurum in supremū gradum digestum, quod cum maturescit, dat semen seu tincturam*, quod vulgare aurum non habet, sed est quasi herba sine semine. Qua arte hanc tincturam consequimur? Cap. 10. ait: *Aurum potest dare fructum, & semen, in quo se multiplicat industriâ sagacis artificis, qui scit naturam promouere, absque qua errabit. In omni re nihil possumus, quam naturam iuuare, idq; mediante igne seu calore.* Id [*Solutio vna vera.*] fieri non potest, nisi prius soluto corpore, vt natura operari possit. *Solutio* vna est naturalis & vera, [*Aqua Sedinuogii.*] solaq; vtilis, aliæ violentæ sunt, & inutiles. In naturali *per aquam nostram aperiuntur pori corporis, vt digestum semen emittatur, & matrici suæ imponatur.* [*Semen.*] Qualis aqua? *Cœlestis non madefaciens manus*, non vulgi, *ferè tamen pluuialis.* Quod corpus? *Aurum quod dat semen* (in opere albo argentum) recipiens seminis [*Subiectum seminis.*] quod? *Luna nostra*, non argentum vulgi. Quomodo semen receptum prouehitur? *Regendum est igne* [*Calor instrumentum.*] *nostro continuo per menses 7. & interdum 10. donec aqua nostra consumat tres, & relinquat vnum in duplo. Hoc* [*Tempus.*] *facto nutritur lacte terræ, vel pinguedine eius, quæ in vberibus terræ procreatur, & sale naturæ à putredine seruatur.* Ita habes generatum & nutritum *infantem*. [*Tres) Infra: tres partes suæ corporis, auri vel argenti, vel elixyri. Nam ex hoc & aqua prima conficitur.*] Aliter hæc enuntiantur in fine cap. 12. *Si vis, vt natura melioretur in actu, solue corpus quoduis, & illud, quod heterogeneum accessit naturæ, separa, purga, coniunge pura puris, cocta coctis, cruda crudis, secundum naturæ, non materiæ pondus. Etenim sal nitri centrale non accipit plus de terra, quàm quanto opus habet, siue sit pura, siue impura. Aquæ vero pinguedo nunquam in natura habetur pura, sed ars illam purgat duplici calore (interno & externo) denuoq; coniungit illam.* In fine cap. 12. *Qui optatum desiderat finem; sciat conuersionem elementorum, & leuia facere ponderosa, & spiritus non spiritus (facere volatile fixum, & contrà: Item ex spiritibus corpora, & contra.)* Lege cap. 11. circa finem: *Opus est rem quærere occultam, ex qua mirò modo talis fit humiditas, quæ aurum sine violentia & strepitu soluit adeo suauiter & naturaliter,* [*Humiditas auri sine strepitu solutiua.*] *sicut glacies aquæ calidæ beneficio liquescit.* Si hoc inuenistis, habetis rem, ex qua aurum à natura productum est. Aurum maxime ei amicum est, vt est *in procemio ænigmatis.*

Vt per causas procedas, proponit tibi Sedinuogius materiam. [*Materia.*] Ea est naturalis & duplex: *Vna corpus perfectum: altera aqua pinguis.* Vtraque sua habet recrementa: sed aurum spiritalia, quæ non manuali separatione, siquidem purum putum venit ex mineris naturæ, tolluntur, sed igni in ipso opere: [*Aqua descriptio.*] *Aquæ expurgandæ non sufficit natura*, verum arte est opus, quę sulphuream pinguedinem, combustilemq; auffert, cum terrestreitate inutili, & nimia aquositate. Inde fit *liquor* non omnino qualis est aqua elementaris, sed tamen *similis pluuiæ*, cuius vis est aurum soluere, sicut aqua calida glaciem inseparabiliter; quia *vnius sunt naturæ, & homogenea substantia.* Est amicissima auro. Nihil amicius eidem, quam idem. Si ergo per aurum intelligis mysticum, argentum viuum est corpus aquæ. idem est, si naturæ aurum accipis: *Sume ergo ex natura argentum viuum, & per sublimationes, destillationesq; elabora, vt dictum est in superioribus. Habebis aquam, quæ sine strepitu aurum soluit: verum quam oportet prius subtiliare per elementorum conuersionem, vt acuta fiat, atque adeo ex vna radice duplex, quam dicunt ex aere & aqua componi, & cruda crudis sic adiici;* Exempli gratia: Si argentum viuum coagulares odore plumbi, & id postea solueres argento viuo liquido, vt rediret idem hydrargyrus, qui erat ante, excepto, quo aliquid esset passus. Ita est *aqua secunda ex elixyre coagulato aereo, & aqua prima.* Nominat & subiectum receptionis, quod tanquam matrix & fœmina semen ex auro extractum recipiat. Id *Lunam* nostram appellat, estque nihil aliud, quam corpus ex auro residuum, & elixyre imperfecto. Huic quasi mortuo anima redditur, vel quasi matrici semen infunditur desuper in fermentationis actu. Alii aliis parabolis vtuntur, & Lunam vocant quoque album elixyr, argenti semen &c. *Forma operationis* est in praxi. Debes *soluere & coagulare*: Spissum reddere subtile, & contrà: volatile fixum, & fixum volatile. *Finis*: Vt fiat tinctura, seu lapis Philosophorum, per quem possis proiectione aurum facere, sicut *vidit & fecit ipse Sedinuogius, ex argento viuo & imperfectis metallis.*

Efficientem causam præter artificis regimen industrium dicit esse *calorē duplicem*, vnus est *naturalis* & insitus, quem alii *potentialem* vocant: alter *artificialis* & externus, qui cum prudenter accommodatur, internum euocat in actum. *Causa exemplaris* quoq; nominatur. Debes enim tibi proponere naturam

turam generatricem, quæ in animalibus & vegetalibus est quidem manifestior, veruntamen etiam in mineralibus reseratis, & crassa compage exutis inuenitur. Exuitur ista compage aurum per aquam nostram. Ideo omnium prima cura est, essentiam quintam, cœlestemque naturam ex argento viuo naturali præparare, vt aqua tua sit idonea ad soluendum. Ridendi sunt, qui ex *sale armeniaco, & halinitro aquam regiam faciunt, quæ violente & hostiliter soluit aurum, neque ei est essentialis*, licet artifices istis vocibus appellent. In medicinis suis ea vsus est Quercetanus, & forsasse putauit etiam in opere philosophico aliquid virium habere, sed quem tamen plus tribuisse liquori vnctuoso ex argento viuo crystallino sublimato monstrari potest ex *Tetrade & aliis libellis*. Omnino *materia tua debet esse metallica vnius naturæ & radicis*, seu duplicis respectus & dispositiones, vt maris & fœminæ ratio constet, vnde collatis seminibus fit corpus genituræ & conceptus, qui in infantem proficit, quem oportet pascere lacte nutricis, & exaltare, vt habes in Riplæo. *Tu nihil potes creare*, inquit Sedinuogius; *potes tamen insitum semen ex sua vmbra & latebris producere. Primum naturæ semen nancisci non potes. Fructu* (a) *vero, in quo est seminis altera ratio, accipimus, & ex eo semen emungimus*, sicut ex pomo, quod fructus est, semen extrahitur pro pomo arbore. Argentum viuum & aurum sunt veluti poma, in quibus semen inclusum latet: sic & argentum in opere albo est aliud pomum continens semen argenteum. *Materia prima metallorum est vapor*. Sed *nostra materia est aqua*, quam frustra quæris in auro, vt quidam, qui aurum in argentum viuum inutile nostræ arti reducunt, cum mollis (hydrargyrus mineralis) sit vbique. Prima materia metallorum nostra, est *aqua cœlestis humiditasq; mista aere calido in forma aquæ pinguis*. Talem videbis, cum aqua prima solues elixyr imperfectum, quod postea auro vel argento fermentatur. Porro Sedinuogius proponit nobis *duas aquas, & duo opera*. *Aqua prima* est primi operis, quod continet totam elementorum, & cuius finis est elixyr aëreum in albo, igneum in rubro. De illa multæ sunt sententiæ, vt: *Argentum viuum est corpus, in quo occultatur semen: Mercurius ante elaborationem est summum venenum: ex vno argento viuo fiunt semina duo, & duo calybes: vnum datur metallum, quod habet vim consumendi alia, estque fere vt aqua eorum, & matrix. Est aqua cruda perceptibilis, quæ etiam in Sole est.* Opus secundum habet coniugium, nutritionem & exaltationem, præterea que multiplicationem: & proiectionem &c. Hic materialia sunt *aqua pinguis ex elixyre imperfecto & aqua prima*: postea *aurum*. Ex vtrisque nascitur mercurius noster, cœlum nostrum &c. Aqua dicitur *sal nitrum nostrum*, mare, aqua pontica, bene cocta, roris nostri, magnesia, magnes &c. de quibus nominibus est in capitibus singulis. *Substantia* quoque *secunda* varie appellatur, vt: *aurum nostrum, aurum & argentum viuum, sulphur, corpus, quod dat semen, caliditas sicca terra, aurum resolutum, humidum radicale auri, vel argẽti: pomum ex arbore aurifica: punctus magnetis nostri, centrum Solis vel Lunæ &c.* quæ tamen nomina singulares habent rationes. Ex aqua secunda, & substantia ista fit *coniugium*. *Vnica res est*, cui non miscetur aliquid aliud, præter aquam philosophicam: Nihil ei additur, nisi pomum nostrum. *Marem viuum, & fœminam viuam cape. &c. Dum coniuncta sunt, nigredo obscura emergit, & tunc fœmina dominatur*, quæ est prior vis lapidis nostri. *Cum albus color emergit, spiritus & anima corpori coniungitur*, & tunc vir fœminæ aufert regnum, h.e. caliditas & siccitas dominatur. *Vas est vnum*: Sed propter abbreuiationem vtimur *duobus*. Vnicum est à principio vsque ad finem, aut ad summum duo sufficiunt. In primo opere sit *rotundum*: in secundo paulo minus vitrum *instar oui*. Res in eo vase sunt sigillandæ. *Natura ignis* est vnicus, sed qui diuersa operari potest distantia locorum. Primæ operationis est vnius gradus, *continuus*, qui materiam circumdat. Secundus ignis est *naturalis*, qui digerit & figit, etiam continuus. *Aqua habet ignem intrinsecum*, & cum iuuatur calore continuo comburit (soluit) *tres partes corporis sui* (quarta relicta) Ita debes gubernare ignem, vt *calor centralis aquam possit mutare in aerem*, & residuum per poros terræ spargatur, & aër in aquam redeat, vnde terra vicissim irrigabitur, & soluetur. *Modus solutionis*: primũ oportet terram (b) in aquã soluere; vt fiat mercurius Philosophorum (in actu scil. Fermentationis) Tunc impones aurum, & sigillabis. Hinc aurum per putrefactionem artificialem in calore fimi resoluetur, adeo, vt non remaneat, *nisi pars decima cum vna decima, quæ est auri humidum radicale irresolubile*, & subiectum ignis interni: Hunc ignem prolicit aqua, ideo *chalybs* dicta: Et quia resoluit, pro *nitro* est vel *sale ammoniaco*. *Vndecies oportet aurum coire cum aqua sua, vt granum illud reddatur*. Aqua ex auro fit prægnans. *Aurum quod non soluitur ad mortem vsque debilitatur*. (Ideo dicitur rex mortuus in suo sepulchro) Motu ignis fit ex aqua *vapor subtilis*, qui iterum cogitur in aquam subtilem (omnia spõte naturæ in clauso vitro) Postquam coniunxisti, pone in ignem nostrum. Fiet inde liquor siccus. Primum terra soluitur in aquam, quæ est lineo colore.

Materialia operis primi.

Materialia operis secũdi.

Substantia secunda.

Vas.

Ignis.

Irresolubilis pars auri ignis interni radix.

Rex mortuus & granum nostrũ minutissimum.

Quicquid ex aqua nostra nascitur, per putrefactinoem nascitur. Non solum aër, sed & aqua exit per vim eleuata vt nubes &c. Calor naturę per motum excitatus pellit vaporem aquæ subtilem ad circumferentiam, semper ab impuro purum separando. Inde sequitur *coagulatio*, dum tegimen transit per colores diuersos, de qua lege Cap. XI. Est & nutritio & multiplicatio, de quibus suis in locis.

(a) Nota: *Aliis semen dicitur simpliciter; Sedinvogius discernit inter semen primum & secundum; quod est in fructu. Ideo cum non illud, sed hoc colligi possit, Paracelsitarum temeritas apparet, dum primum semen venari student.*

(b) *Terra intelligitur elixyr imperfectum album vel rubeum. Aqua est illa prima, ex qua facta est terra. In solutionem calx aure vel argenti immitteitur; de qua re paulo alitter Riplaus:*

Analysis capitis seu Tractatus primi Sedinuogii cum notis.

PRoponit de natura dissertationem, & quales debeant esse scrutatores eius; idque ideo, vt per naturæ cognitionem nos inducat in artificium lapidis, cuius præparatio respondet generationi naturali, & maturationi. Nemo potest scientiam magisterii adipisci, nisi exploratum habeat naturæ in rebus generandis, & perficiendis motem. Reprehendit è diuerso nostri seculi peruersa studia. Qui enim hodie philosophantur, parum sequuntur naturam, nec studēt intelligere, scire, & facere, quod veteres Hermetici, sed *speculari subtilia* quædam *per rationes logicas, quæ quo sunt acutiores, eo magis aberrant à prisca arte.* Consequens est, recentium inuenta multa priscis fuisse ignota, sicut contra priscorū nostris. Naturæ modus est a rudibus initiis per media ad destinatam perfectionem toto appetitu contendere, & in optimo quiescere, tanquam in fine sui motus. Eam dicit *vnam esse, veram, simplicem, à Deo ortam* tanquam principio & fine sui, iunctam spiritu quodam proprio, principium mediatum omnium naturalium, quæ fiunt, diuisam, seu distributam per quatuor elementorum loca, in quibus omnia naturalia operetur, sic vt res ipsæ seu essentiæ lateant sub vmbris, vestitæ tectoriis quibusdam sensibilibus, quo modo chymici de essentiis extractis loquuntur. *Natura illa vniuersalis* mercurio comparatur propter habilitatem ad omnia, qualem primam materiam commune subiectum omnium naturalium describunt. In ea est *vis mascula & fœminea*, id est, agens formalis, & patiens materialis; qualitatibus quatuor instructa, caliditate, siccitate, frigiditate, humiditate; per quas ipsa inuisibilis visibiliter agit; quia est spiritus volaticus pro voluntate diuina in corporibus agens, & vti sunt loca; ita varia producens: *Qui vult naturam sequi, agentia patientibus dispositis & determinatis iungere debet*, secundumque naturam homogeneis homogenea: quod & Aristoteles voluit. Agentia enim & patientia, seu contraria genere conueniunt, suntq; similia, specie dissimilia. Scrutator naturæ *pius* debet esse, & in proposito *constans*, proponere vero nibil debet, *nisi possibile natura* ad exemplum generationum consuetarum, vbi materia vnica, modus generationis, vas, &c. debent explorata esse. Ita fient eadem naturæ. Si meliora quærimus, vt metallum vltra perfectionem naturalem exaltare, vt plus possit efficere, quam id, quod natura procreauit, cogitandum, quibus mediis id fiat, nempe *per homogeneum, seu naturam metallicam actiuam & passiuam.* Nam per aliena non melioratur natura. *Natura gaudet natura.* Natura naturam continet, perficitq;. Hæc est res capitis primi ad scientiam nostri magisterii accōmodatissima. Naturę descriptionē sumsit ex opere coniugii, quę est fermentatio prima, ei substrauit materiam vnicam tantum in genere metallico primam, quam *mercurium* vocat. Inde petuntur fundamenta meliorationis. *Natura determinata est in auro: sed generica in mercurio:* Per hunc illa reuocatur in seminariam constitutionem: Ex seminio porro educitur lapis noster prolificus, vt tanquam arbor, ex vnico grano seminis nata, porro innumerabiles fructus, & semina fœtat. Hæc sunt apertissima. Repetuntur *in epilogo* nonnulla eiusdem sententiæ.

Fructus speculationum subtilium est error ab arte Priscorum, inuentio vero innumerabiliū nouorum, quæ pro hermeticis venditantur, sed non sunt.

Essentia rerum naturalium sunt in latibulis elementaribus.

Natura prima est quasi mercurius.

Intentio hermetica artis.

Quæ ex Capite secundo.

NAtura cum sit vna, tamen res producit differentes, quia semen in elementis sequitur, sine quo nihil generat. Id fit agente natura, quod per semen est destinatum, & fieri potest. Artifex naturam secuturus, debet *semen dispositum ad suam intentionē inuestigare.* Semine habito, natura specialis habetur. Generalis diffusa est per omnia, & ex Dei voluntate concurrit per se, suaq; sponte. Sperma quid? *Elixyr, quinta essentia, perfectissima rei concoctio & digestio, balsamum sulphureum, seu sulphur naturæ, & humidum radicale in metallis, per Deum ex elementis procreatū*, &c: quæ descriptio parabolica est iuxta Hermeticorum consuetudinem. Vult indicare, *semen esse id, quod à Deo per naturam ad procreationem similis est constitutum*, vestitum elementari materia. Corpus enim est ex cœlesti spiritu & humore elementari. Spiritus ille in forma halitus subest, habetq; secum *humidum primigenium & calorem innatum*, ita vt ratio seminis formalis quidem sit, naturaliter desinatum esse ad procreandum tale secundum speciem, quale est id quod semen dedit: sed quæ ratio sit in materia spirituosa, calida, humida, analoga elemento stellatum, comprehensa *corpore genitura*, quā chymici vocant *matricem, capsam, & elementa.* Id in animalibus potentia est animal, in plantalibus planta, in metallis metallum, in auro aurum, & sic porro iuxta speciem cuiusq;. Sedinuogius vult, *quatuor elementa gignere sperma, voluntate Dei & naturæ imaginatione*, sed exponendus est, vt dixi. Ita & Moses loquitur *in Genesi rerum.* Ait: *Quatuor elementa motu indesinente proiiciunt sperma in terræ centrum, vbi digeritur: & per motum emittitur foràs: centrum terræ est locus quidam vacuus &c.* Verum hanc imaginationem hausit ex circulatione illa halituosa in operatione tertia lapidis, vbi in vitro clauso motus fit, de quo sic philosophantur; & putant eodem modo nasci metalla in terrę visceribus. Possunt illæ cogitationes philosophantem recreare, sed artifici nihil prosunt. Neque enim hic semen gignit, verum in natura genitum assumit, vt hortulanus non solicitus, quo modo natura produxerit spermata. *Loco ascribit vim magneticam, semini ex elementis proiecti attractricem.* Ita scilicet etiam explicant lapidis generationem in vitro, & hanc accōmodant naturę. *Aqua mercurialis acuata elixyre ex auro dissoluto, extrahit tincturam:* hęc in halitum per spiritum mercurialem ducta eleuatur à corpore ad vitri ambitum, vnde circulariter reflectitur. Corpus in fundo vocatur *terra vacua* & exanimis: dicitur vero appetitum animæ recipiendæ habere, eamque allicere, *vt magnes ferrum.* Sed & illa cupit reuerti, & reconiungi suo corpori; postquam circulari illa artenuatione longè nobilior est facta, & per qualitates elementares exagitata. Ita vniuntur, dicturque

Prima artifici cura de semine auri.

Semen supra.

Magnes Sedinuogii.

Modus quo putant gigni somnia rerum.

turque fieri sperma, seu potius *pomum semina in infinitum multiplicabilia continens.* Qui hæc viderunt, persuadent sibi, quod *naturam nudam conspexerint*, cum tamen explicatio & accommodatio sit arbitraria ex opinione. Sane animam illam semineam non genuerant elementa, sed Deus produxerat creando, & postea per naturam promouendo & amplificando. Si chymicus aurum non assumsisset, quam parum sit in elementorum agitatione cognosceret. *Falsum* omnino est, quod scribitur, *Sperma seu semen omnium rerum esse vnicum*, gignere autem varias res, secundum locorum naturas: quia Deus vnicuique suum semen secundum species, & non loca indidit, *Gen. 1. v. 11. Germinet terra herbam facientem semen iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.* Ita v. 22. de animalibus: *Fructum ferte, & multiplicamini &c.* Est autem analoga generatio in metallicis. Non dixit Deus elementis, vel locis, sed cuilibet speciei. Ideo & species per se non mutantur locis, neque homo, qui in Germania semine humano genuerat hominem, in India bestiam, aut herbam producit. Ad nos deferuntur varia ex peregrinis, quæ licet infelicius nascantur, tamen totam naturam non exuunt. Vt autem Sedinuogius, ita & Drebbelius de generationibus rerum ex falso fundamento philosophabantur, Quando homo ex bestia gignit bestiam, id non vi loci euenit, sed seminis brutescentis mistione seminis bestialis, & tamen non tota species mutatur, sed aliquid humani relinquitur, vt est in exemplis. Sic nascuntur Leopardi, & aliæ misturæ in bestiis quoque. Quod attinet ad æquiuocas generationes, de iis disserendum est secundum analogiam, de qua alibi.

Natura nuda visa credita.

Falsa imaginatio de generatione seminum.

Quæ ex Capite III.

DE vera prima metallorum materia proponit. At quæras, quid hæc differt à semine? *Primam materiam metallorum vocamus, ex qua primum fiant metalla dispositionem habente ad omnia cõmunem ita, vt insint potentia.* Est & *semen*, ex quo sato nascuntur & crescunt, quóque agente fiunt, quæ semine constituuntur. Sedinuogio est *materia duplex*, *prima* scilicet, de qua *cap. 5.* & *secunda*, de qua *cap. 6. & 7.* Est & *semen duplex*: *vnum*, quod *putat ab elementis proiici* in determinatam matricem seu locum naturæ, qui id etiam familiaritate naturæ attrahat, quodque vaporem humidum vocat, elixyr, humidum radicale, &c. Alterum, quod appellat *sperma*, de quo *cap. 6. & 7.* in cuius fine dicit, *semen esse rem inuisibilem, sperma visibile*, quasi animam viuentem &c. licet *cap. 2.* indiscretim vtatur vocibus. Consideranda est scilicet materia prima, vt subiectum: & semen, vt adiunctum, quod in materiam immissum seu proiectum in ea proficiat in fœturam. Verum materia est vt patiens, semen vt agens causa, quod cum sine corpore non sit, huius merito etiam materiatum est, ita vt semen comprehendat vtrumque, quæ in sequentibus dilucidius exponentur. Nunc vult agere de prima metallorum materia duplici, *Mercurio* scilicet *& sulphure.* *Mercurius est humidum aeris caliditate perfusum*, seu vt ait circa finem, prima metallorum materia, quæ eadem est cum mercurio, est *humiditas quædam mixta aere calido in forma aquæ pinguis* (a) adhærentis vnicuique rei siue puræ, siue impuræ: Mercurius Philosophorum, *qui radiis Solis & Lunæ gubernatur in mari Philosophico.* *Mare est aqua secunda*, quæ fit ex elixyre imperfecto, & aqua prima, per quam soluitur aurum vel argentum. Qui liquor ex solutione hac existit, vocatur Philosophorum mercurius, quem dicit regi radiis Solis aut Lunæ. *Radii* sunt, qui exeunt ex corpore auri vel argenti, tanquam splendores propagati & diffusi partim, partim rectà proiecti, nec quicquam aliud hîc intelligere possumus, quam *halitum illum*, *qui in vitro Hermetico ex corporibus resolutis exurgit, & secum fert tincturam seu animam corporis.* *Voces & spiritum*, qui aurificam vim secum vehat ex naturalis auri corpore extractam. Hic dum reflectitur super mercurium suum, impregnat eum, & facit prolificum, determinatque ad specialem naturam auri, quod Sedinuogius vocat *Gubernari*: hoc est, definite duci & informari, vt ex generico mercurio fiat specificus. Id non fit ante coniugium, seu fermentationem, in qua corpus, anima & spiritus concurrunt. Ita fit verum & determinatum auri semen, vt sit idem *materia prima auri, & semen auri.* Hîc quæstio est, *Num totum auri corpus semen sit*, an pars eius? Et sane quidam eorum dicunt semen propter homogeniam substantiæ. Sedinuogius neutrum probat, *quia sit aliquid in toto, quod mole quidem minimum sit, sed potestate maximum*, vtpote principium insitum, quod cum totum corpus non sit, habet tamen vim totius, atq; ideo neque pars potest esse. Dicitur *centrum*, *locus*, *punctus seminis*, quod declaratur *grano tritici*, in cuius apice seminea vis latet tanquam in puncto, quo præmorso nihil fit ex grano: quasi sit 8200. *pars totius*, si velis pondera æstimare. Sed cum nihilominus totum auri corpus soluatur per aquam nostram, quorsum cedit reliquum? Ad mercurium scilicet. Nam mercurialis aqua exhaustum mercurium assumit. *Semineum principium per se manet in exiguam molem coactum: sed ex qua tantus ignis aurificus exurgit, vt sicut flamma in infinitum multiplicetur data idonea materia.* Primum est quasi *scintilla* non separatim, sed in suo corpore existens. Hæc postea in ignem magnum euadit, quæ est *multiplicationis causa.* Illa scintilla non potest resolui: sed in suo corpore soluto restitat, vt infra dicetur.

Materia prima metallorum.

Semen & sperma.

Prima materia duplex, mercurialis & sulphurea.

Mercurius Philosophorum.

Num totum aurum sit semen.

Nota: Hic redditur ratio aurificii.

Principium aurificum in auro.

Irresolubile seminis punctum ex quo exurgit vis prolifica.

Illud *seminale punctum* in quibus est metallis? Nam non metallica iam sunt reiecta. Respondetur, duplicia esse metalla, *Vulgaria*, quæ *mortua* dicuntur, & *philosophica*, quæ sunt *viua*. In his inuenitur. Sensus est, in natura quidem quærendum esse id semen, quod ars facere nullo modo potest: Sed non prehendi in auro fabrili vulgari, quod est ligatum & concretum. *Cape aurum minerale perfectum. Solue id aqua nostra, vt ex ligato fiat solutum, & ex mortuo viuum.* Hîc se tibi offeret semen nostrum. Notabis versutiam Hermeticam. *Non est nobis aliud aurum, quam quod natura procreauit: Et tamen id non prius dicitur nostrum, quam sit viuificatum per aquam nostram viuam.* In hoc apparet sulphur & ignis naturæ, inque actum producitur. In hoc vires suas exerit, & se multiplicat.

Aurum viuum Philosophorum.

In vulgari

Opinio falsa eorum, qui putant, lapidem philos. esse tincturam ex tanto auro extractam quantum postea fit per eam.

In vulgari auro quasi mortuum est. Ideo exploduntur illi, qui putant se auri mistione, quam vocant *partem cum parte*, posse aurum facere. Hi quoque peccant, qui *tincturam extrahunt, & ea tingunt tantum argenti, quantum prius fuit corpus.* Viuescere debet semen, & in actum produci in materia, ibique multiplicari. Aliàs nihil gignit. *Gignere* est potentia & facultas vitæ. Volumus, vt aurum nostrum generet aliud aurum: Ergo actum vitæ habere debet, qui auro vulgi deest. *Metallorum vita est ignis*, inquit Sedinuogius. Ille ignis, qui & sulphur, alteraque primæ materiæ ratio dicitur, in materia mercuriali, aëreaque humiditate viget, vt totum sit *aqua pinguis* instar cum adhærentia. Summa est: vis seminea auri, quæ & aurifica, est principium in mole minima irresolubili, ita vt nulla vi possit destrui. Eam autem circumdat homogenea natura humoris primigenii, non aliter, ac oui materialis humiditas principii animalis sedem circumstat; & in grano tritici apicem prolificum notabile corpus comitatur. *Mercurius* vocatur *aquositas aerea: Sulphur, grani istius virtus*, seu ignis naturæ. Sic habes duo, marem & fœminam, sulphur & mercurium &c. in vno, vtraque viua & vegeta, non mortua, vt in vulgi auro. *Hoc est principium practicum operis nostri, & Theoria simul* iucunda. Nam hinc rationem reddere potes totius artificii. Aurum à vulgo pro sterili, seu potius priuato seminea virtute habetur. Ideò & negatur se multiplicare insita vi posse. Philosophi cōtrarium demonstrant. Etenim aurum resoluūt in mercurialem humorem, quem *Mare* vocant; & in hoc *mari* monstrant *pisciculum echenein*, id est, granum & principium fixum, prolificum, quod possit gignere sui simile. Cogita iam, quo modo id fieri possit. Habes principium scientiæ, semen scilicet, igneum aurificum in corpore mercuriali, sicut ouum fœcundum. Si vis, vt nascantur pulli, & deinceps oua multa, multæque aues, foue tuum ouū sicut gallina, aut pro gallina vtere sinu, aut fornace tepida Ægyptiaca. Excludes pullum. Sed aptius est exemplum tritici, vel pomi. Vnum granum triticeum, si in fœcundam tellurem conicis, ibique foues, & commodè rigas, putrescit, & per putredinem se renouat, vegetatque, vt abeat in plantam sæpe multiplicem. Hæc porro semina profert centum, ducenta, mille &c. pro benedictione diuina. Longe copiosior fructus est ex vno semine pomi. Vnicum granum sinapis, hyoscyami, peti &c. in quot millia euadit? Hoc lectorem voluit Sedinuogius docere *capite tertio*, vbi materiam primam distinguit mercurio, & sulphure, materia, forma, mare fœmina, terra semine, loco seu matrice & spermate, puncto prolifico irresolubili, & corpore mercuriali, & quæ plures imagines solent produci.

Totius artificii theoria.

Echeneis philosophica.

(a) *Nota, quod diuersa consideratio sit, cum cap. 4. scribit materiam primam metallorum esse tantum vaporem, cuius respectu, quæ cap. 3. vocatur prima, secunda dicitur cap. 4.*

Quæ ex Cap. IV.

Materia secunda.

Disserit de materia prima artis, & naturæ, putatque, vti fit in vitro Hermetico fermentationis, ita generationes peragi tam in mineralibus, quā vegetalibus maioris mundi. De materia prima artis hæc habet: *Philosophi*, inquit, *secundam, non primam materiam exigunt*: quæ verba suum sensum habent. Physicis materia secunda est vltima, iamque per formam suam sensibilis, vt materia, ex qua est aurum hoc, vel argentum hoc. Sedinuogius aliquam priorem ponit & consentit ex parte Aristoteli; qui *vaporem* vult esse materiam metallorum primam. Hic consistens, & congelans fit aqua, quā chymici appellant *mercurium*, qui vno modo est communis omnibus metallis, alio modo per formā & dispositionem determinatam certi & specialis metalli. Hermetici vaporem omittunt: *materiam* autem ex illo congelatam petunt, eamque *duplicem, generalem & specialem*: illam simpliciter metallicā: hanc auri, vel argenti, quæ cum extra aurum & argentum per naturam perfecta non sit, necesse est, vt per illam hæc resoluantur, atque adeo in primam materiam non genericam, sed specificam reducantur ita, vt eius duæ sint partes, *vna mercurialis, altera sulphurea.* Illa in mercurium facessit: hæc *irresolubilis* est, vtpote *principium ignis naturæ*, ex quo porro fit propagatio multiplex, & vis agens interna exurgit. Ideo si quæras, *vnde sumenda sit Philosophorum materia* in aurum propendens naturaliter, respondet Sedinuogius, *ex perfecto à natura corpore.* Nam *vbi desiit natura*, vt in auri, & argenti perfectione, *ibi incipiendum est chymico*, qui tamen, ante quam procedat & plus quam perfectum faciat, retrocedit & aurum reducit in suum primum esse. Ita & in argento viuo incipit idque retexit in suam primam materiam summotis superfluitatibus, quæ ex elementorum & mineralium inquinamentis accesserunt. Hæc sunt solida artis nostræ fundamenta, quę tibi ostendunt, quænam sit illa pinguedo sulphurea & pars formalis in auro & argento, quænam etiam aqua materialis, & quomodo vtrumq; sit excitandum, extrahendum perficiendum, augendum, exaltandum, & multiplicandum.

Argenti viui prima materia nō ipsum arg. viuum sumendum.

Generationes analogica.

Quod attinet ad generationem naturalem mineralium, & vegetabilium, eam similiter explicauit Drebbelius. Vterque quod vidit & iudicauit fieri in vitro Hermetico, dum elixyr fermentatur & in aurificum lapidem mutatur, id putauit euenire etiam in cæteris.

Imaginaria Philosophia, de ortu generabilium.

Fingunt elementa quatuor *proiicientia & stillantia in centrum seu viscera terræ suas virtutes. In centro collocant principium calorificum, seu ignem naturæ*, quod calore externo excitatum perpetuo agitetur, & in materiam humidam circumfusam agat. Inde est sublimatio ad superiora, vbi porositates, & meatus, in quos se halitus insinuat, & coalescit in aquam, materiam metallorum. Fingitur & *sulphurea pinguedo adhærescens mineris*, cui vapor seu halitus è centro prodiens se iungat, & quam secum in sublime euehat, vt fiat ex vtrisque *vnctuosus humor.* Hic pro vt purum, vel impurum locum inuenit, dicitur in diuersum metallum concrescere. Puritas autem creditur euenire longa destillatione, seu vaporatione ex centro, qua cruda coquantur, crassa subtilientur, impura purificentur quantum fieri potest perpetua circulatione halituum. In terra ergo sic præparata & rarefacta humoreq; delibuta, si est, purissima

purissima, coagulans vnctuosus humor creditur aurũ euadere, si quidem absoluatur coctio: si non, & locus aliquanto sit impurior, argentum, & sic de cæteris. Accedit, quod terra ista accipiat *vim magneticam*, (magnesiam vocat) & propter naturæ familiaritatem etiam appetat pinguedinem & aërium mercurium, vitæ causam. Similiter fieri scribitur in *plantis, concurrentibus astrorum*, præsertim luminatium *radiis*. Quis neget sic esse? Vidit Drebbelius in furnulo physico: vidit Sedinuogius naturam nudam. O Lynceos homines, & rem dignam explosione omnium physicorum. *Sumunt argentum viuum minerale, ex quo per sublimationes & distillationes aquam primam eliciunt. Hunc bis per elementa agunt, bis soluunt & coagulant. Fit elixyr imperfectum album vel rubeum. Cum volunt aureum lapidem conficere, aqua prima soluunt elixyr rubeum, & fit menstruum ad soluendum aurum. Et auream calcem iuxta proportionem immiscent. Includunt offam Hermetica sphara. Ignem ingeniosissime adhibent, vt longo tempore nigredo proueniat, ex qua per varios colores iter est in albedinem, tandemque in rubedinem. Hac dum aguntur, centrale auri punctum in terra sua excitatum proslat ignes, resoluit mercurium nostrum in halitus, qui secum vehunt vim auri tingentem, idque fit vndecim circulationibus. Apparent signa, ex quibus æstimare queas, nasci iam plantam, iam metallum, iam aliud, plane eo modo, etiam coloribus ipsis consentientibus.* Quidni? *Nihil interest, natura an artis vasis perficiatur coctio*, inquit Aristoteles. Fit aurificus lapis, argentificus, & sic deinceps, in nostris ollis. Ergo & in Vulcaniis naturę. Stillant elementa semper. Cur? Quia iam aqua est, iam aër, iam terra, iam ignis, & quatuor simul. Halitus assurgens fit aërius & secum reducit animam auri, vt fiat aurum viuum. Cur enim non? Quia vita est ex aëre in sicco viuentium. Piscibus tamen etiam aqua est vitalis. Hac est illa imaginaria philosophia.

Quæ ex Capite V.

De *Generatione lapidum nobilium* seu gemmarum, & ignobilium, etiam *montium magnorum* & paruorum ex fundamento suo vitreo mirifice commentatur, quasi fierent *ex vapore*, quem elementa stillent in terræ centrum, cum inde egestis simul impuritatibus in sublime à centri domino Archæo reiiciuntur, & vi aëris congelascunt, & locorum diuersitate essentialiter quoque sic distinguuntur, vt fiat hic *Adamas* summo frigore, ibi alia gemma, quæ sunt valde simplicia, & inepta. *Adamas* adeo non nascitur summo frigore, vt potius non alta tellure in calidissimis Indię locis proueniat, cumque auro in ignis toleratione certet &c. *Colorem addit eis beneficio sulphuris*, dum id aquæ spiritus digerit, & vi salis purificat, &c. quæ sunt febrientium somniis similia, nec consentiunt cum Quercetani rationibus, qui putabat, se demonstrare posse salis istam vim esse. Sane alii chymici per sulphur colorã; vnde & tincturas nonnullas (antimonii, auri &c.) sulphura appellant. *Cum non ex quinta natura iuxta varietatem stellarum diuersitate? Coctionis gradus colores mutare hortulanis notum est*, & magistris lapidis id non potest esse obscurum, qui statuunt calore agente in humidum fieri nigredinem; in siccum, albedinem, & si superet, rubedinem; inque medio statu inter album & nigrum mira varietate emergere, citrinitatem esse diminutam rubedinem, vtpote albedine multa mistam; sicut cinereus color est ex albo & nigro. Quam miri colores mihi ex regulo bismuthi solo igne simul & semel quasi vnico puncto in materia prodierunt? Vbi ista inepta elementorum *constillatio*? Deus cum terram crearet, non commisit elementis montium productionem, sed ipse suo omnipotente verbo fecit, vt & mineralia, plantas, animalia. Sed nec sic progressus esse legitur, vt primo faceret vaporem, vel halitum, ex hoc aquam, ex aqua impure congelata lapides &c. Phantasia est otiosi speculatoris. *In fine capitis* axioma magistrale ponitur, quod ad artem pertinet.

Generatio lapidum & montium.

Color gemmarum.

Congela aquam calido (Pro, coge, coagula: calor per solœcismum congelare dicitur) *& iunge eum in spiritum: inuenies rem pretiosissimam.* Quo modo? *Separa spiritum ab aqua, vt hæc putrescat.* Inde apparebit *granum. Spiritus in altum eleuatus reiectis fecibus in aquam reducatur, & faciat vnionem*, (spiritus grani seu terræ & aquæ) *quo fiet lapis dissimilis forma suis genitoribus &c.*

Principium seu axioma chymicum.

Hæc Drebbelius sic enunciat: *Nos seminamus in corpora nostra sperma, quod in eis putrescit, & clarificatur in parem claritatem. Ex aqua enim emergit spiritus sulphureus seu nigredo, deinde vtrumque rursus coniungitur, & fit idem, &c.* Vt ego intelligo, primo loco aqua ex argento viuo est facienda. Hæc per alterationem, & mutationem elementorum coagulat in elixyr, quod dicitur corpus (imperfectum) & tęrra. Hæc per aquam suam diluitur, vt fiat offa. In hanc seminatur aurum, quod tanquam familiare & homogeneum recipitur, & resoluitur in eundem humorẽ, *excepta portione parua, quæ est ignis natura sedes & centrum*, (punctum centrale vocat Sedinuogius) ita clarificatur aurum eadem aquæ claritate. Sed cum iam incipit ignis internus in vitro clauso operari, agendo modice in humidum putredinem & nigritiem efficit. Postea resoluit aquam in spiritum, qui ex terrea parte in vitro eleuatur ad ambitum secum habens animam, vim, & tincturam auri, cumque auolare nequeat, reflectitur à sphæra crebris circulationibus, & sic tum ipse attenuatur magis, tum terram rarefacit & purgat, simulque eius poros ingreditur, & paulatim coagulat, cumque ea vnitur, donec tandem omnia coagulata figantur. *Granum* dicitur *illa terra ignea*, quod cum prius latitaret sub modis, resoluta aquę parte emergit, & apparet vt *mons in medio mari*, cum quo pedetentim concrescit spiritus, & aqua, donec omnia fiant vnum. Hic est sensus istius axiomatis, quantum ego iudico.

Clarificatio Drebbelei declarata.

Granum nostrum.

Quæ ex

Quæ ex Cap. VI.

PRoponit de materia secunda & putrefactione rerum: sed pauca de his habet. Primum enim in genere de semine disserit, idque à spermate, seu semine secundo vi primi generato in fructu discernit. Interiicit modum, quo putat vere arbores reuirescere, & ex semine interno semen secundum in fructu ferre, vt sit declaratio quædam duplicis seminis, seu materię primæ, & secundæ. Deinde docet, vt in vegetalibus supra terram, ita in *mineralibus sub terra semen esse vtrumque, primum* ex 4. Elementis per naturam & vim terrę Vulcaniam ortum, *secundum* ex primo in ipsis metallis tanquam fructibus. Probat hoc aliquot argumentis. Postea ad anatomiam metallicam accedit, & monstrat artifici futuro, quidnam ex metallis sumere debeat, & vnde ortum: quid naturę sit officium, quod artis, & quo tendere operando teneatur, si velit finem consequi: vbi notabilis regula est: *vt incipis, ita finis:* hoc est, *quod seminas, id metis. Qui in stercore incipit, in eo desinit.* Verum inuestigemus sensa. *De semine:* Natura materiam accipit á 4. Elementis, & ex ea gignit semen, *quod est aer congelatus* in aliquo corpore, seu *vapor humidus*, seu vapor aquæ congelatus, in quo agente natura res multiplicatur, triplici genere existente, minerali, vegetali, & animali. Vbi iterum nota *de elementorũ creatione.* Si intelligit primum ita fieri, errat. Sin autem parabolice, seu symbolicè loquitur, non elementa, sed similitudines, & simulacra elementorum sunt, quibus coëuntibus semen consistit; quasi dicas, *cui libet misto, cuius generatio ex semine est, inest virtus quadã diuinitus accepta, cum qua est calor, humor, & spiritus.* Cum igitur à nutrimento vltimo, quod iam mistum est, deciditur portio ad locum generationis seminis (vt pomum, testiculos, & vasa spermatica, nuces & alias partes plantarum: Nam & in radicibus, & gemmis, surculisque est vis seminifica.) ibi per loci calorem in humore & spiritu vertitur in vaporem, qui inflat locum, & turgere facit, cumque non euadere possit, circulo reducitur, & in humidum reuertitur, sicque cum ipso coalescit in semen. Hic non habes elementa, sed tantum simulacra eorum. Omnia enim sunt mista & corpus habent pridem ex elementis compositum, insuperq; cœlesti essentia perfusum: quanquam in motu appareant elementorum signa. Sic tolerabilis fit sententia Sedinuogiana. Veruntamen id totum non de primi seminis constitutione, verum potius de secundi ex illo ortu accipiuntur. *Deus* enim est, qui *semina prima esse iussit:* idem adhuc etiam in ęquocis generationibus eorum rudimenta conseruat, facitque vt terra & aqua primæ benedictionis vim exerant, si cœli clementia, & reliqua externa concurrant. Vocat autem ille *semen & materiam secundam* (ita enim loquitur) *sperma:* quasi Gręca vox aliud significaret, quam Latinorum semen. Verum facile excusatur. Vocabula enim debent inseruire rebus, & intentioni artificis. Exemplum cape in pomo. Id constat corpore, & semine in eius matrice contento. Semen hoc dicitur sperma. Est enim in fructu. Produr autem id vi naturali seminifica, quæ accepta est ex omnium primo semine, quod Deus in arbore pomo prima ex terræ virtute seu elementorum, cæterisque procreauit. Hoc ergo, quod in terra benedicta exortum est, primum semen est, & prima materia, per quam facta est pomus fœcunda. Hæc fructum fert multiplicem, in quo semen secundum prouenit longe copiosius. Sic ergo discerne ista semina, vt in arte scias, quodnam venari debeas. Porro semen vtrumque manifestum esse in vegetabilibus, & animalibus, magis tamen secundum, quam primum, quod per se inuisibile tantum secundi apparentia cognoscitur, docet: in mineralibus vero obscurius. Vnde & licet negetur ab aliquibus inesse, tamen verissime inesse argumentis probat. 1. Quia vt se habent nascentia in terræ superficie, ita & sub terra. Nam Hermes ait, *quod est superius, est sicut quod est inferius. Iam supra terrã nascentia habent semen & sperma. Ergo & sub terra, hoc est, mineralia.* 2. *Eiusdem sunt dignitatis mineralia & plantæ:* quia Deus neutra neglexit. *Ergo vtraque semen habent.* Finge secus esse: Ergo præcellunt plantæ, quod est falsum. 3. *Nihil crescit sine semine:* Quia crescere seu nasci est ex semine prodire, adolescere & perfici. *Mineralia crescunt. Ergo.* 4. *Quod semine caret, sterile, mortuumque est, nec augmentari potest. Mineralia augmentantur, nec sunt sterilia, & mortua. Ergo.* 5. *Aut sine, aut cum semine metalla ab elementis creantur. Non sine:* quia forent imperfecta ratione compositi. *Ergo cum semine.* Idem probari potest aluminis, halinitri, ferri, Bismuthi &c. in suis terris & venis instauratione. Quid quod in auro, argentoq; & cæteris ad oculum possit ostendi semen illud? Nam *primum principium quoddam essentiale mole exiguum inde colligitur, quod granum vocat.* Huius vis se dilatat & ampliat in materia tanta copia, vt etiam plantas superet fructibus. Deinde effuctum idem comprobatur. Argentum viuum in metallis gignit, seu producit sui simile argentum viuum, & auri principium primo auro coëssentiale aliud, itaque & in argento, & cæteris. Id vero in mistis natura constantibus, & perfectis est vis seminea. Sed quodnam est illud semen? *Mercurius vi sulphurea calida, atque adeo mascula, & fœminea constans.* Ex vtraque hac virtute in materia metallica, tanquam in corpore genituræ ratio seminis metallici est. Vt autem in cęteris rebus, ita & metallis aliud est primus omnium mercurius & sulphur, aliud ex primo natus tanquam fructus, in corpore metallico. *Primum semen* soli sibi vendicat & seruat natura. *Secundum possumus habere cum fructu.* Hinc est principium artis nostræ. *Si semen metallicum habere capis, metallum perfectum à natura cape.* Neq; enim dubitare debes, *si modo fœcundum sit metallum,* & violentis ignibus non destructus spiritus, & calor seminis administer, nec vitiatum misturis peregrinis, quin semen verum vna sis accepturus. Reiiciuntur ergo, qui non aurum naturæ assumunt in seminis inuestigatione, sed mineras, in quibus inuisibilis potentia esse quidem potest, verum volatica, confusa & incomprehensibilis. *Quæris, num est in mercurio vulgi?* Respondetur, in hoc non potest esse semen aliud, quam proprium, si quidem non est sterilis: Nos autem auri vel argenti semen ad generandum hæc quærimus. *Cuiusmodi est semen nostrum fœcundum?* Constat ratione virtuteq; mascula & fœminea. Nã vnaqueq; res in mare & fœmina multiplicatur, qui sexus in mineralibus & plantis sunt confusi per naturam.

Semen duplex mineralium.

Quomodo quod de semine primo ex Elementis orto possit tolerabiliter explicari.

Sperma aliud à semine.

Semen propagatorium esse in mineralibus.

Semen auri.

Essentia seminis metallici.

Semen auri in naturali auro quæri debet.

In mercurio non aliud semen est quam mercuriale.

Ex con-

Ex consequente, si vis aurum multiplicare, *cape corpus semineum*, aurum vel argentum, & vtrumque *fac viuum, per mercurium, qui actu vitam habet. In vtroque masculus fiet viuus*, & *fœmina viua*, quorum semen in matricem coniectum fit *conceptus* ad procreandum similia vnicuique, operante natura, artifice ministrante.

Quodnam est opus naturæ? Primum *semen constituere*, & in auro aurificum maturum dare: Deinde cum ex potentia in actum productum est, id prouehere & *multiplicare virtute, ad multos fructus faciendos. Quod est opus artificis?* primum legere fœcundum naturæ fructum, in quo est semen maturum & non corruptum vt aurum minerale ad aurum.

Opus naturæ

2. Ponere id in locum debitum.

3. Reserare, vt semen prodeat in actum id quod fit per mercurium essentialem & fœcundum. Ibi n. sepatat subtile à spisso.

4. Igne externo prudenter vim internam suscitare. Nam fotu opus est, & irrigatione, si semen in terra matrice debet multiplicari, & fructus multos facere. Regula: *Ex vno fac duo, & ex duobus vnum. Lumina centralia sunt duo*, vt & cœlestia luminaria. *Ex illis emittitur spiritus viuificus, qui corpora mortua resuscitat, expolit, & in multam vim promouet. Sufficiat, te posse ex duobus creare vnum tibi vtile;* solus. n. Deus potest ex vno vnum facere. Sensus est difficilis. Alias artifex ex 4. facit vnum, quando conciliat Elementa; Item ex tribus, cum animam, corpus & spiritum concordat: Ex duobus quoque, cum sulphur, & mercurium, marem & fœminam copulat: Et tamen illa duo erant in vno.

Regula mystica.

Ex duobus vnum.

Fac ergo, vt quæ in tua aqua fermentata confusa erant, prodeant in conspectum, vbi oculis videbis vnum sursum contendere, quod habet rationem maris & sulphuris: alterum in imo manere, quod est pro materia & fœmina, quæ & terra dicitur, & mercurius. Mas ex superiore loco incumbit fœminæ, eamque implet suo semine.; Imo prorsus abit in eius substantiam, sicque fit ex duobus vnum, seu vnus lapis, cuius vtilitatem, si velis, potes experiri proiectione super 100. *vel suo numero partes, postquam nimirum inceratus fuerit, & signa perfectionis exhibuerit.*

Declaratio mysterii de vno ex duobus.

Fit & ex duobus vnum, cum volatilem mercurium coniungis cum fixo corpore, subtile cum spisso, &c. sed hoc illis comprehenditur.

Quæ ex VII. Capite.

VVlt pluribus illustrare materiam secundam, seu sperma metallicum, quod est in fructu seu corpore perfecto. *Aqua*, inquit, *est in mineralibus semen in centro cordis & vitæ eorum: quod in igni digeritur. Id recipitur ab aere, in quo & congelascunt corpora. Vocatur & aer semen subtile, qui aer pinguedine in aqua congelatur.* Nam congelatione indiget, cum iam actu ex aqua sit resolutus.

Cum autem spiritus ille in corpore esse natus sit, in quo est? Respondetur, in familiari. Semen autem semini familiarissimum est. Prima ergo vis seminea, est in semine secundo, & hoc in corpore fructus. Illud. n. incorporeum & inuisibile est: hoc per corpus fit sensibile: Atque ideo auri semen in auri corpore ex natura recenti, non effœto & arefacto quærendum. Quo modo ex corpore naturali elicitur? Suauiter seu subtili ingenio per apertionẽ pororum seu resolutionem compagis. Inde in matricem suam imponitur, vbi congelascit simul, & congelat; figitur, & figit. Nam agit & patitur vicissim. Cum corpori iungitur, viuit, idque viuum efficit. Cum abstrahitur, totum mortuum corpus dicitur. Omnino seminea auri virtute internæ actiones absoluuntur omnes, & lapis perficitur.

Hæc e tres huius capitis, in quo priora fere repetuntur, cum aliqua tamen luce. Philosophica de duplici semine theoria iucunda est, scire rerum origines & progressus, perfectionesque cupienti: Sed qui ad praxim lapidis contendit, discit hinc primum vitare errores, ne suam materiam quærat in re iodebita: 2. *assumendum* esse *aurum* vel *argentum virgineum*, quod arbori vegetæ & virenti possit comparari. Nam in sterili & arida nihil inuenitur.

Semen auri in auro virgineo apyro quærendũ est propter spiritus, humidum insitum & calorem.

3. *Si secundum semen habet*, non debere esse solicitum de primo, quia hoc est in illo iuxta potentiam.

4. Repetitur modus extractionis seminis, & qua ratione iterum redeat in corpus suum, cumque eo congelascat, ita vt corpus fiat subtile, & volatile, spiritus seu aer, in quo semen, crassus, & fixus, donec ex vtrisque euadat vnum,

5. Conspicere est, *semen illud se prodere* & manifestare *modo aquæ specie*, modo *aeris*, & ex aereo in aqueum, indeque in corporeum redire, vti per Elementorum mutationem ex illis est egressum. Id fit in sphæra Hermetica sponte naturæ agente calore interno, qui excitatur, & regitur per externum.

Non aurum est semen, sed hoc in illius recessu

6. Semen non est expositum in superficie auri, sed in recessu, & penetralibus latet.

7. Ergo solutione opus est per menstruum homogeneum actu solutum: Et sic est etiam in sua matrice. Omnia inclusa vitro separant se & cõiungunt vicissim; moriuntur, & reuiuiscunt, qua de re sæpedictum est.

Semen extrahitur per menstruum nostrum quod tamen vna manet & coessentiale est corpori seminis

Ex Cap. VIII.

QVomodo *ars semen tractat?* Mittit id in debitam matricem, tanquam locum proprium, qui si purus est, purus & perfectus inde nascitur fœtus.

2. In matrice illa (mercurio optime præparato, qui ex aqua prima & terra elixyris imperfecti constat) ex potentia in actum educitur, fitque iam vegetum & viuum calore loci & humiditate, vt sic matrix quasi vita ipsi sit.

3. Sicut autem aliæ res generantur cum putredine per concoctionem, ita & fœtus noster fit semine in sua matrice putrescente, vnde consistit *purum punctum*, quod dum fouetur, vegetatur & crescit.

4. Arti peculiare est breui absoluere, & plus quam perfectum reddere, quod natura non potest. *Cur non potest?* Quia cum non in centro, sed prope superficiem suas generationes peragat, citius congelascit corpus, quam coqui possit perfectissime: vnde crudus aerin potis eius remanet. Ita loquitur Sedinuogius, sed meliores, sunt rationes, de quibus alibi. Discis hinc, vt ex auro virgineo semen extrahas, te debere *purum mercurium procurare*, qui magno artis studio efficitur *ex argento viuo naturali*; Deinde cum in mercurium purum immisisti, oportere calore iugi fouere. Inde sequetur vis vegeta, &c.


Ex Cap. IX.

PRaxin promittit. Documenta eius sunt hæc. *Sicut ex eodem semine differente tantum digestione & matricu dispositione fit mas & fœmina: Ita ex eodem mercurio elixyr masculum ad aurum, & fœmineum ad argentum.* Est & alius sensus, in vna materia & seminali corpore esse tum mercurium, tum sulphur, illum, qua indigestas habet & aquosiores partes, hoc, qua digestas, concoctasque. Non ergo opus est, vt diuersas materias ad aurum & argentum, marem, fœminam, mercurium, sulphur inquiras.

2. *Scienda est metallorum natura, & concordantia.* Plumbum inclinat ad argentum: Stannum ad mercurium: ferrum ad æs: Et illa in hæc mutari possunt.

Sol solus in medio

Mutatio incipit à sūmo, & in symbolicum pergit deorsum: Sol in centro planetarum est in nostro mercurio granum igneum, quod



solui non potuit, circumstantibus potētiis ceterorum planetarum in aqua nostra.

Sol in medio est omnium. Ergo qui potest illis aurum adaptare, is etiam potest transmutare. Nam ad omnia habet propensionem. Nota etiam *progressiones in opere.* Nam ex Saturnali dispositione iter est in lunarem, ex Iouiali in mercurialem, ex martia in veneream: Suntque mars & venus soli proximi.

3. Nihil autem faciunt ad artis tincturam imperfecta.

4 Nam cum semen soluto corpore debeat manere, vt eius vis exuscitetur, & multiplicetur, imperfectorum non manet, sed destruitur. *Rei vero penitus destructa nulla sunt nec effecta, nec adiuncta.*

Chalybs Sedinuogii 5. Ad soluenda vero corpora vnica tantum est aqua metallaris, seu menstruum, quod Sedinuogius vocat suum *chalybem*, ex argumento. Sicut. n. chalybs affrictu ad silicem euocat spiritum flammeum; ita *ex auro menstruum nostrum elicit igneum semen*, quod vt flamma se multiplicat in disposita materia. Id menstruum & chalybs etiam est matrix, & mercurius noster. *Est fere vt aqua metallorum,* inquit, *qua reliquum quidem corpus auri & argenti absumit & in sui naturam vertit: centrale vero semen non potest consumere.* Veruntamen id melius reddit adeo, vt longe sit fœcundius.

Semen auri & argenti ab aqua nostra irresolubile.

6. Aquam vero illam arte facimus ex argento viuo naturali, quanquam Sedinuogius dicat, *esse etiam à natura creatam quandam, qua ex radiu solaribus eliciat tincturam*: per quam tamen videtur intelligere eam, quæ in ipsa solutione in vitro fit sine nostro labore sponte naturæ Sed *ante* dictum est, frustra quæri sensibus non obuia, & dura fatigari, cum mollia sint præsto.

Reflexio circularis Spiritus vndecies super corpore in vitro repetitur. 7. *Quo modo elicit ex auro semen? Vndecies coit cum eo.* Id autem fit in vitro Hermetico per reflexiones spirituales super corpus in fundo: quia calor Spiritum facit, is extrahit ex auri corpore animam, seu tincturam, eamque reflectendo iterum reddit. In ea tinctura est vis seminea, vtpote in calore, & spiritu humido consistens. *Auri* vero *granum*, seu corpus seminis interim adeo exhaustum iacet, vt pro mortuo habeatur. Sed subinde reuiuificatur illata postliminio anima in corpus, quod etiam per reflexionem illam attenuatur, & purgatur mitis modis.

8. *Nascitur inde nouus fœtus*, longe potentior mercurio & auro: vtpote qui imperfecta metalla possit in aurum tranmutare *ob multiplicem vim*, quam accepit in illa coctione.

9. Verum hic lapis nondum adhibetur in vsum transmutationis, sed denuo in matricem, seu mercurium immittitur, soluitur, & coagulatur in vitro Hermetico, accipitq; vim *millies præstantiorem*: vnde cum prius super centum protuisset proiici tantum, iam super mille potest. Dicitur purgare *matricem suam, seu chalybem, & mercurium*, vt millies fiat aptior ad generādos fœtus auri similes, si ex auro sumptum est semen, vel argenti, si ex argento.

Hæ doctrinæ *principia* sunt *praxeos. Indicant. n. te primum debere efficere aquam soluentem: Deinde aurum vel argentum in ea soluere vsque ad granum seminarium, quod sine tua cura fit sponte naturæ: Tertio procurare, vt ex tota offa fiat noua fœtura potens tingendi: quarta, hanc denuo soluere aqua mercuriali, seu argento viuo, & coquere ad perfectionem, vt vna pars tingat mille hydrargyri, vel imperfectorum metallorum.*

Qua

Quæ ex Cap. X.

Lapis philosophorum quid

EST capitis noni dilucida declaratio. Hypothesis est: *Lapis philosophorum est AVRVM digestum in supremũ gradũ: vnde & tinctura, & filius solis, &c. dicitur: Sequitur* Ecthesis: *Ergone naturale aurũ?* Respõdetur: *Est quidẽ id in natura, & inde ab artifice adsciscitur:* Sed immaturum est, & crudum, vtpote ab aerea frigiditate occupatum, & congelatum citius, quam potuerit summum gradum adipisci. *Digestum ergo aurum intelligitur*, non simplici & mera natura, sed natura per artem adiuta. *Vulgi aurum* sterile est, sicut semen seu fructus immaturus, quanquam potentiam habeat maturescendi, si in sua matrice proueharur & concoquatur calore. *Aurum ab arte tractatum iam maturitatem & fœcunditatem est adeptum: Ergo semine prolifico instructum potest suam speciem multiplicare.*

Aurum nostrum fit ex naturali quod pro immaturo habetur, & sterile.

Quo modo vero Ars id perficit? Resp. *Suavi & ingeniosa operatione & non violentis ignibus, quibus destruitur Spiritus & humor cum insito calore in eo gradu, qui ad semineam formam requiritur.* Ideo & aurum fabrile, quodque violentos ignes, sulphur, stibium, aquas regias, &c. est passum, inutile est. *Arte accedente ad naturam, ita perficitur aurum, vt possit per eam quod prius soli propter cruditatem erat impossibile.* Iam aurum semen fœcundum accepit, & fructus sui similes gignere potest. *Nihil vero potest etiam ars sine auro naturali, quod est corpus, in quo potentia seminis est abscondita.* Educitur autem calore ex resoluto. Nam *quamdiu manet in forma concreta, semen extrahi non potest.* Cum semine debet esse spiritus, calor natiuus, & humidum radicale. Hæc non sunt in actu corpore ligato & congelato. *Spiritus* est instrumentum naturæ, quem actu esse oportet, vt illa operetur. *Sed quæ est soluendi Ratio?*

Aurum natura quia immaturũ est, tantum potentia, non actu semen habet.

Ars ex potẽtia semen aurei actuat.

Resp. solutio non debet esse violenta, sed naturalis, qua pori corporis aperti reddunt inclusum seminis principium quod mox matrici suæ impositum ibi proueharur. *Quodnam est soluendi instrumentum?* Resp. *Aqua nostra cœlestis, aspectu fere pluuialis*, non tamen madefaciens manus, quæ est auro homogenea, vt in ea non aliter soluatur, quam glacies in aqua calida. Ex mercurio eam elici; & solerter præparari, sæpe dictum est. Nam & aurum est mercurius.

Solutionis modus.

Medium solutionis seu menstruum.

Mercurius congelatus soluitur mercurio soluto, sicut glacies aqua. *Semen ex auro elicitur quidem, verum à quo recipitur, num ab alio auro?* Resp. Non ab alio; sed *à Luna nostra*, quæ nihil aliud est, quam mercurius, & vocatur *terra*, in quam conicitur semen nostrum. *Ex quibus constat illa Luna?* Ex aqua mercuriali prima, corpore elixyris imperfecti rubri, & mercurio ex auro per ipsam extracto. Nam ex auro assumsit sibi similem mercurium, sicut etiã aqua ex glacie resolutam aquam sibi iungit. Hoc *Mare nostrum est*, in quo mons, vel piscis natat.

Luna nostra & terra, quæ tamen seq. capite distinguuntur.

Mare nostrũ

Age iam sit præsto aqua soluens nostra; sit & aurum minerale in sua natura quidem crudum, potentia tamen fœcundum: sit & elixyr imperfectum rubeum: quæ omnia coniungantur debita proportione, & instituatur solutio & maturatio, *qua arte regendum est opus?* Resp. Includitur vitro Hermetico, & obsignatur; ne possit respirare. Imponitur in Athannorem. Adhibetur calor modicus externus, continuus. Fit coctio per menses VII. vel aliquando etiam decem. *Quousque? Donec aqua nostra consumat tres, relinquat vnum. Quid hoc est?* Aqua consumit seu soluit corpora elixyris, & auri, prætereaque semen auro inclusum; atque etiam ipsa in se soluitur, & vicissim accipit potentiam coagulandi.

Coctionis modus.

Relinquitur *vnum granum inconsumtile, in quo est ignis natura & principium prolificum ex parte.* Maior enim pars est soluta. Hic vnus sensus est. Alium *mysticum* appellare possumus, q.d. donec anima corpus, & spiritus per se esse desinant, & in vnum coeant. In parabola scribitur: *Aqua habet intrinsecum ignem, &, si iuuatur calore continuo; comburit tres partes corporis sui, cum corpore fructus, & non remanebit, nisi pars minutissima, at summa virtutis, &c.*

Vid. cap. seq.

Omnino finis est vt extrahatur semen solutis compagibus corporis, & postea ex soluto & soluente, granoque putrefacto fiat vna arbor, & lapis prolificus. *Hoc autem in duplo:* quod intelligo, *bis fieri debere istam solutionem*, primum in fermentationis actu, postea in cibationis, nisi velis fermentationem secundam designari. Ita conceptus, prouectus & natus est infans noster.

In duplo quid?

Quid postea agendum? Lapis ille genitus *lacte vel pinguedine terræ est nutriendus*, quod *lac nascitur in terræ vberib.* (venis, mineris vel in elixyre nostro) & regitur vel conseruatur à putrefactione sale naturæ. Nam ne putrescat, *sal naturæ* obstat; Et *potest esse augmentum lapidis, quia est eiusdem naturæ*, nempe *argentum viuum affectum aliqua parte corporis nutriendi.* Ita fit infans secundæ generationis.

Imbibitio cibatio.

(a) *Differt hæc putredo ab artificiosa illa, quæ aliàs studiose in singulis solutionibus procuratur. Sal naturæ & ignis internus aquæ nostræ secundæ vulgarem putrefactionem impediunt.*

Quæ ex Cap. XI.

QVatuor doctrinas tractat, quanquam principale propositum sit de lapidis, seu tincturæ artificiosa confectione. Prima est proposita praxis lapidis, quæ tota versatur in fermentatione seu coniunctione, & augmentatione per nutritionem: Secunda est explicatio eius Philosophica, & adminiculorum materiæque declaratio. In tertia habetur de medicina ex lapide ad curandos morbos. Quarta continet admonitionem de albo & rubeo non confundendo.

De primo compositionem trium proponit. Iubet *terræ nostræ per gradus vndecim tracta cupre grana vndecim, auri nostri viui granum vnum: argenti nostri viui duo.* Mystica hæc sunt, & de potestatibus, non de substantiis intelligenda. *Terra nostra* aliquando *sol noster, centrum, humidum radicale, & sperma*, in quo naturæ ignis est, dicitur: aliquando *sol in terra* esse perhibetur, vbi sol calor est, terra subiectum, & substantiale granum. Nonnunquam est *elixyr imperfectum*: quandoque *aqua terrena*, quæ & *luna nostra, & mercurius*: Non raro *qua insp. flatur*, terra intelligitur. Aurum nostrum viuum, intrinseca auri essentia est, per aquam nostram viuificata: *Luna viua* est ex auro eodem substantia mercurialis. Est ergo inter hæc proportio, vt aquæ terrenæ vndecies purgatæ sint partes *vndecim*, seminis aurifici pars *vna*: Lunaris materiæ partes *duæ*. Eadem est & virium proportio.

Mira proportio. Aurum nostrum. Terra nostra

Verum *hæc mistura* (quæ alias fit ex corporeo elixyre rubro, auro, & menstruo mercuriali, quorum hæc duo faciunt aquam terrenam: aurum vero partim soluitur, & in aquam facessit, partim remanet, vt terra mortua, ex qua aqua animam extraxit, eamq; spiritui in altum vehendum commisit) *quomodo est perficienda & coquenda? Pone in ignem nostrum, vt fiat liquor siccus*. Mira breuitas, pro, *solue & coagula*, coque calore continuo moderato, donec aqua fiat, & hæc postea in siccum corpus transmutetur. Quæ hic contingant gestiones, motus, colores, &c. postea exponet.

Modus coctionis.

Stent in nostro igni partim naturali, partim occasionato, vt Riplæus nominat (de vtroque autor noster *in parte secunda* monebit) quid fit? *Terra primum soluetur in aquam*. Terra vero est pars auri terrena, & elixyr rubeum. Ita spissum fit subtile. Ista solutio dat nobis *mercurium philosophorum*, cuius compositio est ex aqua mercuriali, elixyre, & mercurio auri, hoc est, vtriusque corporis imperfecti & perfecti. Verum, quia hic menstruum soluens tantum consideramus, quod differt à soluendo, duntaxat ex corpore imperfecto terreno, & aqua conflari intelligitur.

Solutio. Mercurii philosophici compositio. Soluens aq. nostra & menstruum.

Hæc est *aqua nostra soluens, & menstruum nostrum viuum*, quod vocatur etia *aqua permanens*, quia permanentiam & fixitatem accepit à corpore albo vel rubeo, quæ iam suam fixitatem habent, vt in igni manere possint.

Hic mercurius soluit corpora auri & argenti, eaque potentius consumit vllo igne flammeo. Intellige consumtionem talem, qualis est grani frumentacei in agro: vbi si omnia corrumperentur putredine, nullum restaret semen, ex quo, & cuius vi nasceretur planta. Consumitur ergo corpus auri, & argenti, sed manet *principium seminale cum mole parua*. Ideo dicit, superesse *partem decimam cum vna decima* (si auri foret drachma, restarent sex grana cum decima parte vnius grani, q̃ est in toto composito valde exigua moles, eaque ob dispersionem primo non notabilis, nisi cum ad fundum tanquã terra mortua secedit) quæ HVMIDVM RADICALE & aliter appellatur (centrum terræ, sol centralis, ignis naturæ, magnes, rex mortuus, &c. licet sol & ignis non de materia, sed virtute eius intelligantur) *opus est rem quærere* (inquit in proœmio parabolæ) *aliquam occultam, ex qua fit talis humiditas, quæ aurum sine violentia, seu strepitu soluit*, ita suauiter & naturaliter, sicut glacies aquæ calidæ beneficio.

Vide c. 12. & seq.

Ea est res, ex qua aurum à natura productum est nempe primum vapor, postea mercurialis aqua cum sulphure proportionato, quæ auri semine fuerit impregnata. Ita totaliter fit aurum ex illa: In arte vero tantum materiale menstruum poscimus: in quo quando solutum aurum est, tunc etiam formaliter est auri materia.

Aqua.

Recipe, inquit, *aquam salis nitri claram de terra nostra, in qua est riuulus & vnda viua, si ad genua foderis*. Aqua est ipso fluxu. Salis nitri dicitur à simili effectu. Sicut enim spiritus salis nitri & salis ammoniaci aurum impetuose soluit, vel potius corrodit, ita nostra aqua absque violentia. Vbi inuenitur? *In terra nostra*, hoc est, calce viua rubea. Quo modo? *Fodiendo vsque ad genua*, seu terram istam satis profunde aperiendo, donec scaturigo appareat. Fodimus non manu, sed aqua nostra mercuriali ex argento viuo sublimato extracta; & rectificata soluimus Inde riuulus dicitur, quia fluit post dissolutionem, sicut etiam glacies & nix fluit, quando liquefacta est aqua actuali calente.

Aq. salis nitri.

Nota vero perplexitatem. Quanquam enim menstruum soluens à corpore, quod soluitur, est aliud, tamen postea non solum illud, vti ex aqua & terreo elixyre, accipit, sed auctum mercurio, quẽ illa aqua ex corpore soluto sibi miscuit. Inquit enim: *Aquæ huic impone illud radicale granum*: nisi velis synecdochẽ esse, vt grani nomine intelligamus totam auri, vel argenti substantiam, in cuius meditullio abditum est granum.

Modus coctionis: Da ignem putrefactionis & generationis, sed non talem, qualem in prima operatione. Deigne & vasis in expositione loquetur. Qui putrefactionis, quæ est corruptio quædam, dicitur, est humidus calidus, primo gradu temperatus, vt balneo vel fimo comparetur. Hoc procuratur nigredo. Sed nihilominus dum putrescere, & solui granum dicitur, etiam incipit nasci & concoqui.

Coctionis progressus & modus in fermentatione.

Reguntur omnia accurata diligentia magno ingenio sine tædio, vt ex diuturna nigredine, quæ calore humido temperato existit, procedat calore sicciore, qui *cinerum* dicitur, paulatim gradu arcto calor vatius, inde albus, citrinusque & post omnes in rubeo opere *viridis* per rotum. Talis autem color superficialis est, & apparet in auro liquato, vel fulminato, quando iam omnis impuritas est consumpta.

Viridis leo ex colore Viridi hic est lapis prima vice per fermentationẽ absolutus.

Est *lucida viriditas mista flauitie*: & q. *fulgur* emicat. Ideo fulgut, & flores vocant metallici. Chymici aliquando *viridem leonem* nuncupant, sed valde æquiuoca appellatione, vt ex *superioribus* patere potest. In superficie quidem viriditas illa efflorescit: sed circa fundum cõsistunt cineres puoicei, & aqua fere rubra.

Hoc signo apparente iubet Sedinuogius vas aperire: *& tincturæ experimentum capere, dimissa spina, & oleo extracto, illud que lamina ferrea, vel area candenti. Si tingit ad libitum, nec fumat, intrat & constanter manet, bene res habent & possumus coagulare totum. Si vero fumat, nec ingreditur, amplius est coquendum. Si nec ingreditur, nec fumat, siccior iusto est medicina, & ideo iterum soluenda & coquenda.*

Apertio vasis & tentatio lapidis.

Quid

Quid vero si tingat, num tunc tota est absoluta? Nondum. *Tantum infunde aqua tua* (id est menstrui mundani ex lunæ sphæra, quod toties sit rectificatum, vt solem possit soluere) quantum *aeris* *modi intrant* (quantum fuit mercurii prius additi, imo quantum consumere poterit sine iactura) Et coque priore igne, donec iterum tingat, & ex 100. partibus ad 1000. perueniat. *Huc vsque peruenit Sedinuogius.* Vides ergo operationes primas post apparatum aquæ nostræ, qui singularis est & proparasceuasticus, esse coctionem aquæ in elixyr per alterationem elementariam, in qua bis soluitur, bis coagulatur. Deinde ad fermentationem, coniunctionem, matrimonium, &c. est aditus. Huius formam & modum iam audiuimus. Tertio sequitur exaltatio, quæ & nutritio, & augmentatio dicitur, qua crescit lapis virtute, & mole. De sequentibus copiose tractatum est in Riplæo. Ita se habet prima pars *capitis vndecimi.*

Lapis prima vice tingens exaltandus. Sedinuogius vltra nutritionem lapidu nõ peruenit.

Secunda modum fermentationis declarat vberius, & primum agit de igne, secundo de vasis, tertio de materia: quarto de progressu mutationũ, obiterq; meteora aerea & aqua attinguntur, circa quæ multus est Drebbelius. *De igni & calore. Tres ignes* proponuntur, duo occasionati, seu externi, qui gradus dicuntur: *Primus* perpetuo circundat materiam (est putrefactotius, solutiuus, nigrans) humidus: *Secũdus* digerit & figit, (albedinem producit, & coagulat: estq; siccus) *Tertius* ignis est Naturæ, & internus, sulphur, sol, radii centrales, &c. qui pro diuersa locorum distantia diuersa operatur.

Ignis Sedinuogii.

Hic ignis vel calor etiam causa, cur moueatur ventus, seu aer, & spiritus ex aqua in vitro assurgens, & secum tincturam vel animam auri vehens, dicitur: & quia non tantum in nostro opere insitus calor deprehenditur, verum etiam in omnibus viuentib. ita, vt sine eo vita non sit, vnde & in scholis Physicorum *mors extinctio caloris natiui, vita procuratoris, appellatur*, ideo & vita omnium rerum esse fertur. Subiectum inhærentiæ est *terra illa pauca*, quæ ab aqua resolui non poterat, & cum coagulata sunt omnia in terteam speciẽ, etiam in hac valet. Hinc Hermes scripsit *nutricem*, seu fotricem *eius esse terram*, quæ ne immodice accendatur, à subeunte aqua refrigeratur subinde. De vase. *Vas est naturæ*, inquit cap. 11. Sedinuogius. *Sufficiunt in arte duo.* Primi operis est sphæricum: Secundi paulo minus vitrum, vt phiolæ vel oui. *Vnicum debebat esse, sed duobus vtimur propter abbreuiationem.* Ità *in præfatione parabolæ:* Vas vnicum est à principio vsque ad finem: vel ad summum, duo sufficiunt, igne continuo in opere vtroque. Poteramus dicere duo ideo vasa esse, quia vnum albo, alterum rubeo destinatur: quæ etiam abbreuiatio quædam est, ne cum vno absoluto alterum suscipimus tempus nimium insumatur. Verum potest & alia sententia esse. Quidam putant citius perfici opus, si particulatim fiat cibatio: alii omne nutrimentum simul immittunt. Illi naturalius operantur & artificiosius, &c. Oblongum vitrum vsurpant ad cibandum, sphæricum ad fermentandum.

Vas.

Vas naturæ alias matrix est, in qua conceptus perficitur. In arte vasa sunt artificialia similia illi. Vas etiam ossa dicitur circumstans granum. *Materia.* Est *vna, ex duabus substantiis*, quæ non à re creantur, *sed iã in natura procreata* extant, & latitant in vmbra, seu sub cortice. Tolle vmbram, vt essentia abscondita prodeat. Inuertit Sedinuogius aliorum dictum: esse *duplicem mercurium vnius radicis*, vnde & διφυὴς dicitur. Vna eademque radix est Aqua nostra, quæ coagulata fit elixyr, quod postea rursum componitur cum illa ipsa. Sunt tamen & duæ substantiæ; vna cruda, altera cocta; vna argentum viuũ, altera aurũ: Illud duplex est specie aquæ, & terræ. Ex vtrisq; debet fieri vnus lapis unaq; natura homogenea, scilicet aqua in nostro vitro, & mercurius noster. Est & vna substantia solubilis, altera insolubilis, volatica, fixa: subtilis, spissa, sed quæ sub vmbra, seu elementari latibulo absconditæ sunt, vna est sulphur, altera mercurius essentialis: Vna quinta essentia argenti viui, altera semen auri vel argenti. De materia *infra* plura *cap. XII.* Iam *de modo operationis coniugalis.*

Materia. Vide cap. 2. Vna ex duabus substantiis: & vna ex vna radice.

Fructus producitur ex aqua in terra: Aer ei suppeditat vitam, inquit, q. d. In terra nostra ignis est, qui in aquam operatur, educitque ex ea aerem vehentem vitæ, & animæ primordium. Id adhuc planius, & plenius sic docetur: *In centro terra nostra in vitro Hermetico, in quo per aquam acuatam solutum est corpus auri, vsque ad terram irresolubilem, tanquam in medio puncto virtutis est Sol terra.* Is excitatus mouetur, & motu rarefaciente circumstantes aquas, perpetuo calorem radiosum, vel radios quasi calidos sursum ad superficiẽ terræ seu aquæ terrenæ propellit, cumq; calor ille centralis & internus elementali igne multo sit efficacior, omnia corrumperet, consumeret & exiccaret ante tempus legitimum, ni temperaretur terrenæ aquæ frigiditate, quæ de die in diem penetrat porros terræ interioris, quæ est sedes, & fundamentum caloris, atque ita eam terram, & aerem inde emergentem refrigerat. Fac ergo, vt calor terræ centralis aquam vertat in aerem, qui eleuetur in superficiem eius. Quod de ea non vertitur, insinuet se in poros terræ. Aer eleuatus vsque ad ambitum, ibi consistat, fiat nubes, ex qua aqua depluens corpus mortuum fere humectet, & vitæ restituat. Quæ aqua vero ex aere coagulat, longe subtilior est, quam prior, propter circularem motum; quo attenuatur, & calorem. Hinc existunt Elementa. Calor efficit aerem ex aqua, eumque valde subtilem, & penetrantem in ea, in quæ aqua peruenire nequit. Aer ad superficiem fertur. Hîc vbi refrixit in loco superiore, rursus densatur in aquam vel potius in vapidas nubes seu nebulam, vt aliqui loquuntur. Sed & aqua commouetur & ebullit, inque aerem eleuatur, & interim soluit strenue, quo tempore SALI comparatur. Inspissatur autem, & pinguescit, inque terram repulsa distribuitur.

Modus forma & finis.

Sol pro igni interno.

Elementa in vitro fermentationis.

Hinc potes caussas generationum mundanarum per pluuias, item ventorum, & aliorum meteororum sumere, vti Drebbelius fecit. Putat Sedinuogius *solem mundanum Cœli* quoque *aliquid conferre, quia influat occulte tracta vi eius à sole centrali tanquam à magnete*, vt sic calor fiat auctior, possitque existere magnum incendium, ni aqua subiens refrigeret.

Nota originem Philosophia chymicorum physica exemplarem.

Medicina morborum ex lapide.

Hæc de Secundo. Tertia pars *medicinā ad lepram fabricare docet.* Ita. n. intelligo. *Cape nostrum lapidem, qui senex dicitur* (qui tamen iam est renouatus.) *Da ei aurum vel argentum deuorandum*: quod potest fieri per reperitam fermentationem, vel proiectionem in fluxu: Da vero ita *vt lapis cum illis mutetur in puluerem. Hanc imbibe nostra aqua; solue & coagula*; fiatque medicina ad lepram & alios morbos. Alii auro liquefacto iniiciunt puluerem lapidis Deinde iterum certam quantitatem eius, idque donec maneat oleosa substantia. Pars quarta admonitio est & cautela, *ne duo lapides confundantur.* Fieri.n. debet quælibet species cum sua specie, id est, ad aurificum lapidem assumendum est rubeum elixyr & aqua: Ad argentificum elixyr album cum aqua. Tale debet etiam fermentum esse, siue semel, siue sæpius fermentes. Quidam putant, se posse per argentum facere lapidem aurificum, quia persuasum est ipsis, *omne aurum fuisse prius argentum*, quod sit tantum coctione deficiens aurum: artem vero posse id, in quo natura defecit, compensare. In hanc sententiam adducunt illud Plinii quod in omni auro sit argentum, & quod chymici tinctura abstracta inueniant corpus album, quod vocant nostram *Lunam fixam.* Sed artifices deterrent studiosos ab hac spe. Qui *singulis metallis suum semen* tribuunt, videant, num verum sit, quod credunt non pauci, *metalla inter se accidentibus tantum differre*, & ideo esse transmutabilia omnia. *Naturas misce naturis.* Hæc.n. lætantur inuicem. Si quid inest contrarii in auro, argento, aqua nostra: id separa, id est, coquendo & circulando exaltandoque perge, donec attigeris gradum sublimis puritatis. *Separatio* non stibio, aut alia manuali detractione *est instituenda*, sed *igni.*

De non miscendis diuersis lapidibus.

Separatio mystica in vitro.

Ex Cap. XII.

Veritas artis

PRoponit de lapide & virtute eius. Tractat autem hæc: 1. Quod *ars sit vera*: quia constet natura generabili, & multiplicabili per semen, vtpote metallica materia, quam natura ex quatuor elementis produxerit, ex eis primam materiam gignendo, deindeque secundam semineam. *Si semen habent metalla, sunt multiplicabilia secundum speciem. At habent semen. Ergo.* Minor probatur quia in metallis non minus operosa fuit natura, quam in plantis, nec defecit in his Dei benedictio, &c. Hæc & *supra* dicebantur.

Generatio omnium.

2. Explicatur generatio omnium generabilium. 1. ponitur *motus*: 2. ex eo *calor.*

3. *Aqua primordialis* omnium materia.

4. Calore in eam agente *prima materia rerum fieri* dicitur. *specie vaporis*, spiritus, venti, aeris, &c.

5. *Subtilis aer congelat per aerem crudum*, & vi terræ, quam irrepit.

6. *Fit aqua*, quæ se in terræ poros insinuat.

7. Hinc postea exoriuntur mineralia & plantæ pro diuersitate locorum. Est tamen etiam discrimen pro natura materiæ. Nam *ex vapore* consistunt *leuia*, ex *aqua pingui grauia* quidem, sed *pretiosa*: ex *sale pulchra*: omnia per se pura; sed *locorum inquinamentis impura* reddita.

Potestas artis

Hæc ille cum Drebbelio sic fieri putat argumento motus materiæ in vitro physico Hermeticorum: Supponere vero aquam terram & salem necesse habet: Deinde etiam mobile quiddam præmittere, cuius motu calor accendatur, quale est cœlum cum suis corporibus, potissimumque luminaria. Ita sunt opera naturæ. De artis potestate sic philosophatur: *Ars separat impura, quæ in naturali generatione accesserūt, ab puris.* Modus: *Solue corpora. Separa & purga heterogenea: Homogenea collige:* Hæc est elaboratio simplex: Sed respice ad naturam. *Finis est metalla perfecta multiplicare.* Vt natura operatur, ita & artifex. *Solue ergo metalla in aquam per aquam prius ex natura acceptam & studiosissime præparatam. Hanc putrefacito, coque, coagula, vt fiat subtilis, & apta ad soluendum, seu aerea & spiritualis. Hæc.n. subit corpora, & penetrat. Inde sequitur coniunctio soluēntis & soluendi. Pura puris sunt coniungenda. Ea sunt duplicia, cruda & cocta. Cruda crudis, aquam elixyri imperfecto iunge: & cocta coctis, aurum vel argentū, aquæ iam confecta.* Hic primus sensus esse potest. Alia coniunctio est materialis, vbi cruda per respectum dicta componuntur: alia mystica, per matrimonialem coitum in vitro, vbi cocta coctis. *Qua vero proportione, & pondere?* promittebat *cap.* 3. dilucidam ponderis explicationem. Vidimus aliquid in compositione, quam & *infra* ponit. Sed hic *iudicio artificis rem permittit, qui debeat pondus naturæ obseruare, non autem quantitatis materiarum.* Augmentum est, quia cum duo sint iungenda, sal nitri centrale, & terra, seu aqua terrena, *illa non plus combibit & assumit, quam opus habet*, quæ esset Regula pro imbibitione & nutritione. Declarat etiam *proiectionem.* Nam non amplius tingit, quam se virtus extendit, id quod experimentis aliquot est discendum. Alias *supra* Riplæus monuit de proportionibus, adiiciens, ne nimium aquæ ponamus, ne protrahatur nimium coagulatio. Ait autem recipi terram sufficientem naturæ, siue pura sit, siue impura: vnde discimus etiam impuram terram in opere esse qualis dicitur, cum nigra est, quæ abluitur aqua & igni, vt albescat, ablutione scilicet spiritali. Est & pinguis aqua coniungenda, nempe in ipso vitro, dum ex aere coagulauit in liquorem aqueum, indeque crassefacta est. Ea dicitur impura. At pura puris sunt iungenda. *Qua ratione ergo purgatur?* Duplici calore interno & externo. Tunc coniungitur sponte sua.

Cruda & cocta.

Pondus.

Quantum tingat.

Purgatio terra & aqua interior.

Quæ ex Epilogo.

REpetitio est *superiorū per XII. Capita* propositorum, & expositorum, in qua opus naturæ, & artis comparantur. 1. In mistis naturalibus duo sunt, vnum *occultum*, quod intus in corporibus latet: alterum *manifestum* & sensibile.

2. Varia nomina sunt vtriusq;. Nam *occultum vocatur lumen proprium naturæ, inuisibile principium: vegetabile nostrum*(ad artem respiciendo)*sulphur fixum nostrum*(si de fixis est sermo) *volatile*(si de fugitiuis)*caput mortuum feces nostri maris*(i. ẽ ad materiã artis metalli perfecti pertinens)*sol centralis, centrum solis*(in quo sol insitus & cœlestis concordant, concurruntque) quod & *matrix nostri principii seminalis & vegetantis: Punctus magnetis nostri*(principium)*magnes noster, & magnesia* (ab attrahendo, quia vitalẽ aerem trahit, & coagulat, sibique vnitum cupit, vt magnes ferrum) *chalybs* (quia calorem producit, quo nomine & sol dicitur)*sal petræ, sal alcali, sal armoniacus* (ob vim penetrandi, & resoluendi. Calor enim ille naturæ potenter penetrat & resoluit in aerea aqua, & spiritu) *Humidum radicale, calor & spiritus innatus: Centrum radiorum solis & terræ*(diuerso respectu. Virtus enim est inseparabilis à materia, quã totam perfudit ita, vt cogitetur punctus quidam & cor, ex quo radii se expandunt, & spiritus diffunduntin ambitum: Et est sane eius subiectum primum parua moles terrea) *semen radicale: pretium.* (Est simul res vilis aspectu & respectu diuitiarum, quas postea parit: & pretiosissima, quia est principium summorum in mundo corporali bonorum)&c. Quod vero aspectui subiacet, appellatur *corpus, vmbra, tunica, cortex, cutis, &c.* Corpus est vmbra seminis nostri, qua remota in conspectum prodit semen. *Sal noster obductus est saturni sphæra*, hoc est, principium prolificum & calidum innatum, quod & ignis naturæ sub corpore vmbroso & frigido congelatoque latet, &c.

Nomina principii interni.

Nomina corporis aspectabilis, & subiecti.

3. *Quo modo fit vtrumque in natura?* Ponitur centrum terræ. In hoc dicuntur quatuor elementa coniicere suas vires, & quasi *corradiare & constillare*, vt fiat illud *humidum radicale.* Cum hoc est *sol terrenus, qui magnetica vi attrahit virtutem cœlestis solis.* Hinc motus fit in materia. Ergo soluitur illud humidum in spiritum & euehitur ad terræ superficiem. Vbi consistit denuo, & circulariter redit in suam terram, cumque ea coalescit, verum non sine efficace immutatione, qua terra valde subtilis redditur, vt suo primordio respondeat, fiatque adeo similis, vt mutuo amore cohæreant inseparabiliter. *Semen* illud *nutritur & vitam accipit ab aere*, seu rore, qui in aquam densatur, vocaturque *aqua roris nostri*, ex qua extrahitur *sal petra philosophorum*, quo omnes res crescere & nutriri dicuntur, vnde facile intelligis, qui sit sal ille, *nempe nutrimentum essentiale*, vi cœlesti instructum, & potentia simile essentiæ, quæ nutritur.

Modus quo natura gignat mista fœcunda.

Sal petra philosophorum.

4. Id declaratur generationibus horariis seu temporaneis, vt in vere, quas etiam Diebbelius ex sua arte explicabat. Cum pluit, terra ex aere accipit vim vitæ, eamque coniungit cum *sale nitro* (insito principio seminali & vegetabili)*terra.* Cur terra sic trahit? Quia se habet *vt tartarum calcinatum*, vel *aliæ calces siccæ & resolubiles, quæ sua siccitate aerem vapidum* attrahunt: Aer receptus concipit, fitque sudor, & postea aqua, quæ salem calcis secum resolutam trahit. *Hæc aqua fit nutrimentum terræ*, eamque auget virtute & quantitate, facitque, vt semen in ea se dilatet sursum deorsum; quæ est *origo* & productio *Plantarum.* Hæc sunt philosophemata theorica, non sumta ex natura, sed in eam ex arte illata. Nam isti artifices putant, sicut in vitro suo contingit, ita fieri etiam foris in mundanis generationibus. Ideo fingunt naturalem modum, & postea dicunt in arte similiter procedi. Vtile autem est nobis hoc figmentum, quia *siue sic habeat in natura externa, siue non, nos semper intelligimus artis modum exponi.* Hoc liquet ex artificiosis.

Modus quo ex calcibus fiunt liquores.

Ex artis modo naturæ tractus est modus cupiditate philosophandi singulariter.

5. Sic n. ars describitur. Omnia aperte dicta sunt: saltem *modus extractionis salis nostri ammoniaci* hoc est, *Mercurii philosophici ex aqua nostra pontica, cum vsu suo est occultatus.* Hoc est procemium quasi generale, vt remoretur lectorem & in aliquid occultius per opinionem fallacem ducat. Reuera et illa extractio dilucide exposita est. II. *Vas vnum est* à principio vsque ad finem, nisi duo sumantur, abbreuiandi caussa. III. *Ignis continuus sit. Quicquid fit, igne fit.* IV. *Cape iam aeris partes decem: auri viui, vel Lunæ viuæ partem vnam.* (Proportio hæc *cap.* 11. erat diuersa. Nam ibi iubemur capere terræ vndecim, auri vnam, argenti duas: Et disiunctio, *VEL*, ibi omittebatur. Terra, aer, aqua, indifferetim dicitur eadem materia, quæ istorum affectiones assumit. Proportio vero non adeo exquisita est, vt tantillo non variet. Bene additur disiunctio, vbi diuersi lapides signantur. Non. n. licet album & rubeum miscere. Alias Lunæ vox etiam Mercurio attribuitur) *Impone vasi tuo. Coque, vt aer fiat aqua & postea non aqua, seu puluis & terra.*

Artis ratio.

Sal armoniacus est ♀ph.

Praxis fermentationis & proportio, 10. ad 1. Vel 22 Ita in fine Paraboia Aq. philosophica debet esse decupla ad partem vnam corporis.

Nihil arduum hic dicitur. Tu cum imposuisti, calore temperatissimo coque, siue aer vocetur, siue aqua id, quod coquitur.

Quod factum est in imperfectis, seu dum præpararetur elixyr imperfectum, idem fit in perfectis. *Aer congelatus*(Is vero actu est aqua, seu liquor, qui fit ex elixyre imperfecto, & aqua prima)*soluatur: Et necesse est aquam aeream adesse, quia sol centralis debet habere suum mare, & aquam crudam sensibilem*, quæ à calore rarefit & vertitur in aerem vapidum, in quo est spiritus: Vnde vocatur *aqua non madefaciens manus & Hermetis auicula.*

In soluto illo aere solue auri partem decimam. Include vitro rotundo. Signa Hermetice Coque igne nostro continuo, donec aer coagulet vicissim in aquam, & hæc in puluerem, quod dum fit, salina virtus sese exeret, & colores varios producet. Mutantur etiam & conuertuntur hic elementa, quorum actiones in vitro conspicies, & quo modo in terram radios suos coniiciant, & eam fœcundent. Nam nostrum halonitrum in terra, quod aer fuit, coniunctum cum pinguedine terræ (vt in calce tartari) trahit suum aerem, eumque coagulat, vt aqua fiat, tandemque puluis terreus.

Aq non madefaciens manus est aer vapidus.

Illa nitrosa virtus eo maior est, quo radii solares, & calor insitus sunt copiosiores (vt crescente lapide per suas augmentationes, crescit etiam virtus) *Est autem in mercurio nostro illa nitrositas inclusa*; vnde & *aqua pontica* dicitur; quæ aurum & argentum soluit, vicissimq; ab eis coagulatur. Sic fit spissum subtile, fixum, volatile, & contra. Leuia fiunt grauia, & grauia leuia; Spiritus abit in corpus, corpus in spiritum.

Pp 4 Piæ-

Præcipuũ est in rarefactione aquæ, vel aeris. Ideo *quo magis subtilias, eo lapis fit efficacior*, & plus tingit, ad quod repetitione operationum & multiplicatione opus est, de quibus Lullius & alii, apud quus inuenitur etiam *integer processus*.

Aer generat magnetem, seu chalybem nostrum, per quem ex sole & luna dicitur extrahi aqua nostra pontica prudentis artificis opera. *Magnes* facit, vt appareat aer noster coagulatione. Pater eius sal, mater luna: portatur in ventre venti: nutrix eius est terra: quæ omnia diuersis respectibus aliter dicuntur, & *supra* sunt satis explicata.

Diuinatorium ænigmatis.

Non est vlla scientia & doctrina, vel ars, in qua liberius fingitur, quam hac philosophica lapidis. Cedant Poetæ. Nostri Hermetici tam monstrose omnia fingunt, miscent, vertunt, peruertunt, vt Horatiano monstrum longe fieret absurdius, si quis literam sequi vellet. Vtrum assequar omnia, Deus & Sedinuogius nouerunt, & credo, quod ne ipse quidem fictor omnium suorum figmentorum rationẽ reddere possit. Exculpam quod verisimile videbitur.

Initio proponitur *res quædam* in se occultatam habens humiditatem, *ex qua omnium rerum dicuntur* esse *origines*, quæq; misceat se omnibus, atque adeo etiam sit omnium metallorum mater. Est fere ex nihilo. In ea proprie est nihil. Intelligo subiectum commune, & materiam primam omnium generabilium & corruptibilium: quæ initio fuit vapor, sed coagulatione accepit aqueam consistentiam. Hæc vaga & nimium generalis consideratio in nostro opere parum valet, nisi quod ex analogia disseri possit de primo omnium rerum ortu. *Nos materiam secundam, quæ iam fructus est, venamur.* Ideo aquam nostram accipimus in genere minerali, & in vnica tantum specie mineralium, quæ comprehendit metalla sex, & vnum argentum viuum. Iam ergo *metallica tantum est nostra aqua*, quæ describitur sequentibus.

Aq. nostra descriptio.

1. Ex aqua nostra sunt orta metalla. 2. Caret salsedine, & acrimonia: 3. & tamen soluit aurũ, & argentum sine violentia & strepitu. 4. Aurum, quia caret impuritate, est ei amicissimum: imo est auro instar matris, ex qua etiam est ortum. 5. Est in insula nostra, seu argento viuo sublimato, ex quo difficulter elicitur. 6. Coquitur primo septem mensibus. Tanto enim spacio ex argento viuo vix paratur. *Ante coctionem debitam est venenum summum*, quale est & argentum viuum à sale, & chalcantho sublimatum, quod quo modo vertatur in Theriacam salutarẽ dictum est suo loco. Nostra quoque aqua post coctionem est summa medicina.

Versus meridiem) si nude diceres, sonaret circa finem tinctura rubra, quando coagulatio fit.

7. Quo modo coquitur? *Aqua illa elicita ex argento viuo sublimato quadam ratione dicitur mare.* Ex hoc egreditur *Neptunus aquarum Dominus* cum tridente. Intelligo *elixyr*, quod perficitur per tres colores principales, fitque *insula ex aqua* versus austrum seu meridiem, in qua omnium rerum mira varietas. Non enim tantum omnium rerum colores apparent in coctione, verum etiam omnes res, elementa, & mista, suas actiones, conuersiones & origines isto quasi exemplo & imagine ostendunt. Est tamen hoc commune cum sequentibus operationibus, in quibus Elementorum est conuersio, & colorum mutatio. Nam & in illis apparent res variæ, fere que semper diebus quinquagenis. Est nauigatio *à polo arctico ad antarcticum*, id est, processus artis à solutione ad coagulationem, à nigredine, quæ est septentrio, per albedinem, quæ est ortus, in rubedinem, quæ est meridies ad antarcticum polum. Audiuntur *Melosynæ*.

Etenim suaue est in vno opere videre omnium nascentium origines. Ista fere de aqua prima, licet & secundam attingant aliqua parte.

Descriptio aquæ 2.

1. Non est alia aqua, quam *quæ ex radiis auri & argenti conciliatur, seu extrahitur vi magnetis, & chalybis, qui in ventre arietis inuenitur:* (per ignem naturæ calidum siccum, sulphurque in mercurio elicitur) 2. *Non est vtilis aqua sine auro, quia hoc solo melioratur aqua & aqua aurũ.* Nihil ei additur, nisi *pomũ nostrum*, hoc est, aurum vel argentum in se semen suũ habens tanquã maturus fructus. Melioratur in tantum, vt videatur *solo fumo seu halitu* imperfecta metalla mutare in perfecta tanta liberalitate, vt nõ sit opus repetitione artis ab initio.

Aries) signum ascendentis solis calid. sicc. initium veris. Ver autem in arte est symbolum elixyris albi, vel tinctura alba. Quando aqua nostra prima soluitur illud elixyr, fit aq. solutiua.

1. Est *mercurius noster*, cui solus fructus arboris solaris (naturæ aurificæ mineralis, quæ aurum gignit, vt arbores suos fructus) imponitur hac proportione, vt *aquæ sint partes decem, auri vna.*

4. Tota mistura constat *masculo & fœmina. Aqua est fœmina*, & terra nostra, in qua fit auri putrefactio. 5. Est *aqua vitæ*, quæ habet *intrinsecum ignem* assiduo foris calore iuuandum. 6. Est *mater*, ex qua per putredinem nascitur fœtus, qui dicitur Phœnix; & Salamandra, seu lapis & medicina in igni durans, & per eum se multiplicans. 7. Habet *niueum candorem*, visibilis, & palpabilis, (in coagulatione, & crystallino sublimato, &c.)

8. Non sunt duo simul in ea soluenda, sed vnum tantum, & id aurum, vel argentum.

9. Tunc fit mare, in quo natat piscis *echeneis*, hoc est *fixa terra*, fixum sulphur, & tinctura, quæ innatantia figit, & constare in igni facit.

10. Subest vis aurifica, & argentifica: subest & *magnes* cum *chalybe*, quibus attrahitur eleuata anima, spiritus, & aqua, atque ita fit fixum & figens ex toto.

Proportio materialis.

11. *Aqua nostra ignea comburit tres partes corporis sui*, cum corpore auri. (Compositio ergo est ex tribus elixyris, ex aqua prima per conuersionem & alterationem elementorum nati, & vna auri, quatuor aquę mercurialis. Consumitur elixyr, & corpus auri, sed non totum. Nam manet *decima pars cum vna decima*, vt *supra* dixit: seu, vt in parabola, *decem partes metalli in ea soluuntur*, remanente portione minutissima.

Aurum nostrum viuũ.

12. Iam *aurum est nostrum viuum & viuificatum:* Est mercurius noster.

13. In

13. In ista solutione à corpore corruptibili, quod abit in aquam, sicut glacies, separatur vita, seu *anima specie aerea*, spiritalique inclusa. Hinc dicitur *portari à vento in vtero*. Verum spiritus ille vicissim incrassatur, inq; aquam redit, & terram suam, seu corpus mortuum repetit; *Sic accipis viuum aurum nostrum.* *Aurum nostrum viuū.*

14. Non procedit hoc sine variis coloribus & Elementorum alternatione.

15. Tandem apparet *mons in mari*, & *littus*, seu lapis coagulatus, cuius generatione potest explicari omnium generabilium origo, & progressus, sicut & fructu ex semine orto.

16. *Si fructu hoc saturatur vnus, mille postea possunt saturari, seu proiectione lapidis incerati & aucti super proprium corpus fit medicina super mille.*

17. Augetur primum virtus, vt ex vna planta 10. fructus nascantur. seu *vna pars tingat decem.* Deinde opere repetito, vna pars cadit super centum, tertio super mille, & sic deinceps. Nam destructo corpore priore *reuiuificat se medicina*, & emergit aliud incorrumptibilius, Ideo in omni augmentatione debet fieri solutio, elementorum conuersio, & coagulatio.

18. Medicina aurifica est *salamandra*, cuius *sanguis seu oleum habet facultatem sex metalla inferiora in aurum mutandi.* Dat grana XXIX. sanguinis; & quoduis rursum 864. grana auri, verum non semper est æqualis virtus, cum nec artifex, nec materia, nec processus semper se habeant æqualiter. Tantum de monade septima. Si bene diuinaui, recte est: sin minus, alius diuinet melius, & collimet acrius.

FINIS.

Deo Vni & Trino soli gloria.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM COPIOSVS.

A

Aqua

Index.

Index.

Coagu-

Index.

N.

O.

P.

Q.

Spiri-

T.

Finis Indicis Chymici.

INDEX MEDICVS CONTINENS MORBORVM ET AFFECTIONUM remedia.

Index.

Suffo-

Finis Indicis Medici.

Deo summo soli gloria per Iesum Christum, Amen.